The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/tertullianusprae05tert

XXV
II



The Institute of Studies

TERTULLIANUS

PRÆDICANS.

V

BIBLIOTHECA
C. SS. R.
ad Stæ. Annæ,
MARIANOPOLI.

APPROBATIO.

Nos JOANNES MARIA MATHIAS DEBELAY, Archiepiscopus Avenionensis, cum R. P. Michael Vivien inter eos qui de re concionatoria scripsere, nulli secundus existimetur; illiusque multoties recusum opus quod inscribitur : *Tertullianus Prædicans*, tantum, in hoc genere, laudis, quantum quod maxime, apud rei peritos obtinuerit, tum materiarum abundantia et methodo, tum ubertate ac mira partitionum varietate, tum ex Sanctis Patribus testimoniorum copia, tum rationum numero et pondere; ita quod quasi thesaurus esse videatur et sit, ex quo, quidquid ad instructionem ædificationemque fidelium necessarium est, aut utile, cuique, ad libitum, haurire licet; ideo, quam a nobis expostulavit dilectus in Christo Franciscus Seguin, typographus, qui de religione, ac imprimis de nostra Diœcesi jampridem optime meritus est, ob eam quæ ipsius est inveteratam consuetudinem, ut egregia magis et aptiora quæ videntur, ad usum cleri, fidei defensionem, rectamque secundum Evangelium morum institutionem, opera prælis suis indefessim subjiciat ac vulget, petitioni ejus annuentes, licentiam ipsi facultatemque per præsentes, libenti animo concedimus, ut prædictum laudatissimum opus ad bonum commune reipublicæ christianæ typis denuo mandetur ; in quorum fidem subscripsimus.

Avenione, die 5 septembris 1855.

† J. M. M., Archiepiscopus Avenionensis.

Lettre adressée à l'Éditeur par S. E. Mgr le Cardinal de Bonald.

Milhau, le 15 septembre 1855.

Parmi tous les ouvrages ecclésiastiques que la librairie a publiés depuis quelques années, Monsieur, un des plus utiles au Clergé est le *Tertullianus Prædicans*, que vous réimprimez dans ce moment. Il suffit de dire que ce livre avait le suffrage de Bossuet pour montrer l'importance de l'édition que vous vous disposez à donner. Il serait à désirer qu'on ne nous inondât pas de traductions des anciens auteurs ecclésiastiques, souvent fort inexactes, faites à la hâte, et livrées au public avec une déplorable précipitation. Ces publications sont loin de favoriser les bonnes études. Pour vous, Monsieur, vous avez travaillé dans leur intérêt en réimprimant d'anciens ouvrages dans la langue de l'Église. Je ne peux que vous en féliciter.

Veuillez agréer, Monsieur, l'assurance de mon sincère dévouement.

† L. J. M. Cardinal de BONALD, Archevêque de Lyon.

The Institute of Mediaeval Studies
Toronto, Ontario

TERTULLIANUS
PRÆDICANS

ET

SUPRA QUAMLIBET MATERIAM

OMNIBUS ANNI DOMINICIS, ET FESTIS NON ORDINARIIS SOLUM, SED ETIAM EXTRAORDINARIIS; SINGULISQUE QUADRAGESIMÆ FERIIS PRÆDICABILEM

ORDINE ALPHABETICO COPIOSE DISPOSITAM

SEX AD MINUS FORMANS CONCIONES

INGENIOSE ADINVENTAS, BELLE CONCINNATAS, ET TRINA SUBDIVISIONE ILLUSTRATAS

CUM DUPLICI INDICE, CONCIONUM SCILICET ET MATERIARUM.

AUCTORE R. P. MICHAELE VIVIEN

S. THEOL. LECTORE, PROV. RECOLLECTORUM IN AQUITANIA ALUMNO, NECNON ANTIQUO CUSTODUM CUSTODE.

EDITIO RECENS ET ACCURATIOR

OCTAVA POST PLURES LUTETIÆ PARISIORUM, COLONIÆ AGRIPPINÆ ET PATAVII EDITAS.

TOMUS QUINTUS.

AVENIONE

TYPIS FRANCISCI SEGUIN, BIBLIOPOLÆ, VIA *BOUQUERIE*, 13

M DCCC LVI

LIBRARY
Pontifical Institute of Mediaeval Studies
113 ST. JOSEPH STREET
TORONTO, ONT., CANADA M5S 1J4
ENTERED JUN 2 7 1995

ILLUSTRISSIMO AC CLARISSIMO VIRO,

DOMINO DOMINO

JOANNI LE MAIGRE,

REGI A CONSILIIS,

NECNON

IN AQUITANIA ÆRARII PRÆFECTO MERITISSIMO.

MŒCENANTEM quærens *Tertullianus Prædicans*, sub cujus nomine prodiret in lucem, neminem Te digniorem invenit, CLARISSIME DOMINE. Et cui potius dicandus erat quam Tibi, plurimis titulis glorioso? Nam si consideretur nomen quo insigniris, gratiam et sapientiam præbet; si officium quo decoraris, bonam Tui famam redolet; si conversationem vitæ qua splendes, christianam disciplinam exhibet.

Affectent alii *nominis phantasma* (1), subque pomposo et vano vocabulo turgeant; interminabiles fabulentur genealogias, et ut videantur *vetustate nobiles* (2), generis ignominiam occultent *nominum senio* (3); falsos dignitatis usurpent titulos, et *mendacio nominis* (4) alienum sibi arrogent honorem. Nomen vacuum et inane portant, neque est in eis veritas, sed duntaxat nominis umbra. Profecto ubi *natura negatur, nomine illuditur.* (5) In Te, CLARISSIME DOMINE, reperitur non fictitia, sed vera *nominis dignitas.* (6) Multum est quod inter romanos imperatores *Macer* illustris existat; quod inter fideles *Macrina* sanctitate splendeat. Majus aliquid Tua sapiunt vocabula. Personale nomen Præcursoris refert insigne quo nihil gloriosius: *cum Dominus Joannem extulerit, Nemo, dicens, major inter natos feminarum Joanne baptizatore* (7); cognomen vero æmulatur Verbi divini splendorem, quod *nomine sophiæ* (8) micantius fulget: *Joannes* gratiosum significat; *Macer* sapientem denotat. Siquidem *opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit.* (9) In utroque titulo vere *habes nominis repræsentationem* (10): nam cunctis Te gratiosum præstas; admirabilem sapientiam demonstras, et probe fungens officio quo decoraris, immortalem famam Tibi comparas.

Curam habere debemus de bono nomine, quia melius est nomen bonum quam divitiæ multæ. Homines veri honoris cupidi, *famæ suæ ornamenta* (11) sectantur, quam etiam sequentibus seculis consignare nituntur: *Omnibus fere ingenita est famæ post mortem cupido. Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, vel ut litteraturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet?* (12) Sapientis acquiescens mo-

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 15 — (2) Tert. L. de Pall. 1. — (3) Tert. L. 3. adv. Marc. 15. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 39. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (6) Tert. L. de Spect. 12. — (7) Tert. L. de Bapt. 12. — (8) Tert. L. adv. Prax. 7. — (9) Tert. L. de An. 20. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 13. — (11) Tert. L. de An. 33. — (12) Tert. L. de Test. An. 4.

nito, CLARISSIME DOMINE, curam habes de bono nomine, Tibique comparas *qualem præstare potest seculum de fama æternitatem* (1): non tumida vani honoris pompa, non pomposa sepulcrorum ambitione; non opulento domorum ædificio; non curioso mensæ apparatu, sed simplici laude morum, et justa Tui officii administratione. Ærarii Præfectura est negotium magni momenti: Saturnus, deorum patriarcha, *Ærario præsidet* (2), et Rex christianissimus *thesauro suo providet* (3) homines meritissimos probe illum administrantes: electio tanti Principis te constituens Ærarii Præfectum in Aquitania, probe demonstrat quanti sis meriti; sed nihil magis virtutes quibus nobilitaris commendat quam vitæ Tuæ conversatio, christianam disciplinam exhibens.

Dei Filius christianæ *disciplinæ arbiter et magister* (4) apparuit ut sobrie, juste et pie vivamus in hoc seculo. Hæc tria quæ christianam integrant disciplinam, probis Tuis moribus exhibes, CLARISSIME DOMINE. Et quidem sobrietatem in opulentia. *Quæ temperantia gulæ in fame? quæ ambitionis repudiatio in egestate? quæ libidinis infrænatio in castratione? quis denique abstinens dicetur, sublato eo a quo abstinendum est? Vacat enim abstinentiæ testimonium cum licentia eripitur.* (5) At Dominus LE-MAIGRE humilem se præbet in sublimi dignitate; modestum in ampla fortuna; temperatum et sobrium in abundantia, *sicut et virtus in infirmitate perficitur, sic et abstinentia in facultate dignoscitur* (6): sobrietas temperat semetipsum; justitia adjuvat in necessitatibus proximum; Dominus LE MAIGRE de temperantia et modestia famosus, multum adhuc de justitia commendatur. Est enim *temperatissimus in acquisitionibus, promptissimus in communicationibus* (7), miseris benignissime subveniens, et egenis eleemosynas liberalissime largiens. Nam tacendo quod in Ærario, in quo præsidet, quoddam *arcæ genus est* (8) continens *deposita pietatis*, quæ unusquisque singulis mensibus sponte confert: ipse privatim fuse liberalitates erogat Regularibus, necnon et secularibus mendicare erubescentibus, cunctisque generatim egenis et pauperibus. Pietas in Deum est christianæ disciplinæ complementum. Hanc mirum in modum exhibes, CLARISSIME DOMINE, nihil *de religionis officio* (9) prætermittens; sed pietatis operibus sedulo vacans, quibus Tibi comparas hominum existimationem, Dei benevolentiam, Teque immortali reddis felicitate dignum, quam Tibi exoptat ex animo,

DOMINATIONIS TUÆ,

Humillimus et obsequentissimus servus

FR. MICHAEL VIVIEN,

Provinciæ Recollectorum in Aquitania alumnus.

(1) Tert. Scorp. 6. — (2) Tert. Apol. 10. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) Tert. Apol. 21. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 29. — (6) Tert. ibid — (7) Tert. L. de Exh. Cast. 12. — (8) Tert. Apol. 39. — (9) Tert. ibid.

TABULA

CONCIONUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

NOMEN.

—

SCHOLIUM.

Consideratur nomen 1. *divinum ;* 2. *Dominicum;* 3. *Marianum ;* 4. *christianum;* 5. *religiosum ;* 6. *mundanum.*

CONCIO PRIMA.

Trinum præsertim Dei est nomen, scilicet 1. *Deus honorandæ majestatis;* 2. *Dominus observandæ auctoritatis ;* 3. *judex formidandæ potestatis.* Fol. 1

I. PARS. Dei nomen est 1. ineffabile; 2. admirabile; 3. honorabile. ibid.

II. PARS. Domini nomen, seu Dei dominatio, 1. cuncta loca complectitur; 2. ad omne tempus extenditur; 3. cunctis generatim rebus præficitur. 6

III. PARS. Timenda est judicis 1. sapientia, seu perspicacitas; 2. justitia, seu æquitas; 3. potentia, seu in puniendo virtus et efficacitas. 10

CONCIO SECUNDA.

Nomen Jesu est 1. *honorabile, ratione excellentiæ et dignitatis ;* 2. *admirabile, ratione virtutis et efficacitatis;* 3. *amabile, ratione dignationis et pietatis.* 18

I. PARS. Honorabile Jesu nomen 1. omnia Christi nomina complectitur; 2. super omne nomen extollitur; 3. a cœlo, terra et inferno colitur. 19

II. PARS. Admirabile Jesu nomen, sua virtute et efficacia 1. a dæmonibus liberat; 2. ægritudines sanat; 3. media ad salutem comparandam subministrat. 23

III. PARS. Amabile Jesu nomen deferendum est in 1. corde, per dilectionem; 2. ore, per benedictionem; 3. manu, per sanctam operationem. 27

CONCIO TERTIA.

Mariæ vocabulum est nomen 1. *excellentiæ et venerationis;* 2. *fiduciæ et protectionis ;* 3. *observantiæ et devotionis.* 32

I. PARS. Venerandum est Mariæ nomen, quia significat 1. sublimem auctoritatem; 2. eminentem dignitatem; 3. nobilem affinitatem. ibid.

II. PARS. Maria 1. stella poli, justos dirigit, ne succumbant dæmonum tentationibus; 2. illuminatrix, illuminat miseros, ne deficiant in afflictionibus; 3. spes, fiduciam præstat criminosis, ne desperent, et subjiciantur Dei indignationibus. 35

III. PARS. Mariani nominis trina est devotio, 1. superstitiosa; 2. contumeliosa; 3. religiosa. 40

CONCIO QUARTA.

Christiani titulus est nomen 1. *gratiæ et sanctitatis;* 2. *fidei et credulitatis ;* 3. *clementiæ et charitatis.* 45

I. PARS. Christianus est sanctus 1. vocatione; 2. nominatione; 3. professione. ibid.

II. PARS. Nomen christianum est titulus fidei et credulitatis 1. exercendæ; 2. confitendæ; 3. adimplendæ. 48

III. PARS. Charitas christianum nomen 1. nobilitat; 2. ditat; 3. discriminat. 50

CONCIO QUINTA.

Religiosum nomen 1. *merito commendatur;* 2. *injuste aversatur;* 3. *scelerose depretiatur.* 52
I. PARS. Nomen religiosum commendatur 1. vetustate; 2. dignitate; 3. salutis securitate. ibid.
II. PARS. Religiosum nomen aversatur ex 1. injustitia; 2. invidia; 3. nequitia. 63
III. PARS. Injuste religiosum nomen 1. velut vile et contemptibile vituperatur; 2. tanquam inutile reputatur; 3. scelerose devenustatur. 66

CONCIO SEXTA.

Mundani nominis 1. *vanitas;* 2. *falsitas;* 3. *infelicitas.* 71
I. PARS. Mundani 1. magna cognomina sibi vindicant; 2. titulos gloriæ multiplicant; 3. nomina sua æternare curant. ibid.
II. PARS. Mundani vanitate tumentes, nomina 1. imaginaria affectant; 2. senio confecta sibi arrogant; 3. aliena usurpant. 72
III. PARS. Mundani trina infelicitate mulctantur, suntque 1. inhonorati; 2. innominati; 3. cœlesti beatitudine privati. 73

ORATIO.

—

SCHOLIUM.

Orationis 1. *indigentia et necessitas;* 2. *excellentia et dignitas;* 3. *conditio et qualitas;* 4. *virtus et efficacitas;* 5. *fructus et utilitas;* 6. *rerum quæ postulantur natura et proprietas.*

CONCIO PRIMA.

Orationis necessitatem tria præsertim demonstrant, nimirum 1. *conditio humana;* 2. *religio christiana;* 3. *dispositio divina.* 77
I. PARS. Humana necessitas orare compellitur, ut obtineat 1. egestati subsidium; 2. adversitati solatium; 3. adversus iniquitatem remedium. ibid.
II. PARS. In publica necessitate, Christiani ad Ecclesiam conveniunt 1. orantes; 2. pœnitentes; 3. deprecanti Christo in Eucharistia adhærentes. 84
III. PARS. Orandus est Deus, quia 1. cognoscit quæ sunt nobis ad salutem necessaria; 2. vult nobis dare ad salutem necessaria; 3. potest nobis dare ad salutem necessaria. 91

CONCIO SECUNDA.

Per orationem 1. *Trinitas honoratur;* 2. *homo sublimatur;* 3. *terra cœlum æmulatur.* 97
I. PARS. Per orationem honoratur 1. Pater, tanquam orationis objectum; 2. Filius, tanquam orationis medium; 3. Spiritus Sanctus, velut orationis principium. ibid.
II. PARS. Per orationem homo 1. cum Deo fabulatur; 2. in Angelum immutatur; 3. in Deum velut transfiguratur. 101
III. PARS. Orantes homines terreni, cœlum æmulantes Angelorum præstant officium 1. contemplatione et meditatione; 2. psalmodia et decantatione; 3. continua gratiarum actione. 102

CONCIO TERTIA.

Oratio est sacrificium 1. *laudationis;* 2. *expiationis;* 3. *impetrationis.* 109
I. PARS. Oratio velut mundum laudationis sacrificium, expostulat 1. animæ sanctificationem; 2. mentis attentionem; 3. cordis devotionem. ibid.
II. PARS. Oratio, velut sacrificium expiationis, tria complectitur 1. animæ immundæ purificationem; 2. mentis humiliationem; 3. carnis afflictionem. 116
III. PARS. Oratio, tanquam sacrificium propitiationis, debet fieri cum 1. fiducia; 2. perseverantia; 3. dependentia. 119

CONCIO QUARTA.

Orationis virtus et efficacia 1. *humanam superat industriam;* 2. *hostilem debellat valentiam;* 3. *divinam detriumphat potentiam.* 124

I. PARS. Oratio est 1. eloquentia facundior; 2. pecunia potentior; 3. armis et bello valentior. 125

II. PARS. Oratio victoriam negotiatur adversus 1. carnis concupiscentias; 2. spiritales nequitias; 3. gentes extraneas et inimicas. 127

III. PARS. Oratio, divinam 1. demulcet iracundiam; 2. exorat misericordiam; 3. superat quodammodo potentiam. 130

CONCIO QUINTA.

Oratio commendatur 1. *utilitate;* 2. *facilitate;* 3. *continuitate.* 134

I. PARS. Oratio utilis est ad 1. satisfaciendum; 2. impetrandum; 3. merendum. 135

II. PARS. Nemo excusatur ab oratione, ex defectu 1. industriæ et capacitatis; 2. copiæ et facultatis; 3. potentiæ et ætatis. 137,138

III. PARS. Continue orant qui 1. in charitate et desiderio cœlestis beatitudinis perseverant; 2. bona opera sedulo patrant; 3. tempore debito orationi vacant. 138

CONCIO SEXTA.

Multorum non exauditur oratio, quia 1. *mala postulant;* 2. *indifferentia conditionate non postulant;* 3. *bona debite et recte non postulant.* 141

I. PARS. Qui malum postulant, 1. orationis decorem devenustant; 2. Deum vituperant; 3. sua peccata incrementant. ibid.

II. PARS. Plerique bona temporalia petunt, nec accipiunt, quia ea non postulant 1. conditionate; 2. moderate; 3. ordinate. 142

III. PARS. Absolute et non conditionatè postulanda est 1. divinæ voluntatis adimpletio; 2. regni cœlestis acquisitio; 3. Dei possessio. 145

PAX.

—

SCHOLIUM.

Pax 1. *mala depretiatur;* 2. *christiana commendatur;* 3. *trina discriminatur;* 4. *a multiplici prototypo regulatur;* 5. *Dei dono nobilitatur;* 6. *bonorum universalitate locupletatur.*

CONCIO PRIMA.

Trina est diaboli pax 1. *colligata;* 2. *simulata;* 3. *inordinata.* 149

I. PARS. Ministri diaboli colligantur in vinculo pacis, ad 1. errorem inducendum; 2. justum persequendum; 3. crimen exsequendum. ibid.

II. PARS. Pax simulata, palliatur 1. sermonibus dolosis; 2. salutationibus insidiosis; 3. osculis venenosis. 152

III. PARS. Pax inordinata 1. nulla mundi adversitate cruciatur; 2. nulla diaboli tentatione pulsatur; 3. nulla concupiscentiæ rebellione exagitatur. 154

CONCIO SECUNDA.

Pax christiana Christi 1. *doctrina fundatur;* 2. *religione solidatur;* 3. *charitate compaginatur.* 157

I. PARS. Pax a Christo edocta sapit 1. humanitatem; 2. mititatem; 3. unitatem. ibid.

II. PARS. Christiani debent esse pacifici, quia 1. eumdem Deum venerantur; 2. ab eodem patre cœlesti adoptantur; 3. in ejusdem beatitudinis spe confœderantur. 161

III. PARS. Charitas ad pacem inducit, quia non est 1. tumida; 2. cupida; 3. invida. 163

CONCIO TERTIA.

Sectanda est pax cum 1. *Deo;* 2. *seipso;* 3. *proximo.* 167
I. PARS. Pax cum Deo per 1. pœnitentiam recuperatur; 2. sanctimoniam confœderatur; 3. obedientiam conservatur. ibid.
II. PARS. Qui cum seipsis paciscuntur 1. peccatorum tyrannidi resistunt; 2. passiones rationi subdunt; 3. hujus vitæ molestias patienter perferunt. 168
III. PARS. Habenda est pax cum 1. domesticis; 2. extraneis; 3. inimicis. 171

CONCIO QUARTA.

Ad pacem provocamur mundo 1. *archetypo;* 2. *universo;* 3. *microcosmo.* 173
I. PARS. Pax Trinitatem imitatur, in qua est 1. unitas sine confusione; 2. distinctio sine divisione; 3. concordia sine dissensione. ibid.
II. PARS. Ordinata universi mundi pulchritudo apparet in 1. elementis; 2. cœlis; 3. angelis. 175
III. PARS. Membra hominis seu parvi mundi, in eodem corpore 1. adunantur; 2. adjuvantur; 3. conservantur. 178

CONCIO QUINTA.

Pax 1. *a Deo donatur;* 2. *Dei sanguine comparatur;* 3. *corpore et sanguine Dei conservatur.* 183
I. PARS. Pacem 1. æternus Pater cogitat; 2. Filius tractat; 3. Spiritus Sanctus donat. ibid.
II. PARS. Suo sanguine Christus hominem 1. cum Deo conciliat; 2. cum Angelo confœderat; 3. cum homine concordat. 188
III. PARS. Eucharistia, in qua Christus suum nobis præbet corpus et sanguinem, 1. reconciliationem prærequirit et expostulat; 2. unitatem et communionem significat; 3. pacem et dilectionem conservat. 193

CONCIO SEXTA.

Christus cum pace dat bonum 1. *utile;* 2. *delectabile;* 3. *honorabile.* 200
I. PARS. Pax utilis 1. Ecclesiæ, ad fidei propagationem; 2. familiæ, civitati, seu reipublicæ, ad fortunæ augmentationem; 3. homini, ad divinæ benevolentiæ acquisitionem. ibid.
II. PARS. Jucunda et delectabilis pax 1. multiplicata; 2. dilatata; 3. liberata. 203
III. PARS. Pax honorabilis utpote a Deo 1. honorata; 2. beatificata; 3. remunerata. 205

PECCATOR.

—

SCHOLIUM.

Peccator 1. *depretiatus;* 2. *mancipatus;* 3. *de relapsu culpatus;* 4. *consuetudine inveteratus;* 5. *excæcatus;* 6. *induratus.*

CONCIO PRIMA.

Peccator deturbatur a 1. *ratione;* 2. *religione;* 3. *divina filiatione.* 208
I. PARS. Peccator degenerat a 1. mentis ratione; 2. libertatis perfectione; 3. imperii dominatione. ibid.
II. PARS. Peccator 1. Deum non agnoscit; 2. christianas veritates non credit; 3. idololatriam admittit. 213
III. PARS. Peccator 1. a dæmone inhabitatur; 2. dæmon nuncupatur; 3. dæmonis charactere et stigmate notatur. 216

CONCIO SECUNDA.

Peccator servus 1. *passionum;* 2. *criminum;* 3. *dæmonum.* 218
I. PARS. Peccator 1. passionibus mancipatur; 2. bestia nuncupatur; 3. brutis pejor existimatur. 219

II. PARS. Peccator criminum 1. funibus ligatur; 2. oneribus gravatur; 3. laboribus fatigatur. 222
III. PARS. Peccator diaboli servus, servitutis suæ defert notas, scilicet 1. stigmata; 2. vincula; 3. flagella. 226

CONCIO TERTIA.

Recidiva peccatoris 1. *injuriosa;* 2. *scelerosa;* 3. *exitiosa.* 231
I. PARS. Recidiva peccatoris injuriosa 1. sacramento, quod inutile reddit; 2. Christo, quem denuo crucifigit; 3. Deo, quem injuste diabolo postponit. ibid.
II. PARS. Peccator recidivans, ut plurimum est reus 1. infidelitatis; 2. ingratitudinis; 3. temeritatis. 234
III. PARS. Ob recidivatum, peccata 1. gravius committuntur; 2. difficilius remittuntur; 3. acerbius puniuntur. 238

CONCIO QUARTA.

Inveterata consuetudo peccandi est 1. *moraliter immutabilis;* 2. *fere immedicabilis; quomodo remediabilis.* 243
I. PARS. Consuetudo peccandi est velut 1. altera natura, quæ vix tollitur; 2. character, qui indelebiliter imprimitur; 3. habitus multis actibus acquisitus, qui difficillime dediscitur. ibid.
II. PARS. Peccator consuetudine inveteratus est fere irremediabilis, quia 1. in novos morbos cadit; 2. morbum quo laborat non sentit; 3. remedia necessaria non recipit. 247
III. PARS. Ad pravæ consuetudinis remedium 1. consulenda est vitiorum cessatio; 2. adhibenda virtutum contrariarum exercitatio; 3. invocanda divinæ potentiæ operatio. 250

CONCIO QUINTA.

Peccator 1. *mente excæcatus;* 2. *tenebris obnubilatus;* 3. *ad lucem et visum revocatur.* 254
I. PARS. Peccator excæcatur a 1. diaboli malitia; 2. divina justitia; 3. propria nequitia. ibid.
II. PARS. Excæcatus peccator 1. in nocte incedit; 2. Deum non agnoscit; 3. cæcum se esse nescit. 260
III. PARS. Christus 1. cæcos illuminat; 2. quibus remediis cæcis visum præstat; 3. quas dispositiones a cæcis expostulat. 270

CONCIO SEXTA.

Obstinationis 1. *origo investiganda;* 2. *natura declaranda;* 3. *insensibilitas demonstranda.* 277
I. PARS. Induratio procedit a 1. divina æquitate; 2. mentis cæcitate; 3. voluntatis pravitate. ibid.
II. PARS. Peccator ab obstinatione non dimovetur 1. dolore; 2. pudore; 3. timore. 282
III. PARS. Peccatoris obdurati insensibilitas denotatur per 1. saxum; 2. centrum; 3. lethargicum. 285

PECCATI CULPA ET ATROCITAS.

—

SCHOLIUM.

Consideranda est peccati 1. *oppositio et contrarietas;* 2. *depravatio et perversitas;* 3. *sævitia et crudelitas;* 4. *depopulatio et vastitas;* 5. *macula et fœditas;* 6. *peccati venialis periculosa labilitas.*

CONCIO PRIMA.

Peccatum contrariatur 1. *Patri æterno;* 2. *Verbo divino;* 3. *Spiritui Sancto.* 289
I. PARS. Peccatum opponitur Patris 1. majestati; 2. potestati; 3. auctoritati. ibid.
II. PARS. Peccatum opponitur Filii 1. luci; 2. sapientiæ; 3. veritati. 290
III. PARS. Peccatum opponitur Spiritus Sancti 1. sanctitati; 2. charitati; 3. largitati. 293

CONCIO SECUNDA.

In peccato est 1. *deordinationis perversitas;* 2. *injustitiæ iniquitas;* 3. *malitiæ infinitas.* 296

I. PARS. Peccatum est perversitas et deordinatio 1. rationis; 2. legis; 3. finis. 296
II. PARS. Peccator iniquus 1. supremam Dei majestatem non honorat; 2. infinitam Dei bonitatem non amat; 3. judiciariam Dei potestatem non formidat. 299
III. PARS. Malitiosa peccati infinitas sumitur ex 1. Dei offensi majestate; 2. Christi satisfacientis dignitate; 3. peccatoris offendentis miseria et infelicitate. 302

CONCIO TERTIA.

Peccator crudelis in 1. semetipsum; 2. Christum; 3. Deum. 305
I. PARS. Peccator interficit 1. proximum; 2. semetipsum. ibid.
II. PARS. Peccator Christo 1. crucem parat; 2. denuo mortem irrogat. 306
III. PARS. Peccator 1. Deum aggreditur; 2. quantum est ex se interficere nititur. 308

CONCIO QUARTA.

Peccatum est 1. malum naturæ; 2. vastitas gratiæ; 3. impedimentum gloriæ. 310
I. PARS. Criminosus Adam nepotibus suis communicat naturam 1. peccato depravatam; 2. plagis vulneratam; 3. concupiscentiæ fomite sufflammatam. ibid.
II. PARS. Peccatum 1. gratias devorat; 2. virtutes dissipat; 3. merita devastat. 313
III. PARS. Peccatores 1. nulla merita adipiscuntur; 2. anonymi efficiuntur; 3. ad nihilum rediguntur. 320

CONCIO QUINTA.

Ob maculam peccati anima 1. contaminatur et sordet; 2. devenustatur et horret; 3. male odoratur et fœtet. 326
I. PARS. Pravis cogitationibus anima 1. maculatur; 2. scelerose culpatur; 3. pœna mulctatur. ibid.
II. PARS. Pravis cogitationibus anima deformis efficitur, carens pulchritudine 1. integrata; 2. ordinata; 3. colorata. 332
III. PARS. Odores 1. virtutum proficui et delectabiles; 2. mundialium voluptatum, noxii et contemptibiles; 3. peccatorum fœtidi et horribiles. 336

CONCIO SEXTA.

Peccatum veniale 1. Deo injuriosum; 2. homini damnosum; 3. valde periculosum. 341
I. PARS. Peccatum veniale injuriosum 1. summæ Domini auctoritati; 2. infinitæ sponsi amabilitati; 3. supremæ Dei majestati. 342
II. PARS. Peccatum veniale graviter punitur in 1. seculo; 2. purgatorio; 3. inferno. 346
III. PARS. Peccatum veniale 1. prudenter dignoscitur; 2. periculose committitur; 3. sollicite remittitur. 349

PECCATI POENA ET ACERBITAS.

—

SCHOLIUM.

Peccatum punitur 1. fortunæ adversis; 2. calamitatibus publicis; 3. doloribus et morbis; 4. conscientiæ stimulis; 5. morte animæ et corporis; 6. salutis jactura et inferni suppliciis.

CONCIO PRIMA.

Peccator 1. depauperatur; 2. infamatur; 3. subjectione humiliatur. 354
I. PARS. Pauperior inopia procedit a peccato, ut probatur exemplo 1. Adami: 2. Caini; 3. Christi. ibid.
II. PARS. Peccator 1. a dignitate dejicitur; 2. sine nomine efficitur; 3. infamis habetur. 356
III. PARS. Peccator subjicitur tyrannidi 1. passionum; 2. criminum; 3. dæmonum. 357

CONCIO SECUNDA.

Deus publicis calamitatibus punit peccata, mediis 1. *Angelis, justitiæ suæ ministris;* 2. *elementis ad ultionem inimicorum armatis;* 3. *publicis iræ suæ flagellis.* 357

I. PARS. Enecarunt Angeli 1. primogenitos in Ægypto; 2. murmuratores in deserto; 3. milites in Assyriorum campo. 358

II. PARS. Publicæ clades eveniunt 1. a cœlis; 2. ab elementis; 3. a cunctis creaturis, intra cœlos et elementa contentis. ibid.

III. PARS. Ob peccata Deus orbem 1. gladio castigat; 2. fame flagellat; 3. peste devastat. 360

CONCIO TERTIA.

Peccatum punit Deus 1. *tribulis et laboribus;* 2. *angustiis et mœroribus;* 3. *morbis et doloribus.* 364

I. PARS. Ob peccatum, homo addictus est 1. labori; 2. sudori; 3. mœrori. ibid.

II. PARS. Peccator angustiatus 1. in vita; 2. in morte; 3. post mortem. 365

III. PARS. Peccatoris corpus punitur 1. doloribus; 2. ægritudinibus; 3. cruciatibus. 366

CONCIO QUARTA.

Peccatoris conscientia est velut 1. *mare æstuans;* 2. *tribunal justitiæ condemnans;* 3. *infernus crucians.* 369

I. PARS. Prava conscientia assimilatur mari, 1. agitatione; 2. amaritudine; 3. formidine. ibid.

II. PARS. Peccator judicatur conscientiæ 1. accusatione; 2. depositione; 3. condemnatione. 375

III. PARS. Scelerosi in conscientia infernum referentes 1. horribilibus speciebus terrentur; 2. vermibus roduntur; 3. viventes continuo moriuntur. 381

CONCIO QUINTA.

Peccator trinæ addicitur morti, 1. *corporis;* 2. *animæ;* 3. *animæ simul et corporis.* 385

I. PARS. Mors corporis est pœna peccati, ut constat ex 1. Adamo; 2. Christo Domino; 3. cuncto genere humano. ibid.

II. PARS. Anima immortalis per peccatum 1. enecatur; 2. vita privatur; 3. in corpore tumulatur. 388

III. PARS. Peccator æternam mortem 1. non formidat; 2. accelerat; 3. sibi comparat. 391

CONCIO SEXTA.

Peccator 1. *cœlo privatur;* 1. *inferno mancipatur;* 3. *æterna pœna mulctatur.* 394

I. PARS. Homo in peccato moriens cœlo privatur, quia 1. peccare non cessat; 2. flagitia secum portat; 3. nunquam se a mortis vulnere liberat. ibid.

II. PARS. Peccator post mortem 1. a Deo separatur; 2. in infernum præcipitatur; 3. igne cruciatur. 395

III. PARS. Æternitas pœnarum inferni probatur ex 1. æquitate divina; 2. justitia humana; 3. culpa præscitorum continua. 396

POENITENTIA VIRTUS.

SCHOLIUM.

Virtutis Pœnitentiæ consideratur 1. *necessitas;* 2. *veritas:* 3. *dignitas;* 4. *efficacitas;* 5. *utilitas;* 6. *celeritas.*

CONCIO PRIMA.

Pœnitentiæ 1. *possibilitas;* 2. *necessitas;* 3. *æquitas.* 397

I. PARS. Pœnitentia est 1. secunda post naufragium tabula; 2. delictorum medela; 3. divinæ misericordiæ sequela. 398
II. PARS. Pœnitentiæ necessitas probatur 1. Prophetarum et Apostolorum præconio; 2. Dei præcepto; 3. salutis medio. 402
III. PARS. Æquitati conformis pœnitentia satisfacit 1. per humilitatem, divinæ majestati; 2. per obedientiam, divinæ auctoritati; 3. per dilectionem, divinæ bonitati. 406

CONCIO SECUNDA.

Pœnitentiæ 1. natura declaratur; 2. veritas denotatur; 3. incentivum stimulatur. 409
I. PARS. Pœnitentia importat 1. peccati odium et detestationem; 2. cordis dolorem et contritionem; 3. voluntariam peccatoris pœnam et punitionem. ibid.
II. PARS. Pœnitentiæ veritas denotatur 1. lacrymarum effusione; 2. sensibili peccatoris punitione; 3. scelerosæ vitæ immutatione. 413
III. PARS. Trino incentivo peccator stimulatur ad pœnitentiam 1. Dei miseratione; 2. divina pollicitatione; 3. dominica redemptione. 416

CONCIO TERTIA.

Pœnitentia commendatur 1. virtutis honestate; 2. sacrificii nobilitate; 3. martyrii dignitate. 419
I. PARS. Pœnitentiæ excellentia mutuatur a 1. nobilitate principii, a quo producitur; 2. honestate motivi, a quo inducitur; 3. dignitate eorum, in quibus reperitur. ibid.
II. PARS. Pœnitentia Deo immolat 1. humilem mentis orationem; 2. sinceram cordis contritionem; 3. rigidam carnis afflictationem. 421
III. PARS. Pœnitentia duo testimonia reddit: 1. spiritus, seu amoris; 2. aquæ, seu mœroris; 3. sanguinis, seu cruoris. 422

CONCIO QUARTA.

Pœnitentia divinam 1. ostendit misericordiam; 2. rescindit sententiam; 3. exercet justitiam. 424
I. PARS. Pœnitentia hominem 1. maculosum diluit; 2. deperditum restituit; 3. ad dejectum extollit. ibid.
II. PARS. Pœnitentia 1. Deum immutat; 2. ad pœnitentiam incitat; 3. ejus sententiam revocat. 427
III. PARS. Per pœnitentiam justitia Dei 1. mitigatur; 2. compensatur; 3. frustratur. 430

CONCIO QUINTA.

Pœnitentia 1. a peccatis emundat; 2. ab inferno liberat; 3. cœli gloriam comparat. 433
I. PARS. Pœnitentia 1. mortuam animam ad vitam revocat; 2. virtutes deperditas restaurat; 3. opera mortificata vivificat. 434
II. PARS. Pœnitentia 1. Deo conjungit; 2. inferni ignem extinguit; 3. pœnam æternam expungit. 435
III. PARS. Cœlum, pœnitentiæ 1. medio consequitur; 2. merito acquiritur; 3. via attingitur. 437

CONCIO SEXTA.

Pœnitentia 1. prudenter acceleratur; 2. imprudenter procrastinatur; 3. stulte ad mortem usque retardatur. 440
I. PARS. Prudenter acceleratur pœnitentia ob 1. æquitatem; 2. utilitatem; 3. exemplarem multorum pœnitentium celeritatem. ibid.
II. PARS. Procrastinantes pœnitentiam sæpe sæpius frustrantur 1. tempore opportuno; 3. efficaci auxilio divino; 3. libero consensu humano. 442
III. PARS. Pœnitentia ad mortem usque retardata, est 1. valde difficilis; 2. fere impossibilis; 3. ut plurimum inutilis. 448

POENITENTIA SACRAMENTUM.

SCHOLIUM.

Ad Pœnitentiæ sacramentum requiritur ex parte pœnitentis; 1. *examinata vitæ discussio;* 2. *vera cordis contritio;* 3. *integra oris confessio;* 4. *pœnalis justitiæ satisfactio;* 5. *vitæ scelerosæ emendatio;* 6. *vitanda peccandi occasio.*

CONCIO PRIMA.

Examinis conscientiæ ad confessionem prævii 1. *necessitas demonstratur;* 2. *natura denotatur;* 3. *diligentia declaratur.* 452

I PARS. Vitæ discussio seu examinatio necessaria est ad 1. contritionem; 2. confessionem; 3. satisfactionem. ibid.

II. PARS. In examinata discussione est 1. peccatorum multitudo investiganda; 2. delictorum gravitas recogitanda; 3. peccantium qualitas mensuranda. 456

III. PARS. Tanta in examine afferenda est diligentia, quanta ad 1. sententiam ferendam; 2. rem perditam recuperandam; 3. rationem de re magni momenti reddendam. 457

CONCIO SECUNDA.

Contritio includit 1. *peccati detestationem;* 2. *cordis compunctionem;* 3. *constantem non amplius peccandi resolutionem.* 458

I. PARS. Attritionis motivum 1. fœditas culpæ; 2. timor gehennæ; 3. amor cœlestis gloriæ. ibid.

II. PARS. Demonstratur contritionis 1. extensio; 2. intensio; 3. duratio. 460

III. PARS. Ad propositum non amplius peccandi stimulat contritionis 1. necessitas; 2. æquitas; 3. veritas. 464

CONCIO TERTIA.

Confessionis 1. *incitamentum;* 2. *complementum;* 3. *impedimentum.* 466

I. PARS. Confessio 1. ægrotos sanat; 2. immundos emundat; 3. reos justificat. 467

II. PARS. Confessio debet esse 1. vera sine dissimulatione; 2. nuda sine occultatione; 3. propria sine excusatione. 472

III. PARS. Trinum est confessionis impedimentum 1. amor; 2. timor; 3. pudor. 475

CONCIO QUARTA.

Satisfactio est 1. *injuriæ illatæ reparatio;* 2. *pœnalis afflictio;* 3. *medicinalis curatio.* 478

I. PARS. Satisfactio est 1. honoris ablati redditio; 2. deordinationis reordinatio; 3. debiti solutio. ibid.

II. PARS. Satisfactio 1. pœnalis demonstratur; 2. trina discriminatur; 3. hujus numeri convenientia declaratur. 480

III. PARS. Confessarii 1. tanquam doctores, sanam doctrinam discipulos doceant; 2. tanquam judices, justam sententiam adversus reos ferant; 3. tanquam medici, medicinam salutarem ægrotis præbeant. 481

CONCIO QUINTA.

Emendatio vitæ 1. *Christianum denotat;* 2. *verum pœnitentem demonstrat;* 3. *Christianum pœnitentem de malo in bonum immutat.* 484

I. PARS. Emendatio vitæ distinguit 1. fideles ab infidelibus; 2. catholicos ab apostatis fidem relinquentibus; 3. perfectos pœnitentes a perversis pœnitentibus. ibid.

II. PARS. Trinum emendationis indicium 1. peccati vitatio; 2. boni operatio; 3. salutis procuratio. 485

III. PARS. Vitæ emendatio 1. veterem hominem in novum immutat; 2. passiones ad bonum aptat; 3. iniquitatis instrumentum justitiæ applicat. 486

CONCIO SEXTA.

Occasio peccati 1. *timenda;* 2. *præcavenda;* 3. *fugienda.* 488
I. PARS. Occasio peccandi timenda, quia est 1. lues depopulans; 2. ignis devastans; 3. scopulus naufragium minitans. 489
II. PARS. Occasio præcavenda, ob 1. diabolicam calliditatem; 2. humanam fragilitatem; 3. gratiæ efficacis necessitatem. 491
III. PARS. Occasio fugienda, utpote 1. periculosa; 2. scelerosa; 3. exitiosa. 492

FINIS TABULÆ CONCIONUM TOMI QUINTI.

NOMEN.

SCHOLIUM.

Consideratur nomen, 1. *Divinum*; 2. *Dominicum*; *Marianum*; 4. *Christianum*; 5. *Religiosum*; 6. *Mundanum*.

CONCIO PRIMA.

De divino nomine disserentes, perfecta ratio expostulat, *ut et titulos consideremus* (1), quibus olim Deus insignitus fuit apud Hebræos. Nam *Judæis erat apud Deum gratia, ob insignem justitiam et fidem originalium auctorum.* (2) Animadvertit D. Hieronymus fuisse apud Hebræos decem Dei nomina, quæ aliqualem divinarum perfectionum afferebant notitiam. Ad quos alludere videtur Dionysius Areopagita, aiens: *Quidam Deum multorum nominum faciunt, ut cum ipsum Deum introducunt dicentem: Ego sum qui sum, et cum Sapientes ipsum Deum ab affectu laudant, ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut dilectum.* (4) Inter varia autem quæ Deo tum vetus, tum novum Testamentum, tribuit nomina, tria mihi præcipua videntur, quæ in exordio habentur Geneseos, ubi nuncupatur Deus, Dominus et Judex. Sub his tribus nominibus, in præsentiarum est considerandus: scilicet tanquam, 1. Deus honorandæ majestatis; 2. Dominus observandæ auctoritatis; 3. Judex formidandæ potestatis.

(1) Tert. L. de Spect. 10. — (2) Tert. Apol. 21. — (3) Epist. 136. ad Marcellam. — (4) De Div. Nom. c. 1.

I. PARS. *Deus commune vocabulum factum est vitio erroris humani, quatenus plures dei dicuntur atque creduntur in seculo.* (1) Idololatras insequitur qui Saturnum, Jovem, Neptunum, aliosque sceleratos homines nuncupabant deos, sed falso. Nam ut *nomen proprium Divinitatis* (2) fictitiis diis tribui posset, debebat *qualitatis inter illos esse consortium, ut jure consistat collegium nominis communione substantiæ.* (3) Nomina non constituunt rerum naturas, sed res in sua natura constitutas declarant: unde dum *natura negatur, nomine illuditur.* (4) Dei nomine illudebant Gentiles, deos nuncupantes, homines mortales quibus Dei non competebat natura, itaque falso illis Dei conferebant nomen quod est, 1. Ineffabile; 2. Admirabile; 3. Honorabile.

1. A falsis numinibus *Deum Deificum* (5) discriminat Tertullianus, *qui Deus dicitur, et summum magnum ex substantia, non ex nomine, deputatur.* (6) Summum namque magnum, est *inexcogitabile, inenarrabile, innominabile.* (7) Trina est Dei cognitio: comprehensiva, intuitiva, abstractiva. Comprehensiva, qua

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 4. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (5) Tert. Apol. 11. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (7) Tert. L. adv. Valent. 37.

totus et totaliter cognoscitur. Tunc totus cognoscitur quando extensive cuncta quæ in illo sunt cognoscuntur. Tunc vero cognoscitur totaliter, seu intensive, quando tanta est intellectualitas in potentia cognoscente, quanta est intelligibilitas in objecto cognoscibili. Cognitio intuitiva est qua clare, distincte et facie ad faciem cognoscitur. Cognitio abstractiva est qua ex effectibus Deus velut prima causa dignoscitur. Cognitio comprehensiva ad solum Deum pertinet. Etenim *quod immensum est, soli sibi notum est* (1); scilicet comprehensive : nam est perfecta adæquatio inter intellectum divinum et essentiam divinam. Hæc est infinite intelligibilis, ille est infinite intellectualis, seu intelligens. Cognitio intuitiva est propria Beatorum, qui Deum facie ad faciem cognoscunt; nec tamen comprehendunt. *Promittitur nobis videre Deum, nam comprehendere concedi non potest.* (2) Beati Deum videntes non vident eum totaliter, quia finito duntaxat modo vident : Deus autem infinite intelligibilis est, *incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur* (3), id est, quamvis auxilio luminis gloriæ, intuitive videatur. Cognitio abstractiva ad viatores pertinet, qui Deum *ex operibus ipsius tot ac talibus* (4) tanquam primam omnium causam cognoscunt, non tamen Deum comprehendunt, neque intuitive vident : Deum non comprehendunt : eo quod creatura capax *capere eum non sit, neque comprehendere* (5), quia, ut ratiocinatur D. Aug. *quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* (6) Quod intellige, non positive, quia infinito nullus est finis, sed negative; qui cognoscibile non excedit cognoscens, sed inter utrumque perfecta reperitur adæquatio et commensuratio; hæc autem adæquatio nequit reperiri inter infinitum hominis intellectum, et infinitam Dei naturam. Nam, ut profunde ait Tertullianus, *magnitudo Deus dicitur, non tantam eam agnoscens, quantam si homo omnifariam nosse potuisset, magnitudo non esset.* (7) Magnitudo in abstracto infinitam Dei denotat perfectionem; repugnat autem ut ab homine cognoscatur quantum est cognoscibilis; et ex parte hominis qui nequit habere intellectualitatem infinitam, et ex parte divinæ magnitudinis quæ infinita non esset, nec divina, si posset a finito hominis intellectu comprehendi.

Viatores non valentes Deum comprehendere, *non visu denique compotiri ejus possunt.* (8)

(1) Tert. Apol. 17. — (2) V. Bed. in 12. Joan. 3. — (3) Tert. Apol. 17. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. adv. Valent. 11. — (6) L. 12. Civ. 18. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (8) Tert. L. adv. Valent. 11.

Hujus Philosophus Moralis binam affert rationem : tum quia *in sanctuarii secessus majestas tanta delituit* (1); et, ut fatur Regius Vates, *posuit tenebras latibulum suum.* (2) Tum quia *illi tanta claritas quantam consequi acies humana non potest* (3), seu, ut ait Apostolus, *inhabitat lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (4); a viatoribus itaque Deus videri nequit. *Illum regio latebrarum obumbravit.* Ad divinam lucem hebes est intellectu humanus, non valens pro statu viæ cognoscere nisi mediis oculis corporeis; qui ex rebus sensibilibus quas vident, mutuantur species sensibiles ex quibus intellectus sibi divinarum perfectionum fingit imagines, quæ Dei naturam perfecte et prout in se est, non repræsentant. Inde concludit Tertullianus, *Invisibilis est, etsi videatur* (5) : invisibilis intellectui humano in corpore immerso, licet ejus vestigia vel imagines in mundo relucentes ab oculis corporeis videantur. Et ob hanc causam Gregorius Nazianzenus Deum vocitat *immensum pelagus essentiæ, mente sola adumbrabile, et quidem perexigue et perobscure, non ex eis quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum* (6), mens humana Deum non cognoscit ex his quæ illi insunt, sed ex his quæ ex ipso, aut per ipsum, aut circa ipsum sunt.

Et quia, ex D. Augustino, *nomen appellatur, quasi notamen, quod rem notet* (7), ex eo quod Deus est viatoribus incomprehensibilis et invisibilis, recte colligit Tertullianus eum esse inenarrabilem et innominabilem. *Id enim quod est, secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus percipi potest.* (8) Cujus optimam subministrat rationem. *Nam si quæ præparavit Deus his qui diligunt illum, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis, aut mens ipsa percepit, qualis et quantus est ille ipse, qui hæc repromittit, ad quæ intelligenda, et mens hominis, et natura defecit?* Tertull. arridet D. Thomas (9) qui postquam proposuit utrum Deus sit innominabilis, angelice concludit nullum reperiri nomen, quod exprimat divinam essentiam, secundum quod est. Et quia nomen Tetragrammaton significat immensam Dei essentiam, incomprehensibilemque et ineffabilem ejus majestatem a D. Hieronymo *ineffabile* vocitatur; a Theodoreto *indicibile* dicitur; a Sancto Joanne Damasceno *ineloquibile* appellatur : quibus con-

(1) Lib. 7. Quæst. natural. cap. 31. — (2) Ps. 17. — (3) 1. Timoth. 6. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 9. — (5) Tert. Apol. 17. — (6) Orat. de Chr. Nat. — (7) L. de Gen. ad litt. c. 6. — (8) L. de Trin. 7. — (9) 1. p. q. 13. a. 1.

sentiunt cæteri Patres uno ore Deum ineffabilem prædicantes. Primus accedat D. Justinus asseverans *Deo nomen imponi non posse, quod si quis id contendat, summæ dementiæ esse.* (1) A D. Justino non dissentiens Sanctus Gregorius Nazianzenus, postquam Platonem adduxit dicentem : *Difficile est Deum intellectu percipere, eloqui vero impossibile* (2), suam prodit mentem affirmans *Deum nullis verbis explicari posse.* (3) Idem fere de Trismegisto refert Cyrillus Alexandrinus : *Hermes Trismegistus dicit Deum intelligere quidem difficile, eloqui autem impossibile. Incorporeum enim corpore significare impossibile, et perfectum imperfecto comprehendere non possibile.* (4) Sed nemo melius hac super re philosophatur quam incertus Tertullianus, qui ex Dei incomprehensibilitate bene ejus infert ineffabilitatem. *Ex quo effectum est ut nec nomen Dei proprium possit edici, quoniam non possit nec concipi. Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturæ suæ conditione comprehenditur. Nomen enim significantia est ejus rei quæ comprehendi potuit ex nomine. At quando id de quo agitur tale est, ut condigne nec ipsis intellectibus intelligatur, quomodo appellationis digne vocabulo pronuntiabitur, quod dum extra intellectum est, etiam supra appellationis significantiam sit necesse est : ut merito quando nomen suum Deus ex quibusdam rationibus et conditionibus adjicit et præfert, non tam legitimam proprietatem appellationis sciamus esse depromptam, quam significantiam quamdam constitutam, ad quam dum homines decurrunt, Dei misericordiam per ipsam impetrare posse videantur.* (5) Quemadmodum Deus ab homine nequit comprehendi, alias infinitus finem acciperet, ita neque potest nominari, quia res quæ definitur, ipsa definitione finitur : unde varia nomina quæ sacer textus Deo tribuit non declarant ejus quidditatem, sed ex ejus affectibus desumuntur, ut de eo aliquatenus loqui valeamus, in quo divinam bonitatem agnoscit Sanctus Joannes Damascenus : *Ipse Deus propter ineffabilem bonitatem voluit de nostris rebus, et nostro modo nominari, ne simus funditus notitiæ ejus expertes.* (6)

Eodem modo ratiocinandum est de Dei nomine ac de ejus notitia. *Eum vis magnitudinis et notum hominibus objicit, et ignotum.* (7) Notum in via per fidem, ignotum per visionem; notum ex operibus, ignotum quidditative; notum abstractive, ignotum comprehensive : non absimiliter Deus est ineffabilis et effabilis : ineffabilis nomine quod ejus essentiam perfecte et distincte significet; effabilis nomine, quod ejus perfectiones saltem imperfecte denotet. *Ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia et hoc cum dicitur, aliquid dicitur, et fit nescio quæ pugna verborum : quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest.* (1) Si summum magnum nullatenus posset nominari, frustra Scriptura sacra ei tribueret Dei nomen, quod est mirabile.

2. *Nos quoque ipsi miramur* (2) augustum Dei nomen quod prorsus est mirabile, ut constat ex sacris paginis, ubi divini *nominis testimonium* (3) reddit semel et iterum Angelus : Jacobo namque post luctam feliciter peractam, sciscitanti ab Angelo Deum repræsentante : « Dic mihi quo appellaris nomine, respondit : Cur quæris nomen meum ? » (4) Addunt Bibliæ antiquiores *quod est mirabile.* Eodem animo Angelum adhuc interroganti Manue Samsonis patri : *Quod est tibi nomen ?* simile dedit responsum Angelus : *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile ?* (5) In persona Dei respondet cœlestis Spiritus, cujus vices gerebat, idcirco nomen suum admirabile prædicat. *Angelus non veniebat in nomine suo, sed Dei, cujus nomen admirabile, juxta istud Isaiæ : Vocabitur nomen ejus admirabilis* (5): *ideo respondit: Cur quæris nomen meum, quod est admirabile ?*

Tria sunt quæ ut plurimum admirationem ingenerant : 1. Rei sublimitas vehemensque desiderium illam cognoscendi; 2. Ignorantia rei; 3. Effectus varii et insoliti qui videntur. Hæc tria mirabile Dei nomen denotant : 1. Nominis sublimitas; nam ut ratiocinatur Doctor Angelicus, tanto *nomen est altius quanto res significata per illud est altior, et ideo nomen divinitatis est altius* (7); debet enim esse proportio inter rem significatam et nomen illam significans. *Nomen hoc, Deus, non significat nisi Deum altissimum.* (8) Ideo in Genesi excelsus dicitur, quia trina potissimum celsitudine, seu sublimitate gaudet : prima entis, quia Deus est primum et summum ens. Quod innuit ipsemet Moysi, dicens : *Ego sum qui sum.* (9) Secunda causalitatis, quia Deus est prima causa, a qua cæteræ omnes causæ dependent. Tertia perfectionis, quia Deus est summa et infinita per-

(1) Apol. 2. — (3) In Timæo. — (3) Orat. 34. — (4) Lib. 1. Cont. Julian. — (5) L. de Trin. 4. — (6) L. 1. de Fide Orthod. (7) Tert. Apol. 17.

(1) D. Aug. L. de Doct. Chr. 6. — (2) Tert. L. de Bapt. 2. — (3) Tert. L. 2. ad Nat. 12. (4) Gen. 32. — (5) Judic. 9. Lippom. — (6) Cap. 5. — (7) In cap. 2. Ep. ad Philip. — (8) Guill. Par. L. de Reg. 24. — (9) Exod. 3.

fectio. Trinam hanc sublimitatem denotat Dei nomen : ideoque *nomen super omne nomen Deus est.* (1) 2. Ignorantia rei ad admirationem inducit, ut constat ex Israëlitis, qui, ut animadvertit Lippomanus, non cognoscentes quis esset cibus a Deo datus, manna vocarunt, *ratioque impositi nominis ab ignorantia nascitur.* (2) Patet etiam ex Gentilibus, qui Deum ignorantes, ignoto Deo exstruxerunt aras, *invenio plane ignotis deis aras prostitutas, sed Attica idololatria est : item incertis deis, sed superstitio romana est.* (3) 3. Varii et insoliti effectus quos Deus produxit in mundo, ejus nomen mirabile demonstrant. *Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem ?* (4) Cum in illis Deus ostentet infinitam potentiam, miram sapientiam, et bonitatem summam. *Opera Creatoris testantur, et bonitatem ejus, qua bona; et potentiam, qua tanta, et quidem ex nihilo* (5) : nam si adeo admirabiles sunt effectus, quanto admirabilior eorum causa? *Si hæc magna sunt, quantus est ipse?* (6) nimirum Deus. *Hoc naturali vitio fixum est in humanis pectoribus, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices.* (7) Hoc vitio laborant plures Christiani, qui divinas non mirantur perfectiones, quia miranda non considerant opera Dei. *Qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ.* (8)

Hannon Carthaginensium gubernator, ut per universum mundum velut alter haberetur Deus, aves vocales garrire suetas, quales sunt picæ, monedulæ, psittaci, aliæque consimiles, undique conquiri, et hæc verba *Hannon est Deus* (9), edoceri jussit. Aves sic edoctas libertate donavit, ut ubique sibi arrogatam decantarent divinitatem, sed turpiter spe sua fuit delusus ; nam aves illæ tanto studio edoctæ, mox ut in silvas redierunt. Hannonis oblitæ, naturali voce garrierunt. Multo felicius Deus nomen suum in toto decantavit orbe. Quot sunt creaturæ ab illo productæ, tot sunt voces quæ Deum universorum conditorem proclamant : eumque mirabilem in cœlo, in mari et super terram prædicant. In cœlo, nam *cœli enarrant gloriam Dei.* (10) In mari, nam *mirabiles elationes maris, mirabilis in altis*

(1) Gaudent. Serm. 19. ad Neoph. — (2) In c. 16. Exod. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 9. — (4) Tert. L. de Bapt. 2. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 5. — (6) D. Aug. in Ps. 84. — (7) Sidon. Apoll. L. 5. Ep. 10. — (8) Tert. Apol. 17. — (9) Elian. L. 4. Var. Histor. — (10) Ps. 18.

Dominus. (1) Super terram, nam, ut decantat Regius Vates, *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !* (2) Tandem mirabilis apparet Deus in universo mundo, ubi divinæ ejus perfectiones mirum in modum relucent. Nam, ut fatur Magnus Basilius, *Deus fecit mundum, ut bonus utilem ; ut sapiens, pulcherrimum ; ut potens, maximum. Si hæc didicerimus, nos ipsos agnoscemus, Deum agnoscemus, conditorem adorabimus, patrem glorificabimus, benefactorem reverebimur,* honorabile ejus venerabimur nomen.

3. Honoranda est *nominis dignitas.* (3) Cum enim nomen sit signum rei, ejusque denotet dignitatem, eumdem mereri videtur honorem ac res ipsa quam significat. Quod probe scientes dæmones *personalium nominum* (4) ambierunt dignitates : *Ut hominum mentes a cultu Dei averterent, fictos mortuorum regum vultus, et ornatos exquisita pulchritudine, statui consecrarique fecerunt, et illorum sibi nomina, quasi personas aliquas induerunt.* (5) Personarum quasi vicarii sunt nomina, et licet personæ per se sint incommunicabiles, utpote ultimum naturæ complementum, communicantur tamen per nomina, ita dæmones personam velut induentes sibi vindicant honorem debitum illis quorum usurpant nomina : ut enim docet Arnobius de Gentilium diis loquens : *Non ipsi dii tantum, verum etiam nomina debent esse reverenda, quantumque est in ipsis, qui censentur his nominibus, tantum esse par est in eorum appellationibus dignitatis.* (6) Inde colligitur quantum veri Dei sit *venerandum nomen* (7) infinitam divinæ naturæ significans majestatem.

Tanta reverentia Dei nomen venerabantur Hebræi, ut illud Summus Pontifex in thiara sua gestaret in lamina aurea insculptum : unde postquam Sapiens superbum Aaronis repræsentavit ornatum, cunctas res universi pretiosissimas continentem : *In veste poderis Aaron totus erat descriptus orbis terrarum, et magnalia in quatuor ordinibus lapidum sculpta* (8); subdit Deum alloquens: *Et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat* (9), (id est, sanctum, ineffabile et proprium nomen tuum Tetragrammaton scriptum fuit in aurea lamina diademati seu mitræ pontificali adjuncta.) Non infra, sed supra Pontificis gestabatur caput, ita ut nomen cæteris emineret ; ipso situ, denotans quantum

(1) Ps. 92. — (2) Ps. 81. — (3) Tert. L. de Spect. 12. — (4) Tert. L. adv. Valent. 6. — (5) Lact. Firm. L. 2. de Orig. Error. c. 7. — (6) L. 5. adv. Gent. — (7) Tert. L. adv. Valent. 1. — (8) Sap. 18. — (9) Dion. Carth.

in dignitate superaret quidquid est in mundo gloriosum, augustum et magnificum, præ cunctis rebus creatis supremum honorem sibi vindicans. *In superioribus quidem hoc nomen ponitur, ut quidquid undique est, quantumcunque sit, se cognoscat inferius, se fateatur indignius.* (1) Alexander Magnus, *sola gloria minor* (2), supremam divini nominis agnovit excellentiam, occurrens Jaido pontifici et humi procumbens, Dei nomen quod deferebat in thiara (3) humiliter adoravit.

Hebræi quoque religionis et reverentiæ causa, Dei nomen effari non audebant : solis sacerdotibus et Pontificibus licitum erat illud pronuntiare, et hoc duntaxat in sacrificiis, in solemni populi benedictione, in ingressu Sancti Sanctorum : cæteris vero, ait Josephus, nomen Dei Tetragrammaton eloqui, *nec jus, nec fas erat;* unde legentes Scripturam quando augustissimum illud reperiebant nomen, pro eo legebant *Adonai*, et dum concurrebat cum *Adonai*, legebant *Elohim*. Imo, ut refert Philo Judæus, *si quis non dico blasphemaverit hominum deorumque Dominum, sed ausus fuerit vel nomen ejus intempestive promere, noxam luat capite.* (4) Pergit præfatus auctor, acriter invehens in eos qui sanctissimum Dei nomen temerarie proferre præsumant: *Ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ii quibus cordi est pietas, sed omissis propriis, honoris gratia utuntur naturalibus; patrem appellantes, matremque : atque ita profitentur accepta immensa beneficia, simulque suam gratitudinem. Quomodo igitur merentur veniam qui temere abutuntur sanctissimo Dei nomine tantum ad exemplum, non aliter quam profanis vocibus ?*

Christus quoque Dominus paterni nominis semper zelatus est honorem : *Ego veni, inquit, in nomine Patris. Et rursus : Pater, glorifica nomen tuum. Et apertius : Nomen tuum manifestavi hominibus.* (5) Ad quid ? nisi ut illud venerentur. *Id ergo ut sanctificetur, postulamus* (6), scilicet ut honoretur et veneretur a cunctis mortalibus. Nam, ut subjungit Tertullianus, *cum dicimus: Sanctificetur nomen tuum, id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus, simul et in cæteris quos adhuc gratia Dei exspectat;* Id est, ut Dei nomen honoretur, non solum a Christianis, qui ejus profitentur religionem, sed etiam ab infidelibus, qui nondum ad fidem et veritatem adducti sunt : *Ideoque suspensa enuntiatione non dicentes : Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.* (1)

Et forte ob hanc causam Apostoli, accepto Spiritu Sancto, loquebantur variis linguis magnalia Dei (2); non solum, ut vult D. August. quia homines lingua ad invicem consociantur : *Ideo Apostoli linguis omnium gentium locuti sunt, quia per linguas constat consociatio generis humani* (3), sed adhuc, ut existimat D. Ambrosius, ut Dei nomen a cunctis nationibus et populis veneraretur: *Ut viri sancti, peregrino sermone loquerentur, providentia divinitatis factum est; ut quia ad magnificandum Deum, una loquela non sufficit, per plures linguas menti devotio solveretur.* (4)

In multis tamen Dei nomen non sanctificatur, nec sibi debitam accipit venerationem, sed potius opprobrium et dedecus patitur. Unde *de nomine Dei ut passivo* fatur Tertullianus, non solum quia *ipsa idola gentium dei vulgo* (5) vocantur ab Ethnicis; sed a Christianis etiam patitur Dei nomen ; tum a blasphematoribus qui illud profanant contra expressam legis inhibitionem : *Nam et in prima parte legis : Non sumes, inquit, nomen Domini Dei tui in vanum* (6); tum a politicis, qui nullam religionem habentes, falsa Gentilium recensent nomina, eaque imponunt, non solum canibus aliisque animantibus, sed etiam filiis ac filiabus, et domesticis suis : *sed ait, nomen aliorum deorum neque commemorabitur, neque audietur de ore tuo* (7); tum ab impiis qui habentes *quorumdam hominum familiaritatem* (8), Dei et Deæ nomine honorant hominem a quo fortunæ bonum exspectant, et amasiam, cujus amorem captare desiderant ; tum a cunctis generatim peccatoribus, qui suis peccatis Deum inhonorant, transgredientes legem Domini qui est nomen auctoritatis observandæ.

II. PARS. Certo credendum est Deo *etiam Domini nomen accedere ob potestatem* (9) : quod non ignorans *Augustus, imperii formator, ne Dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen.* (10) Dei nomen infinitam significat naturæ divinæ majestatem, *Dominus regiæ potentiæ nomen* (11) est, supremamque Dei denotat auctoritatem : quare cum summus rerum opifex omnes creaturas cœli et terræ vocabulo expressas condidisse perhibetur, Dominus Deus nuncupatur : *Docuit autem nos Moyses duo Dei nomina:*

(1) Arnold. Carn. ot. Tract. ult. de septem Verb. Dom. — (2) Tert. L. de Pall. 4. — (3) Joseph. — (4) L. 3. de Vit. Moys. — (5) Tert. L. de Orat. 3. — (6) Tert. ibid.

(1) Tert. L. de Orat. 3. — (2) Act 2. (3) L. de Blasph. in Spir. S. — (4) Serm. 75. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (6) Tert. L. de Idol. 20. — (7) Tert. ib. — (8) Tert. L. de Pudic. 4. — (9) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (10) Tert. Apol. 34. — (11) Phil. Jud. L. de Insomm.

Primo Deum, quem colimus fide, spe et charitate; Dominum quoque, cujus mandata observamus. (1) Neque putandum est summum et unum numen casu et Deum et Dominum nuncupari. Dicitur Deus, cum proponitur colenda et veneranda infinita ejus majestas; appellatur Dominus, quando observanda perhibetur suprema ejus auctoritas: ut *salva sit Deo, et substantia, et auctoritas, qua Dominus omnium censeatur.* (2) Et ut subjungit Tertullianus, *nemini comparandus.* (3) Qui inter homines domini nuncupantur, nullatenus Deo Domino valent comparari: quia limitatam habent dominationem, et quoad locum, et quoad tempus, et quoad res sibi subditas: nec enim ubique, nec semper, nec cunctis rebus, dominantur: at Dei est *universa dominatio* (4), nullosque habet limites; sed, 1. Cuncta loca complectitur; 1. Ad omne tempus extenditur; 3. Cunctis generatim rebus præficitur.

1. Cuncti reges qui unquam dominati sunt dimidiata habuerunt dominationis spatia, neque ullus unquam ubique dominatus est: *Nam si Salomon regnavit, sed in finibus Judæ tantum, a Bersabeæ usque Dan termini ejus regni signantur. Si vero Babyloniis et Parthis regnavit Darius, non habuit in omnibus gentibus potestatem. Si Ægyptiis Pharao, vel quisque ei in hæreditate regni successit: illic tantum potitus est regni sui dominium. Sic Nabuchodonosor cum suis regulis ab India usque Æthiopiam habuit regni sui terminos. Sic Alexander Macedo nunquam Asiam universam et cæteras regiones posteaquam devicerat, tenuit. Sic Germani adhuc usque limites suos transgredi non sinuntur. Britanni intra Oceani sui ambitum conclusi. Maurorum gens, et Getularum barbaries a Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt?* (5) Principes qui hac tempestate dominantur, majora non habent dominationis suæ spatia, sed in minoribus adhuc locis eorum coarctatur imperium: quia, ut belle ait Tertullianus, *minutalibus regnis præsunt* (6): Dei autem *regnum et nomen ubique porrigitur, ubique regnat* (7): cum enim divinitas sit immensa, immensa quoque est ejus dominatio; præsertim cum *de dominatione divinitas intelligatur.* (8)

(1) Lippom. in c. 2. Gen. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 5. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 6. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 17. — (5) Tert. L. adv. Jud. 7. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 4. — (7) Tert. ibid. — (8) Tert. L. 2. ad Nat. 5.

Nullus est in universo orbe locus in quo Deus non sit per essentiam, præsentiam et potentiam, nullus est etiam locus qui dominationi ejus non subjiciatur. *Deum existimo ubique dominantem* (1), dominatio ejus non habet latitudinis terminos, quia est immensa, et cuncta loca complectitur, neque etiam longitudinis, quia est æterna, et ad omne tempus extenditur.

2. *Dominus enim meus unus est, Deus omnipotens et æternus.* (2) Ut autem aliorsum ratiocinatur Tertullianus: *Quis alius Dei census, quam æternitas? quis alius æternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius initii, et nullius finis?* (3) Constat itaque ex Tertulliano Dominum Deum esse æternum, et tanquam æternum, semper fuisse, et futurum esse; nullum habuisse initium, neque ullum unquam finem fore habiturum. Nec obstat quod ait: *Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, et in semetipso, Dominum vero non semper: diversa enim utriusque conditio. Deus substantiæ ipsius nomen, id est, divinitatis: Dominus vero non substantiæ, sed potestatis: substantiam semper fuisse cum suo nomine, quod est Deus, postea Dominus, accedentis scilicet rei mentio. Nam ex quo esse cœperunt in qua potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis et factus et dictus est Dominus.* (4) Nec obstant, inquam, hæc verba, æternæ Dei dominationi: in Domino enim Deo duo sunt, et suprema ejus potestas et relatio rationis qua refertur ad suos subditos. Suprema potestas et auctoritas est ipsamet substantia Dei; relatio rationis, est accidens illi extraneum. Substantia est æterna et fuit semper; relatio rationis non est æterna, nec fuit semper, sed duntaxat in tempore quando producti sunt servi et subditi, ad quos Dominus refertur: est enim mutua relatio inter dominum et servum. Homo verbi gratia Deo Domino subditus refertur ad Dominum Deum relatione reali; Dominus vero Deus, refertur ad servum relatione de novo accedente, non quidem reali, alias mutaretur, sed rationis, quæ nullam affert Deo Domino mutationem.

Hic modus loquendi habetur apud theologos, discriminantes in Deo duo nominum genera: quædam absoluta, alia relativa. Illa dicuntur de Deo ab æterno, cujusmodi est Deus; hæc prædicantur de Deo in tempore, ut Creator, Dominus. Hac distinctione uti videtur Tertullianus. Primo, sumit ly Domi-

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (2) Tert. Apol. 34. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 4. — (4) Tert. L. adv. Hermog. 5.

num prout connotat respectum rationis, sicque asseverat non fuisse semper ut confutet Hermogenem volentem *Deum semper etiam Dominum fuisse, nunquam non Deum. Nullo porro modo potuisse illum semper Dominum haberi, sicut et semper Deum, si non fuisset aliquid retro semper, cujus semper Dominus haberetur : fuisse itaque materiam semper Deo Domino.* (1) Hunc hæreticum redarguit Tertullianus concludens Deum posse dici ab æterno non vero Dominum, cum non fuerit ab æterno materia quæ illi subjiceretur : quia *Dominus non ante ea, quorum Dominus non existeret, sed Dominus tantum futurus quandoque per ea quæ sibi servitura fecisset.* In tempore autem produxit materiam cunctasque creaturas, dominio suo subditas, ad quas refertur tanquam Dominus, et quæ vicissim ad illum tanquam ad Dominum referuntur. Suam mentem auctoritate Scripturæ tuetur. *Naviter nobis Scriptura patrocinatur, quæ utrumque nomen ei distinxit, et suo tempore ostendit. Nam Deus quidem quod erat semper, statim nominat : In principio fecit Deus cœlum et terram. Ac deinceps quamdiu faciebat quorum Dominus futurus erat, Deus solummodo ponit. Et dixit Deus, et fecit Deus, et vidit Deus, et nusquam adhuc Dominus. At ubi universa perfecit, ipsumque vel maxime hominem qui proprie Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc etiam Dominus nomen adjunxit : Et accepit Deus Dominus hominem quem fixit. Et præcepit Dominus Deus. Ac exinde Dominus qui retro Deus tantum, ex quo habuit cujus esset Dominus. Nam Deus sibi erat, rebus autem tunc Deus cum et Dominus. Igitur in quantum putabit ideo materiam semper fuisse, quia Dominus semper esset, in tantum constabit nihil fuisse, quia constat Dominum non semper fuisse :* scilicet prout formaliter sumitur in actu exercito, importatque non solum materiale Domini, nimirum divinam naturam et potentiam, connotatam, sed etiam formale nominis, nempe actualem respectum rationis, connotantem divinam auctoritatem, eamque de facto ad creaturas sibi subditas, referentem.

Nomen autem Dominus materialiter seu subjective sumptum, est æternum, fuitque semper in Deo, imo et ipsamet substantia Dei : quomodo de Deo supremo Domino fatur Tertullianus : *Videte ne ille regna dispenset, cujus est et orbis qui regnatur, et homo ipse qui regnat : ne ille vices dominationum ipsis temporibus in seculo ordinaverit, qui ante omne tempus fuit.* (1) Supremus omnium Dominus ante omne tempus fuit, quia est æternus, semperque fuit : *Sed Deus quando non regnat, in cujus manu cor omnium Regum est* (2), quique in tempore regna dispensat hominibus, quorum dominium non est æternum, nec æternitate anteriori, quia habuit initium, neque æternitate posteriori, quia habiturum est finem : vices namque dominationum, ipsis temporibus ordinavit Deus, supremus hominum Dominus, et quemadmodum tempus præteritum non est, ita non sunt amplius domini et reges, qui in præterito dominati sunt : et sicut futurum tempus nondum est, ita non sunt adhuc qui in futuro sunt dominaturi : et uti tempus præsens transit, nec permanet, ita homines qui actu dominantur, cito transibunt brevique temporaneam simul cum vita amittent dominationem. Quod probe recognoscens Clotharius, Francorum rex, febri correptus in fatali lectulo decumbens in has prorupit voces. *Vah : quid putatis, qualis ille rex cœlestis, qui sic tam magnos Reges interficit ?* (3) Vere est Rex regum et Dominus dominantium, cujus imperio cunctæ universaliter subjiciuntur creaturæ.

Imperium summæ dominationis (4) ad solum Deum spectat, qui cum sit summum magnum et independens, ab eoque cuncta dependeant, est *Rex regum ob summitatem magnitudinis, et subjectionem cæterorum graduum.* (5) Inde colligitur insolentia Saporis, Persarum regis, qui ad imperatorem Constantinum scribens, sic suam exorsus est epistolam : *Rex regum, Sapor, particeps siderum, frater solis et lunæ, Constantino salutem plurimam.* (6) Neque minori stultitia laboravit Solimanus, Turcarum Sultanus, qui Carolo Quinto imperatori insolenter scripsit : *Carolo quinto imperatori semper augusto Belgiæ, coævus Soliman, ex victrici nobilissimaque Ottomanorum prosapia ortus, imperator Turcarum, Rex regum, et Dominus dominantium, imperator Trapezuntinorum, et Constantinopolitanorum, dominator mundi et terræ domitor.* (7)

Verum quam falso superbos illos sibi arroget titulos, evidenter constat, cum non sit Rex regum et dominator omnium, nec vere sit Dominus : non Rex regum, tum quia quilibet rex est *summum magnum in suo*

(1) Tert. L. adv. Hermog. 3.

(1) Tert. Apol. 26. — (2) Tert. L. Cor. Mil. 6. — (3) Greg. Turon. L. 4. Histor. Franc. — (4) Tert. Apol. 24. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 4. — (6) Marcellin. L. 16. — (7) Nieremberg. Differ. ætern. et temp.

solio usque ad Deum, tamen infra Deum. Comparatus autem ad Deum, excidet jam de summo magno translatio in Deum (1), a quo solo dependet, ab aliis regibus independens : tum quia *nec inter reges plurifarium videri potest summum magnum, sed unicum et singulare* (2); nempe Deus, qui cum infinita sit majestate præditus, supremaque polleat potestate, nulli subjicitur, sed ejus imperio cuncti subduntur reges; tum quia *alterius formæ reges qui singulares in unione imperii præsunt, si minutalibus, ut ita dixerim, regnis, undique conferantur in examinationem, qua constet quis eorum præcellas in substantiis et viribus regni, in unum necesse est summitas magnitudinis eliquetur, omnibus gradatim per comparationis exitum, de magnitudinis summa expressis, et exclusis.* Licet unius regis regnum sit majus regno alterius regis; et licet rex ille minor alteri homagium præstet, solvat tributum, ab eoque dependeat, rex tamen ille alteri prædominans non est summum magnum et rex regum, et dominus dominantium, quia habet supra se Deum *sublimiorem et potentiorem, velut principem mundi, perfectæ potentiæ* (3), qui a semetipso et per suam naturam *culmen dominationis* (4) supra cunctos reges possidet, inter quos neque Solimanus, neque romanus imperator, neque ullus alius fuit unquam dominator omnium.

Cœlum debellet imperator; cœlum captivum triumpho suo invehat; cœlo mittat excubias; cœlo vectigalia imponat : non potest: ideo magnus est, quia cœlo minor est. (5) Nec mirum si cœlo nequit dominari imperator, qui nec pilum album efficere nigrum; qui nec guttæ pluviam cœlo elicere, qui solis radium evocare, qui nec herbæ dare incrementum; qui nec cubitum staturæ, imo nec momentum vitæ adjicere; qui nec elementis imperare valet. Quapropter reges et imperatores mentis compotes, et sapientes *recogitant quousque vires imperii sui valeant.* (6) Sic prudenter recogitavit Canutus Angliæ rex (7), qui juxta littus maris deambulans, audiensque assentatorem sibi dicentem : Domine rex, quis similis tibi? tu terræ marique dominaris. Ad hæc adulationis verba subridens Canutus, mox in littore consedit, ac mari intumescenti dixit : Impero tibi huc ne progrediaris; cum ecce decumanus fluctus, se in sinum ejus effundit. Tunc rex ad aulicos conversus : En, inquit, quantum in fluctus maris mihi est imperium. Simulque assurgens Uvintoniensem urbem ingressus, summam adiit ædem, ubi conspecta Christi e cruce pendentis effigie, coronam e capite detractam, Domini imposuit imagini, alta voce istud promens Davidicum: *Tu solus Dominus, tu dominaris potestati maris, motum fluctuum ejus tu mitigas* (1) Sic recogitant adhuc cæteri reges sapientia et pietate prædiati, serio recognoscentes quia Deus solus est *Dominus universorum* (2), et qui totius *naturæ Dominus* (3), cœlis, elementis, cunctisque in universum creaturis dominatur. Et hoc triplici præsertim titulo : scilicet creationis, conservationis, et gubernationis. 1. Titulo creationis unde Regius Vates ex eo quod ipse omnia condidit, colligit ipsum esse universorum Dominum, et cuncta in ejus ditione et potestate esse posita : *Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium tu es.* (4) 2. Titulo conservationis. Sicut pondus in aere suspensum assidue teneri debet, nam si vel ad ictum oculi sibi dimittatur, deorsum ruit : ita tota creaturarum universalitas, omnipotente Dei manu, continuo in esse et natura teneri et conservari debet : quæ statim ad nihilum redigeretur, si vel ad momentum eam Deus dimitteret. Itaque in conservatione magis dependent a Deo creaturæ, quam lumen a candela, radii a sole, intellectio et volitio ab anima, visio ab oculo. Quo autem major est creaturarum dependentia, eo majus est Dei in illas dominium. Quod recogitantes reges sapientia pollentes, *ita Deum intelligunt, adversus quem valere non possunt; per eum valere se cognoscunt.* (5) 3. Ratione providentiæ et gubernationis qua *Deus universitatis conditor, mundi totius gubernator* (6), cuncta gubernat attingens a fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter, homini legem imponens, regem producens, eique regnum et imperium largiens. *Illius est enim ipse cujus et cœlum est, et omnis creatura. Inde est imperator, unde et homo antequam imperator : inde potestas illi, unde et spiritus* (7); nimirum a Deo quo accepit esse humanum, a quo mutuatus est imperium, a cujus dominatione dependet, et vice cujus nuncupatur Dominus. *Dicam plane imperatorem Dominum, sed ut dominum Dei vice dicam.* (8) Solus enim Deus est vere

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 4. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. Apol. 24. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 4. — (5) Tert. Apol. 30. — (6) Tert. ibid. — (7) Polidor. ex Cronic. German.

(1) Ps. 88. — (2) Esther. 13. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 5. — (4) Ps. 10. — (5) Tert. Apol. 30. — (6) Tert. L. adv. Jud. 2. — (7) Tert. Apol. 30. — (8) Tert. Apol. 34.

et proprie Dominus, imperator vero improprie, et duntaxat æquivoce.

Primo quidem Dominum præscribo non alium agnoscendum, quam hominis, et universitatis creatorem et institutorem. (1) Quod innuit Ecclesia, in Missa decantans : *Tu solus Dominus*, ut ostendat superbos illos reges qui se reges regum et dominos dominantium nuncupant, improprie tantum esse dominos: tum quia ille simpliciter est dominus, qui nulli servit, sed omnibus dominatur, neminem supra se, omnes infra se habet : quivis autem rex Deum supra se habet. *Temperans majestatem Cæsaris infra Deum cui soli subjicio.* (2) Unde cum Deo subjiciatur, licet cæteris imperet, non est absolute et simpliciter dominus, sed dominus simul et servus : Dominus subditorum quibus dominatur, servus Dei cui subjicitur. Tum quia qui indiget non est simpliciter et absolute dominus, rex autem terrenus indiget non solum Deo cui subjicitur, sed etiam subdito cui imperat: *Ambo homines, ambo egentes Deo ; si autem putas egere tui servum tuum, ut des panem, eges et tu servi tui, ut adjuvet labores tuos ; uterque vestrum, altero vestrum indiget : itaque nullus est vero dominus.* (3) Tum quia qui usum duntaxat habet alicujus rei et non dominium, vere non est dominus : reges regnorum tantum habent usum et non proprietatem quæ ad solum Deum pertinet : *Nam et quod nostrum videtur, alienum est : nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos.* (4) Quapropter reges non sunt proprie domini, quia eis Deus pro suo arbitrio regna eripere, imo ipsos destruere et annihilare potest. *Imperatorem necesse est ut suspiciamus, ut eum quem Dominus noster elegit* (5): qui cum imperatoribus dominetur, neque ulli subdatur, neque aliquo indigeat ; neque ab aliquo suum dominium mutuetur, neque in esse et conservari dependeat, est proprie simpliciter et absolute Dominus. Quo titulo seipsum nuncupat : *Ego Dominus, et hoc est nomen meum.* (6) Regius quoque Vates de Deo loquens, ait : *Dominus nomen est illi.* (7) Et aliorsum postquam Deum est allocutus : *Quærent nomen tuum, Domine* (8), statim subjungit, *et agnoscent quia nomen tibi Dominus ;* in cujus ditione cuncta sunt posita, cujus voluntati nemo resistere potest, cujus imperio reges quoque obtemperare tenentur.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (2) Tert. Apol. 33. — (3) D. Aug. L. 12. Civit. 17. — (4) Tert. L. de Pat. 7. — (5) Tert. Apol. 33. — (6) Esa. 42. — (7) Psal. 66. — (8) Psal. 82.

At nunc negotium patitur Deus omnipotens, Dominus et conditor universalitatis. (1) 1. A superbis, qui prosperitate tumentes, et de fortunæ bonis a Deo acceptis insolescentes, se Dei servos et subditos non agnoscunt, dicentes cum Pharaone : *Nescio Dominum ;* 2. A dejectis, qui adversitate gravati, *impatientes Dei vivunt* (2), ejus providentiam culpantes ; 3. A divinæ legis transgressoribus, qui divina mandata custodire debentes, ea violant, et per legis prævaricationem Deum inhonorant ; 4. Ab impiis qui sese Deo sapientiores existimantes, sunt *censores divinitatis, dicentes : Sic non debuit Deus : et, Sic magis debuit.* (3) 5. A peccatoribus, qui diaboli tyrannidem, Dei dominio et potestati præponunt. *Quæ præsunt potestates, Deus Dominus, et diabolus æmulus* (4): nemo autem potest Deo et diabolo servire : *Credimusne in alium Dominum respondere post Christum ?* (5) Christianus in baptismate diaboli tyrannidi renuntians, Christi agnovit dominium, et tamen quoties peccat mortaliter, *diabolum Dominum præponit.* (6) Ut autem belle ad propositum ratiocinatur Tertullianus : *Prælatio alterius, sine alterius contumelia non potest procedere, quia nec electio sine reprobatione.* (7) Peccator diabolum Christo præponens, Christo injuriam irrogat : diabolum in dominum eligens, Christum depretiat ejusque dominium negat ; 6. A peccatore obdurato in suis sceleribus, qui Deum Dominum nec diligit, nec timet : quem de stultitia merito redarguit Tertullianus : *Stulte, quem Dominum appellas, negas timendum ; cum hoc nomen potestatis sit etiam timendæ* (8), præsertim cum Deus Dominus sit etiam Judex.

III. PARS. *Judex, Deus est* (9) : hoc tertium probe competit illi nomen : unde postquam Regius Vates Dei Domini regnum et potentiam prædicavit (Dominus regnavit : Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos :) statim eum ut judicem cunctis nationibus agnoscendum proponit : *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est.* (10) Parum foret Deo esse sanctum et bonum, nisi etiam esset severus, et in pœnis infligendis terribilis. Ubi in Latino legitur : In principio creavit Deus cœlum et terram (11), in Hebræo habetur : Elohim seu Judex creavit cœlum et terram :

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (2) Tert. L. de Pat. 16. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (4) Tert. L. de An. 20. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (6) Tert. L. de Pœn. 5. — (7) Tert. Apol. 13. — (8) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (9) Tert. L. adv. Hermog. 3. — (10) Ps. 98. — (11) Gen. 1.

(Quare autem Moyses in hoc exordio appellaverit Deum Elohim, in promptu causa est duplex. (1) Altera ut unus atque idem Deus credatur creator mundi et Judex universorum. Altera, ut creatio cœlorum et terræ, et eorum quæ in eis sunt, intelligatur actio Dei Judicis.) *Totum hoc judicato dispositum et ordinatum est.* (2) Animadvertit autem Rabbi Aben-Esra Elohim significare Judices in plurali, vel quia tres divinæ personæ eadem potentia et actione produxerunt mundum, vel potius ut denotentur tres perfectiones formidandæ supremi Judicis: nimirum, 1. Sapientia, seu perspicacitas; 2. Justitia, seu æquitas; 3. Potentia, seu in puniendo virtus et efficacitas.

1. Solemnis hæc est vox animæ rationalis, *Deus videt* (3) : nec minus solemne istud quod subjungit effatum, *Deus reddet, Deus judicabit.* (4) Anima humana solo lumine naturali illustrata, agnoscit cuncta quæ cogitantur, effantur et operantur, esse nuda et aperta oculis Dei; et ex divino aspectu, supremi judicis arguit nomen et officium. Quomodo Tertullianus meditatur *reum et judicem : reum, qui quia videtur, reus est; judicem, qui quia videt, judex est.* (5) Non quod antea homo peccator non esset reus, Dei enim conspectus hominem non efficit criminosum, sed quia homo voluntarie et libere peccans, peccando efficitur reus, ejusque peccatum a Deo videtur : etenim *nihil a conspectu Dei remotum, unde omnino delinquitur* (6) ; neque etiam Deus videndo reum, ita est judex ut antea non fuerit, sed videndo *implet judicem* (7), ut acute ait Chrysologus, qui, ut probe suo fungatur officio, debet esse scientia et cognitione præditus, *quia neque judex juste ulciscitur nisi cognoscat admissum esse quod non licet* (8) : alias *ignorantia judicis, plerumque calamitas est innocentis.* (9) Unde in sacris paginis judices ignari sententiam absque cognitione ferentes, *non judicantes, neque verum cognoscentes* (10) perhibentur quasi non cognoscere, aut non judicare, synonyma sint, quantum attinet ad damnationem. Heu! quot judicia quæ videntur rite judicia, a judicum ignorantia, aut inscitia, judicia non sunt ! *Qualia putamus esse judicia hominum de hominibus, quam dolenda : quandoquidem qui judicant, conscientias eorum de quibus judicant cernere nequeunt ?* (11) Coguntur judicare aut juxta decreta legum, aut secundum contractus aliaque instrumenta notariorum, aut depositiones testium, aut reorum confessiones. *Quanta difficultas probandi* (1), tantum est periculum errandi in ferendis judiciis. Multi namque judices non cognoscunt veritatem, vel quia ignorant leges, et a consiliis argutis præstigiantur, *argumentatio enim sophistica præstigia faciens per conjecturas quasdam persuasibiles fallit* (2) : vel quia secundum ementita notariorum instrumenta judicant; vel quia decipiuntur a testibus, qui falsum vendunt testimonium; vel quia *malefici gestiunt latere, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur* (3); vel quia accusatis præbere nolunt audientiam, *quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari.* (4) Inde concludit D. August. de humanis judiciis: *Volentes namque et nolentes, multum errant qui judicant; aut enim ignorantes justitiam, seducuntur; vel certe scientes per avaritiam corrumpuntur.* (5)

Aliter ratiocinandum est de divino judicio, cum *solus Deus judex sit, quia justus est et inspector verus* (6); tum quia nulla ignorantia laborat : *Judicium ejus tanquam lumen prodit, non habens tenebras, neque ignorantiam* (7); tum quia falsa notariorum instrumenta secreto et in secretis fabricata, detegit : et, ut fatur Chrysologus, *regionem cæcis ignorantiæ tenebris infusam, lucis suæ splendore perfundit* (8) ; tum quia a falsis testibus non decipitur. Nam, ut animadvertit Theodoretus, *Deus accusatoribus aut testibus minime indiget, quando judicat : Sic enim Cain condemnavit, tanquam scilicet inspector.* (9) Tum quia inauditos reos non judicat, ut constat de protoparente, quem de crimine ab ipso commisso interrogat : *Inclamat Deus : Adam, ubi es? an de arbore gustasset, interrogat?* (10) Interrogat autem non quasi *incertus admissi, nec ignorans loci.* Nam ut ratiocinatur ibidem Tertullianus adversus Marcionem, *qui totum orbem comprehendit manu, velut nidum : cujus cœlum thronus, et terra scabellum, nimirum hujus oculos aliqua paradisi portio evaserat, quominus illi ubicunque Adam ante evocationem viseretur, tam latens, quam de interdicta fruge sumens? Speculatorem vineæ vel horti tui, lupus aut furunculus non latet : Deum puto de sublimioribus oculatiorem aliquid subjecti præterire non posse.* Cur

(1) Caietan. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (3) Tert. L. de Test. An. 2. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. de Spect. 20. — (6) Tert. L. de Pœn. 3. — (7) Serm. 17. — (8) Tert. Apol. 17. — (9) D. Aug. L. 9. Civ. 6. — (10) Dan. 5. — (11) D. Aug. L. 19. Civ. 6.

(1) Tert. L. de An. 2. — (2) Phil. Jud. de Cong. quæ. — (3) Tert. Apol. 1. — (4) Tert. Apol. 2. — (5) Serm. 130. de Temp. — (6) D. Aug. L. de Ver. Innoc. c. 21. — (7) D. Aug. Serm. 130. de Temp. — (8) Chrysol. Serm. 17. — (9) Quæst. 20. in Gen. — (10) Tert. L. 2. adv. Marc. 25.

autem protoparentis crimen sciscitatur Deus, de illoque Adamum interrogat ? Respondet Rupertus : *Judiciario more interrogat reum dissimulantem.* (1) Licet nihil potuerit respondere Adam, quod Deus ignoraret, attamen more humano causam hominibus tractans, jus suum servat reo, nec condemnat quoadusque audiat, aut minuat, aut eluat objectum crimen : ut vel hinc discant judices reum interrogare quod ipsi nesciunt, et se scire præsumunt ; ne quem inauditum damnent aut puniant. Ad instar Christi Domini, qui ne inauditum judicaret dæmonem, interrogabat eum Jesus : Quod tibi nomen est ? (2) *Interrogat, non ignorat, sed implet judicem : servat ordinem cognitoris, nomen interrogat, ut de conditione discutiat, judicet de reatu, addicat de crimine, Deum se esse data sententia perdemonstret.* (3) Homo qui discutit et investigat crimen, et de eo plene reum non interrogat, non implet nomen et munus judicis ; neque enim probasse et scivisse crimen sufficit, ut judicis nomen et officium impleatur, nisi etiam interrogetur reus, eique jus suum tueri licentia præbeatur. Integer judex apparebit in ultimo judicio Christus, qui non feret sententiam nisi prius inspecto conscientiæ libro, nisi prius auditis accusantibus diabolis, et defendentibus Angelis. *Novi quippe quia cum in judicio illo ordo consederit, de quo prophetavit Daniel. Et libri sunt aperti, omnes mei conatus, omnes meæ expositiones proferentur in medium, sive in justificationem, sive in condemnationem meam.* (4) Trinus in ultimo judicio aperietur liber : unus dæmonum accusantium ; alter Angelorum defendentium ; tertius conscientiarum, in quo scripta erunt cuncta quæ egerunt homines sive boni, sive mali. Diaboli accusatoris legetur libellus, legetur etiam et liber defensoris Angeli, tandem propriæ conscientiæ legetur testimonium, ne aliquid quod tueri causam rei possit desideretur. *Unusquisque cernet ante faciem suam exposita opera sua, sive bona illa, sive mala præmisit* (5) : non exponetur nudum delictum, sed cum delinquentis expositione et patroni commentario : unde formidare debet iniquus et ignarus judex : iniquus, quidem contra conscientiam suam judicans : quem sic redarguit D. Augustinus : *Quid est illud quod facis, ut non auditis partibus jam ferre non dubites sententiam ? quid ? judicium non reformidas ?* (6) Ignarus quoque, quia sua inscitia punit insontes, absolvit reos. Uterque si sapiat *timebit Dei censorium lumen* (1) ; neque duntaxat sapientiam et perspicaciam, sed adhuc justitiam et æquitatem supremi illius judicis formidabit.

(1) In c. 26. Gen. — (2) Marc. 5. — (3) Chrysol. Serm. 17. — (4) Orig. Hom. 2. in Ezech. — (5) S. Ephrem. L. de Ver. Pœn. c. 4. — (6) Epist. 160. ad Euseb.

2. *Tam idoneus est Deus ad conspicienda quæ in occulto fiunt, quam justus ad remuneranda quæ sibi soli fiunt* (2), et punienda mala quæ ab hominibus scelerosis perpetrantur, præsertim cum *in justitiam, omnem summam disciplinæ suæ sanciat.* (3) Christiana disciplina duo complectitur : operationem boni et fugam mali. Deus ut homines a malo dimoveret, minatus est eis pœnam ; ut ad bonum eos promoveret, pollicitus est eis mercedem. Itaque *bonum factum Deum habet debitorem, sicut et malum : quia judex omnis remunerator est causæ* (4) : et quemadmodum bonum remunerat, ita malum punit et castigat. *Fide custodiuntur judicia justitiæ Dei, cum sub Deo justo judice, nec recte factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum.* (5) Et licet in præsenti seculo virtus non semper sibi debitam accipiat mercedem, neque vitium sibi debito mulctetur supplicio. *Sed et qui videntur tibi impune tulisse, venient in diem divini judicii* (6), suorumque criminum luent pœnas, sicut insontes suarum virtutum accipient præmia. *Tunc restituetur omne humanum genus, ad expungendum quod in isto ævo boni seu mali meruit, et exinde pendendum in immensam æternitatis perpetuitatem.* (7) Illam supremi Judicis æquitatem, et interminabilis supplicii perpetuitatem, attente considerantes et extimescentes probi Christiani, vitia fugiunt, virtutes sectantur, malum culpæ aversantur, bonum operantur, sic loquentes apud Tertullianum : *Enimvero nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quippe æternam ab eo pœnam providemus, merito soli, innocentiæ occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni, eum timentes, quem timere debebit et ipse qui timentes judicat.* (8) Tria pertimescunt probi Christiani : 1. Æterna supplicia quæ comminatus est *qui vindictam repromittit, qui judicem præstat.* (9) 2. Divinæ scientiæ plenitudinem, quæ cordis intima penetrat ; abscondita quæque revelat, et densissimas tenebras illuminat. *Nihil occultum quod non revelabitur : quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus*

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 15. — (2) Tert. L. de Pœn. 3. — (3) Tert. L. de Pœn. 2. — (4) Tert. ibid. — (5) D. Aug. Serm. 23. in Ps. 128. — (6) Tert. L. ad Scap. 3. — (7) Tert. Apol. 48. — (8) Tert. Apol. 13. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 16.

lumen est. (1) 3. Inviolabilem ejus æquitatem, *cum judex Deus justitiæ carissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat* (2) : justitia est Deo carissima, hanc ab humanis judicibus exigit, quos in judiciis ferendis sui imitatores desiderat, ut unum sint prævaricatores, sicut ipse *dissimulator et prævaricator perspicaciæ suæ non est.* (3) Prævaricator est ille qui causam prodit ; prævaricator est advocatus, qui non sui clientis, sed potius adversarii tuetur partes ; prævaricator est judex, qui adversus leges alterius ex litigantibus causam tacite suscipit.

Verum si Deus dissimulator et prævaricator perspicaciæ suæ non est, multi sunt Judices terreni, justitiæ prævaricatores. Quod eloquenter declarat D. Cyprianus : *In forum aciem tuam flecte, inter leges ipsas delinquitur; inter jura peccatur, innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur : patronus prævaricatur et decipit; judex sententiam vendit, qui sedet crimina vindicaturus admittit, et ut reus innocens pereat, fit nocens judex.* (4) Multimode autem prævaricatur judex, et sex potissimum modis criminosus efficitur : 1. Personarum acceptione et præferentia ; 2. Cupidine et avaritia ; 3. Mulierum sollicitudine et amicitia; 4. Litigantium animadversione et inimicitia ; 5. Crudelitate et iracundia ; 6. Imbecillitate et ignavia.

Personarum acceptio est vitium oppositum tum justitiæ distributivæ, tum commutativæ. Justitiæ distributivæ, quando in distribuendis officiis, dignitatibus, beneficiis, locis, non attenditur meritum, aut dignitas, sed persona, ita ut majora et meliora dentur consanguineis, amicis, divitibus, nobilibus; pejora et minora exteris, inimicis, pauperibus, ignobilibus, quantumvis dignioribus. Opponitur vero justitiæ commutativæ, cum judex v. g. litem adjudicat amico, diviti, potenti, quæ dijudicanda erat inimico, pauperi, humili. Personarum acceptio quæ opponitur justitiæ distributivæ criminosa est. Hanc a Christianis arcere conatur in sua canonica Jacobus Apostolus : «Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi. » Vatablus legit : *Cum sitis Christiani, ne habeatis personarum delectum.* (5) Christianismus personarum non patitur acceptionem, sed eam vetat, culpat, damnat : christiana disciplina docet, jubet æquitatem, charitatem, pauperum curam et sollicitudinem : *Nescit religio personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum, servum et nobilem de moribus pronuntiat ; sola apud Deum libertas, non servire peccatis; summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* (1) Veris abundant divitiis qui pietate et religione commendantur. Nam, ut ait Alexandrinus Clemens, *solus Christianus est dives, quia veræ divitiæ sunt in anima, puta fides, gratia et virtutes, quibus pollet Christianus.* (2) Personarum acceptio fidei et christianæ professioni contraria, divites præferens, pauperes contemnens, justitiam pervertit, charitatem lædit, unitatem scindit, scelus admittit : *Non est putandum leve esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem Jesu Christi, si illam distantiam sedendi, ac standi ad honores ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore ?* (3) Ab acceptione personarum Eugenium Summum Pontificem dimovere satagit D. Bernardus : *Non sit in te acceptio personarum : non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum, et non potius causas judicas meritorum.* (4) Ab acceptione personarum quæ inæquales facit quos natura et religio fecit æquales, quæ studiosum ignobilem aut pauperem postponit nobili aut diviti, ignaro aut sceleroso, immunes erant primarii Christiani, ut ipsimet testantur apud Tertullianum : *Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis præstamus, qui non ab homine, aut laudis, aut præmii expensum captamus, sed a Deo exactore et remuneratore indifferentis benignitatis.* (5) Duplici de causa ab acceptione personarum cavebant : tum quia non aliis temporalia procurare studebant, sed sibi æterna comparare moliebantur ; tum quia ab hominibus favores aut præmia non exspectabant, sed a Deo exactore indifferentis bonitatis. Exactor est religiosus vectigalium minister, qui tributa principi debita, a subjecto populo exigit tota principis auctoritate. Ut denotent primipili Christiani, quam criminosa sit personarum acceptio, et quam acerbum mereatur supplicium, Deum vocant exactorem adversus eos qui indifferentem benignitatem non præstant omnibus, sed quibusdam favent ad aliorum ruinam. Verum quantumvis rigide illos Deus puniat, multi tamen hac tempestate hoc vitio laborant, uti in primitiva Ecclesia vigebat indifferens benignitas, qua fideles dignio-

(1) Tert. L. de Pœn. 6. — (2) Tert. L. de Pœn. 2. — (3) Tert. L. Pœn. 3. — (4) Epist. 2. ad Donatum — (5) Cap. 2.

(1) D. Hieron. Ep. ad Celantiam. — (2) L. 3. Pædag. 6. — (3) D. August. Ep. 29. ad Hieron. — (4) Lib. 2. de Consid. 14. — (5) Tert. Apol. 36.

res indignis præferebant. *Præsident probati quique seniores, honorem istum, non pretio, sed testimonio adepti.* (1) Sic hac ætate personarum acceptio adeo est communis ut vix ulla præfectura, illa careat : adeo hoc vitium occupavit omnia subsellia, tribunalia omnia, ut nemo aut fere nemo sit ab illo immunis. Hunc consanguinitas subvertit, alium divitiæ subornant, alteri blanditur venustas, iste donis corrumpitur, ille ambitione flectitur, alius importunis procerum precibus aliquomodo cogitur. Quapropter D. Bernardus sic ad Eugenium Summum Pontificem scribit : *Est item vitium, cujus si te immunem sentis, inter omnes quos novi, et qui cathedras ascenderunt, sedebis, me judice, solitarius.* (2)

Scelerosa est et communis acceptio personarum, quæ justitiæ distributivæ opponitur, sed multo criminosior et communior, quæ justitiam destruit commutativam, et in litibus jus uni tollit, ut alteri tradat : *in seculo magni laboris, non personaliter judicare, sed rectum judicium retinere.* (3) Judices terreni non personaliter judicabitis, sed rectum judicium retinebitis, si vobis proponitis in exemplar supremum judicem, *et si patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum judicat, secundum uniuscujusque opus* (4) ; nec respicit divitem præ paupere, herum præ servo, nobilem præ ignobili, sed quemque pro meritis, secundum cujusque opera judicat. Sirus legit : *Sine acceptione facierum judicat ;* nec attendit ad personas ; an sint vetusta nobilitate conspicuæ ; an puellæ venustæ, et gratiarum velut manibus fabricatæ ; an fortunæ bonis opulenter ditatæ ; an in honoribus et dignitatibus sublimatæ? Personas earumque qualitates non considerat probus judex, causæ meritum, et jus cujusque solummodo spectat : *Adsunt tibi ob oculos fratrum differentiæ, hic pauper, ille dives ; hic hospes, alius domesticus ; si judicaveris, ne inæqualia videas, divitem sublimem, pauperem humilem* (5) : sic in tuis judiciis te gere, ut videas non personam, sed personæ causam, meritum, aut demeritum, justitiam aut injustitiam : *nam et judicatur magno cum pondere* (6), ut unicuique suum jus servetur. Quapropter *non personaliter judicemus, sed rectum judicium teneamus. Quis est qui non judicat personaliter? qui æqualiter diligit. Dilectio æqualis facit non acceptari personas* (7) : qui vero non æqualiter diligit, personaliter judicat, non ponderans litigantium jus et causæ æquitatem, sed magnatum potentiam, divitum opulentiam, pulchritudinis formam, munerum opulentiam. *Solus Deus potest nullius potentis suscipere personam, quia ejus conscientia non depravatur aliqua promissa pecunia* (1) ; quem non imitatur scelerosus judex qui cupidine et avaritia est justitiæ prævaricator.

(1) Tert. Apol. 39. — (2) L. 2. de Consid. — (3) D. August. Tract. 30. in Joan. — (4) 1. Petr. 1. — (5) D. Basil. Hom. 2. de Variis. — (6) Tert. Apol. 39. — (7) D. Aug. Tract. 30. in Joan.

Boni judicis dotes Moysi declarat Jethro socer ejus : *Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos.* (2) Per potentes, *sapientes* interpretatur Cajetanus. Itaque tres conditiones ad probos judices requirit sacer textus : ut, 1. Sint sapientes ; nam, ut fatur Cajetanus, *vere prima pars judicis a naturali ingenio est : viri siquidem ingenii, naturaliter sunt aliorum rectores.* 2. Probi et timentes Deum, ne eorum nequitia jura pervertat ; 3. Oderint avaritiam. Animadvertit autem ibidem Cajetanus quod « dictio hebraica non significat proprie avaritiam, sed facultates, hoc est bona quæ possidemus, aurum, argentum, et reliqua hujusmodi ; » judex itaque non solum non sit avarus : *Noli esse pecuniæ amans* (3), sed adhuc esto divitiarum contemptor. Jansenius (4) in judice requirit divitias, ne, si pauper sit et opum indigus, facile subornetur, et alios depauperet, ut ditetur ; ad instar Adami et Evæ, qui, cum cognovissent se esse nudos, *ipsi nudati, nudant arbores* (5), ut suam tegant nuditatem. Utinam judicum officia non essent venalia, neque ipsi judices, ullum pro administranda justitia sumerent emolumentum, sed gratis illam redderent! At proh dolor ! officia caro emunt, caro etiam justitiam reddunt ; et ultra salaria sibi debita numera accipiunt, et pauperes et viduas nihil offerre valentes ad extremam pauperiem redigunt. Depravati illi et avari judices *commodorum suorum causa jungentes domum ad domum, ut quæ proximi sunt auferrent, amantes munera, sectantes retributionem, diripientes judicata pauperum ; uti esset illis vidua in rapinam, et pupillus in prædam.* (6) Belle Ennodius munera seu beneficia judicibus exhibita immanem nuncupat gratiam. Immanis est gratia quæ liberam et indifferentem justitiam, munerum præstigiis, muneranti reddit obnoxiam : eam namque ab avaris judicibus extorquent divitiæ. Ab immani illa gratia sese immunem prædicat Ennodius : *Datum est mihi libera*

(1) D. Aug. super Cant. Psal. — (2) Exod. 18. — (3) Tert. L. de Monog. 12. — (4) In c. 17. Eccles. — (5) Basil. Sel. Orat. 3. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 27.

habere judicia, etiam cum sim beneficiis obligatus. Est enim superni numinis, ut sententiam ferat obnoxius : nec delectetur immanitate gratiæ rigor examinis. (1) Verum si supremus judex Deus sententiam fert innoxius, neque ullum pro reddenda justitia mutuatur munus, plerique judices criminose justitiam administrant. *Non debet judex vendere justum judicium*, ipsi vero muneribus corrumpuntur: *argento et auro appetitur veritas, expugnatur integritas* (2); inique a litigantibus emitur, et sceleratius adhuc a judicibus divenditur. Nam ut belle subjungit Augustinus, *cum judicia quæ nec justa, nec sunt vendenda, iniqua venduntur; multo sceleratius utique et pecunia sumitur, quia scelerose quamvis etiam a volentibus datur.* Vendentes et ementes iniquum judicium criminosi sunt, et utrique ad restitutionem obligati.

Neque solum criminosi sunt judices avari, captantes munera, sed adhuc qui immodicum sumunt a litigantibus pretium et lites procrastinant, emolumenti causa velut æternant, et litigantes divites depauperant. *Longa quæstio litigantium non tam auget patrimonia quam evertit; et quod fit ambitu lucri, causa videtur esse dispendii.* (3) O quam miseri litigantes, judicum avaritiæ et cupiditati expositi ! quam felices qui ab eorum rapina sunt exempti ! valentes dicere cum Vate Regio : «Qui exaltas me de portis mortis. (4) » Nonnulli exscribunt : *De portis litium ;* alii vero vertunt de iniquis judicibus. Nam; ut animadvertit quidam Neotericus, « et quia in portis jus dicebant Hebræi, portæ pro magistratibus accipiuntur nonnunquam, et hoc loco portæ mortis pro iniquis judicibus. » Item qui tribunalia frequentant et lites tractant, in portis mortis versari dicuntur, et hoc duplici ratione : tum quia ipsi litigantes per injustitias, fraudes, falsitates, inimicitias, aliaque ejusmodi quæ perpetrant scelera, moriuntur gratiæ, et inferni ingrediuntur portas ; tum quia species quædam mortis est exponi rapacitati iniquorum judicum, quorum sententias, *infernales leges, et tartari portas* (5) vocitat D. Hilarius : quia ducunt eos ad tartara de injustis judiciis pœnas luituros.

Judex *præses legum est* (6) non interpres, pro ingenii licentia, pro nutus privilegio, pro personarum acceptione, pro munerum avaritia, pro affectus libidine. Si enim flectatur ad judicis placitum, nihil sanctum erit in jurisprudentia, sed omnia nutabunt ad illius voluntatem. Judices sunt *legum tutores* (1), non prævaricatores. Probus judex sit ab omni affectu remotissimus, et si quem sentiat, exuat se ab illo, seponatque personam amici, etiam cum de re sua suorumque agitur. Quem sic alloquitur Cassiodorus : *Elegisti te per cuncta judicem totius erroris expertem, nec invidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans. Quod cum ubique sit arduum, tamen sit in patria gloriosum, ubi necesse est aut gratiam parentela provocet, aut odium longæ contentiones exasperent.* (2) Quanta vis amicitiæ et amoris ad labefactandam judicis integritatem ? quid non potest vetus aut recens amicus ? quid non propinquus affinitate aut sanguine junctus ? quid non domesticorum supplicationes, filiorum preces, uxoris blanditiæ quibus utitur ad maritum flectendum ? Quid non decora mulier, præsertim erga judicem veneri deditum ? Non immerito profanus amor pingitur cæcus, quia scilicet excæcat amantes; quare D. Hieronymus laudat pulchrum istud Theophrasti effatum : *Amantium cæca judicia sunt.* (3)

Neque duntaxat amore, sed adhuc odio et animadversione judices prævaricantur. *Perfectus amor, et perfectum odium, judicium verum non agnoscit* (4); qui ardenter amant, nihil non magnum, non pulchrum conspiciunt in persona amata ; at econverso, qui odio aliquem prosequuntur, cunctas ejus perfectiones quamtumvis illustres velut tot defectus considerant : *Sicut omnia dilecta præclara sunt, sic omnia ingrata videntur obscura.* (5) Quod experientia comprobatur, in Gentilibus sine causa odientibus Christianos, ut illis exprobrat Tertullianus : *Hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis odii erga nomen christianum.* (6) Hæc odii iniquitas exprobrari posset multis christianis judicibus, quorum est *odium injustum* (7), quia judicant ex animadversione, et ex iracundia et crudelitate condemnant.

Est in Deo *societas et conspiratio bonitatis atque justitiæ, separationem earum non potest capere.* (8) Nam, ut eloquenter fatur Chrysologus, *penes Deum neque pietas sine justitia est, neque sine pietate justitia : cœlesti sensu, sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Virtutes si separate fuerint, dilabuntur : æquitas sine bonitate sævitia est, et justitia sine pietate crudeli-*

(1) Lib. 9. Ep. 23. — (2) D. August. Epist. 54. ad Macedon. — (3) Cassiod. Lib. 4. Var. Epist. 37. — (4) Psal. 9. Lorin — (5) In Caten. in c. 16. Matth. — (6) Senec. L. 1. de Ira. 5.

(1) Tert. Apol. 2. — (2) L. 2. Var. Ep. 3. — (3) In c. 10. Osec. — (4) Imperf. Hom. 22. in Matth. — (5) Cassiod. L. 3. Var. Ep. 5. — (6) Tert. Apol. 1. — (7) Tert. L. de Spect. 16. — (8) Tert. L. 2. adv. Marc. 12.

tas. (1) Eodem fere modo ratiocinatur D. Augustinus agnoscens hoc discrimen inter Deum supremum judicem et judices terrenos; quod *homines quando judicant, aliquando victi misericordia faciunt contra justitiam, et videtur esse misericordia, et non esse judicium : at aliquando rigidum volentes tenere judicium, pervertunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiæ perdit judicii severitatem; nec in judicando cum severitate, amittit misericordiæ bonitatem.* (2) Sit ergo divina justitia humanæ idæa, et ut terrenus judex perfecte suo fungatur officio, supremi judicis imitetur exemplum. Si ad illud se componat exemplar, erit *justus, quia pius ; et pius, quia justus* (3) : neque in pietate deseret justitiam, neque in justitia misericordiam obliviscetur. Justitia neque mollis, neque saxea est : non ita movetur compassione sontium, ut nullam criminibus infligat pœnam ; neque adeo est agrestis et immisericors, ut absque ulla humanitate levissimis sceleribus atrocissima quæque imponat supplicia. Sunt judices ita inhumani, ut in ferendis sententiis et damnandis reis, non leges, sed innatam barbariem et crudelitatem consulant ; in quos Christus Dominus maledictiones vibrare videtur : *Væ vobis legisperitis !* (4) Nam, ut animadvertit D. Cyrillus, Salvator his verbis *reprobavit onerosam legis peritorum officinam.* Judicum tribunalia nuncupat onerosam officinam ; in qua cuduntur novæ pœnæ, fabricantur repetita supplicia, quæ sævi judices producunt adversus reos, non ex jurisprudentiæ officina, sed ex innata iracundiæ et ferocitatis crudelitate. Quam sit inhumanus iracundi judicis furor, Pisonis comprobatur exemplo, de quo sic fatur Philosophus Moralis: (5) « Piso, vir a multis vitiis integer, sed pravus, et cui placebat præ constantia rigor. Is cum iratus duci jussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum non dedit : damnatus extra vallum deductus est, et jam cervicem porrigebat, cum subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc centurio supplicio præpositus, condere gladium spiculatorem jubet ; damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam ; nam militi fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducunt, complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones. Conscendit tribunal furens Piso, ac jubet duci utrumque, et eum militem qui non occidit, et eum qui non perierat. Quid hoc indignius? quia unus innocens apparuerat, duo peribant. Piso adjecit et tertium. Nam illum Centurionem, qui damnatum reduxerat, duci jussit. Constituti sunt in eodem loco perituri tres, ob unius innocentiam. O quam solers est iracundia ad fingendas eausas furoris ! Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es, te quia causa damnationis commilitoni fuisti ; te quia jussus occidere, imperatori non paruisti. Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat. »

Quam multi sunt hac ætate iracundi judices qui *de iniquitate sævitiæ* (1) merito possunt culpari, qui sua auctoritate abutentes, humanitatem obliviscuntur, leges et jura prævaricantur, et ex ira et furore quo agitantur supplicia decernunt, a quibus magis *gladius odio educitur quam judicio, furore quam lege !* (2) Cujusmodi erat Scapula, Africæ præses, adversus Christianos immaniter ferociens, quem a sævitia dimovere nititur Tertullianus, et recordatione humanitatis et consideratione suæ subjectionis. *Potes et officio jurisdictionis tuæ fungi, et humanitatis meminisse : vel quia et vos sub gladio estis.* (3) Plura sunt quæ judices a sævitia arcere debent : 1. Dei exemplum, qui absque ulla justitiæ suæ injuria, punit infra condignum ; 2. Humanitas quæ non crudelitatem spirat, sed ad misericordiam potius inclinat : unde judex mitis et humanus *dum pietatem cogitat, crudelitate caruit; dum causam temperat, judicium custodivit ; dum vindictam differt, crimen evasit.* (4) 3. Conscientiæ custodia, ne nimia sævitia crimen incurrat. Idcirco judicem hortatur Ecclesiasticus : *Noli esse justus multum* (5), sed innatam sævitiam, si non humanitate, saltem timore criminis tempera. Nam, ut ait Cassiodorus in judicum persona loquens, *qui periculose justi sumus, sub securitate semper ignoscimus. Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus, et tunc vere judices sumus. Macte indulgentia, quæ solvis et præsides.* (6) Sciat judex periculosum esse justitiæ severitatem nimis persequi ; quamtumvis enim ex munere præsit justitiæ, illiusque sit vindex, tamen a severitate et sævitia abhorreat, ne dum recte rigidus punit, inique et contra justitiam judicet ; 4. Ad sua crimina attendens judex, aliena sæve et crudeliter non punit. *Facile enim*

(1) Serm. 145. — (2) In Ps. 100. — (3) Chrysol. ib. — (4) Luc. 11. — (5) L. 2. de Ira. 16. —

(1) Tert. Apol. 49. — (2) Hildeb. Ep. 36. — (3) L. ad Scap. 4. — (4) Chrysol. Serm. 145. — (5) Cap. 7. — (6) L. 11. Variar. Ep. 40.

absolutor est alieni criminis, conscius sui. (1) In ferenda sententia, non tam se judicem quam reum cogitat. A seipso de propriæ conscientiæ gymnasio ediscit gymnasium, et dum se humanitatis indigum recognoscit, aliis humanitatem et clementiam præstat; 5. Quia judex, etsi super alios constitutus sub gladio est, et subditus supremo judici, qui condemnat eos qui iracundia et ferocitate, et qui ignavia et imbecillitate justitiam prævaricantur.

Marcion removens a Deo *judiciarias vires* (2), est illi contumeliosus : tum quia ad instar Epicuri, *in totum immobilem et stupentem Deum* efficit, qui nec virtuti largitur præmium, neque vitium pœna mulctat ; tum quia *perversissimum Deum ostendit in ipso præconio solitariæ bonitatis. Si enim neque damnat, neque vexat, utpote qui nec judicem præstat, non invenio quomodo illi disciplinarum ratio consistat. Quale est enim, ut præcepta constituat non exsecuturus ; ut delicta prohibeat non vindicaturus, quia non judicaturus ?* Absit ut Deo tribuamus neque stupiditatem, neque perversitatem. Verum si hi defectus Deo repugnant, in multis reperiuntur ignavis judicibus, ob quorum negligentiam et imbecillitatem scelera grassantur, et criminosi insolescunt. Porro justitia strenua esse debet, animosa, magnanima, armata adversus improborum malitiam. Ignavum stupentem et inermem judicem pungit Ecclesiasticus : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates ; ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate.* (3) Irrumpere idem est ac vi ingredi, impetum facere. Judex tenetur audacter potentum aggredi iniquitates, punire crimina. Qui ob timiditatem procerum non cohibet insolentiam, dicitur scandalum ponere in æquitate, id est, ipsam æquitatem et justitiam scandalizare. *Justitiæ animus habitum induit, et fortitudinis, et temperantiæ.* (4) Temperantiæ quidem, ut ratione gubernatus, nec ira, avaritia, libidine, aut aliqua alia passione agitatus judex in justitiæ officina, injustitias non excudat : fortitudinis etiam, severius male scelerosos puniens : ne *pro impunitatis securitate* (5) scelera insolescant, et sua pusillitate non modo scandalizet homines justos, sed in ipsa justitia scandalum ponat : *In judice misericordia et justitia debent esse, quia una sine altera bene esse non potest. Misericordia sola si fuerit, securitatem faciet peccandi subjectis. Iterum si disciplina semper aderit, vertitur animus delinquentis in desperationem, et judex non merebitur a Deo misericordiam.* (1) Multi sunt tamen judices, ex defectu misericordiæ crudeliter sævientes, et ex defectu justitiæ, scandalosa potentum crimina non punientes. In infirmis et pauperibus castigandis potentissimi sunt, adversus magnates vero imbecilles et stupidi : in plebeios leonum demonstrant ferocitatem, in proceres damarum ostentant timiditatem; Nec attendunt quod judicibus magnanimitas est necessaria, non tam adversus infirmos, qui justitiæ obediunt, quam adversus potentes, qui scelerose viventes, insolentius justitiam contemnunt. *Ubi malitiæ conjuncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum.* (2) Bona præsumptio quæ armatur contra non bonam potentium præsumptionem. Bonus judex tuetur pauperculorum impotentiam, qui a magnatibus injuste opprimuntur, et armatur adversus procerum potentiam, qui neque homines, neque Deum metuentes, temere omnia sibi licere præsumunt, et sua potentia insolescentes, in pauperum ruinam, et reipublicæ detrimentum, atrociora quæque audent facinora. *Sic enim æquitatis libra servabitur, si auxilium largiatur imparibus, et metum nostri pro parvulis, insolentibus opponamus.* (3) Sic loquitur Theodoricus rex; quem non imitantur judices iniqui sævientes erga impotentes, indulgentes potentibus, et sua debilitate et ignavia irritantes supremum judicem, qui formidandam exercet potentiam; tum erga judices negligentes ; tum erga potentes scelerosos et insolentes.

3. Potestate indiget judex : nam *unde judicium nisi de potestate ?* (4) Diversa est autem judicum potestas, pro jurisdictionis qua pollent diversitate : et quia Deus est supremus judex, *omnem super nos potestatem ejus* agnoscere debemus. Supremam hanc potestatem exercet Deus, de criminibus vindictam sumens. Nam *quid credimus judicem illum ,si non et ultorem ?* (5) Summam supremi illius judicis potestatem cuncti metuere debent mortales, præsertim judices et potentes. Judices non homines, sed Deum pertimescentes, probe suo funguntur officio. *Solus est Dei timor, qui fugat crimina, innocentiam servat. At e converso facile deviat a justitia qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit.* (6) Cujusmodi sunt judi-

(1) Cassiod. Proæm. L. 11. Var. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (3) Cap. 7. — (4) Senec. Ep. 20. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 16.

(1) D. Aug. Serm. 203. de Temp. — (2) D. Bern. L. 5. de Consid. — (3) Cassiod. L. 1. Variar. Ep. 8. — (4) Tert. L. de Test. An. 2. — (5) Tert. L. de Pat. 10. — (6) Chrysol. Serm. 127.

ces politici et iniqui, in quos suam potestatem demonstrabit Deus et perverse administratam eorum judicabit justitiam. Quod innuit Regius Vates modulate canens : *Narrabimus mirabilia tua.* (1) In Græco habetur : *Omnia mirabilia tua.* Omnia autem illa Dei mirabilia, in compendium redigit Propheta subjungens : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Omnium mirabilium Dei summa est, quod Deus tanquam supremus judex justitias judicabit, armabitque suam potentiam quæ tot ab orbe condito mirabilia operata est, adversus iniquos judices et scelerosos principes, qui perverse administrarunt justitiam. *Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.* (2) Velint, nolint, subjicientur justitiæ Dei magnates, nec valebunt resistere potestati supremi illius judicis quem modo non metuunt. Sciat judex, *sciat rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, nisi justitiam fecerit, primatum est habiturus.* (3) Neque a suppliciis immunes erunt magnates et potentes scelerosam vitam ducentes et humanam justitiam haud formidantes. Adversus quos etiam nunc fert sententiam ipsemet supremus vivorum et mortuorum judex : *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* (4) *Cadentes non secus atque unus de principibus cecidit : hic autem est diabolus.* (5) Quemadmodum enim Lucifer inter Angelos primatum tenens, peccando corruit in infernum interminabiles luiturus pœnas, ita scelerosi magnates et principes morientur non secus ac cæteri homines, et post mortem detrudentur ad tartara, ibique æterna tolerabunt supplicia.

Terreni judices viventium animas torquere nequeunt, neque etiam mortuorum corpora; imo mors ab eorum severitate et potentia liberat reos. Quare acute animadvertit D. Ambrosius, *mortem supplici corporalis esse defectum.* (6) Quasi dicat : Qui apud severum et crudelem judicem causam habet, ex ira et furore repetitam pœnam, pro unica culpa exigentem, ipsa mors defectus supplicii est. Nam defectus corporeæ vitæ eripit sævo judici materiam supplicii, quod sæpe repeteret, et perpetuaret, si vita suppeteret. Dei autem jurisdictio sese extendit, non solum supra animas, sed etiam supra corpora. Neque mors ab ejus severitate eximit criminosos quos etiam post mortem tum in corpore, tum in anima, interminabili supplicio mulctat. Inde tria ex Domini verbis colligit Tertullian. unum : non timendos homines qui postquam occiderint corpus, nullum aliud possunt infligere supplicium ; Dominus *conversus ad discipulos : Dico autem vobis, inquit, amicis meis : nolite terreri ab eis qui vos solummodo occidere possunt, nec post hoc ullam in vobis habent potestatem.* (1) Aliud : timendum esse Deum, cujus potestas ultra mortem extenditur, puniens in gehenna scelerosos et peccatores. *Demonstrabo autem vobis quem timeatis : timete eum qui postquam occiderit, potestatem habet mittendi in gehennam. Itaque dico vobis, hunc timete.* Tertium, Deum, quem timere oportet, non esse peccato offendendum, sed potius virtutibus et sanctis operibus promerendum. *Quem timere jubet offendi vetat, et quem offendi vetat, demereri jubet.* Habemus hæc documenta et præcepta, non ab hominibus scelerosis, non a judicibus iniquis, non a principibus vitio deditis, sed a supremo Judice Deo, quem formidare, cui obtemperare et a quo obsequii præmium sperare debemus. *Et qui hæc mandat, ipsius est cui timendo, et non offendendo, et demerendo procurat.* (2) Supremam igitur judicis timeamus potentiam, mandatis ejus obediamus, crimina quæ illum offendunt fugiamus, virtuti studeamus, et æternam merebimur gloriam.

(1) Psal. 74. — (2) Sap. 6. — (3) Dub. Cypr. de abus. Sacerd. c. 9. — (4) Psal. 81. — (5) Græci Patres in Paraph. — (6) In cap. 12. liv.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (2) Tert. ibid. — (3) —Tert. L. 3. adv. Marc. 15. — (4) D. Aug. L. de Quant. An. c. 45. — (5) Tert. L. de Spect. 11. — (6) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (7) Tert. L. de Spect. 4.

CONCIO SECUNDA.

De *cæteris vero nominibus, et imprimis Christi* (3) acute animadvertit D. Augustinus, *quod innumerabilibus modis eadem res appellari possunt recte et subtilissime.* (4) Et hoc, ut mihi videtur, trina potissimum de causa : primo, ut per diversa nomina, varia quibus personæ insigniuntur officia denotentur : *Proinde tituli* (5) in actibus publicis inseruntur. Secundo, ad exprimendas vel perfectiones, vel jurisdictiones, vel affinitates quibus nobilitantur homines : *Quorum ne nominum quidem dignitas, humanis cognominibus distat.* (6) Tertio, ad innuenda egregia facinora quæ pertracta sunt, vel saltem quæ ominantur pertractanda. *Exinde titulos quorumdam* (7) legimus, a Gentibus debellatis, Provinciis imperio subditis, egregiisque patratis operibus : *Sicut reges trium-*

phorum suorum titulis nuncupantur, et subjectarum gentium conquirunt numerosissima cognomenta, ita Christus bonorum suorum titulis nuncupatur. (1) Non est autem in præsentiarum sermo de nominibus quæ Christo metaphorice duntaxat et analogice competunt, qualia sunt Leo, Agnus, Petra, Ostium, Vitis, aliaque ejusmodi. *Nec miretur lector si idem et princeps est, et sacerdos, et vitulus, et agnus, et aries : cum in Scripturis sanctis pro varietate causarum legamus eum, Dominum et Deum, et hominem, et prophetam, et virgam, et radicem, et florem, et principem, et judicem, et regem, et justum, justitiam, apostolum, episcopum, brachium, servum, unigenitum, pastorem, filium, ostium, viam, angelum, sagittam.* (2) Non loquimur etiam de nominibus quæ conveniunt Christo præcise, ut Deus est, sive sint essentialia et communia tribus personis divinis ; sive propria aut appropriata secundæ personæ Trinitatis : sed tantum de nominibus quibus afficitur Christus, ut est Deus-Homo. Non quidem de omnibus quæ ad illum pertinent ratione officii, aut dignitatis : neque adhuc de omnibus appellativis quibus ut plurimum apud homines audiebatur, ut Nazaræus, Christus, et Jesus. Et quidem *Nazaræus vocari habebat secundum prophetiam Christus Creatoris: unde et ipso nomine nos Judæi Nazaræos appellant per eum. Christo autem appellatio Nazaræi competitura erat ex infantiæ latebris, ad quas apud Nazareth descendit, vitando Archelaum, filium Herodis.* (3) A loco in quo habitavit appellatus est Nazaræus, et ab unctione nuncupatus est Christus. *Unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre, sicut in Actis : Collecti sunt enim vere in ista civitate adversus sanctum Filium tuum, quem unxisti.* (4) Tertulliano arridens Chrysologus postquam Christum ab unctione dictum asseruit, subjungit : *Quia et unctio quæ per reges, prophetas et sacerdotes olim cucurrerat in figuram, in hunc regem regum, sacerdotem sacerdotum, prophetarum prophetam, tota se plenitudine Spiritus divinitatis effudit : ut regnum et sacerdotium, quod per alios præmiserat temporaliter, in auctorem ipsum refunderet, et redderet sempiternum.* (5) Tandem vocitatur Jesus. Quemadmodum autem a loco in quo remansit dictus est Nazaræus, *et ut a chrismate Christus, sic Jesus vocatus a salute* (6) hominum quam operatus est. Ut enim animadvertit D. Augustinus, *Jesus hebraice, nostra autem locutione Salvator.* (1) Inter Christi et Jesu vocabulum hoc agnoscit discrimen Tertullianus, quod unum est proprium, alterum accidentale. *Quorum nominum alterum est proprium, quod ab Angelo impositum est, alterum accidens, quod ab unctione convenit.* (2) Nomen accidentale est Christus, nomen proprium est Jesus. *Illud sacramenti nomen est, hoc triumphi : nam sicut a Deo unctus nomen sortitur ex unguine, ita cum salutem perditam mundo reddidit, a salvando nomen Salvatoris assumit.* (3) Quod est prorsus honorabile, admirabile, amabile, ratione, 1. Excellentiæ et dignitatis ; 2. Virtutis et efficacitatis ; 3. Dignationis et pietatis.

I PARS. Multis rationibus comprobatur quam sit honorabile et augustum sanctissimum Jesu nomen : 1. Quia per illud significatur *homo Deo mistus* (4) : id est, divini Verbi personalitate suppositatus et subsistens. Nihil est autem Verbo divino sublimius ; 2. Quia denotatur per nomen Jesu, Dei et virginis Filius, in æternitate *de Deo Deus*, id est, de substantia Patris generatus, et in tempore *delapsus in Virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus.* (5) Parentum autem nobilitas arguit filii dignitatem, ejusque nomen reddit præclarum et illustre. 3. Quia summam Domini innuit gratiam et sanctitatem. Quam præ se fert Christus Dei Filius. Jesus autem idem est ac Christus. *Et habet tota instrumenta Pauli, quæ in hunc modum pronuntiant, et duos proponunt, Deum Patrem, et Dominum Jesum Christum Filium Patris, et Jesum ipsum esse Christum : in altero quoque nomine Dei Filium. Nam exinde eo jure quo utrumque nomen unius est, id est, Dei Filii, etiam alterum sine altero ejusdem est. Et sive Jesus tantummodo positus est, intelligitur et Christus ; quia Jesus unctus est ; sive solummodo Christus, idem est Jesus, quia unctus est Jesus.* (6) Duplici scilicet unctione, substantiali una, accidentali altera : substantialis est unio hypostatica, qua *Divinitatis unguento* (7) unctus est Jesus, accidentalis altera, quæ est gratia summa illi collata. Quod si gratia quæ communiter largitur hominibus, pretiosum et maximum donum, a D. Petro vocitatur ; qualis, quæso, est valor, qualis celsitudo, gratiæ sive accidentalis, sive substantialis, qua Jesus fuit

(1) Chrysol. Serm. 57. — (2) D. Hieron. in Ezech. 46. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 8. — (4) Tert. L. de Bapt. 6. — (5) Serm. 59. — (6) Chrysol. Serm. 57.

(1) L. 3. de Trin. c. 10. — (2) Tert. L. adv. Prax. 28. — (3) Chrysolog. Serm. 60. — (4) Tert. Apol. 21. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. L. adv. Prax. 28. — (7) Chrysol. Serm. 57.

unctus? 4. Quia Dei Filius humanatus est ut humanam operaretur salutem. *Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa.* (1) A salvando autem Salvatoris mutuatur nomen, quod idem sonat ac Jesus. *Ita cum salutem perditam mundo reddidit, salvando nomen Salvatoris assumit. Sæpe jam diximus quod Jesus hebraica lingua dicitur, Salvator dicitur hoc latina.* (2) Ut autem vult Tertullianus, *nihil tam dignum Deo quam salus hominis* (3), in qua procuranda mirum in modum coruscant divina misericordia, potentia et justitia. Misericordia, dejiciendo Deum, ut prostratum sublevaret hominem; potentia, debellando diabolum, qui de Dei imagine triumphaverat; justitia, reparando per Christi satisfactionem, injuriam Deo ab Adamo factam; 5. Quia in veteri Testamento præfulserunt tres viri nomine Jesu insignes, qui augustissimum Salvatoris adumbrarunt nomen. Nempe Jesus qui et Josue filius Num, Jesus Filius Josedec et Jesus Siracides; inter quos *secundus quoque Moyses populi secundi, qui imaginem nostri, in promissionem Dei induxit, in quo primo nomen Domini dedicatum est.* (4) Per secundum Moysen, Josue intelligit qui primus post Moysen israëliticum populum rexit, et in terram promissionis introduxit. *Dum Moysi successor destinaretur Auses, filius Nave, transfertur certe de pristino nomine, et incipit vocari Jesus. Hanc prius dicimus figuram futuri fuisse* (5), et quia veritas est longe nobilior umbra et figura ejus, ex dignitate virorum qui Dominum etiam in vocabulo præfigurarunt, recte colligitur quanta sit præfigurati dominici nominis excellentia et dignitas. 6. Nominis antiquitas ejus excellentiam demonstrat, Jesu autem nomen non accepit Salvator a Maria, Matre sua, cui Angelus: « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum » (6) Conveniens erat ut Angelus *prior Christum et in homines annuntiaret, et Jesum transnominaret.* (7) Itaque in auspicio conceptionis augustum Jesu nomen, Angeli præstruitur oraculo. Neque in circumcisione Christo imponitur, nisi quia ante incarnationem id Angelus Mariæ antea dixerat. Nam Evangelista teste, « vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. » *Vocatum plane, non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet ut sit Salvator. Innatum et nomen est, non inditum ab humana vel angelica creatura.* (1) Quod innuere videtur Regius Vates, aiens: « Ante solem permanet nomen ejus. » Campensis legit (2): *Ante solem filiabit nomen ejus*: id est, Pater æternus qui ante secula generat Filium, dat illi in sua generatione augustum Jesu nomen, quod, 1. Omnia Christi nomina complectitur; 2. Supra omne nomen extollitur; 3. A cœlo, terra et inferno colitur.

1. Quidquid clament et obstrepant Judæi, *mihi vindico Christum, mihi defendo Jesum,* (3) cujus varia apud Isaiam prophetam inveniuntur nomina. Nam « Emmanuel, id est, nobiscum Deus (4) » nuncupatur; deinde sub his indiciis: « Accelera, spolia detrahe, prædari (5) » describitur. Tandem « admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, princeps pacis (6) » prædicatur: *Sed qui dicimus, quod egregius ille Propheta, ipsum, id est, puerum multis nominibus appellandum fore prædicans; hoc unum tacuisse videtur, quod solum, ut præmonuit Angelus et testatur Evangelista, vocatum est nomen ejus?* (7) Bernardus, post varios dinumeratos titulos quibus Dei Filium commendat Vates Evangelicus, subjungit: *Magna quidem nomina, sed ubi est nomen quod est super omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flectatur?* Ad hoc dubium respondet Bernardus: *Forte in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodammodo et effusum.* Quare Jesum solum nominando, cuncta præfata vocabula in illo inclusa dicimus, ut inde colligatur quanta sit nominis Jesu excellentia et majestas.

Nomen Jesus idem est ac Emmanuel, ut eleganter probat Tertullianus, tum adversus Judæos, tum adversus Marcionem, qui negabant venisse Christum, eo quod non vocabatur Emmanuel. *Sic Esaias dicit: Ecce Virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Subjuncta est enim et interpretatio Emmanuel, nobiscum Deus, uti non solum sonum nominis spectes, sed et sensum. Sonus enim hebraicus, quod est Emmanuel, suæ gentis est; sensus autem ejus, quod est, Deus nobiscum, ex interpretatione communi est.* (8) Trina autem ratione Jesus est Emmanuel, id est, nobiscum Deus: tum ratione incarnationis per quam Dei Filius in terra visus est, cum hominibus conversatus est, et humanam operatus est salutem: ut enim philosophatur

(1) Tert. L. de Car. Chr. 14. — (2) Chrysol. Serm. 62. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 27. — (4) Tert. L. de Monog. 6. — (5) Tert. L. adv. Jud. 9. — (6) Luc. 2. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 38.

(1) D. Bern. Serm. 2. de Chr. Conc. — (2) Psal. 71. — (3) Tert. L. 3. adv. Marc. 16. — (4) Isa. Cap. 7. — (5) Ib. Cap. 4. — (6) Ib. Cap. 9. — (7) D. Bern. Serm. 2. de Circumc. — (8) Tert. L. adv. Jud. 9.

D. Thomas, per Emmanuelem, id est, nobiscum Deus, designatur causa salutis, quæ est unio divinæ et humanæ naturæ in persona Filii Dei; tum ratione Eucharistiæ, in qua pollicitus est Christus esse nobiscum usque ad consummationem seculi; tum ratione baptismi: *Quod si Emmanuel nobiscum Deus est, Deus autem nobiscum Christus est, qui etiam in nobis est (quotquot enim in Christum tincti estis, Christum induistis:) tam proprius est Christus in significatione nominis, quod est nobiscum Deus, quam in sono nominis, quod est Emmanuel. Atque ita constat venisse jam illum qui prædicabatur Emmanuel: quia quod significabat Emmanuel, venit, id est, nobiscum Deus.* (1)

Æque etiam Jesu nomen secum importat insignia quibus Esaias Christum denotat: nam, ut expendit Doctor Angelicus, per hoc quod dicitur: *Voca nomen ejus, accelera, spolia detrahe* (2), designatur a quo nos salvavit, quia a diabolo, cujus spolia abstulit, secundum illud Coloss. 2. *Exspolians principatus et potestates.* Quod innuit ipsemet Propheta de Christo vaticinans: *Quoniam priusquam cognoscat infans vocare patrem et matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ adversus regem Assyriorum.* (3) Christus autem figurate dicitur bellator: *Sic bellipotens et armiger Christus est.* (4) Per virtutem Damasci et Samariæ spolia, intelligenda est idololatria. *Agnosce et spolia figurata, cujus et arma allegorica didicisti.* Pugnavit autem bellipotens et armiger Christus *adversus regem Assyriorum, adversus diabolum*, qui homines ad idololatriam adductos in idololatria detinebat. Ab incunabulis autem accepit virtutem Damasci, et spolia Samariæ adversus regem Assyriorum: quia Magos ab idololatria removens, ad sui cognitionem et fidem adduxit. *Hoc itaque modo Magos quoque Samaritanorum appellatione titulavit, et despoliatos, quod habuerant cum Samaritanis idololatriam.*

Neque minus competunt Jesu cætera quæ dinumerat Esaias nomina. Nam, ut ait D. Bernardus (5), «sed et Dominus meus admirabilis fuit in nativitate; consiliarius fuit in prædicatione; Deus in miraculorum coruscatione; fortis in passione; pater futuri seculi in resurrectione; princeps pacis in illa æterna beatitudine.» Aliam adhuc subministrat Doctor mellifluus præfatorum titulorum expositionem: *Habes ergo unum ex his omnibus appellationibus Jesum: nec omnino aut vocari posset, aut esse Salvator, si forte quippiam horum defuisset.* (1) Nunquid non vere *admirabilem* eum singuli sumus experti in mutatione voluntatum nostrarum? hoc namque est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane, qui hæc operatur miracula. Sed nihilominus et *consiliarium* sese exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ et vitæ ordinatione: ne forte sit nobis absque scientia zelus, et voluntati bonæ prudentia desit. Sane opus est ut *Deum* quoque probemus in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac salus nobis constare potest: et nemo potest dicere: Dimitto peccata, nisi solus Deus. Verum ne id quidem sufficit ad salutem, nisi *fortem* quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eisdem rursum concupiscentiis superemur, et fiant novissima nostra pejora prioribus. Videturne jam aliquid deesse Salvatori? Plane deesset quod maximum est, nisi et *Pater esset futuri seculi*, ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis seculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc satis, si non etiam *Princeps pacis* Patri nos reconciliaret, cujus traditurus est regnum, ne forte sicut filii perditionis, utique non salutis, resurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicatur sane ejus imperium, ut merito Salvator dicatur etiam pro multitudine salvandorum. Et pacis non erit finis, ut veram noveris esse salutem, quæ non possit timere defectum. En quomodo solum Jesu nomen omne nomen complectitur, et quod est magis adhuc stupendum, supra omne nomen extollitur.

2. Jesus profecto *nomen grande* (2), quod extollitur *supra omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro.* (2) Grandia nomina, Princeps, Rex, Imperator, Summus Pontifex, sed Jesus est supra omne nomen quod nominatur in hoc seculo. Grandiora sunt adhuc in futuro seculo nomina Angelus, Archangelus, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubin, Seraphin, sed Jesus nomen est *supra omnem principatum, potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur in futuro seculo.* Magna fuerunt apud Gentiles nomina Saturnus, Jupiter, Pluto, Neptunus, Apollo, Mars, Bacchus, Mercurius, Ceres, Juno, Diana, Venus; *in quorum nominibus et*

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 12. — (2) 2. p. quæst. 37. a. 2. ad 1. — (3) Tert. L. adv. Jud. 9. — (4) Tert. ib. — (5) Serm. 1. de Nat. Dom.

(1) Serm. 2. de Circumc. — (2) Tert. L. de Pall. 3. — (3) Ephes. 1.

imaginibus, et historiis fallaciam, consecrationis sibi negotium acturi constituerant (1), ut sub eis falsa venerarentur numina. At Jesu nomen summe sublimatur super omnia illa *nomina inania atque conficta.* (2) Confictos deos confictis nominibus celebrarunt pagani : Christi autem dignitas, imo et divinitas, non est ficta, sed vera ; non est inanis, sed omnimode perfecta : proinde *non capit nomen alienum, et statui suo extraneum.* Neque solum Apostolus perstringit nomina deorum, quos finxerunt poetæ, sed etiam Æones quos somniavit Valentinus : *qui simul ausus est duos concipere, Bython et Sigen : cum usque ad triginta Æonum fœtus, tanquam Æoniæ scrophæ, examen divinitatis effudit.* (3) Qui cæteros Æones nosse desiderat, legat Tertullianum, et inveniet non numina, sed nominum portenta : at *ne quem ex nominibus tam peregrinis, et coactis, et compactis, et ambiguis, caligo suffundat* (4), Christiani Christum nominant Jesum, neque de sancto illo erubescunt nomine, quod est *super omne nomen* (5), quia nomen Jesu est majus, sanctius, venerabilius quam sit nomen Dei Tetragrammaton, Judæis ineffabile, quod vulgo dicitur Jehova. Quare Abulensis nomen Jesu, ipso Dei nomine majus existimat. Tum quia Deus significat Deum, qua Dominus et Creator est, Jesus vero significat Deum, qua Salvator et Redemptor est. (6) Uti autem beneficium redemptionis est majus quam opus creationis, ita nomen Jesu, sive Redemptoris, majus est quam nomen Dei Creatoris. Et ob hanc causam Ecclesia in benedictione cerei pascalis canit : *Nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset* (7) : id est, frustranea nobis fuisset creatio, et nativitas, nisi subsecuta fuisset redemptio : tum quia nomen Dei Redemptoris includit nomen Dei Creatoris, sed non econverso : redemptio enim supponit creationem, creatio vero non supponit redemptionem; tum quia, ut ait Abulensis, *Ecclesiæ communis et laudabilis consuetudo, magis honorat istud nomen Jesu quam nomen Deus : unde audito nomine Jesus, devoti fideles, aut caput inclinant, aut genua flectunt, quod non faciunt audito nomine, Deus.* Excellentiam nominis Jesu super nomen Jehova sequentibus antithesibus declarat Modernus Auctor. Jehova significat eum qui est, quomodo seipsum Moysi nominat Deus : *Ego sum qui sum :* Jesus significat eum qui creator est, et perditos salvat, vivificat, justificat, ac beatos

(1) Tert. L. de Spect. 10. — (2) Tert. L. 1. de Idol. 15. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 5. — (4) Tert. L. adv. Valent. 6. — (5) Philipp. 2. — (6) Quæst. 7. in c. 20. Exod. (7) D Greg. in Pastoral.

facit. Jehova fons est et principium entis; Jesus fons est et principium gratiæ, gloriæ et salutis. Jehova fuit contritor et debellator Pharaonis et Ægypti : Jesus contritor est diaboli et inferni. (1) Jehova Judæorum veteris Testamenti est, Jesus Christianorum et novi Testamenti est legislator. Jehova Hebræos per mare rubrum duxit in Chanaam, Jesus per sanguinem suum, quo baptizamur et abluimur, deducit nos in cœlum. Nomen Jesu in nomine Jehova repræsentabatur; unde hæc verba : *Ego sum qui sum ;* ex versione chaldaica sic legit Lippomanus : *Ego sum qui ero*, scilicet homo Deus ; multique interpretes censent eum qui in rubo dixit Moysi : *Ego sum qui sum, aut qui ero*, esse divinum Verbum postea carnem assumpturum. Jehova igitur erat quasi ænigma Jesu, et vicissim nomen Jesu est declaratio nominis Jehova. Imo si litteras spectes, nomen Jehoseva, id est, Josue (quod est idem cum nomine Jesu) includit omnes litteras nominis Jehova, aliasque proprias superaddit, ut fuse demonstrat a Ponte in Sapientiam. Sed nemo hac supra re melius philosophatur quam Hugo Carensis, qui in nomine Jesu nomen Jehova recognoscit inclusum (2), (Est autem nomen illud Tetragrammaton, id est quatuor litteris scriptum, scilicet *iod, he, vau, he*, quod sonat, principium vitæ, passionis iste. Hoc nomen erat scriptum in lamina aurea, quam Summus Sacerdos gerebat in fronte. Et hujus sensus : Iste, id est, Christus, quem iste sacerdos significat, est principium vitæ, passionis, id est, per passionem. Loco enim ablativi solebant Græci ponere genitivum. Christiane, *habes nominis repræsentationem* (3), scilicet Jesu nomen, per Jehova repræsentatum, et nomen Jehova in nomine Jesu contentum : quod significans humanam salutem quam sua passione operatus est Dominus, est magis augustum et venerabile. Inde concludit Abulensis : *Qui ergo contra hoc offendit, dehonorando nomen Jesus, magis peccat quam si dehonestaret nomen Deus.* Quale, quæso, est crimen impiorum qui sanctissimum Jesu inhonorant nomen? Et si *majus peccatum est accipere nomen Jesus in vanum, quam istud nomen, Deus* (4) ; quam scelerosi sunt Christiani et quanto supplicio puniendi, qui in vanum sumunt, vel Jesu caput, vel ventrem, vel labia, vel plagas, vel alia sanctissima Salvatoris membra, cujus nomen est super omne nomen, quodque a cœlo, terra et inferno colitur !

(1) Cornel. a Lapide in c. 2. Philipp. — (2) Hom. 2. In cap. 3. Exod. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 13. — (4) Abul.

3. *Pro magno nominis sacramento* (1) summa veneratione honorandum est Jesu nomen : quo enim magis est excellens , augustum et sacratum , eo est majori honore dignum. Eadem namque adoratione qua adoratur Verbum, seu Dei Filius, adorandus est Jesus, qui simul Deus est et homo. Neque enim potest adorari Verbum incarnatum, seu Christus , quin coadoretur humanitas in Verbo existens. Ideoque *ipsi donatum est nomen quod est super omne nomen : ut cum ipsa forma servi nominatur, Filius unigenitus Dei intelligatur.* (2) Quapropter Jesu debetur supremus latriæ cultus : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium , terrestrium et infernorum.* (3) Per cœlestia intelliguntur Angeli et animæ sanctæ quæ in cœlo habitant ; per terrestria, homines qui in terra degunt, cujusvis sint conditionis ; per infernalia , dæmones et reprobi, qui omnes nomini Jesu , cultum , honorem et reverentiam præstare tenentur. Ut enim ait Origenes Apostoli expendens verba : *Donavit Deus nomen quod est super omne nomen , Domino Salvatori nostro Jesu Christo. Est autem nomen super omne nomen, nomen Jesu , et quia est illud nomen super omne nomen : idcirco in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium , terrestrium et infernorum.* (4) Neque duntaxat sacratissimum Jesu nomen adorant Angeli, homines colunt, inviti dæmones venerantur, sed etiam entia inanimata ei reverentiam præstant. Nam, ut observat D. Chrysostomus , sol Josue obtemperat honorans in illo nominis Jesu umbram et figuram. *Quid igitur? Typus erat Jesu illud nomen. Idcirco igitur hoc factum est , etiam propter ipsum vocabulum , reverita est creatura.* (5) Reveritus est sol nominis Jesu umbram et similitudinem ; et homines ratione præditi , et Christi sanguine redempti , non reverebuntur Salvatoris nomen ; cui cœlum , terra et infernus debent honorem et reverentiam ?

Adeo honorabile est Jesu nomen ut ab ejus honore et reverentia nullus excludatur locus , nullum præscribatur tempus , nullus expiatur status. Nullus excluditur locus : nam *a solis ortu usque ad occasum , laudabile nomen Domini.* (6) Nullum præscribitur tempus , *sit nomen ejus benedictum, ex hoc nunc et usque in seculum.* (7) Nullus excipitur status : *Reges terræ et omnes populi, principes et judices terræ , juvenes et virgines, senes cum junioribus , laudent nomen Domini.* (8) Ut autem quis digne Salvatoris valeat laudare nomen , debet gratia et sanctitate nitere. Sanctissimum est Jesu nomen , idcirco qui illud profert, sit a peccato semotus , et virtutibus et veritate fulgeat, et ut fatur Petrus Blesensis, illud in pondere sanctuarii nominet. *O pondus nominis Jesu ! quis appendere , quis dinumerare , quis æstimare valeat hoc nomen ? in pondere utique sanctuarii, quia nemo potest dicere : Domine Jesu, nisi in Spiritu Sancto.* (1) Non digne effert, qui aliter enuntiat sacratissimum Jesu nomen , quod sanctitatem prærequirit in iis qui illud nominant, et nominando sanctificant , juxta istud : Sanctificetur nomen tuum. Istius autem petitionis in Oratione dominica contentæ quadruplicem expositionem tradit D. Aug. 1. Sanctificetur nomen tuum , id est , *sanctificatio nominis Dei est qua efficimur nos sancti : nam nomen ejus semper sanctum est.* (2) Sanctitatem nobis communicat Salvator : quam habere debent Christiani a Christo sanctificati, ut probe suo respondeant Redemptori et condigne laudent ejus nomen , quod per se sanctum est. 2. Sanctificetur nomen tuum, id est, *sanctum esse innotescat* (3) per opera Christianorum qui sua professione sanctitati vacare tenentur, et per bona opera , sanctitatem dominici nominis velut commentari; 3. Sanctificetur nomen tuum. Scilicet *in illis hominibus qui per infidelitatem nondum habent nomen Dei sanctum : quibus nondum est ille sanctus , qui per se et in se sanctus est.* 4. Sanctificetur nomen tuum. *Cum rogas ut sanctificetur nomen ipsius, non pro illo rogas , sed pro te : quia rogas ut quod semper est sanctum , sanctificetur in te, hoc est ut sanctum habeatur, nec contemnatur a te. Tibi ergo optas bonum , quia malum tibi est, si contempseris nomen Domini : quod nihil aliud est , quam ipsum contemnere Deum.* (4) Peccator autem nomen Domini non sanctificat , tum quia non recipit sanctitatem quam illi meruit Salvator ; tum quia per mala sua opera religionem christianam diffamat, nec ejus sanctificationem propalat; tum quia scelerosa sua vita impedit ne infideles convertantur, et in illis nomen Dei sanctificetur ; tum quia sanctum Domini contemnit nomen , efficiturque reus irreverentiæ et ingratitudinis. Irreverentiæ , tanti nominis non honorans dignitatem et excellentiam ; ingratitudinis , non recognoscens ejus virtutem et efficaciam.

II. PARS. Archangelum Gabrielem misit æternus Pater, *qui prior, et Christum suum in*

(1) Tert. L. adv. Valent (2) D. August. L. 2. Cont. Maxim. c. 5. — (3) Philipp. 2. — (4) Hom. 1. in Josue. — (5) Hom. 27. in Ep. ad Hebr. — (6) Ps. 47. — (7) Ps. 112. — (8) Ps. 148.

(1) L. 2. Ep. 4. — (2) L. 50. Hom. Hom. 42. — (3) L. 82. quæst. q. 69. — (4) Serm. 1. in Ps. 105. — (5) Serm. 48. de Diversis.

homines annuntiaret, *et Jesum transnominaret*. (1) Multi homines diversimode transnominantur : vel a cæsarie aut a cæso matris utero, ut Cæsar, vel a subjugatis nationibus, ut Germanicus ; vel ab adulatione, ut Augustus ; Christus vero, *Jesus vocatus est a salute* (2), et quia in cruce humanam consummavit salutem et redemptionem, in cruce factus est plene, perfecte et actualiter Salvator et Redemptor, Jesuque nomen et titulum sua humilitate obedientia et passione promeruit, ut fatur Apostolus : «Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. (3)» Ly enim *propter quod* non consequentiam vel eventum denotat, ut falso vult Calvinus, sed meritum et mercedem significat, ut passim asseverant doctores catholici. Nam, ut apposite ait Tert. *Christi nomen non ex natura veniens, sed ex dispositione, proprium ejus efficitur, a quo dispositum invenitur.* (4) Invenitur autem dispositum, quando merito passionis, et consummata crucis redemptione Christus Dominus plene Salvatoris peregit officium. Nomen autem quod Christo propter crucis ac passionis meritum datur, est nomen Jesu, ut explicat Apostolus subjungens : «Ut in nomine Jesu omne genu flectatur», quod merito donatur Christo, cum rem nominis implevit redemptione peracta, cui probe aptari possunt hæc Cassiodori verba : *Sumpsisti nomen ex meritis, custodi, ut semper læteris veritate vocabuli.* (5) Licet enim venerabile Jesu nomen ab Angelo prænuntiatum, in Circumcisione acceperit infans Christus, ei tam en inditum est, non a præsenti, sed a futura salute consummanda, etenim *nomen auspicium* est, præsagiens rei eventum, quomodo multis imposita sunt nomina quæ actiones futuras ominabantur. (6) Itaque in ara crucis Christus factus est actu Salvator, et per passionem suam sanctissimum Jesu accepit nomen : in circumcisione autem Salvator inchoatione et destinatione ; et in ordine ad salutem in cruce consummandam Jesu suscepit nomen. Grande profecto Christi elogium est, quod ab obeundo munere, vocabuli mutuetur prærogativam, et de explendi officii dignitate nominis accipiat dignitatem. *Grata sunt omnino nomina quæ disignant protinus actionem : quando tota ambiguitas audienti tollitur, ubi in vocabulo concluditur quod geratur.* (7) Sileant illustrissima mundanorum cognomina, quæ eis non vere conveniunt, cum illa contrariis actionibus devenustent : merito commendatur *Christus et Jesus, ad quem proprietas nominum pertinet.* (1)

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 38. — (2) Chrysol. Serm. 57. — (3) Philip. 1. — (4) Tert. L. 3. adv. Marc. 15. — (5) L. 8. Var. Ep. 10. — (6) Cassiod. L. 5. Var. Epist. 3. — (7) Cassiod. L. 6. Var. Epist. 7.

Nam in cruce se perfectum demonstravit Salvatorem, dæmones debellans, peccatorum sordes emaculans, gratiam et gloriam hominibus comparans. Nunc quoque sacratissimum ejus nomen, Salvatoris velut resculpit officium, sua namque virtute et efficacia, 1. A dæmonibus liberat ; 2. Ægritudines sanat ; 3. Media ad salutem comparandam subministrat.

1. Marcionem redarguit Tertullianus qui ex Propheta litteraliter non figurate et allegorice intellecto, quo bellipotens et armiger promittitur Messias, negat cum Judæis Christum venisse, et consequenter Jesum non esse Christum neque Messiam promissum, et mundi Salvatorem assseverat. Adversus illum hæreticum tria demonstrat Tertullianus : unum, Prophetam figurate intelligendum et Christum spiritale bellum pugnaturum ; secundum, Jesum esse Christum qui promissus fuerat a Propheta dæmones debellaturus ; tertium, Jesum per suam mortem debellasse et superasse dæmones. *Age nunc, qui militarem et armatum bellatorem prædicari putas, non figurate, nec allegorice, qui bellum spiritale adversus spiritales hostes, spiritali militia, et spiritalibus armis, spiritaliter debellaturus esset : cum invenis in uno homine multitudinem dæmonum, legionem se professam, utique spiritalem ; disce et Christum expugnatorem spiritalium hostium, spiritaliter armatum, et spiritaliter bellicosum intelligendum ; atque ita ipsum esse, qui cum legione quoque dæmonum erat dimicaturus ; ut de hoc bello Psalmus possit videri pronuntiasse : Dominus validus, Dominus potens in bello.* (2) Quod autem Jesus sit Christus quem pollicetur Propheta spiritales hostes debellaturus, ipsimet fatentur in Evangelio dæmones : nam *exclamat ibidem spiritus dæmonis : Quid nobis et tibi est, Jesu ? venisti perdere nos ; scio qui sis, sanctus Dei. Noc enim dixit : Quid tibi et nobis ? sed, quid nobis et tibi ? se deplorans, et sorti suæ exprobrans : quam jam videns, adjicit : Venisti perdere nos.* (3) Tandem quomodo Jesus debellarit dæmones declarat Tertullianus, scilicet per passionem et mortem suam. *Nam cum ultimo hoste morte præliatus, per trophæum crucis triumphavit.* (4) Hanc Jesu de diabolo reportatam in cruce

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 39. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 20. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 7. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 20.

victoriam præfiguratam refert Tertullianus, per victoriam quam de Amalecitis Josue tulit. *Jam vero Moyses, quid utique tunc tantum, cum Jesus adversus Amalech prœliabatur, expansis manibus orabat residens; nisi quia illic ubi nomen Domini Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, crucis quoque erat habitus necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus.* (1)

Uti Josue in quo præfiguratum erat Jesu nomen de Amalecitis qui figurabant dæmones, reportavit victoriam, ita nunc Jesu nomen rursus debellat dæmones, quos in cruce prostravit Salvator. In virtute sanctissimi illius nominis ab energumenis ejiciuntur maligni spiritus, ut primiceri gloriantur Christiani. *Dæmones autem non tantum respuimus, verum et revincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus; sicut plurimis notum est.* (2) Tanta efficacia adversus dæmones pollet Jesu nomen, ut etiam ab improbis invocatum hominibus, tartareos terreat et expugnet spiritus. *Est enim tanti momenti hoc Jesu nomen in dæmones invocatum, ut si vel per improbos nuncupetur, plurima peragat. Quod edocens Jesus, sic inquit: Multi dicent mihi in illa die: In nomine tuo dæmonia ejecimus.* (3) Tantam nominis Jesu potentiam et virtutem expertus fuisset perfidus Judas, si illud invocasset: quod probe sciens diabolus impedivit ne de traditione Salvatoris tractans cum Judæis, Jesum nominaret, sed, ut acute animadvertit Euthymius, dixit solummodo: « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? » *Dixit eum, non Jesum, quia sacrum illud nomen oderat; et tamen si illud invocasset, non male periisset; longe enim est desperatio, ubi est hujus nominis invocatio.* (4)

Nihil magis curant dæmones quam homines evertere et efficere suæ damnationis participes. *Operatio eorum est hominis eversio: sic malitia spiritalis, a primordio auspicata est in hominis exitium.* (5) Quod multis modis, sed tribus præsertim exsequi moliuntur: 1. Illos validis tentationibus impugnant; 2. Concupiscentiæ ardores sufflammant, et inordinatos passionum motus suscitant; 3. Ad impœnitentiam et desperationem Judæ instar, inducere procurant. Christiane, *si tentaris a diabolo, si ab omnibus hominibus opprimeris, si doloribus fatigaris, Jesu nomen edito, et repente gratiam consequeris.* (6) Multa potentia pollent dæmones, nam *multum spiritualibus viribus licet* (7), multaque utuntur astutia in tentandis hominibus, quorum carnem veneris accendunt ardoribus, et mentem phantasmatibus movent. *Suppetit illis ad utramque substantiam hominis adeundam subtilitas et tenuitas sua.* (1) Adversus potentissimum illum inimicum, ait D. Bernardus, *sume auxilium a potente qui suo te roboret adjutorio.* (2) Id ipsum dicito diabolo quod inermis David armato Goliath: « Tu venis ad me cum gladio et hasta, ego autem venio ad te in nomine Domini. » Quam validum sit adversus spiritales nequitias Jesu nomen declarat Sapiens: *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* (3) In Hebræo habetur: *Turris fortitudinis.* Aquila vero et Theodotion vertunt: *Turris potentiæ.* Pro ly autem, « ad ipsum currit justus », Sirus legit: *Fortis erit.* Tigurina scribit: *Extra telorum jactum est.* Nomen autem de quo loquitur Sapiens est Jesu nomen: *nec enim aliud nomen est, sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (4) Jesu nomen proprium est humanitati Verbi, quod salutem quam significat, omnibus ad se velut ad turrim confugientibus præstat. De sacratissimo nomine Jesu, quod turrim fortitudinis et potentiæ nuncupat Sapiens, quodque hominum est asilus, adjutorium et propugnaculum adversus dæmonum tentationes, sic edisserit Venerabilis Beda: *Factus utique mihi Deus turris fortitudinis, ideo ego non perfuga vilis ero, sed statarius miles ero.* (5) Miles statarius est miles stationarius, seu præsidiarius. Currere autem debemus ad Christi nomen tanquam ad turrim fortitudinis et potentiæ, tum ut per illud simus a dæmonum hostilitate immunes: qui enim munitur nomine Jesu, tanquam in arce tutissima, extra telorum jactum est; tum ut tanquam stationarii et præsidiarii milites, strenue augustum illud propugnemus nomen, et pro ejus honore ad mortem usque certemus; tum ut præsidio nominis Jesu sufflammatos a diabolo vincamus concupiscentiæ æstus, et temperemus inordinatos passionum motus. *Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem* (4), ac venerandum Jesu nomen, quod invocatum impedit ne homo labatur animo, et ne peccator in desperationem incidat. Nam, ut D. prosequitur Bernardus, *labitur quis in cri-*

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 18. — (2) Tert. L. ad Scap. 2. — (3) Orig. L. 1. Cont. Celsum. — (4) In cap. 27. Matth. — (5) Tert. Apol. 22. — (6) Laur. Justin Serm. de Circumc. — (7) Tert. Apol. 22.

(1) Tert. Apol. 22. — (2) Serm. 15. in Cant. — (3) Proverb. 33. — (4) Actor. 10. — (5) In Psal. 80. — (6) D. Bern. Serm. 15. in Cant.

men currit insuper ad laqueum mortis desperando. Nonne si invocet nomen vitæ, continuo respirabit ad vitam? Cui in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, in dubiis æstuanti et fluctuanti, non subito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? cui in adversis diffidenti, jamjamque deficienti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo. Tanta enim nominis Jesu est virtus et efficacia, ut et dæmones debellet, et hominum ægritudines sanet.

2. Constat *mediatorem annuntiari Christum per Isaiam : Ipse enim, inquit, imbecillitates nostras tulit, et languores portavit* (1), ut nos a nostris sanaret ægritudinibus. Tres morbos in Adamo contraximus, quorum nonnulli afficiunt animam, alii mentem, tertii corpus. Peccata sunt animæ morbi; mœstitudo et tristitia sunt morbi mentis; infirmitates et dolores sunt morbi corporis. Hæc tria morborum genera tulit mediator Christus : *quo testabatur seipsum esse qui morbos et valetudines eorum suscepturus adnuntiabatur.* (2) 1. Animæ sanavit morbos, quod præfiguratum fuerat per serpentem æneum quem aspicientes Judæi, a venenoso serpentum morsu sanabantur. *Idem rursus Moyses post interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum Israëli salutare proposuit eo tempore quo a serpentibus exterminati sunt, nisi quod et hic dominicæ crucis vim intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, et læso cuique a spiritalibus colubris, intuenti tamen et credenti in eam, sanitas morsuum peccatorum, et salus exinde prædicabatur?* (3) Ut peccata sanaret in similitudinem carnis peccati suscepit carnem, non tamen peccatricem, quia impeccabilis et sanctissimus fuit Christus; 2. Morbos mentis sanat Christus, quod ut melius exsequeretur, anima ejus fuit *tristis usque ad mortem* (4) : et quamvis nullo unquam corporis morbo laboraverit : morbi enim et ægritudines corporales vectigalia sunt peccati a quo immunis fuit Christus; nam, ut belle ad propositum Arnoldus Carnotensis, *neque enim erat Christus peccato conceptus, cujus solius est domare peccatum. Unde ipsi egredienti, nullum exigens tormenti vectigal* (5); attamen, 3. Corporales hominum sanavit morbos, ut Esaiæ adimpleret prophetiam. *Nam et hic specialis medicinæ prophetiam repræsentat. Invalescunt manus dissolutæ, sicut et genua dissoluta in paralytico* (1), qui triginta et octo annis fuerat in infirmitate sua, absque ullo manuum et pedum motu. Egregiam illam curam a Domino operandam Esaias propheta fuerat vaticinatus : *Curatur et Paralyticus, et quidem in cætu spectante populo. Videbit enim, inquit, Esaias, populus sublimitatem Domini et gloriam Dei. Quam sublimitatem et quam gloriam? Convalescite manus dimissæ, et genua dissoluta. Hoc erit paralysis. Convalescite, nec timete. Non otiose iterans, Convalescite; nec vane subjungens, Nec timete : quoniam cum redintegratione membrorum, virium quoque repræsentationem pollicebatur. Exsurge, et tolle grabatum tuum : simul et animi vigorem, ad non timendos qui dicturi erant : Quis dimittet peccata, nisi solus Deus? Habes itaque jam et specialis medicinæ dispunctam prophetiam, et eorum quæ medicinam sunt secuta.* (2) Fuse refert Tertullianus sanitatem paralytico a Domino collatam, cujus plures narrat circumstantias. Primo, describit miserandum ægroti statum, qui tandiu remanserat impotens pedibus, manibus et toto fere corpore. Secundo, declarat perfectam paralytici sanitatem, qui tantam accepit a suo medico fortitudinem, ut absque ullo labore levaverit et tulerit grabatum suum. Tertio, non solum in corpore reintegratus fuit paralyticus, sed etiam a peccatis quibus ejus anima ægrotabat, liberatus fuit. Quarto, admirandam illam operationem magno spectante cœtu factam asseverat, ut inde Deus glorificaretur, et Jesus tanquam Messias agnosceretur. Quinto, commendavit Dominus paralytico animi vigorem, ne metueret eos qui ex ejus tum animæ, tum corporis sanitate scandalizarentur, dicentes : Quis dimittit peccata nisi solus Deus? Neque solum paralyticum sanavit Christus, *ad summam, et ipse mox tetigit alios, quibus manus imponens, utique sentiendas, beneficia medicinarum conferebat, tam vera, tam non imaginaria, quam erant per quas conferebat. Ipse igitur est Christus Esaiæ, remediator valetudinum. Hic, inquit, imbecillitates nostras aufert, et languores portat. Portare autem Græci etiam pro eo solent ponere, quod est tollere.* (3)

Easdem curas quas vivens et moriens fecit Christus Dominus, etiamnum per suum operatur nomen, quod animam a peccatis, mentem a tristitia, et corpus a morbis sanat : 3. Animæ sanat morbos, peccatores ad

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 17. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (3) Tert. L. 3. adv. Marc. 18. — (4) Tert. L. de Car. Chr. 13. — (5) Tract. de B. Maria.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 12. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 10. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 8.

pœnitentiam adducens : nam *qui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, duritia (ut assolet) cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? cui fons forte siccatus lacrymarum, invocato Jesu, non continuo erupit uberior, fluxit securior?* (1) hi aliique defectus, et depravati mores, *nimirum morbi et languores animi toti sunt, illud medicina* (2) Jesu scilicet nomen, quod, 2. Mentem a tristitia sanat : nam, ut subjungit D. Bernardus, *sed est medicina. Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor Jesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum.* Tandem, ut prosequitur D. Bernardus, Jesu aptans hæc Canticorum verba : « Oleum effusum nomen tuum. » *Est proculdubio, inter oleum et nomen sponsi similitudo, nec otiose Spiritus Sanctus alterutrum comparavit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, pascit et ungit, si vos melius non habetis. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine. Lucet prædicatum; pascit recogitatum; invocatum lenit et ungit.* (3) 3. Carnis allevians dolores, et corporeos morbos sanans, quod confirmat Bernardus authentico exemplo, Jesu namque nomen *de ore Petri egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit et bases.* Ejusmodi miraculum refertur in Actis Apostolorum : erat unus mendicus claudicans, et ad portam speciosam de mendicitate victitans, eleemosynam expetit a Petro : « Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo hoc tibi do : in nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula. » *Ecce Petrus sub Christi nomine, quasi unus Christus.* (4) Claudum erigit, et ægrotum sanat, et etiam nunc quotidie virtute nominis Jesu, plures sanantur ægroti. Hanc benedictionem seraphicæ religioni præstitit Salvator et ejus alumni impressum ejus nomen impertientes febricitantibus sæpe sæpius sanitatem partiuntur : ni eorum infidelitas obstet efficaciæ sanctissimi illius nominis quod salutem subministrat.

3. *Pro mundi salute* (5) sustinens mortem Christus, perfecti Salvatoris adimplevit officium, et Jesu promeruit nomen, quod a salute nuncupatum est, quia scilicet homines salvat, eosque ad æternam conducit felicitatem : quod præfiguratum est in Josue : *Nam quia Jesus Christus secundum populum, quod sumus nos, nationes in seculi deserto commorantes antea, introducturus esset in terram repromissionis, melle et lacte manantem, id est, in vitæ æternæ possessionem, qua nihil dulcius; idque, non per Moysen, id est, non per legis disciplinam, sed per Jesum, id est, per novæ legis gratiam provenire habebat circumcisis nobis petrina acie, id est, Christi præceptis (Petra enim Christus multis modis et figuris prædicatus est), ideo is vir qui in hujus sacramenti imaginem paratur, etiam nominis dominici inauguratus est figura, ut Jesus nominaretur.* (1) Hanc Salvatoris figuram colligit adhuc Tertullianus, ex sermone quem habuit Deus ad Moysem, et cum eo ad populum israëliticum quem duce Josue introducturus erat in terram promissionis. *Cum ergo mandato diceret populo: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui te custodiat in via, et introducat in terram, quam paravi tibi : intende illi, et exaudi eum; ne inobaudieris eum : non enim cœlavit te, quoniam nomen meum super illum est. Angelum quidem eum dixit, ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus; et ob officium Prophetæ, nuntiantis scilicet divinam voluntatem : Jesum autem ob nominis sui futurum sacramentum. Identidem nomen suum confirmavit, quod ipse ei indiderat; quia non Angelum, non ducem, sed Jesum eum jusserat exinde vocitari.* (2) Hanc figuram videmus in Christo totaliter adimpletam. Terra promissionis fuit figura cœlestis hæreditatis : populum Israël introduxit Josue in terram Chanaam, in cœlum introduxit Jesus homines; Josue fuit dux populi israëlitici, Jesus fuit dux populi christiani; populus Israël debebat inspicere Josue et voci ejus obtemperare, Christiani tenentur Jesu obtemperare mandatis et virtutes ejus imitari; Josue multa edidit miracula, et Jesus suam doctrinam signis et portentis confirmavit; Josue nuncupatus est Angelus, Jesus quoque *dictus est magni consilii Angelus : id est, nuntius; officii, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus seculo erat.* (3) Acute animadvertit D. Augustinus (4) quod licet Spiritus Sanctus juxta Domini sententiam promittatur, ut quæ sunt ventura annuntiet hominibus, non est tamen Angelus nuncupatus : solus Christus missus est a Patre ad magnum annuntiandum et opere consummandum humanæ redemptionis mysterium.

Inde exclamat D. Bernardus : *Currite, gentes, ad manum est salus, effusum est nomen,*

(1) D. Bern. Serm. 15. in Cant. — (2) D. Bern. — (3) Cap. 1. — (4) In cap. 7. Rom. — (5) Tert. L. de Car. Chr. 13.

(1) Tert. L. adv. Jud. 9. — (2) Tert. L. 3. adv. Marc. 16. — (3) Tert. L. de Car. Chr. 14. — (4) L. 2. de Trinit. 13.

quod quicunque invocaverit salvus est. O nomen benedictum ! o oleum usquequaque effusum ! quousque de cœlo in Judæam , et inde in omnem terram excurrit ? (1) salutis tollens impedimenta , et media acquirendæ salutis subministrans. Tria erant salutis impedimenta ; nimirum ignorantiæ et erroris tenebræ , quæ in nocte mentem detinebant humanam ; peccata , quæ animæ mortem attulerant ; prava exempla quæ mortales in vitiis enutritos , ad malum inducebant. Tria erant media ad salutem necessaria, nempe lux mentem illuminans, gratia animam vivificans , et virtutis exemplum ad bonum incitans. Jesus autem nomen a mundo illa tulit impedimenta salutis , et media salutis necessaria subministravit : nam , 1. A mentibus fugavit ignorantiæ et erroris tenebras, easque fidei luce illustravit : *Unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei lux , nisi de prædicato Jesu ? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis , et in lumine isto videntibus lumen , dicat merito Paulus : Fuistis aliquando tenebræ , nunc autem lux in Domino ?* (2) 2. Animas de morte peccati ad gratiæ vitam suscitavit : nam ut ibidem philosophatur D. Bernardus : *Compungor et confiteor, et confessio vitam indicat. A mortuo enim tanquam qui non est , erit confessio. Ecce vita , ecce sensus ; suscitatus perfecte sum : integra est resurrectio. An aliud mors corporis est, nisi cum sensu privatur et vita ? Peccatum quod mors animæ est, nec compunctionis mihi sensum , nec confessionis reliquerat vocem, et eram mortuus. Venit is qui peccata dimittit, et utrumque restituit : et dicit animæ meæ : Salus tua ego sum. Quid mirum si cedit mors, ubi vita descendit ? jam corde creditur ad exercitium , et ore confessio fit ad salutem.* (4) Tandem, 3. Jesus suo exemplo homines ad virtutem et bonum incitavit. Nam, ut ait toties laudatus D. Bernardus , *cum nomino Jesum , hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium , castum , misericordem, et omni den que honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem ; qui suo me exemplo sanet, et roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant cum insonuerit Jesus. Sumo mihi itaque exempla de homine , et auxilium a potente : illa , tanquam pigmentarias species , hoc, tanquam unde acuam eas , et facio confectionem, cui similem nemo medicorum facere possit. Hoc tibi electuarium habes, o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus , salutiferum certe , quod nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax :* quia est nomen virtutis et efficacitatis , dignationis quoque et pietatis.

(1) Serm. 15. in Cant. — (2) D. Bern. ibid. — (3) Ephes. 3. — (4) Eccles. 17.

III. PARS. *Appellatio ista et pietatis et potestatis est.* (1) Multis nominibus in sacris paginis insignitur Christus, quæ, ut animadvertit D. Bernardus, denotant aut divinæ majestatis potentiam , aut divinæ pietatis gratiam. *Multa quidem sponsi vocabula sparsa per omnem divinam paginam legitis , sed in duo ea vobis universa complectar. Nullum , ut arbitror, reperietis , quod non aut pietatis gratiam , aut potentiam majestatis sonet : Spiritus ita dicit etiam per sibi familiarius organum.* (2) Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia. (3) *Ergo secundum majestatem* , sanctum et terribile nomen ejus. (4) *Secundum pietatem :* non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus , in quo oporteat nos salvos fieri. (5) *Sed exemplum magis perspicuum fiet.* Hoc nomen est quod vocabunt eum ; Dominus justus noster. *Nomen potentiæ est.* (6) Et vocabitur nomen ejus Emmanuel , *pietatem insinuat. Quod horum ergo effunditur ? profecto majestati , ac potentiæ nomen , in id quod est pietatis et gratiæ quodammodo transfunditur, ipsumque effunditur abunde per Jesum Christum, Salvatorem nostrum.* Et ut fatur aliorsum D. Bernardus, vel ut volunt Lippomanus, Surius et Cardinalis Petrus Damianus, *majestativum nomen in pietativum effunditur* (7) ; scilicet in nomen Salvatoris et Jesu : Jesus autem ad procurandam humanam salutem tria adhibuit, nempe, 1. Cor, seu amorem; 2. Linguam, seu sermonem ; 3. Manus, seu operationem : ut Christianorum pietas Salvatoris probe respondeat pietati, Jesu nomen debent habere in corde , in lingua et in manus : 1. In corde , per dilectionem ; 2. In opere, per benedictionem ; 3. In manu , per sanctam operationem.

1. Dei Filius humanatus est, et *ipsa imprimis affectione* (8) humanam negotiatus est salutem, et Salvatoris sortitus est nomen. Quare Verbi incarnationem et hominum redemptionem *Sacramentum pietatis* (9) nuncupat Chrysologus ; tum quia in eo suam Deus homini demonstrat dignitatem ; tum quia hominis erudit pietatem, *ut tot repletus*

(1) Tert. L. de Orat. 2. — (2) Serm. 15. in Cant. — (3) Psal. 61. — (4) Psal. 110. — (5) Act. 4. — (6) Hier. 23. — (7) Serm. de Nat. Dom. — (8) Tert. L. de Res. Car. 6. — (9) Serm. 148.

bonis, tanta divinæ illectus dulcedine charitatis, Deum diligere disceret. (1) Ad hoc etenim Dei Filius Salvatoris in cruce consummavit officium : *ut ipse ardenter diligeret, et alios ut diligerent, sic moneret.* Quo ardentior est Dei dignatio, eo ardentior debet esse hominis dilectio. Hanc solam requirit ab homine Salvator, ut magnum pietatis recognoscat sacramentum. Nam, ut fatur Chrysologus, *cœlestis creditor totum debitum charitate compensat, et incrementum totius fœnoris, amoris solius exigit et requirit usuram.* (2) Multa accepit homo a cœlesti creditore, quæ eum ad solvendum dilectionis debitum stimulant : quorum nonnulla hominis naturam, alia Verbi humanationem spectant. Illa recenset ibidem Chrysologus : *Vis scire, homo, quid Deo debeas ? Quod factus es, Dei creditum est ; quod es rationis capax, Dei fœnus est : quod discretionem boni malive possides, accepisti.* Ista commemorat Tertullianus : *Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa, scilicet ad restituendum quod perierat : homo perierat, hominem restitui oportuerat.* (3) Multa Deo debet homo pro acceptis naturæ bonis : majora adhuc pro beneficio redemptionis. Utraque charitatis usuris solvere potest. In tua potestate habes, homo, *unde piissimo satisfacias creditori. Absolvi vis ? ama.* (4) Amorem amore compensa, *ubi humana corda flamma divinæ charitatis accendit.* (5) Ubi divinæ humanationis solvitur dignatio, dum hominis dilectio Christi æmulatur dilectionem : 1. Divinum Verbum, hominem angelo præposuit, ad hypostaticam unionem assumens naturam humanam, non angelicam : et homo *ejus amori nihil præponere* debet ; 2. Verbum ubi hypostatice uniens hominem, in illo mansit : et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in illo. Ut autem subjungit D. Bernardus, *in illo manere est ex amore illi soli adhærere : ipsum ex toto corde diligere, præcepta in omnibus et per omnia observare, et pro illius amore cuncta nec nata etiam reputare.* (6) 3. Dei Filius homo factus, hominum æstuans amore, totus in eorum salute occupatus fuit : et ut fatur D. Bernardus, *totus mihi datus, et totus in meos usus expensus est.* (7) Totum autem se hominibus expendens *quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ ; ita Dei amore voluit possideri, ut hominis mundanus non haberet quod violaret affectus.* (1) 4. Christus in circumcisione amabile accepit Jesu nomen, quo denotatur excellens ejus amor, pretiosissimi sanguinis sui effusione redimens hominem. *Christus dilexit hominem ; propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, et mortem crucis. Amavit utique quem magno redemit.* (2) Talis ac tantus Salvatoris amor expostulat, *ut ipse Christus solus in cordibus nostris favescat, et cuncta transitoria nobis vilescant : ut nihil præter illum, nobis jam libeat, nec libescere jam valeat.* (3) Quam felix Christianus, *qui præter Christum cuncta vilescunt, et ei ipse solus dulcescit ! O quanta felicitate dotatur, quanta beatitudine fecundatur, cui præter Christum cuncta vilescunt, et ipse Christus solus mellescit* (4), cui dulce et nomen Jesu !

Cujusmodi erat D. Augustinus, qui simul cum lacte Monicæ matris bibens Jesu nomen, tanta dulcedine sacratissimi illius nominis fruebatur, ut licet eloquentiam Ciceronis postea fuerit admiratus, tamen insipida illi videbatur, quia Jesu non sapiebat nomen. *Excitatus sermone illo, et accendebar, et ardebam, et hoc solum me in tanta flagrantia refrigerabat, quod nomen Christi non erat ibi, hoc nomen Salvatoris mei, id est Jesu, filii tui, in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum pie biberat, et alte retinebat : et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum, et expolitum, et veridicum, non me totum rapiebat.* (5) Nec mirum si D. Augustino non placebat Tulliana eloquentia cujus cordi erat infixum Jesu nomen super mel dulce. Christiane, D. Augustini imitare pietatem, *sit tibi Jesus semper in corde, et nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat : hic tibi sit cibus, et potus, dulcedo et consolatio tua.* Et quia Jesus nomen a salute quam sua morte nobis obtinuit Christus, mutuatum est, *veniat in cor Jesus, et inde saliat in os* (6), et linguam et deceat peramabilis et adorabilis nominis venerationem, dilectionem et invocationem.

2. Non satis fuit Filio Dei salutem hominis habuisse in corde et dilectione, illam adhuc detulit in lingua. Nam *propter hominem prædicavit* (7), docuit, oravit : quemadmodum Salvator ad docendum nos viam salutis, os aperuit, linguam adhibuit, verba propalavit : ita, Christiane, Jesu nomen devote pronuntia, et *senties indubitanter amœnitatem quamdam spiritualem, non so-*

(1) Chrysol. Serm. 147. — (2) Serm. 94. — (3) Lib. de Carn. Chr. 14. — (4) Chrysol. ibid. — (5) Chrysol. Serm. 147. — (6) D. Bern. Serm. 11. de Verb. Dom. in ult. Cœn. — (7) Serm. 3. de Circumc.

(1) Chrysol. Serm. 147. — (2) Tert. L. de Car. Chr. 4. — (3) D. Bern. ibid. — (4) D. Bern. ibid. — (5) Lib. 3. Conf. 4. — (6) D. Bern. de Form. honestæ vitæ. — (7) Tert. L. de Car. Chr. 4.

lum in corde, verum etiam in ore, quoties hoc nomen sanctum a te fuerit cum devotione prolatum. (1) Sive solus existis, sive cum aliis conversaris, ut plurimum habeto in ore santissimum Jesu nomen. *Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi nisi legam ibi Jesum; si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesu nomen mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* (2)

Lingua est mentis interpres, et vocem et sermonem homini dedit Deus, ad internam animi reverentiam manifestandam, cordis dilectionem denotandam, opem in necessitatibus implorandam. Ad hos tres fines Jesu nomen proferat Christianus: 1. Ut ei reverentiam et venerationem præstet: *Sic et Paulus ubique Deum Patrem ponit, et Dominum nostrum Jesum Christum. Cum ad Romanos scribit, gratias agit Deo per Dominum nostrum Jesum Christum. Cum ad Galatas, non ab hominibus se Apostolum præfert, nec per hominem, sed per Jesum Christum* (3): et aliorsum nullam prope paginam conscripsit, quæ Jesu nomine non sit insignita. Justo namque calculo ducenties decies novies Jesu nomen, Christi vero quadringenties et semel expressit, ut denotaret quanto in honore illud haberet: *quia in hoc nomine deitatis tota adoratur majestas: omnes qui commorantur in cœlis, universi qui habitant terram, cuncti qui in profundo tenentur inferni; huic prosternuntur nomini, hoc adorant. Audi Apostolum dicentem, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* (4) Parum visum est Apostolo prædicasse adorationem Jesu nomini præstandam a cunctis generatim creaturis, nisi ipse venerationis gratia in ore et corpore portaret, et pro ejus honore martyrium generose subiret. Nam ut de Paulo refert Angelicus Doctor, « portavit in corde nomen Jesu, semper de eo cogitando; in fronte, de eo gloriando; in ore, semper de eo loquendo; in manu, omnia in nomine ejus faciendo; in calamo, de eo scribendo; in toto corpore, pro eo patiendo. » (5) 2. Ore proferatur Jesu nomen dilectionis ergo; quæ enim nobis cara, sæpe sæpius nominantur a nobis. Quapropter dilectus discipulus, et ardens Christi amator Joannes ducenties et quinquagies sanctissimum Jesu nomen scriptorum foliis expressum reliquisse comperitur. *Hoc patiebatur de nimio amore Christi, ut eum semper quem diligebat, etiam superflue et extraordinarie nominaret.* (1) Tandem, 3. In necessitatibus invocandum est *hoc nomen; quod dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus nominis effugavit.* (2) Quam sit potens et efficax invocatum Jesu nomen ad obtinenda nobis ea quæ ad salutem spectant animæ, declarat ipsemet Salvator aiens: « Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. » Ubi D. Bernardus: *Nomen Domini Jesus est: hoc nomen fuit ei impositum secundum humanitatem; hic ergo est sensus: Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, id est, quidquid petieritis vos secundum quod sum homo, dabo vobis secundum quod sum Deus.* (3) Quam merito proclamat D. Bernardus: *Infelices domos quæ diaboli nomen personant, felices in quibus Jesu nomen, quod dulcissimum in aure mel est, semper auditur:* quod matres lactantes docent proferre pueros, quod omnes domestici ad patrisfamilias exemplum, magno cum fructu ore decantant! præsertim si in eorum manu et operatione splendeat.

3. In salute hominis procuranda, *recogita totum illi Deum occupatam ac debitum, manu, sensu, opere.* (4) Non solum ex amore et dilectione voluit Deus hominis salutem, neque duntaxat ut eum doceret media salutis acquirendæ, Doctoris et Prædicatoris Christus egit officium, sed adhuc manum adhibuit, tum ad operandum, tum ad patiendum. Trina autem de causa operata et passa est Christi manus, 1. Ut suis operibus æterni Patris gloriam quæreret: unde dicere solebat: Non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris: 2. *Manus Dei patitur* (5), ut sua passione nobis salutem compararet: unde justum sic alloquitur apud Esaiam: *In manibus meis descripsi te.* (6) 3. Ut nobis tum operandi, tum patiendi præberet exemplum: unde Christianum Christi sanguine redemptum hortatur Tertullianus: *Tu nullius servus, in quantum servus Christi, qui te etiam captivitate seculi liberavit, ex forma Dominica agere debebis.* (7) Quem adhuc urget D. Bernardus: *Revertere ad Dominum. Via qua venitur ad ipsum, via cordis, via oris, via operis: via cordis contriti, via confitentis labii, via operis recti. Via amoris, ut ipsum jam Christum perfecte diligas* (8); via

(1) Laur. Just. Serm. de Circumc. — (2) D. Bern. Serm. 15. in Cant. — (3) Tert. L. adv. Prax. 28. — (4) Chrysol. Serm. 192. — (5) Serm. 1. in Com. D. Paul.

(1) D. Hier. in c. 3. Epist. ad Ephes. — (2) Chrysol. Serm. 132. — (3) Serm. 7. de Verb. Dom. in ultim. Cœn. — (4) Tert. L. de Res. Car. 6. — (5) Tert. ibid. — (6) Cap. 49. — (7) Tert. L. de Idol. 18. — (8) Serm. 12. de Verb. Dom. in Ult. Cœn.

confitentis labii, ut Christi nomen honores, laudes et invoces ; via operis recti, ut cuncta opera tua ad Jesu gloriam referas, ad Jesu nomen actus tuos regules et componas, pro Jesu nomine libenter patiaris, doloresque, ignominias et damna sustineas.

Ad honorem nominis Jesu dirigenda sunt opera manuum nostrarum, ut *nomen magnum magnificetur adhuc*. Idcirco jure canonico cautum est *ut nomen Domini omnes actiones nostras auspicetur*. (1) Deinde sancitum ut honoris causa, *nomen Domini apponatur principio cujuslibet instrumenti* (2), nullumque Christiani singulare opus, hoc sanctissimo destituatur nomine : sed ab eo incipiat, et ad illud terminetur, quidquid scribitur, legitur, operatur, dicente Apostolo : *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini nostri Jesu Christi* (3), supple, facite. Non propter homines ut eis placeatis, non propter vosmetipsos, ut inde vanam gloriam captetis, sed propter nominis Jesu honorem, quem in cunctis vestris operibus attendere debetis, ut ipse sit exordium et finis cunctarum vestrarum actionum. Christiani nascentis Ecclesiæ nullum aggrediebantur opus, nisi præmisso crucis signo. Unde sic fantur apud Tertullianum : *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*. (4) Utinam hoc pietatis exemplum hac tempestate imitarentur agricolæ, domestici, mercatores, et universaliter cuncti Christiani, cujusvis sint status, sexus et ætatis, nihil facientes, nisi prius invocato nomine Jesu, et opere ad Jesu honorem relato. Quos ideo hortatur Apostolus : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. (5) Hujusmodi intentionis rectitudine et directione, opera etiam indifferentia sunt multum Deo grata et accepta, virtutisque et meriti induunt rationem. Qua in re, agricolæ, artifices, pluresque alii deficiunt, agentes, operantes, laborantes, absque ullo merito, quia ex motivo duntaxat et fine naturali, operantur et laborant : nimirum ut sibi suisque vitæ necessaria provideant : qui vero sua opera, suosque labores, ad nominis Jesu honorem, et Dei gloriam referunt, ultra terrenum lucrum quod consequuntur, ingentem meritorum, divinarumque benedictionum fructum reportant.

(1) D. Bern. Serm. 14. in Cant. — (2) Cap. 2. de testibus Dist. 23. — (3) Coloss. 4. — (4) Lib. de Cor. Mil. 3. — (5) 2. Cor. 10.

Christiani, si meritis ditari desideratis, hoc ordine agite : opus vestrum ab invocatione nominis Jesu sumat exordium, et ad ejus honorem consummetur ; Jesus sit initium, finis et medium cunctarum rerum. Si cubitum itis, si strato assurgitis, si cibum vel potum sumitis, si iter facitis, si scribitis, si legitis, vel aliquid aliud agitis, sanctissimum Jesu interponite nomen, quod actiones vestras dirigat et regulet.

Sunt multi tepentes Christiani qui Jesu nomen in ore duntaxat habent, nunquam manu seu opere referunt. Hujusmodi tepidus et otiosus Christianus habet quidem nominis oleum, *sed non habet diffusum ; habet, sed reconditum ; habet in codicibus, sed non in cordibus. Foris hæret in litteris ; contrectat manibus vas plenum, sed clausum, nec aperit, ut ungatur. Intus est unctio spiritus : aperi, et ungere, et jam non eris domus exasperans. Quid facit oleum in vasis, si non sentias et in membris ? quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus ? Oleum est : effunde et senties virtutem ejus, quæ triplex est*. (1) Nam depravatos mores corrigit, bonos dirigit actus ad Christi imitationem, vitam componit, et internam animi dilectionem ostendit. 1. Jesu nomen pravos mores corrigit, bonos regulat et dirigit. Christiane, *nunc vero habes unde et brachio medearis et cordi. Habes, inquam, in nomine Jesu, unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas : itemque unde tuos sensus, aut serves, ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes*. (2) 2. Bonos mores custodit et dirigit : nam, ut subjungit Bernardus, *an toties confortaris, quoties recordaris ? quid æque mentem cogitantis impinguat ? quid ita exercitatos reparat sensus ; virtutes roborat ; vegetat mores bonos atque honestos ; castas fovet affectiones ?* Christianus Jesu nomen referens manibus et operibus, efficitur *inde mansuetior ad correctionem; inde patientior ad laborem ; inde ardentior ad amorem ; inde sagacior ad cautelam ; inde humilior pro conscientia ; inde acceptior pro verecundia ; inde ad obedientiam paratior ; inde ad gratiarum actionem devotior ac sollicitior*. (3) Quidquid agit, Jesu auspice agit ; vigilat ? in oculis Jesu vigilat ; dormit ? Jesum somniat ; ambulat ? Jesu comite ambulat ; sedet ? Jesus illi assidet ; studet ? Jesus eum erudit ; orat ? Jesus animat voces ; agit ? 3. Vitam suam ad Jesu imita-

(1) D. Bern. Serm. 14. in Cant. — (2) D. Bern. Serm. 15. in Cant. — (3) D. Bern. Serm. 14. in Cant.

tionem componere satagit ; studens *sapere quod sapit et magistri pressius vestigiis in hærere* (1), Jesum corde cogitans, ore proferens, moribus referens, in brachio impressum et sigillatum habens : quomodo Theodoretus istud Canticorum expendit : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » (2) *Vult Salvator noster ut eum pro signaculo in actibus habeamus, et notam ipsius in omnibus, tam dictis, quam factis imprimamus.* Nam ut Magnus ratiocinatur Gregorius, « super cor et super brachium ponitur, quo voluntas et actio designatur : signum quippe tota mens sancta interius, et exterius Christum portat ; quia dum in ejus meditatione assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat : » exterius namque interiori respondet, actio cogitationi, brachium cordi, cujus est index.

Jehu rex, ancipitis Jonadab volens probare fidem, dixit venienti sibi obviam : « Nunquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab : Est. Si est, inquit, da mihi manum tuam. Qui dedit ei manum suam; at ille levavit eum ad se in currum suum. » (3) Christiane, est-ne cor tuum rectum cum nomine Jesu? si est, da illi manum tuam, ejus sigillo munitam. *Sigillum Christus in fronte est, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur: ut si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis.* (4)

Et sicut ipse ex dilectione nostra sustinuit mortem, ita pro ejus amore libenter sustineamus dolores, persecutiones, cruces, ad instar discipulorum qui lætabantur pro nomine Jesu contumeliam pati. Cujusmodi fuit Paulus, qui fidelibus orantibus ne iret in Hierusalem, ut suæ consuleret vitæ, constanter respondit : « Quid facitis flentes et affligentes cor meum ? Ego autem non solum alligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. (5) » Ad hoc se vocatum recogitabat : ut enim refert Lucas Evangelista, Dominus apparuit Ananiæ, eique Sauli demandavit curam, aiens : « Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. (6) » Pro Christi nomine bonorum jacturam, ignominiam, ipsamque mortem passi sunt generosi martyres, et nos pro sancto illo nomine sustineamus amanter, patienter, constanter, morbos, adversitates, persecutiones, cruces. Agere et pati fortia Romanum est ; bene operari et mala sustinere, Christianum est : nam *ea nos ostendunt Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi* (1), quia sua passione salutem nostram consummavit, et Salvatoris promeruit nomen, ut nos illius imitantes exemplum, exhibeamus nos veros Christianos, et consummatam in cœlo assequi mereamur salutem.

(1) D. Bern. Serm. 15. in Cant. — (2) Cant. 2. — (3) L. 4. Reg. 10. — (4) D. Ambr. L. de Isaac. c. 8. — (5) Act. 21. — (6) Act. 9.

CONCIO TERTIA.

Christiane, ita vocabulum considera, *ut non solum sonum nominis spectes, sed et sensum.* (2) Non merus syllabarum attendendus est sonus, sed præsertim soni seu vocis investiganda est significatio : licet enim voces sint nobis necessariæ ad declarandas rerum naturas, et exprimendos mentis conceptus, attamen voces non sunt ipsæmet significatæ rerum naturæ : nam, ut belle philosophatur Tertullianus de Dei nomine disserens, *ita ego non nomini Dei, nec sono, nec notæ nominis hujus, summum magnum in Creatore defendo; sed ipsi substantiæ, cui nomen hoc contingit. Hanc inveniens solam innatam, infectam; solam æternam, et universitatis conditricem; non nomini, sed statui; nec appellationi, sed conditioni ejus summum magnum et adscribo et vindico.* (3) Eodem modo cæteris paribus ratiocinandum est de Mariano ac de divino nomine. Consideranda est potissimum res significata, non est sistendum in solo vocis sono, sed ultra procedendum est, et soni investigandus est sensus. Mariæ autem vocabulum, juxta etymologicam rationem, significat, vel dominam, vel stellam, vel amaram : *Mariæ nomen in Hæbræo interpretatur illuminatrix, stella, amarum mare ; et Syra lingua, Maria interpretetur Domina.* (4) Plures alias sacratissimi Mariæ nominis, Patres adhuc subministrant interpretationes : « Neque immerito non unam tantum nominis habet interpretationem, nullum enim nomen unum puto Virginis gloriam posse enuntiare : sicut Deum ipsum non uno tantum nomine nominamus, sed multis, ut sic ejus incomprehensibilitatem enuntiemus. (5) » Postquam autem Sanctus Bernardinus Mariæ gloriam, non uno, sed pluribus nominibus propalandam asseruit, sic Deiparam deprecatur : *Da mihi, Virgo, virtutem, ingenium, sermonem, ut fidelibus et devotis tuis valeam nuntiare gloriam nominis tui, non quanta*

(1) Tert. L. de Præsc. Hær. 3. — (2) Tert. L. adv. Jud. 9. — (3) Tert. 1. adv. Marc. 7. — (4) Alberg. Magn. in c. 2. Luc. — (5) D. Bern. Serm. 10. 3.

est, sed ut tantillum ego parvulus tuus laudibus tuis immensis enuntiem ad gloriam tuam, et devotionem meam, et solamen omnium legentium. (1) Sancti hujus æmulans pietatem, invocato prius Mariæ auxilio, sanctissimum ejus vocabulum propono, tanquam nomen, 1. Excellentiæ et venerationis; 2. Fiduciæ et protectionis; 3. Observantiæ et devotionis.

I. PARS. *Quia Deus jam vocari obtinuit substantia, cui adscribo, nomini me adscribere putas; quia necesse est per nomen ostendam cui adscribam substantiæ, scilicet qua constat qui deus dicitur, et summum magnum ex substantia, non ex nomine deputatur.* (2) Attamen ut constat ex logica nomen sæpe sæpius supponit pro re significata per ipsum, ut in hac propositione: Homo est animal, homo supponit non hac voce homo, sed pro natura humana. Ratio enim essentialis animalis, quæ est vivens sensitivum, competit non huic voci, homo, sed naturæ humanæ, per hanc vocem, homo, significatæ. Neque solum ex logica, sed adhuc *juxta consuetudinem Scripturarum, nomen ponitur pro nominato, sicut ille in Psalmo; Protegat te nomen Dei Jacob, id est, ille qui nominatus est Deus Jacob.* (3) In Mariæ quoque nomine *etiam materiæ conditio vocabulum sequitur* (4): quasi Mariæ nomen perinde sit ac res ipsa, ipsius vices gerens, iisdemque elogiis fruens. Multimodam autem in nomine Mariæ agnoscunt Patres excellentiam. Nam primo Petrus Damianus Mariam nuncupat Dominam, beatus Amadæus, illam vocitat gloriosam. D. vero Ambrosius Mariam velut Deiparam considerat. Mariæ itaque nomen venerandum est, quia significat (5), 1. Sublimem auctoritatem; 2. Eminentem dignitatem; 3. Nobilem affinitatem.

1. Dominus *Dei est cognomen* (6), supremam denotans auctoritatem: Maria quoque Domina nominatur sublimemque auctoritatem importat. Quapropter Petrus Damianus ad Dominæ reverentiam suos hortatur fratres: *Exsultate, fratres, quia de Domina illa sermo succedit, quæ singularem in cordibus nostris sibi vendicat principatum.* (6) Neque religiosi duntaxat Sancti Benedicti, Mariam tanquam Dominam venerantur, sed etiam ejus dominio cuncti subjiciuntur mortales, ob eminentem qua pollet dignitatem.

2. Non unius solummodo vocabuli, sed plurium *nominum dignitas* (8) splendescit in Maria, quæ regia, angelica et divina commendatur dignitate: 1. Regia dignitas ei competit, tum quia ardentissima sufflammatur charitate quæ est virtus regia; tum quia *juste Regina mundi et Regina cœli dicitur, per quam utriusque Creator et rector generatur.* (1) 2. Angelica adhuc dignitate decoratur, nimirum virginea mentis et corporis puritate. *Angelica plane vita Virginitas* (2): et ob hanc causam Maria in templo existens sæpe sæpius visitata fuit ab Angelis. Quam ideo alloquitur D. Bernardus: *Quidni videas Angelum, cum jam angelice vivas? quidni visitet Angelus vitæ sociam? quidni salutet civem Sanctorum et domesticam Dei?* (3) Angelus namque incarnationis nuntius Mariam humiliter salutat. Inde Virginis dignitatem miratur D. Bernardus: *Quæ est hæc Virgo tam mirabilis ut salutetur ab Angelo?* (4) Nec mirum si mirabilem D. Bernardus prædicet Virginem, in qua fulget *magnum meritum, magnum donum, magna gratia* (5); quæ, 3. Divinam ei contulit dignitatem. Etenim si justi in Ecclesia militante, et Sancti in triumphante, nuncupantur dii, *quia scriptum sit: Deus deorum stetit in Ecclesia deorum: in medio autem deos dijudicabit: et, Ego dixi: Vos dii estis* (6): nonne beatissima Virgo de divina dignitate gloriatur, *super omnem creaturam ipsa sanctitate ac dignitate præcellens?* (7) Eximiam Virginis sanctitatem innuit Angelus. Ut enim animadvertit Richardus a Sancto Laurentio, *idcirco prius dicta est gratia plena, et deinceps ab Angelo nominatur Maria, quia hoc habet ex gratia, ut Mariæ nomen interpretetur in nobis* (8): quasi tantus gratiarum numerus, quantus sub istis latet elogiis: « Gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, » sit Mariani nominis commentarius sine quo vix potest intelligi tanti nominis dignitas. Idcirco *omittit Angelus interponere nomen, Maria, quia in aliud tempus nominandum, postquam gratiæ ejus fuerint explicatæ, sine quibus tam plene significationis nomen non intelligeretur.* (9) Licet a fausto Mariæ nomine inchoanda videatur Angelica salutatio, consultissime tamen istiusmodi nominationem distulit Angelus, vocitans Virginem plenam gratia, benedictam in mulieribus, ut augustum Mariæ nomen non gratia vacuum, sed gratiis et benedictionibus plenum denotetur: ut ait

(1) Tract. de B. Virg. Serm. 1. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (3) Richard. a S. Laur. L. 1. de Laud. Virg. c. 2. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 4. — (5) Hom. 6. de Laud. Virg. — (6) Tert. Apol. 34. — (6) Serm. 11. de Annunt. (8) Tert. L. 2. ad Nat. 8.

(1) D. Bern. Serm. 1. sup. Salve Regina. — (2) D. Bern. Serm. 2. de Virg. Deip. — (3) Ibid. — (4) Hom. 1. sup. Missus. est. — (5) D. Bern. Serm. 1. de Assumpt. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (7) D. Bern. Serm. 1. sup. Salve Regina. — (8) L. 1. de Laud. B. Mar. c. 2. — (9) Albert. Mag. in c. 1. Luc.

Methodius Virginem alloquens : *Tuum, Dei genitrix, nomen divinis benedictionibus et gratiis, omni ex parte refertum* (1) convenientissime dicitur gratia plena, priusquam ab Angelo Maria nominetur. *Ostendens hoc nomen multum habere gratiæ, et altius memoriæ commendandum, et diligentius investigandum.* (2) Adeo sanctum et venerabile est Mariæ nomen, quod ex Richardo a Sancto Laurentio, (cum agit Lucas (3) de pœnitentia Magdelenæ, propter hujus nominis reverentiam, non ausus fuit Mariam, sed mulierem nominare. Et paulo post, cum dicit etiam justificatam a Domino de suis facultatibus illi ministrasse, vocat Mariam.) (4) Magdalenam ante suam conversionem peccatricem tantum vocat Evangelista, quasi veritus dehonestare augustum Mariæ nomen, quod est honorandum ob eminentem dignitatem et nobilem affinitatem.

3. Vult Tertullianus *Christum per Mariam censendum* (5), sed potiori ratione Maria est per Christum censenda, et ex Filii nobilitate taxanda Matris dignitas, *quasi sola de partu, et partu divino gloriatur. Gloriatur, dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem (Deus enim est quem peperit) Matrem suam singulari in cœlestibus donaturus gloria, singulari in terris prævenire curavit et gratia.* (6) Gloria quam in cœlo possidet Maria commensuranda est gratiæ quam habuit in terra. Gratia fuit ei collata proportione ad ejus maternitatem servata, et maternitatis celsitudo, ex filii desumenda est dignitate. Hanc ratiocinationem urget D. Bernardus : *Quod si et cujus Mater attendas, quo te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio ? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari ? nonne tuo, imo veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum ?* (7) Apostolus ex nomine Jesu, Christi censet et taxat dignitatem et excellentiam, inde ejus super Angelos colligit præstantiam. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* (8) Eodem argumento utitur Bernardinus Senensis, ut supra Angelorum choros Deiparam extollat. « Sicut Filius sedet a dextris majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit, quod nomen est ut sit vere Deus per gratiam unionis : sic et Mater Domini nostri gloriosa Maria, tanto melior est Angelis effecta, quanto præ omnibus creaturis hæreditavit, ut obtineret dignissimæ Matris nomen. » *Magnum est Angelo ut minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam invenit, ut sit Mater, tantoque excellentior Angelis facta munere singulari quanto differentius præ ministris nomen Matris accepit.* (1) Deiparæ nomen est Marianæ præstantiæ census, beatissimaque Virgo, tanto est Angelis melior, dignior, præstantior, quanto præ illis excellentius Deiparæ nomen hæreditavit. *An non Deum Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat Filium ? Quis hoc audeat Angelorum ? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt, et vocati Angeli : Maria vero Matrem se agnoscens, majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat Filium, nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est.* (2) Quare Rutilius Bensonus Mariæ nomen interpretatur, *Deus de conceptu* (3) quod quam apte Virgini Matri congruat nemo non videt. Idipsum sapit D. Ambrosius, de Deipara dicens : *Speciale Maria Domini hoc nomen invenit, quod significat : Deus, ex genere meo.* (4) In ipso Mariæ vocabulo, non modo Virginis designatur indoles, gratia et sanctitas significatur, sed divina adhuc Maternitas feliciter auspicatur et denotatur. Et fortasse ad divinam Virginis innuendam maternitatem Sancto Ignatio teste, priscis Ecclesiæ temporibus, Jesu nomen Mariæ apponebatur vocabulo. *Sunt et hic multæ de mulieribus nostris, Mariam Jesu videre cupientes.* (5) Mutua est relatio Matris ad Filium, Filii ad Matrem : Maria est Jesu Mater ; Jesus est Mariæ Filius ; Jesus est Deus, Maria quoque Mater est Dei. Maria tanquam Mater imperat Jesu, Jesu velut Mariæ Filius obtemperat Matri. *Mirare utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem.* (6)

Quo dignior et sublimior est Mariana dignitas, eo majori veneratione est digna. (7) « O quam te memorem, Virgo ! quibus te laudibus efferam ? quid dignum laudibus tuis poterit immolare infandissima lingua mea ? Elevata est magnificentia tua super cœlos, et super omnem terram gloria tua : ita ut nec in cœlo inveniatur creatura quæ tuam digne laudare

(1) In Hyppop. — (2) Richard. a S. Laur. ibid. — (3) Luc. 7. — (4) Cap. 8. — (5) Tert. L. adv. Jud. 9. — (6) D. Bern. Hom. 2. sup. Missus est. — (7) Hom. 1. sup. Missus est. — (8) Hebr. 1. — (9) Tom. 1. Serm. 61. 2. 2. cap. 4.

(1) D. Bern. Serm. 2. de Deipar. — (2) Bern. Hom. 1. super Missus est. — (3) Lib. 2. sup. cap. 22. — (4) Lib. de Instit. Virg. cap. 5. — (5) Epist. 1. — (6) D. Bern. Hom. 1. sup. Missus est. — (7) D. Bern. Serm. 2. super Salve Regina.

queat magnificentiam, nec in terra sit quæ gloriam tuam exprimere valeat.» Quod si supernæ intelligentiæ impares sunt ad Virginis excellentiam comprehendendam et enarrandam: *Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in Mariæ laudibus referamus, cum etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus?* (1) Verum licet pro merito nequeamus laudare Mariæ dignitatem, quantum præstare potest tenuitas nostra, ejus veneremur excellentiam, et gloriam decantemus; dicantes illi cum D. Bernardo: *Te nostra vox primum sonet, et vota solvamus tibi.* (2)

In Trajani Encomio asseverat Plinius inveniri *concentum omnium laudum.* Concentus autem importat harmoniam, seu consonantiam plurium vocum, quæ ad musicæ modulantur sonos, quanto magis Maria omnium laudum concentum meretur? *Fecundæ Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur.* (3) Magnum et augustum est Mariæ nomen, magna est veneratione colendum, ut ei valeamus dicere cum Regio Vate: *Secundum nomen tuum, sic et laus tua in fines terræ.* (4) Tanta reverentia Mariæ nomen venerantur fideles, ut eo audito, galerum tollant, corpus inclinent. Nec mirum cum ad eam Dei Filius humiliatus descenderit. Quare Richardus a Sancto Laurentio Mariæ accommodat istud Esaiæ. (5) «Vultu in terram demisso, adorabunt te: siquidem ex quo ad eam inclinati sunt cœli, et rex cœlestis ad eam descendit humiliatus, bene debemus nos miseri visa ejus imagine, vel audito nomine inclinari ad eam. (6)» Neque solum corporis inclinatione, sed etiam genuflexione sanctissimum Mariæ nomen antiquitus venerabatur. *Nec frustra consuevit Ecclesia intercessionem B. Virginis affectuosius cæteris implorare, ita quod audito ejus nomine, genua terræ affigat; imo pro nominis reverentia quasi mare confragosum, sonant vota populorum.* (7) Flectenda sunt genua supremo Numini; nam, ut ipsemet fatur Deus apud Esaiam, «mihi curvabitur omne genu (8);» curvetur etiam Mariæ, quæ Deum gestavit in utero, et ut subjungit laudatus Richardus a Sancto Laurentio, *ante ejus altaria, sive ejus imagines, et cum recitatur nomen ejus, genua flecte, quia ipsa dicit cum Filio: Mihi curvabitur omne genu.* Hanc venerationis notam Mariæ reddendam vult Doctor Idiota nomine, et re sapiens, sic illam alloquens: *Dedit tibi sancta Trinitas nomen, quod post nomen superbenedicti Filii tui est super omne nomen: ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi nominis gratiam, gloriam et virtutem.* (1)

Maria nuncupatur Domina, gloriosa et Deipara, et sub his tribus titulis veneranda est. 1. Honoranda tanquam Domina ob imperium quod supra nos habet. etenim *Regina gloriæ nomen et honoris.* (2) 2. Tanquam gloriosa veneranda est, tum ob angelicam puritatem, quam miratur D. Bernardus: *O admirandam et omni honore dignissimam Virginem: Virginem carne, virginem mente, virginem professione* (3); tum ob eminentem sanctitatem, cui debetur *dulce canticum ac nobilissimum melos: habet enim fundamentum: Fundamentum ejus in montibus sanctis*, quia gratia quam accepit in sua conceptione transcendit verticem sanctitatis et gratiæ, non solum hominum, sed et Angelorum; tandem, 3. Honoranda est tanquam Virgo Deipara: *Sed quanta putas veneratione digna est, in qua et humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem* (4), et Filius Deus, Matris commendat dignitatem; quæ nuncupatur Maria, habetque nomen excellentiæ et venerationis, et adhuc fiduciæ et protectionis.

II. PARS. Mariæ appellationem; *sed et aliis nominibus derivatam* (5) volunt auctores. Juxta Albertum Magnum, Maria idem est ac *stella poli*: D. Hieronymus, vel potius Philo Judæus, Mariam *illuminatricem* significare censet. *Mariam plerique æstimant interpretari illuminatricem.* (6) D. vero Epiphanius Mariam spem interpretatur: *Mariam solemus interpretari spem.* (7) Peperit enim Dominum, qui spes est totius mundi. Has omnes etymologias simul complectitur, et elucidat Albertus Magnus, a quo Maria nuncupatur *stella poli, quia ducit in deviis; illuminatrix, quia illuminat in dubiis; domina, quia protegit in adversis.* (8) Navigantes tria præsertim metuere debent, scilicet piratas latrocinantes, scopulos latitantes, tempestates naufragia comminantes. Piratæ dæmones ostentant, scopuli adversitates denotant, tempestates imminentem Dei ira-

(1) D. Hier. Serm. de Assumpt. — (2) Serm. 1. sup. Salve Regina. — (3) D. Bern. Serm. 2. de Virg. Deipar. — (4) Psal. 47. — (5) Cap. 49. — (6) L. 2. de Laud. Virg. c. 4. — (7) Petr. Blesens. Serm. 28. in Assumpt. — (8) Cap. 43.

(1) L. de Contempla Deipar. c. 5. — (2) D. Bern. Serm. 1. sup. Salve Regina. — (3) Hom. 2. sup. Missus est. — (4) D. Bern. Hom. 1. super Missus est. — (5) Tert. Lib. adv. Valent. — (6) In c. 1. Luc. 35. — (7) Apud. Canis. Lib. 1. c. 1. — (8) Apud. Navar. Lib. 4. Umb. Virg.

cundiam significant. Viatores qui supra hujus vitæ navigant pelagus, sunt vel justi, et a dæmonibus tentati; vel miseri, et adversitatibus gravati; vel criminosi, et Dei indignationi substrati. Maria, 1. Stella poli, justos dirigit ne succumbant dæmonum tentationibus; 2. Illuminatrix, illuminat miseros, et adversa fortuna gravatos, ne deficiant in afflictionibus; 3. Spes, fiduciam præstat criminosis, ne desperent, et subjiciantur Dei indignationibus.

1. Christus Dominus *a diabolo tentatus, præsidem et artificem tentationis demonstravit.* (1) Dæmon qui Christum Dominum tentationibus adoriri ausus est, nunquam Virginem Deiparam tentare molitus est. *Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit; ut ad eam accedere non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes et fervor devotionis.* (2) Quam merito beatissima Virgo dicitur terribilis ut castrorum acies ordinata! *Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum quando viderunt præter morem armatura omni fortiori instructam contra se procedere feminam, feminam fortem, et ad bella doctissimam?* (3) Ad Virginis occursum perterriti sunt maligni spiritus, et ut subjungit D. Bernardus, *nimirum timor et tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: Ecce plusquam Eva hæc. Castra Dei sunt hæc, fugiamus Israëlem.* Debellata a dæmone Eva, victoriam a Maria de diabolo reportandam prædixit Deus, ad serpentem aiens: Inimicitias ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum. *Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quam de mentis superbia reduxit ad nihilum.* (4) Maria caput conterens serpentis, dicitur deduxisse ad nihilum humani generis hostes. De illustri illa victoria Mariæ congratulatur D. Bernardus: *Tu ergo bellatrix egregia, primo eum qui primus omnia supplantavit expugnare viriliter aggressa es. Tu et spiritum elationis Evæ vertice humilitatis complosisti. Tu et ardorem vetitæ concupiscentiæ, virtute castitatis in tua carne virginea extinxisti. His ergo primariis ducibus tenebrarum a te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarum militia in fugam conversa est.* (5) Dæmones non solum Virginem pertimescunt, sed audita hac voce, Maria, contremiscunt. *Ubi nomen Mariæ invocatur, dæmonum nocumentum effugatur, quia Maria terribilis est ut castrorum acies ordinata.* (1) Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum aciem copiosam, sicut dæmones Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum: fluunt et pereunt a facie ignis, ubicunque inveniunt hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.

Cunctos mortales tentationibus exagitat dæmon, præsertim justos et pietate conspicuos. *Diabolus ad hoc regnare se putat, si Sanctos a religione Dei deturbat.* (2) Mariani autem nominis invocatio justos in justitia conservat, et a diaboli tentationibus custodit incolumes. Nam, ut fatur Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Mariam alloquens: *Tu nequissimi hostis invasiones, sola tui nominis invocatione repellens, tutos atque incolumes servas.* (3) Olim athletæ inungebantur oleo, ut validius in agone decertarent, et facilius de adversariis victoriam reportarent: oleum enim pugilibus robur subministrabat, et ne ab hostibus caperentur, aut capiti tenerentur, impediebat. Probi Christiani, in spirituali virtutis palæstra sese exercentes, contra spiritualia nequitiæ luctantur. *Quicunque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus.* (4) Quærendum nobis est oleum quo inungamur, ut elabi ab eorum manibus possimus, fortioresque effecti, infernales dejicere copias valeamus. Mariæ nomen oleum est, quo inuncti robur sumimus; neque a diabolis capi, aut capti teneri possumus. Corroborat oleum ossa, et nervos indurat, et medullas confirmat: unde et antiqui luctatores suos toto corpore oleo perungebant. Et Domini pugiles uncti hoc oleo, per crebram nominis invocationem, vel capi nequeunt, vel diu teneri non possunt a diabolo adversario. Nomen de quo loquitur Richardus a Sancto Laurentio, est Mariæ nomen, nam ut ipsemet subjungit Idiotæ referens verba: Recte hoc nomen Mariæ oleo comparatur, « super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, *ungit agonistas* (6), et jugum diaboli extrudit, fama tui sanctissimi nominis clarissima Virgo Maria. » Christiani, quoties occurrit aliqua diaboli tentatio, Mariæ invocate nomen, securi dimicate: *Habetis adjutricem vestri certaminis gloriosissimam Virginem* (7), quæ vires vobis præ-

(1) Tert. L. de Orat. 8. — (2) Richard. Vict. in Cant. c. 28. — (3) D. Bern. Serm. 24. Virg. Deip. — (4) D. Bern. Hom. 2. super Missus est. — (5) Serm. 2. de Virg. Deipar.

(1) D. Bonav. in Spect. Virg. c. 3. — (2) Tert. L. adv. Judæ. 9. — (3) Orat. 3. in Zonam Deip. — (4) D. Greg. Hom. 32. in Evang. — (5) Richard a S. Laur. L. 1. de Laud. Virg. c. 2. — (6) Idiot. de Hom. Virg. c. 5. — (7) D. Aug. Serm. 1. de Assumpt.

liandi subministrat, et tanquam stella poli in via virtutis incedentes, vos dirigit et regulat.

Belle D. Augustinus Sanctos stellis comparat. Nam *sicut stellæ in cœlo positæ in terra splendent et mare illuminant, et navigantes dirigunt et gubernant* (1), ita Sancti in cœlo regnantes, in terra splendent suarum virtutum fulgoribus, suisque intercessionibus et protectionibus navigantes in procelloso seculi pelago dirigunt, ne devient. Verum cum D. Bernardo, « loquamur pauca de superbo hoc nomine, Maria, quod interpretatum maris stella dicitur, et Matri Virgini valde convenienter aptatur. » Ipsa namque aptissime sideri comparatur : « Quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem: » (2) ultra has analogias quibus Virgini, nomen stellæ probe convenire demonstratur, dicitur adhuc Maria stella, quia justorum dirigit et regulat navigationem, ne a piratis dæmonibus deprædentur. Quo alludere videtur Sanctus Ephrem : Mariam suum portum vocitans. *Tu meus portus, Virgo immaculata et præsens auxiliatrix.* (3) Imo idipsum sapit ipsemet Bernardus, hortans Christianos ut in cunctis tentationibus respiciant stellam. *Si insurgant venti tentationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Ipsam sequens non devias ; ipsam cogitans non erras ; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis ; ipsa duce, non fatigaris;* quia viam tuam regulat, ne succumbas dæmonum tentationibus, et tenebras tuas illuminat, ne deficias in adversa fortuna, et hujus vitæ afflictionibus.

2. *Tenebras habet mundus quæ hominum præcordia excæcant.* (4) Peccata enim sunt tenebræ quæ mentes obnubilant. Neque solummodo peccatis obscurantur mortales, sed etiam fortunæ obcæcantur bonis : tum quia illa plus æquo existimant ; tum quia ex illis inflantur et tumescunt ; tum quia dum illa amittunt tristantur, et in adversitatibus animo dejiciuntur. Has mentis tenebras patiuntur, qui a Maria stella poli non illustrantur: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies ? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, et densissimæ tenebræ relinquuntur?* (1) Uti autem qui ab stella maris non illustrantur, versantur in tenebris, a recto virtutis aberrant tramite, et adversam fortunam impatienter ferunt : ita qui ad Mariam stellam respiciunt, illuminantur, neque deficiunt in afflictionibus. Nam, ut fatur D. Bernardus, *ipsa est nobis stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor et præfulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam perlustrans et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara et eximia stella ; super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hoc seculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam.* (2) « Sæpe namque vidimus plurimos homines in suis periculis recordari nominis Beatæ Mariæ, et illico omnis periculi malum evasisse. » (3)

Sub mundanarum rerum aquis, occultantur saxa, latent sirtes et scopuli, qui nisi detegantur navigantibus naufragia parant. Ad ejusmodi vitanda pericula infundendum est oleum quo aquæ lucidiores fiant, et maris fundus appareat. Ut enim philosophatur Richardus a Sancto Laurentio : *Quando nautæ ob causam aliquam mari se immergunt ; oleum deferunt in ore, et illud emittunt, et fit perlucidus fundus aquæ ; sic etiam devota invocatio nominis hujus, scilicet Mariæ, et doctrina, et gratia ejus, rerum labentium intima faciunt manifesta.* (4) Fortunæ bona sunt sirtes et scopuli latentes, ob quæ sæpe sæpius naufragantur, et qui secunda potiuntur fortuna, et qui adversa gravantur, quia cum eorum non cognoscatur vanitas, prosperantes in eorum possessione ultimum finem constituunt, et afflicti de eorum jactura tanquam de amissione summi boni tristantur : necessarium est oleum, ut latentia saxa et occulta appareant monstra. Ut imminentia vitentur pericula, invocandum est Marianum nomen, quod mentis discutiat tenebras, terrenorum occulta detegat; bonorum temporalium vanitatem ostendat, ne prosperantes de illis superbiant, et afflicti plus æquo de eorum jactura doleant. Itaque *cunctis præconiis veneremur Mariam, ut ipsa nos inter procellas*

(1) Serm. 5. de Sanctis. — (2) Hom. 2. sup. Missus est. — (3) Orat. de Laud. Mar. — (4) Tert. Lib. ad Mart. 2.

(1) D. Bern. Hom. 2. de Virg. Deip. — (2) Hom. 2. sup. Missus est. — (3) Anselm. de Laud. Virg. — (4) Lib. 1. de Laud. Virg. 2.

seculi, ferventes aspiciat, et ipsa inter cursus mundiales, continua oratione confoveat. Neque enim dubium quin quæ meruit pro liberandis proferre pretium, possit libertatis impertiri solatium (1), et miseriis subvenire. «Quia tu es Regina misericordiæ : et qui sunt misericordiæ subditi, nisi miseri tuam considerantes misericordiam, et ad nostram attendentes miseriam, ad te suspiramus : « Undique nos angustiæ premunt : quomodo ergo ad te non suspiremus, solatium miserorum? Sic afflicti, sic miseri, ad te suspiramus gementes et flentes, in hac lacrymarum valle. Heu! Domina, non vides quod totaliter flentes, in loco lacrymoso jacentes, onerati peccatis gemimus, aggravati molestiis flemus, abundantes miseriis in valle lacrymarum sumus, tuum subsidium postulantes. Non ergo restat Domina, nisi ut illos misericordes oculos ad non convertas : non dubitamus, Domina, quin si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio, suum retardare effectum.» (2) Christiani, qui estis adversa fortuna gravati, accurrite ad Mariam, misericordiæ matrem, quæ multum sollicita est de miseriis; et si non vultis in vestris adversitatibus dejici, rogate Virginem ut suos misericordes oculos ad vos convertat : *Nam suorum claritas oculorum effugat catervas dæmonum, tenebras expellit, purgat vitia mentium, corda congelata accendit* (3), spem erigit, ne peccatores desperent, et subjiciantur Dei indignationibus.

3. Accurrant peccatores ad Mariæ nomen *in postulatione tutelæ* (4), et munimen invenient. Nam *turris fortissima nomen Dominæ: ad ipsam fugiet peccator et liberabitur. Hæc defendit quoslibet, et quantumlibet peccatores.* (5) Dixit Salomon qui parum noverat de Maria : «Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit justus et salvabitur.» Nobis autem dicendum est : «Turris fortissima nomen Dominæ, ad ipsam confugiet peccator, et salvabitur.» (6) Nam ipsa est «lumen cœlolum, deficientium fortitudo, peccatorum venia, desperatorum reparatio.» (7) Christum Dominum designari censet D. Bern. (8) per Aaronis virgam, «quæ non solum floruit, sed et fronduit, et fructum emisit, non solum flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus Jesum significari, et in virga quidem figurari potentiam, in flore vero fragrantiam, in fructu saporis dulcedinem, in frondibus quoque sedulam ejus intelligi protectionem, qua videlicet parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive a facie impiorum qui eos afflixerunt, dicendum est : « Bona et desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei, Domine Jesu, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.» Animadvertit autem ibidem D. Bernardus in hoc Esaiæ testimonio, per virgam Aaron designari etiam Deiparam, quæ peccatores sub umbra alarum suarum protegit. Quod probe sciens Sanctus Ephrem se totum sub Mariæ tutela et protectione asseverat : *Sub tutela et protectione tua totus sum.* (1)

Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti. (2) Litteraliter hic locus de sole et luna intelligendus, quem moraliter sic interpretatur Hugo Cardinalis: *Luminare majus, Christus, qui præest diei, id est, justis; luminare minus, Maria, quæ præest peccatoribus.* (3) Maria peccatorum nocti præsidet, ne in tenebris criminum pereant. Nec obstat quod criminosi sunt deformes et denigrati super carbones; Maria vero pulchra ut luna prædicatur : quia, ut belle ad propositum ait Hildebertus, *pulchrum est benefacere vel indignis.* (4) Qui magis indignus quam scelerosus? quem tamen tuetur Deipara, ne divinæ subjiciatur indignationi. Quare peccator *si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: Mariam cogita, Mariam invoca.* (5)

Tertullianus mœchum a pœnitentia rejiciendum, zelo non secundum scientiam existimans, eum cum idololatra et homicida, in criminis enormitate comparat, et acriter insequens romanum pontificem, qui illum ad pœnitentiam admittebat, sic ironice fatur: *Assistit idololatres, assistit homicida, in medio eorum assistit et mœchus, pariter de pœnitentiæ officio sedent in sacco, et cinere inhorrescunt, eodem flatu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdam invocant Matrem.* (6) Verum serio loquentes, scelerosi magnam Matrem, scilicet Deiparam invocantes, ambire dicuntur : quasi oratio ad Virginem facta, sit arbitrium impetrationis. Quis enim auxiliarem Mariæ

(1) D. Aug. Serm. 4. de Assumpt. — (2) D. Bern. Medit. sup. Salv. Regina. — (3) D. Bern. libid. — (4) Tert. L. de Orat. 8. — (5) Richard. a S. Laur. Lib. 11. de Laud. Virg. — (6) Lib. 2. de Laud. Virg. 2. — Prov. 18. — (7) D. Bern. sup. Salv. Regin. — (8) Hom. 2. sup. Missus est.

(1) Orat. de Laud. Mar. — (2) Gen. 1. — (3) D. Bern. Serm. 2. de Virg. Deip. — (4) Epist. 16. — (5) D. Bern. Hom. 2. sup. Missus est. — (6) Lib. de Pudic. 5.

invocavit tutelam, et benigna frustratus est protectione; cujus dignitas peccatoris supplet indignitati? Quem sic alloquitur D. Bernardus: *Dedit tibi Christum per Mariam propter sanitatem: ex Deo et homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberes, quæ per hoc quod Mater est genuit tibi Deum: per hoc quod Virgo est, exaudita est pro reverentia sua, in causa tua, et totius generis humani.* (1) Dominus in cruce pro hominum salute orans cum clamore valido exauditus est pro sua reverentia: Maria quoque pro peccatoribus orans exauditur pro sua reverentia. Virginitas divina maternitate incrementata reverentia dicitur, Christi æmulans reverentiam, ob quam Deipara in peccatorum causa exauditur.

Salvator ostendere volens orationis ad Deiparam factæ virtutem et efficaciam, Ecclesiam erudit ut nunquam oratio fiat ad Patrem cœlestem quin simul tacite invocet Matrem, illiusque auxilium suppliciter expostulet. Nam *in Patre Filius invocatur: ne Mater quidem Ecclesia præteritur. Siquidem in Filio et Patre Mater recognoscitur, de qua constat et Patris et Filii nomen.* (2) Per Matrem, Ecclesiam intelligit Tertullianus, quam Spiritus Sanctus congregavit, quæque ab ipso nuncupatur *Domina Mater.* (3) Per eam nos Deus Christianos facit, per eam Patrem et Filium cognoscimus et invocamus, nam absque Ecclesiæ testimonio, nulla nobis esset fides de Patre, neque de Filio; per Matrem Deiparam intelligit quidam neotericus (4) ad cujus auxilium arcana gratiæ propensione accurrunt peccatores. Et merito, cujus plures accipe rationes: prima in ipsa experientia innititur. Sæpe enim quod Deum precando obtinere non possunt, implorato Mariæ auxilio, citius et facilius impetrant: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quam invocato nomine Jesu, unici Filii sui. Et id quidem non ideo fit, quod ipsa major et potentior sit: neque enim ipse major et potentior est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione ejus, quam Filii sui sæpe percipitur?* (5) Secunda posita est in voluntate Dei qui dedit nobis Mariam in advocatam, ut sua dona per Mariam ad nos venirent, et Deipara, nos a Dei indignatione protegeret. Peccatores, *laudate clementiam Salvatoris, qui tam nobile subsidium dignatus est elargiri* (6), gratitudine autem erga Deum demonstrata, *totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Tertia in Matris teneritudine fundatur, ad quam dum irascitur Pater, recurrunt Filii. Maria effecta est Mater nostra ex quo peperit Christum qui est primogenitus in multis fratribus. *Aperi itaque tu, Mater misericordiæ, benignissimi cordis tui januam suspiriosis precationibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus, a facie formidinis Dei.* (1) Quarta desumitur ex mira Deiparæ potentia erga Christum Filium suum, quem nullo negotio exorat, iratum mitigat. Nam, ut subjungit D. Bernardus, « et ecce coram tremendo Judice peccatores assistimus, cujus manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis evertet eam? Nemo, Domina, tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Ad te, Domina, stillant oculi nostri, te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filii tui Domini nostri iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges, ejusque gratiam a qua ingrati excidimus, nobis concilies. Quinta ex Mariana pietate et misericordia mutuatur, quæ scelerosis fiduciam præstat ad ejus implorandum auxilium. Nam, ut eam ibidem alloquitur D. Bernardus, *tu peccatorem quamtumlibet fœtidum non horres, non despicis; si ad te suspiraverit, tu illum a desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves, nec deseris, quousque horrendo Judici miserum reconcilies.* Sexta, quia iratus Deus severitates spirat; Christus est quidem misericors ut Redemptor, quia tamen constitutus est Judex vivorum et mortuorum, criminosos condemnat et castigat: at in Deipara mera elucet pietas absque ulla severitatis mixtione. Miser autem reus meram misericordiam exoptat, justitiæ rigores formidat, inde precum obsequio animosius frequentat Virginis aras, quam altaria divina. Hanc rationem subministrat D. Anselmus: *Dicam quid sentio, Filius ejus Dominus est et judex omnium, discernens merita singulorum: dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id juste facit. Invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.* (2) Judex suum munus probe

(1) D. Bern. Serm. 3. in Vigil. Nat. Dom. — (2) Tert. L. de Orat. 2. — (3) Rigal. L. ad Mart. 1. — (4) Selad. de Jud. Figur. c. 8. — (5) D. Anselm. Tract. de excell. Virg. 6. — (6) D. Bern. Medit. Sup. Salv. Reg.

(1) D. Bern. Serm. Paneg. ad Virg. Deip. — (2) De Excell. Virg. c. 6.

adimplens, non solum clementiam, sed interdum severitatem demonstrare debet : at Mater de sola pietate erga filios commendatur. Christus est peccatorum Judex, Maria Mater, quare pietas est in Christo cum severitate conjuncta, in Maria vero, absque ulla rigoris mixtione reperitur : « Quia in Virgine a Filio derivatur divina pietas, absque ullo justitiæ terrore; at in Filio licet attrahat pietas, terret tamen quod scriptum est : Judicem eum esse adeo severum, ut rationem sit exacturus de uno quoque verbo otioso. Quid autem mirum, si magis præsidat reus in sola pietate, quam in ea justitiæ conjuncta, quando eadem est divina pietas, in utroque, et Filii, et ejus Matris tribunali? » Quasi tota Christi pietas, et meracissima absque justitiæ admixtione, et severitatis rigore, commissa sit Virgini : unde hæc perpetua Mariæ vox ad judicem Filium : *Clementia est aliquid ultrici detrahere sententiæ : nam quisquis nihil reatus impunitum reliquit, delinquit. Culpa est totam persequi culpam.* (2) Sed nemo melius D. Bernardo hoc argumentum tractat, et magnam Deiparæ pietatem ostentat : « Ad Patrem verebaris accedere : solo auditu territus ad folia fugiebas. Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud Patrem talis Filius obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua : Pater enim diligit Filium. An vero trepidas et ad ipsum ? Frater tuus est et caro tua, tentatus per omnia absque peccato ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit : sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis, et ad ipsum ? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet itaque Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Quid enim ? potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam ? Non audiri, aut non audire Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum feliciter. Semper hæc invenit gratiam, et sola est gratia qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur. » Longiuscule quidem, sed belle D. Bernardus, peccatores ad impetrandum Mariæ auxilium stimulat : tum ex discrimine quod intercedit inter æternum Patrem, Christum, Dominum et Deiparam. Æternus Pater est quidem bonitate præditus, nam Dei natura est bonitas, quia tamen majestate fulget, ad eum accedere veretur peccator : Christus est quidem homo, Redemptor et frater noster, est tamen Deus et Judex, unde si ex una parte allicit ut Redemptor et frater, ex altera terret ut Judex, et removet ut Deus; at in Maria, non est divina majestas, quæ vereatur, nec judiciaria potestas, quæ terreat; sed pura naturæ humanæ singularitas, et mera beneficæ matris pietas. Tum ex advocatione Filii ante Patrem, et Matris ante Filium. Filius autem pro sua reverentia exauditur a Patre; Mater quoque pro sua reverentia exauditur a Filio : unde Arnoldus Carnotensis : *Dividunt coram Patre, inter se Mater et Filius, pietatis officia, et miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium.* (1) Filius ostendit Patri latus et vulnera : Mater ostendit Filio pectus et ubera : quomodo poterit esse repulsa, ubi tot interveniunt pietatis monumenta? Quid non obtinebunt a Patre vulnera Filii ? Quid non impetrabunt a Filio ubera Matris ? *Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.* (2) Filii scilicet et Matris patrocinium, Jesu et Mariæ auxilium, utriusque ad æternum Patrem oratio et exoratio.

Christiani olim adversitatibus et persecutionibus gravati, lætabantur ex cognitione divinæ bonitatis, et æternæ mercedis, quæ fiduciam illorum et fidem spei confirmabant : *Sed etsi aliqua nos quoque perstringunt ut vobis cohærentes, lætamur magis recognitione divinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam et fidem spei nostræ.* (3) Peccatores nunc etiam scientes quanta sit Christi Domini et Deiparæ pietas, quam potens sit utriusque protectio, quam efficax deprecatio erga æternum Patrem, de illorum misericordia lætantur, in eorum patrocinio singulariter fiduciam suam ponunt, et fidem spei suæ collocant. In Christo quidem, quem sic alloquuntur apud Gregorium Nicomediensem : *Per te, nos regnum cœlorum speramus assecuturos : te nostræ salutis habemus adjutorem; te nostri auxilii habemus defensorem ; te proponimus, cujus ore nostra dicatur excusatio; te nostræ fiduciæ circumferimus gloriationem.* (4) Christus est nostræ fiduciæ gloriatio : tum quia suo nos sanguine redemit, nobisque cœli januam aperuit ; tum quia nobis gratiæ largitur auxi-

(1) Seraphinus Firmus problem. 54. — (2) Hildeb. Ep. 25. — (3) Serm. 2. de Virg. Deip.

(1) Tract. de Laud. Mar. — (2) D. Bern. Serm. 2. de Virg. Deip. — (3) Tert. Apol. 41. — (4) Orat. de Oblat. Deip.

lium, quo æternam possimus consequi felicitatem; tum quia nos a Dei ira protegit; tum quia coram Patris tribunali causam nostram patrocinatur, proprioque ore defectus nostros excusat. Maria quoque est *desperatorum spes* (1), in ejus patrocinio suam constituunt fiduciam peccatores. Quam sic alloquuntur apud Joannem Damascenum: *Tibi nos quoque assidemus, o Domina, atque iterum dicam Domina, Dei genitrix, et Virgo: animas nostras ad spem tuam, non secus atque ad firmissimam quamdam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos, tibi dicantes ac consecrantes.* (2) Naves firmissimæ anchoræ alligatæ non patiuntur naufragium, sed inter etiam maris procellas securæ existunt: peccatores Dei indignationibus tanquam maris tempestatibus expositi, vitant naufragium, modo in Virginis protectione, tanquam firmissima anchora spem ponant; modo in Deiparæ auxilio confidant, quæ non abs re nuncupatur Mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei: et ut ipsamet testatur, *in me omnis spes vitæ* (3), scilicet vitæ gloriæ in futuro, et vitæ gratiæ in præsenti per pœnitentiam, qua peccatores a morte peccati ad vitam gratiæ convertuntur. Tale autem beneficium Mariæ auxilio, et intercessione sperant criminosi, sanctissimum ejus nomen implorantes: *Si tu nos deserueris, quidnam de nobis fiet, o sanctissima Deipara, spiritus et vita Christianorum! quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita etiam sanctissimum tuum nomen, Virgo beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur assidue in omni tempore, loco et modo, vitæ lætitiæ, et auxilii, non solum est signum, sed ea etiam procurat et conciliat.* (4) Mariani nominis invocatio vitam gratiæ peccatoribus procurat: quapropter, Christiane, *non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.* (5) Mariæ quippe vocabulum est nomen observantiæ et devotionis.

III. PARS. *In ipsius nominis sacramento* Maria amaritudinem denotat: nam, ut dictum est in superioribus, Maria quoad etymologiam et *sacramentum nominis sui* (6), idem est ac amara, seu amaritudo maris. Unde beatissima Virgo, *juxta præsagium nominis sui,* (7) fuit in amaritudine; nam, ut animadvertit Guerricus Abbas, postquam Jesum genuit nunquam fere nisi in languore fuit. *Primo languit timore, postea dolore, nunc amore: timore a nativitate usque ad passionem, cum semper vitam filii insidiis appeti videret. Dolore, toto tempore passionis, donec redivivum reciperet. Nunc amore et desiderio felicius, sed mirabilius cruciatur, quia sedentem in cœlo eum tenet.* (1) Nunc etiam existens in cœlo, et felicitate fruens, amaritudine repleretur, si status beatitudinis tristitiæ et doloris posset esse capax. Annon amarum efficere satagunt Mariæ nomen impii, qui illud blasphemant, stolidi qui plus æquo illud honorant, criminosi, qui in peccato existentes fœtido ore illud profanant? Verum, si impii et scelerosi Marianum nomen amarum efficere moliuntur, probi et innocui Christiani a Mariano nomine miram persentiunt dulcedinem. *Sicut nomen Jesu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, sic et nomen Mariæ, et etiam amplius, si dicere audeamus.* (2) Quod hac ratione demonstrat Richardus a Sancto Laurentio: « Quia Jesus quasi superbum nomen est, et nimium potens: nostrum humilius nomen affectum decet, ut si in Jesu aut Deitatis, aut sexus virilis, austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad Mariam, in qua nihil horum suspectum, in ea nec deitas terret, nec virilis sexus, qui fere durior ac severior, femineus blandior, suavior, levior. (3) » Maria enim nomen muliebre est, mansuetudinem præferens et commendans. Quod si sexum verearis, pro eo quod et sibi et aliis fuit in ruinam, Virgo est, quæ Jesum mundi peperit Salvatorem. Quapropter qui vere Mariam colunt, et devote ejus proferunt et invocant nomen, « amaritudines maris sicut lac sugent. » (4) Nam, ut philosophatur Richardus a Sancto Laurentio, *Maria, amarum mare, eo quod universas mundi delicias convertit in amaritudinem, de se fideliter cogitanti, et mundanas amaritudines suis imitatoribus dulces facit reputari, inundationes maris quasi lac sugent, scilicet imitatores Mariæ.* (5) Ut autem dignoscantur et qui amari sunt erga Marianum nomen, et qui a dulci illo nomine mel sugunt, trina est discriminanda Mariæ devotio: 1. Superstitiosa, 2. Contumeliosa. 3. Religiosa.

1. *Alia jam nobis ineunda est humani erroris latitudo: imo silva cædenda, quæ undique conceptis superstitionum seminibus, vitii pueritatem obumbravit.* (6) Multis utitur Ter-

(1) S. Ephren. de Laud. Virg. — (2) Orat. 1. de Dorm. Virg. — (3) Eccles. — (4) Germ. Const. Serm. de Zon. B. Virg. — (5) D. Bern. Serm. 2. Virg. Deipar. — (6) Tert. L. adv. Jud. 9. — (7) Ennod. in Nat. S. Laur. dict. 15.

(1) Petr. Dam. Serm. 13. — (2) Serm. 2. de Asrumpt. — (3) Richard. a S. Laur. L. 1. de Laud. Virg. cap. 2. — (4) Deut. 33. — (5) Lib. 2. de Laud. Virg. cap. 3. — (6) Tert. L. 2. ad Nat. 9.

tullianus rationibus, ut Christianos a superstitione dimoveat. Tum quia superstitio non Deo, sed diabolo mancipatur : *Tota hujus ævi superstitio, diabolo mancipata est.* (1) Tum quia superstitio idololatriam sapit : necesse est autem ut *omnem afflatum ejus vice pestis de longinquo devitemus, in universa serie humanæ superstitionis.* (2) Tum ne impietatem æmulantur Gentilium qui fuerunt superstitionibus dediti, ut ex Romanis et Ægyptiis constat : *Homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operosissimis superstitionibus oneravit.* (3) Ægyptii adhuc fuerunt longe Romanis superstitiosiores : *atque ideo et Ægyptiis permissa est tam vanæ superstitionis potestas, avibus et bestiis consecrandis, et capite damnandis qui aliquem hujusmodi Deum occiderint.* (4) Tum quia superstitio suam a vitio ducit originem : nimirum a vanitate, impudicitate, aut otiositate ; religio autem christiana *vanissimis superstitionibus renuit ;* a quibus alieni esse debent fideles, religionis observantes disciplinas : *Turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes.* (5) Tum quia in baptismate renuntiarunt diabolo, idololatriæ, spectaculis : *Æque spectaculis in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas.* (6) Tum quia Deus Christianos ad veram adducens religionem *de Ægypto superstitiosissimi seculi* eduxit. Non vult autem Deus fideles a superstitione eductos, iterum superstitionibus addici, nam, ut subjungit Tertullianus, *nec putem disceptandum an digne Deus quos ab errore superstitionis avulserit, rursus in Ægyptum regredi noluit.* (7)

Verum quantumvis a superstitione aliena sit disciplina christiana, multi tamen Christiani possunt de superstitione culpari, et quod est lugendum magis, *ex religione superstitio compingitur.* (8) Romani quanto magis reipublicæ seu imperii incrementabant limites, tanto magis apud eos vigebat superstitio : *Sanctis jam rebus superstitio quæsita est.* (9) Dilatata quoque religione christiana plures a vera pietate degenerant, *superstitionis usu,* (10) præsertim in Deiparæ cultu. Plures namque qui se ejus proclamant cultores, si verum dicere velint, fatebuntur : *De superstitione deputamur, non de ratione.* (11) Qui in hac materia deficiunt, non eodem sunt animo. Nonnulli ex impietate, quidam ex temeritate, alii ex simplicitate, tandem aliqui ex iniquitate deficiunt. 1. Impia est illorum superstitio, qui Mariam velut supremum numen venerantur. Quibus probe competunt hæc Tertulliani verba : *Ecce enim duos intuens deos, quid facerem si ambos colerem? Vererer ne abundantia officii superstitio potius, quam religio existimaretur.* (1) Superstitio non religio existimanda est devotio eorum qui Mariam credunt deam, ut fuerunt nonnulli hæretici apud Sanctum Epiphanium. Qui eos imitantur, impie errant, Deiparamque offendunt. Etenim *honor Reginæ judicium diligit ; Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum.* (2) 2. Temeraria est illorum superstitio, qui privata auctoritate, absque ullo Ecclesiæ consensu, confraternitates instituunt, officia conficiunt, novas instaurant disciplinas, inusitatas profitentur devotiones : *Quibus merito vanitas exprobranda est, siquidem sine ullius aut Dominici aut Apostolici præcepti auctoritate fiunt : hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata et coacta, et curiosi potius quam rationalis officii, certe vel ex eo coercenda quod Gentilibus adæquent* (3), qui sacrilega temeritate auctoritatem sibi arrogant et homines in deos consecrandi, et divinos ritus instituendi. Quapropter D. Bernardus acriter redarguit canonicos Lugdunenses, quod inconsulta Romana Ecclesia festum immaculatæ Conceptionis Deiparæ ausi sunt celebrare. *Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis : nam si sic videbatur, consulenda erat prius apostolicæ sedis auctoritas, et non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* (4) 3. Simplex est superstitio, quæ plus æquo Virgini tribuit, non ex impietate, neque ex temeritate, sed nimia in Deiparam pietate. Hanc aliquo modo excusat D. Bernardus, *parcens devotioni, quæ de simplici corde et amore Virginis venit.* (5) Christianum tamen ejusmodi, *etsi jam simplicis et inaffectatæ, tamen superstitionis reum* (6) existimat Tertullianus. 4. Iniqua est superstitio scelerosi Christiani, qui *disciplinam superstitione delusit* (7), divina audacter transgrediens mandata, atrocissima quæque perpetrans crimina, falso præsumens impune posse vacare sceleribus, modo in Rosarii con-

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (2) Tert. L. de Idol. 13. — (3) Tert. Apolog. 21. — (4) Tert. Apolog. 24. — (5) Tert. Apolog. 6. — (6) Tert. Apolog. 38. — (7) Tert. Scorp. 3. — (8) Tert. L. de Jejun. 6. — (9) Tert. L. 1. ad Nat. 7. — (10) Lib. de Cor. Mil. 10. — (11) Tert. L. 1. ad Nat. 8.

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 5. — (2) D. Bern. Ep. 174. — (3) Tert. L. de Orat. 12. — (4) Epist. 174. — (5) Ibid. — (6) Tert. L. de Pall. 4. — (7) Tert. L. de Spect. 10.

fraternitate sit adscriptus, vel parvum Virginis deferat habitum. Hac namque *superstitione provecta* (1), Deum non timet, liberrime peccat, devotioneque contumeliosa non modo Deum, sed etiam Deiparam offendit.

2. Habes *contumeliæ addictam* (2), non solum erroneam eorum opinionem qui ore blasphemo, præcipuas Deiparæ dotes tollere nituntur, cujusmodi sunt hac ætate Lutherani et Calvinistæ, qui omnem beatæ Virginis denegant honorem; qualis fuit Helvidius qui Deiparæ virginalem integritatem in partu et post partum eripere ausus est, qualis fuit Nestorius, qui divinam Mariæ Maternitatem negavit: quem non secus ac suos sequaces detestandos vult D. Augustin. *Detestandi sunt illi qui Dominum nostrum Jesum Christum Matrem Mariam in terris negant habuisse.* (3) Sed etiam in Virginem contumeliosi sunt, 1. Confratres qui sanctæ Societati adstricti scelerose vivunt. *Vereor autem ne multi se profiteantur de populo ejus, quos tamen ipsa non habeat pro populo suo. Vereor ne plerisque qui quasi in populo ejus religiosiores esse videntur, ipsa aliquando dicat* (4): *Populus hic labriis me honorat, cor autem ejus longe est a me.* (5) Quo sanctior est Virginis confraternitas, eo magis rei sunt criminosi confratres: *Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat. Reatus impii est pium nomen.* (6) Indigne et damnabiliter confratris Mariæ defert nomen Christi inimicus: non enim numerari potest inter populum Deiparæ electum, qui in populo et hæreditate Jesu non computatur. « Frater, vis scire an pertineas ad populum Jesu, vel potius vis esse de populo illius? Fac quæ dicit Jesus, et computabit te in populo suo. Fac quæ jubet in Evangelio Dominus, quæ jubet lege et prophetis, quæ jubet per ministros suos, qui sunt in Ecclesia, obtempera ejus vicariis præpositis tuis, et disce ab ipso Jesu quia mitis est et humilis corde, et eris de beato populo ejus quem elegit in hæreditatem sibi; eris de laudabili populo ejus, quem benedicat: eris de numero Filiorum Virginis, et inter veros ejus computaberis confratres. » 1. Contumeliosæ sunt in Virginem mulieribus Mariæ nomen habentes, et Venerem impudice gestantes: Mariæ nomen magnam cum sanctitate et virginitate habet cognationem: quapropter Lucas Evangelista, titulo Mariæ, virginitatis attexit nomen, ut inseparabilem utriusque denotaret nexum: Et nomen Virginis Maria. *Bene immediate jungitur Mariæ Virginitas, eo quod non solum nomine præferat, sed et aliis præbeat gratiam castitatis. Mariæ nomini, virginitas et sanctitas inseparabiliter sunt adjunctæ.* (1) Mulier Maria nuncupata lasciviens, a puro illo et sancto nomine sanctitatem et puritatem separat indigneque fert *hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis.* (2) Marianum nomen est gloria puritatis, castimoniæ ornamentum, sanctimoniæ splendor, virtutis insigne. Mulieres hoc nomine insignitæ debent nitere virtutibus, sanctitate fulgere, et pudicitiæ coruscare splendoribus. *Sicut dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipsa sæpe Sanctorum merita indicant, testantur insignia.* (3) Mariæ nomen in Deipara Virginalem ejus puritatem denotat, eminentem designat sanctitatem: quare, ut refert Nicephorus, *postquam puella e maternis prodiit locis, statim eam Mariam nominant ænigmate latente, acceptam gratiam declarant.* (4) Mulieres autem libidinosæ gloria Mariani nominis devenustant, decus dedecorant, puritatem contaminant, sanctitatem profanant. *Quanti nequam servi regum nominibus insultant* (5), indigne ea ferentes? Quantæ lascivæ mulieres insultant sanctissimo et castissimo Mariæ nomini, suis turpitudinibus illud dehonestantes? *Sapiens presbyter Eustathius, pro divino suo in improbos odio, etiam idem sibi cum impuro, et scelerato Eustathio nomen esse graviter et moleste ferebat, ac nomen suum immutare cupiebat.* (6) Dubium non est quin moleste ferat Deipara sanctissimum suum nomen deferri et fœdari, ab impudica muliere. *Fallacia appellationis* (7) Maria nuncupata, licet beatissima Virgo ob contumeliam sibi illatam suum nolit mutare nomen, vellet tamen mulieres suo nomine insignitas, immutari de lascivia ad castitatem, de nequitia ad probitatem, de peccato ad sanctitatem. Tandem, 3. Contumeliosi sunt erga Mariam omnes generatim sive viri, sive mulieres, conscientia contaminata et ore polluto, ejus nomen nominantes et laudantes. *Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.* (8) Animadvertit autem Agellius in Sacris Paginis laudem denotari per sanctimoniam, quia præcipua laus a vitæ probitate mutuatur, et sanctimonia velut animatur; hoc sacrificium laudis Deo immolandum

(1) Tert. L. de Spect. 9. — (2) Tert. L. de An. 3. — (3) Lib. de Fid. et Symbol. cap. 4. — (4) D. Bern. Hom. 3. Supr. Miss. — (5) Matth. 15. — (6) Salv. L. 4. de Guber. Dei. — (7) Bern. ibid. — (8) Cap. 1.

(1) Richard. a S. Laur. 6. de Laud. Virg. cap. 2. — (2) Chrysol. Serm. 146. — (3) Chrysol. Serm. 154. — (4) Lib. 1. Hist. cap. 7. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (6) Isidor. Pelus. L. 3. Epist. 3.. — (7) Basil. Sel. Orat. 17. — (8) Psal. 93.

Regius desiderat Vates: *Immola Deo sacrificium laudis.* (1) Ut autem expendit Agellius: « Sacrificium laudis nonnulli ex nostris laudes Dei, tum voce, tum recte vivendi ratione intelligunt, hisque verbis indicari volunt hac illud vere Deo gratum esse sacrificium, hac victimas illi placere. » Uti vitæ innocentia est sacrificium laudis Deo gratissimum, ita beatissima Virgo acceptas habet laudes, ab anima sancta dimanantes, a puro ore decantatas. *Maria dicit cum filio: Sacrificium laudis honorificavit me*, quo immolatur vita innocua, virtus, sanctitas. Immunes esse debent a peccato, et gratia nitere qui digne Deiparam laudare contendunt. In laudibus beatissimæ Virginis vita potius quam lingua quæritur. Filii sint Mariæ non inimici qui eam honorare volunt: « Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt. » (3) *Nota ordinem verborum: qui enim digne vult prædicare Mariam, aut ei servire, prius debet surgere a peccato per pœnitentiam, quia non est speciosa laus in ore peccatoris: ideo prius dicitur, surrexerunt; item filii ejus, id est, imitatores ejus, beatissimam prædicaverunt eam.* (4) Non plene Virginem beatam prædicant peccatores, qui non sunt ejus filii, sed hostes; Deiparæ filii sanctitate conspicui, etsi lingua taceant, vita proclamant, probisque suis moribus laudes ejus decantant: peccatores econtra, licet Virginis laudes ore promant, suis tamen sceleribus eam inhonorant. Nam ut ratiocinatur D. Augustinus de Deo loquens, *omnes male viventes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt. Quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Male vivendo multas linguas misisti in blasphemiam; lingua tua vacat hymnis, et cæteræ te intuentium vacant blasphemiis: si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, fac voluntatem ejus,* (5) ad instar Angelorum quos ad benedicendum Deum hortatur Propheta, quia faciunt verbum ejus, divinamque adimplent voluntatem. Qui Dei vacant laudibus persimiles Angelis exoptat Regius Vates, qui postquam cunctas creaturas ad benedicendum Deo sollicitavit, in fine Angelos ad Dei laudem invitat. Ut doceret, inquit, ex auctore græco Agellius, « Angelis esse persimiles qui Dei laudibus vacant: quorum enim idem sit studium, eorum esse eamdem quoque dignitatem. » Par Angelis esse debet, non solum qui Deo benedicit, sed etiam qui Virginem laudat: qui primus eam suo nomine salutavit, fuit Angelus, docens postea non posse probe salutari et laudari nisi ab hominibus angelicam vitam æmulantibus. *Quod digne salutare tantam Virginem non sit quilibet dignus, ostendit Dominus, cum ad eam salutandam nonnisi Angelum misit: per hoc evidenter ostendens quod quid salutationem suam ab eo desiderat acceptari, angelicam vitam debet imitari.* (1) Mariæ cultor haberi non meretur, qui angelicam non imitatur puritatem, neque Mariæ placent laudes, quas exhalat scelerosa anima, et prædicat fœtida lingua. « Ut autem nunc a propheticis verbis incipiam, (2) Væ mihi, non quidem sicut Propheta, quia tacui, sed quia locutus sum, quia vir pollutus labiis ego sum. (3) Heu! quot vana, quot falsa, quot turpia, per hoc spurcissimum os meum evomuisse me recolo? Vehementer timeo ne jamjam audiam ad me dictum: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? (4) Utinam et mihi de superno altari non quidem carbo unus, sed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam et inveteratam prurientis oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat, quatenus Angeli ad Virginem, et Virginis ad ipsum, grata invicem ac casta colloquia dignus habear, meo qualicunque replicare sermone. » Hucusque Bernardus. D. Augustinus: *Laudari a male viventibus nolo, abhorreo, detestor.* Justius id dicere potest beatissima Virgo, quæ sanctiorem laudem meretur, tanquam cunctarum purarum creaturarum sanctissima. Quapropter, Christiane, *si vis ad Virginem ingredi et eam salutare, oportet te esse Angelum. Angelum autem te faciunt potissimum puritas, charitas, humilitas.* (5) His virtutibus digne Deiparam laudabis, et devotione religiosa veneraberis ejus nomen.

3. Devotio *religiosa, et jam sancta religione* (6), tria potissimum complectitur, nempe Mariani nominis venerationem, dilectionem et sanctificationem; Mariæ autem nomen veneratur exterius et interius: extetius, vel per dimissam capitis inclinationem, vel per humilem corporis demissionem; interius per sublimem dignitatis et excellentiæ cognitionem, per voluntariam cordis humiliationem. Quo major est Deiparæ dignitas, eo majorem venerationem meretur augustum ejus nomen. Ut autem fatur devotus et doctus Idiota Mariam alloquens: *Tantæ excellentiæ est nomen tuum ut ad ejus invocationem cœlum*

(1) Psal. 49. — (2) Richard. a S. Laur. L. 2. de Laud. Virg. 3. — (3) Prov. 31. — (4) Richard. ibid. — (5) In Ps. 101.

(1) Richard. a S. Laur. Lib. de Laud. Virg. cap. 8. — (2) D. Bern. Hom. 3. Sup. Miss. — (3) Esa. 6. — (4) Psal. 49. — (5) Hugo Card. in cap. 1. Luc. — (6) Tert. L. 3. adv. Marc. 20.

rideat, terra lætetur, Angelique congaudeant. (1) Quare, ut acute animadvertit Richardus a Sancto Laurentio, « ter ad minus in canticis in persona Angelorum quæritur : Quæ est ista? Non tantum quia personæ mirantur excellentiam, quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem : sed forsitan quia dulce nomen sibi desiderant responderi. Sicut enim antiquis patribus, Isaiæ et cæteris, nomen Domini in desiderio erat, ut scilicet inter homines nominaretur Christus, qui notus erat in cœlo, effunderetur in terra : sic et Angeli nomen Mariæ desiderabant nominari, et in notitiam effundi, ut non intra terræ terminos clauderetur, sed etiam celebre haberetur in cœlis. » Quis autem explicet quanta veneratione Angeli Marianum decantent nomen, *quanto devotionis affectu, a nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria? Ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid virtutis ab ea noverimus redundare.* (2) Fratres, Angelorum æmulemini venerationem, et ut gratias per invocationem Mariani nominis comparatas, valeamus aliquomodo recognoscere, amabile illud nomen, ardentissime diligamus.

Verba quæ in amoris cantico de Jesu nomine dicuntur, Mariano nomini accommodat Richardus a Sancto Laurentio : *Audiamus quid de hujus excellentia nominis more prophetico dixerit Salomon, quasi loquens ad Mariam : Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* (3) Virginis nomen recte comparatur oleo quod alit ignem, quodque, ut subjungit Richardus, *igni infusum, ipsum ferventiorem reddit.* Ut colligamus amoris divini flammam velut oleo foveri, nutriri, imo et augeri sanctissimo Mariæ nomine. Inde concludit toties laudatus Richardus : *O magna, o pia, o multum amabilis Maria ! tunc nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees diligentium te animos.* Neque duntaxat recreas diligentium corda, sed adhuc mentes eorum illuminas : ut Magdalenæ comprobatur exemplo (4), quæ peramanter Jesum inter mortuos quærens, vivum feliciter invenit : « Nam conversa retrorsum, vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit illi Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni. » Quid est, quod hæc mulier familiariter notissimum Jesum oculis coram videt, nec eum hactenus agnoscit; at ubi proprio se nomine appellari audivit, statim Dominum recognoscit? *Cum dixit Maria, tunc non visus, sed vocis fuit cognitio.* (1) Sed cur vocis cognitio? Nonne Christus jamjam locutus fuerat? nonne mulierem interrogaverat, et quid quæreret, et ploraret sciscitatus fuerat? Verum equidem est, sed Mariæ nomen nondum protulerat. At ubi illuminans Mariæ insonuit nomen, fugatæ sunt ab intellectu Magdalenæ tenebræ, et Dominum certo cognovit. Hanc mulieris mutationem merito miratur Origenes: *O mutatio dexteræ Excelsi ! Conversus est dolor magnus in gaudium magnum ; mutatæ sunt lacrymæ doloris in lachrymas amoris; ubi Maria audivit Mariam, præsentit in nomine quamdam vocationis singularem dulcedinem, et per eam cognovit ipsum a quo vocabatur esse magistrum suum. Tunc revixit spiritus ejus, et reversus est sensus ejus ; cumque Jesus vellet adhuc adjungere, non potuit hæc Maria patienter exspectare, sed præ nimio gaudio interrupit eum, dicens : Rabboni.* (2) Mariani nominis prolatio Magdalenæ mentem illustravit, cor sufflammavit, tantaque replevit dulcedine, ut præ nimio Christi amore, et concepto gaudio, in verba erumpens, Christum incipientem loqui, pia peramanter bonitate interruperit, per os, immersum in corde amorem Domini demonstrans.

Sculpatur cordi, sculpatur et manibus Marianum nomen : cordi, per dilectionem, manibus per sanctam operationem. Quam infelix Christianus mundo hærens, illumque velut signaculum super cor ac super brachium ponens ! « Est quidem homo quandiu per amorem inhæret mundo, procul dubio mundum ponit ut signaculum super cor suum, ut signaculum super brachium suum; mundo se intus et foris, voluntate et opere, ut signaculo imprimit : et quanto magis illi per amorem imprimitur, tanto illi conformior efficitur. (3) » Quam felix Christianus super cujus cor et brachium imprimitur Mariæ nomen! Potest dicere cum D. Bonaventura : *Ponam te sicut signaculum super cor meum, quia fortis est ut mors dilectio.* (4) Mariæ nomen in corde impressum sedulo gestat, non secus ac martyr Ignatius Jesu nomen, « in cujus corde, et in qualibet ejus parte cum a leonibus esset semidevoratus, compertum fuit hoc sanctissimum nomen Jesu, aureis

(1) L. 1. de Laud. Virg. 2. — (2) D. Bern. Serm. 2. de Virg. Deip. — (3) Lib. 1. de Laud. Virg. — 2. Cant. 2. — (4) Joan. 20.

(1) D. Chrysost. Hom. 85. in Joan. — (2) Hom. de Magdal. — (3) Guillel. in cap. 8. Cant. — (4) In Psal. B. Virg.

litteris scriptum et insculptum. (1) Olim adhuc Jesu nomen in manibus scribere solebant Christiani. Christi et Mariæ nomina cordi hæreant per amorem, manibus per virtutem, ut operibus unusquisque se Jesu et Mariæ servum demonstret. « Nota quod quidam habent Christum et Mariam, in corde per dilectionem ; alii in manu per operationem, sine qua tria prædicta non sufficiunt, quia probatio dilectionis, exhibitio est operis et isti soli remunerantur. » (2) Nam beatissima Virgo *agnoscit certe et diligit diligentes se, et prope est in veritate invocantibus se, præsertim his quos videt sibi conformes factos, in castitate et humilitate : si tamen charitatem adjecerint* (3), Marianumque nomen par sanctimoniam, virtutumque actus sanctificaverint.

Virgo beata lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones aversatur, quolibet vitio offenditur, qualibet autem virtute, ut peculiari nota sua lætatur et exsultat. Si virtutes socias habemus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet. (4) Beatissima Virgo prædicatur ab Ecclesia, vita, dulcedo et spes nostra. Ut autem animadvertit D. Bernardus, est *ordo pulcherrimus : dulcedinem vita præcedit, spes sequitur. Non enim sapis, nisi vivas, nec sperabis, nisi vivas et sapias.* (5) Mariani nominis dulcedinem nemo sapit nisi vivat supernaturali vita gratiæ, neque sperare potest æternam salutem, nisi sit in gratia et vivat, et Mariæ devotionem sapiat. *Servi Dei, quanto magis sunt in gratia, tanto majorem devotionem, et dulcorem sentiunt in nomine Jesu.* (6) Eodem modo ratiocinandum de Mariæ nomine, quod indevotis et criminosis non est dulce ; perfectis vero et justis suavissimum et saluberrimum est. Nam *devota invocatio et recordatio nominis hujus, ducit ad vigorem gratiæ in præsenti, et ad vigorem cœlestium in futuro.* (7) Quare Sanctus Ephrem Syrus nuncupat, *nomen Maria, portarum paradisi reseramentum.* Maxime illis qui Mariæ devotioni addicti sunt, qui ejus deferunt colores, nempe sanctitatem et virtutes, qui sanctissimum ejus sapiunt nomen. « Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem un fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero, in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure. (8) » At econverso qui Deiparam honorat, ejusque imaginem vita et moribus exprimit, et *qui acquirit gratiam Mariæ, agnoscetur a civibus paradisi, et qui habuerit characterem ejus, annotabitur in libro vitæ.* (1) Characterem bestiæ deferentes criminosi et peccatores, in corde, per iniquitatem ; in fronte per impudentiam, in manu per pravam operationem, gehennæ ignem sunt passuri. At econtra characterem Virginis deferentes devoti Christiani, in capite, per Mariani nominis existimationem ; in corde per dilectionem ; in manu per sanctam operationem ; in numero servorum Deiparæ collocantur ; in libro vitæ scribuntur, et in cœlo immortali felicitate potiuntur.

(1) Salmer. Tom. 4. Tract. 37. — (2) Richard. a S. Laur. L. 4. de Laud. Virg. — (3) D. Bern. Serm. 1. Sup. Salv. Reg. — (4) S. Jean. Damasc. — (5) Orat. 2. de Dorm. Virg. — (6) Bern. Sen. Tom. 4. Serm. 4. — (7) Richard. a S. Laur. L. 2. de Laud. Virg. 2. — (8) Apoc. 14.

(1) D. Bonav. in Psal. Virg. — (2) Tert. L. adv. Valent. 1. — (3) Coloss. 1. — (4) Tert. L. de Idol. 18. — (5) Tert. Prædic. Tom. 2. Tract. de Christiano Conc. 1. 2. 3. — (6) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 15. — (7) Cap. 1. — (8) Hebr. 3.

CONCIO QUARTA.

Sanctis *nominibus, et titulis, et argumentis veræ religionis* (2) nuncupantur, et denotantur Christiani. Quos tribus velut epithetis et insignibus designat Apostolus scribens : *Eis qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu.* (3) Veri namque Christiani in sua religione constituuntur, discriminantur et dignoscuntur, per 1. Sanctitatem, 2. Credulitatem, 3. Charitatem.

I. PARS. Christiani *sanctitatis viri* (4) nuncupantur a Tertulliano. Multa de hoc titulo aliorsum (5) dicta possunt videri, quibus addendum est sanctitatem trina potisimum de causa competere Christianis, scilicet, 1. Vocatione, 3. Nominatione, 3. Professione.

1. *Quam autem sanctitatem* (6) Christianorum declarat Apostolus multis in locis eos nuncupans vocatos ad sanctitatem, sanctificatos et sanctos. Et quidem vocatos ad sanctitatem, ut patet, tum ex epistola ad Romanos, tum ex prima ad Corinthios : *Omnibus qui sunt Romæ dilecti Dei, vocatis sanctis* (7), id est, vocatis ad sanctitatem, vocatis ad Christianismum, ut sint sancti. Omnes enim Christiani vocatione sunt sancti, quia vocati sunt ad sanctimoniam ; et si vocationi suæ respondere velint, debent studere sanctitati, esseque sancti. Quare Apostolus Judæos ad fidem conversos alloquitur : *Unde, Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum.* (8) Quasi dicat : Vos Hebræi, vocati estis ad Christianismum, non ut

criminose, sed ut sancte vivatis ; neque ad terrena bona, quæ vobis in Judaismo pollicebantur, sed ad bona cœlestia comparanda : ideoque considerate , non Moysem , non Aaron, sed Jesum, vocationis vestræ auctorem et Pontificem , cujus merito estis sanctificati. Et ut Corinthiis scribit Apostolus : *Sanctificatis in Christo Jesu :* quia scilicet per Christi merita fuere in baptismo sanctificati. Tandem Christiani , suscepto baptismate in quo sanctificantur Sancti a Paulo nuncupantur : *Omnibus sanctis , in Christo Jesu.* (1) Renati fonte baptismatis , sunt sancti : tum quia per gratiam habitualem *Spiritum biberunt sanctitatis* (2) ; tum quia conjuncti sunt Christo, qui est Sanctus Sanctorum : sanctitas etenim *propria natura est ejus* (3) ; tum quia per baptismum facti sunt membra Ecclesiæ , quæ *candida de sanctitate describitur* (4); tum quia christianum nomen , quod susceperunt in sacramento , sanctitatem significat. Quapropter sancti sunt, non solum vocatione , sed etiam nominatione.

2. Est enim *nomen Christianorum utique a Christo deductum.* (5) Quemadmodum a Platone Platonici, ab Aristotele Aristotelici, sic a Christo nuncupati sunt Christiani. *Ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.* (6) Quod factum existimat Suidas cum D. Petrus Romam abiturus Evodium sibi successorem in sede Antiochena declaravit : Tunc enim, inquit , Christiani vocari cœperunt , qui prius vocabantur Nazareni et Galilæi. Genebrardus vero id factum putat anno Christi 49 , qui fuit a morte ejus decimus sextus. Verum id anterius factum fuisse , eo scilicet anno quo Antiochiæ prædicarunt Paulus et Barnabas , satis hic innuit Lucas. Unde Baronius opinatur Christiani nomen inditum anno Christi 43 , qui fuit decimus ab ejus morte. Quovis autem anno id contigerit, D. Chrysostomus Antiochiam multum commendat, quod primum auditum sit in ea christianum nomen illustre et eximium : illustrius est enim esse et vocari Christianum, quam esse et vocari principem vel regem. Quod probe sciens D. Hieronymus sic scribit ad Furiam : *Pater tuus quem honoris causa nomino , non quia consularis et patricius, sed quia Christianus, impleat nomen suum.* (7) Idem Hieronymus Paulinum admonet : *Noli respicere ad phaleras et nomina vana Catonum. Esse Christianum grande est, non videri.* Christiani nominis nobilitatem dedecorare volens Julianus Apostata , vetuit ne fideles appellarentur Christiani. *Galilæos pro Christianis nominans atque ut ita vocarentur publica lege decernens. Ex quo perspicue ostendit Christiani appellationem perhonorificam esse, maximique ad gloriam momenti ; quoniam eam nobis eripere cogitavit.* (1) Molitus autem non fuisset eripere christianum nomen fidelibus, nisi illud honorabile et gloriosum existimasset. Unde autem procedat eximii illius nominis dignitas declarat Apostolus dicens Romanis ad fidem conversis : *Estis et vos vocati Jesu Christi* (2), id est, vocatitii, quasi famuli, vel discipuli , vel filii, vel fratres et regni cœlestis cohæredes. *Non principis, non terrenæ alicujus potestatis, non Angeli , non Archangeli, sed ipsius omnium regis nomine , appellari dignati sumus.* (3) Inde præ gaudio exclamat D. Bernardus : *Particeps nominis sum ? sum et hæreditatis ; Christianus sum ? frater Christi sum. Si sum quod dico, hæres sum Dei , cohæres autem Christi.* Titulus autem filii Dei , fratris Christi, hæredis regni cœlestis, longe superat augustiora quæque nomina quibus mortales gloriantur.

Ut autem animadvertit Tertullianus, *Christus dicitur a chrismate , quod est unctio , quæ Domino nomen accommodavit facta spiritalis , quia Spiritus unctus est a Deo Patre. Sic et in nobis carnaliter currit unctio , sed spiritaliter proficit : quoniam et ipsius baptismi carnalis actus , quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur.* (4) Christus Dominus sic nuncupatur quia ejus anima gratia et sanctitate uncta et delibuta fuit, Christiani quoque a Christo uncto appellantur uncti, non solum quia eorum corpus fuit in baptismo chrismate unctum , sed maxime quia eorum anima fuit spiritualiter uncta et sanctificata. Unde, ut digne augustum illud valeant portare nomen , debent esse unctionis spiritalis participes , et a gratia quæ a Christo dimanat inungi. Quare D. Ambrosius sic expendit istud Canticorum : «Unguentum exinanitum nomen tuum.» *Descendat istud unguentum in animæ præcordia, divinæque gratiæ spiramenta redoleat.* (5) Christi nomen duo importat et vocem externam, et internæ sanctitatis unctionem. Utrumque renatis communicat Dominus *cum propagine nominis , cum traduce Spiritus Sancti* (6) , ut qui sunt sancti nominatione , sint et professione.

3. *Cum dicimus : Sanctificetur nomen*

(1) Philip. 1. — (2) Tert. Apol. 39. — (3) Tert. L. de Mon. 3. — (4) Tert. L. 1. ad Uxor. 7. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 24. — (6) Act. 11. — (7) Epis. 10.

(1) Greg. Naz. Orat. 3. Contr. Julian. — (2) Rom. 1. — (3) Chrysost. Hom. 18. in Joan. — (4) Tert. L. de Bapt. 7. — (5) Lib. de Instit. Virg. cap. 13. — (6) Tert. Scorp. 9.

tuum, *id petimus*, *ut sanctificetur in nobis*, *qui in illo sumus*. (1) Christus, cujus sanctissimum est nomen, expostulat ut fideles in semetipsis christianum nomen sanctificent. Ad quod eos stimulat Apostolorum Princeps: *Secundum eum qui vocavit vos sanctum*, *et ipsi in omni conversatione sancti sitis : quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*. (2) Plura autem sunt quæ Christianos obligant ad sancte vivendum : 1. Quia debent divinæ conformes esse voluntati : at *voluntas Dei est sanctificatio nostra*. (3) 2. Quia in baptismo divina insigniti sunt similitudine quæ in sanctitate sita est. Ex magno autem Basilio *Christianismus quid est ? Assimilatio Dei*, *quatenus eam assequi potest humanæ fragilitas naturæ*. (4) Satis non fuit bonitati Dei in creatione suam nobis contulisse imaginem, in creatione *vult imaginem suam*, *nos etiam similitudinem fieri*, *ut simus sancti*, *sicut ipse sanctus est*. (5) 3. Quia a Patre cœlesti in filios adoptati a tanti Patris sanctitate non debent esse degeneres. Christiane, sic *age ut vivendo sancte*, *sancto respondeas Patri*. (6) 4. Quia templum Spiritus Sancti Sanctum debet esse ; ex D. autem Aug. *Christianus est templum Spiritus Sancti*. (7) 5. Quia sicut rami inseruntur arbori, ita fideles Christo inseruntur, ab eoque sugunt et hauriunt sanctitatem simul cum nomine christiano : *Cujus genus sumus*, *ejus censemur et nomine*. (8) Probus autem Christianus, Christo insitus, *habuit cum sua origine consortium nominis*, *sicut et generis* (9) : quia et re et nomine sanctus, sanctas Christi æmulatur virtutes, siquidem *Christianus est Christi imitator*. (10) 6. Quia christiana religio est *sanctimoniæ disciplina* (11) : et ut fatur ibidem D. Augustinus, *Christianus justitiæ*, *bonitatis*, *integritatis*, *patientiæ*, *castitatis*, *prudentiæ*, *humilitatis*, *humanitatis*, *innocentiæ*, *pietatis est nomen ; et tu illud quomodo defendis et vindicas tibi*, *cui de tam pluribus rebus nec pauca subsistunt ?* (12)

Scelerosus honorabile nomen, suis criminibus dehonestat, seseque christiani nominis indignum prædicat. Honorabile nomen dehonestat. (13) Ægre ferebat olim Musonius quod homines improbi philosophi nuncuparentur. « Mihi dolori et ægritudini est, quod istiusmodi animalia spurca atque probrosa, nomen usurpent sanctissimum, et philosophi appellentur. » Quanto magis est lugendum quod peccator sibi arroget Christiani nomen, longe philosophi titulo nobilius? Nam, ut ad propositum philosophatur Gregorius Nazianzenus, *cur Christiani nomen venerabile est ? Annon quia Christus Deus ? Petrum honore persequor*, *nec tamen Petrianus vocor ; et Paulum*, *nec tamen Paulianus nominatus sum. Non fero me ab hominibus nomen ducere*, *qui a Deo sum creatus*. (1) Christiani nominis excellentiam declarat aliorsum (2) « Sicut juxta Pithium oraculum, equa Thessala reliquis omnibus antecellit, et mulier Spartana omnibus aliis mulieribus, et viri Siculi omnibus viris : ita etiam Christiani in religiosis ritibus atque sanctionibus, mortales omnes antecellunt, ac principem honoris locum merentur. » Tali honore magis quam quavis alia dignitate probi gloriantur Christiani. *Cum aliis alia quædam cognomenta sint*, *vel a parentibus accepta*, *vel ex seipsis*, *hoc est ex propriis vitæ studiis institutisque comparata*, *nobis e contra magna res et magnum nomen erat*, *Christianos et esse et nominari : atque ea re magis efferebamur*, (3) quam cunctis aliis gloriæ titulis, sive a parentibus mutuatis, sive proprio studio et merito comparatis. Inde urget fidelem ut sit Christianus nedum nomine, sed etiam re. *Proinde si quia Deum ipsum existimas*, *ideo Christianus vocaris*, *voceris sane et maneas in nomine atque adeo in re*. (4) Nam si opera religioni contraria facis, *mendacio nominis* (5) gloriaris te esse Christianum, te sancti hujus nominis præbens indignum.

Apud Christianos *olim constitit de nominum proprietate* (6), quia probe suo respondebant nomini, sanctam habentes conversationem, Nam, ut refertur in Actis Apostolorum, *factum est autem ut Petrus dum pertransiret universos*, *deveniret ad Sanctos*, *qui habitabant Lydiæ* (7), nempe ad Christianos sanctos nuncupatos, quia sanctam agebant vitam. Hos non imitatur peccator, qui criminose *vivens in nomine venit alieno* (8), Christi sanctitatem lacescens, violans, dedecorans, infamans. Domitianus imperator Metium et Pomposianum morte mulctavit, quod nomina Magonis et Hannibalis utpote illustrium ducum, servis indixissent. (9) Alexander Magnus, obviam habens militem, nomine Alexandrum, desidem et vecordem, dixit ei : Aut muta mores, aut muta nomen. Filium Sci-

(1) Tert. L. de Orat. 3. — (2) 1. Petr. 1. — (3) Tert. L. de Exhor. Cast. 1. — (4) Hom. 10. Exam. — (5) Tert. ibid. — (6) Chrysol. Serm. 67. — (7) Lib. 1. de Symb. ad Cathecum. cap. 5. — (8) Chrysol. ibid. — (9) Tert. Lib. adv. Hermog. 25. — (10) D. August. Lib. de Vit. Christian. cap. 1. — (11) Tert. Lib. de Resur. 47. — (12) Lib. de Vit. Christian. cap. 6. — (13) Apud. Gell. L. 9. cap. 2.

(1) Orat. 31. — (2) Orat. 3. — (3) Greg. Naz. Orat. 20. — (4) Orat. 13. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 39. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 38. — (7) Cap. 9. — (8) Tert. ib. — (9) Sueton. in Domit. cap. 10.

pionis stolidum et nebulonem, glorioso parentis nomine exuerunt Romani : imperatores Arcadius et Honorius legem tulerunt qua Eutropii viri consularis de cunctis actibus publicis deletum est nomen (1) : « Omnes res Eutropii qui quondam præpositus fuit sacri cubiculi, ærarii nostri calculis adjunximus, erepto splendore ejus et consulatu a tetra illuvie, et commemoratione nominis ejus, et cœnosis sordibus vindicato, ut ejusdem universis actibus antiquatis, omnia mutescant tempora, nec ejus enumeratione seculi nostri labes appareat. » Sacro etiam canone sancitum habetur « nomine deberi privari quempiam, ratione criminis. » Profecto christiano nomine privandus esset peccator : nam, ut philosophatur Salvianus, *qui christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur. Nomen ejus sine actu atque officio suo, nihil est. Quid est aliud principatus, sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine ? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto ? Circulus aureus in naribus suis* (2) *mulier pulchra et fatua. Et in nobis itaque christianum vocabulum, quasi aureum decus est : quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur.* (3) Falso peccator defert christiani nomen, quod est titulus sanctitatis ; mendaciter adhuc Hæreticus nuncupatur Christianus, nomen enim christianum, est vocabulum fidei et credulitatis.

II. PARS. *Non omnium credere quod Christianorum est.* (4) Non Gentilium, neque Judæorum, neque hæreticorum, sed Christianorum duntaxat est credere. Non quidem Gentilium, quia falsos colentes deos in errore versantur, neque veritate illustrantur. *Cui enim veritas comperta sine Deo ? cui Deus cognitus sine Christo ? cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto ? cui Spiritus Sanctus accommodatus sine fidei sacramento ?* (5) Non etiam Judæorum, quia baptismum non recipiunt, in quo renatis infunditur fides *obsignata in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto.* (6) Neque tandem hæreticorum, quia licet in baptismate fidem recipiant, tamen dum habent usum rationis, de sinu Ecclesiæ exeuntes *in hæresim, fidem demutant* (7), errores ab Ecclesia damnatos pertinaciter propugnantes : ideoque a cœtu fidelium merito rejiciuntur, ad quos solummodo pertinet credere. Et ob hanc causam illos nuncupat Apostolus sanctos et fideles : *Omnibus sanctis qui sunt Ephesi et fidelibus in Christo Jesu.* (1) Fideles, id est, credentes vocitat, quia *fidei charactere formati et consignati sunt* (2), deferuntque simul nomen christianum, quod est titulus fidei et credulitatis, 1. Exercendæ, 2. Confitendæ, 3. Implendæ.

1. Plura sunt quæ Christianos ad exercendam fidem promovent, 1. Societas quam habent cum aliis fidelibus, *in ipsius nominis sacramento* (3) : quodnam est autem illud nominis sacramentum ? scilicet *sacramentum fidei.* (4) 2. Credulitas quam veraci Deo præstare tenetur Christianus, cui tanquam supremo intellectus humani Domino, cunctas mentis subjicere tenetur cogitationes. Essentialis enim hæc dependentia expostulabat, ut *ordine dispositionis et prædicationis, fides informata, et homini indiceretur a Deo, et Deo exhiberetur ab homine.* (5) 3. Sublimitas mysteriorum religionis, quæ humana rationis perspicacia attingi non possunt, sed duntaxat a credentibus per fidem cognosci possunt : *Sed arcana ista nec omnium nosse.* (6) Gentiles namque philosophi quantumvis mentis acumine prædiiti, cognoscere nequeunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, aliaque supernaturalia, quæ Christiani sola fide credunt, qui idcirco fideles agnoscuntur. *Cognosce qui nescis, et crede nobiscum.* (7) 4. Status viæ umbris et ænigmatibus obvolutus, quo perveniendum est ad statum patriæ splendoribus illustratum. *Quia nondum possumus contemplari per speciem, dedit interim nobis et sapere per fidem. Fides ducit ad plenam cognitionem.* (8) 5. Quia gratia necessaria est ad salutem, fides autem est dispositio prævia ad gratiam. *Ingressus fidei* (9) ad justificationem requiritur. Ut enim fatur D. Ambrosius, *pecunia non emitur Christus, sed gratia, pretium nostrum fides. Hac emuntur divina mysteria.* (10) Inde sapienter concludit contra Manichæos D. Augustinus : *Recte igitur catholicæ disciplinæ majestate institutum est, ut accedentibus ad religionem fides persuadeatur ante omnia* (11), ne pateat aditus interrogationibus, contentionibus, quæstionibus, curiositatibus : quia, 6. *Regnum Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.* (12) Et, ut ait D. Chrysostomus, *quæstionis nulla necessitas, ubi fides est* (13), quæ non humanis rationibus,

(1) Cod. Theodos. leg. 17. de Pœnit. — (2) Prov. 11. 22. — (3) Gloss. 1. c. admonere 33. quæst. 2. L. 4. de Prov. — (4) Tert. L. de An. 6. — (5) Tert. Lib. de An. 1. — (6) Tert. L. de Bapt. 6. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 4.

(1) Ephes. 1. — (2) D. Chrysost. — (3) Tert. L. adv. Jud. 14. — (4) Tert. L. de Pud. 18. — (5) Tert. L. 3. adv. Marc. 2. — (6) Tert. L. de Pall. 3. — (7) Tert. L. de An. 28. — (8) D. Bern. Ep. 18. — (9) Tert. L. de Res. Car. 25. — (10) L. de Joseph. c. 8. — (11) L. contr. Manich. c. 13. — (12) D. Ambr. L. de Fide Trin. c. 5. — (13) Imperf. Hom. 1. in Matth.

sed auctoritati et veritati divinæ innititur. Profecto *judicarem indignum rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constat esse subnixam.* (1)

Verum licet intellectus humanus dominio Dei sit humiliter subjiciendus ; licet Deo veraci indubitanter credendum sit; licet *scrutanda non sint quæ sunt supra nos* (2) ; licet in fide firmiter sit standum ; quia *cum credimus nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus , non esse quod ultra credere debeamus* (3):attamen non osbtantibus tot rationibus quæ fidei exercitium expostulant , et incredulitatem a Christiano propulsant , nonnulli Deo summe veraci credulitatem denegant. *Sed ne suis quidem magistris fidem inclinavit humana de incredulitate duritia* (4) : quidam Ecclesiæ auctoritatem despiciunt, et catholici haberi immerito volunt; ut de nonnemine obplorandum est cum D. Bernardo : *Jamque in Ecclesia , hostis Ecclesiæ , fidei persecutor , in gremio fidei requiescit.* (5) Alii quæstionibus mysteria fidei quantumvis sublimia exagitant et labefactare tentant. *Incredulitas rei tantæ quæstionibus fidem torquere cœpit.* (6) Isti tandem veritates christianas etiam supernaturales , ratione comprobandas , non fide credendas existimant. Quod præsumpsit Abailardus, *cum ea ratione nititur explorare, quæ pia mens, fidei vivacitate apprehendit.* Ut autem subjungit Mellifluus Doctor , *fides piorum credit, non discutit : sed iste Deum habens suspectum credere non vult, nisi quod prius ratione discusserit.* (7) Cui probe competunt ea quæ Marcioni in hæresim lapso objectat Tertullianus : *Mortuus es qui non es Christianus, non credendo, quod creditum facit Christianos. Et eo magis mortuus es, quo magis non es Christianus ; qui cum fuisses , excidisti , rescindendo quod retro credidisti* (8) , deserendo fidem exercendam et confitendam.

2. Quam felices Christiani fidem ad praxim redigentes ! nam *per fidem nominis Christi omnibus in eum credentibus peccata remittuntur.* (9) At multo feliciores qui pro fide Christi patiuntur ; quapropter Apostolus *utique beatos affirmavit, quibus donatum, est non tantum credere in Christum, sed etiam pro ipso pati.* (10) Donum Dei est fides qua credimus : donum est etiam Dei quando pro fide patimur. Magnum est Dei donum , quo veritates quæ naturam superant credimus ; sed longe majus est Dei donum , quando pro pugnanda fide tormenta , quæ natura abhorret patimur. Donum patiendi majus censent D. Chrysostomus et Theophylactus, quam suscitare mortuos et signa miranda patrare. *Hic enim debitor sum, illic autem debitorem habeo Christum. O rem admirabilem ! et donat mihi, et super hoc, ipse debet mihi.* (1) Est autem patiendum pro Christo, præsertim quando necessaria est *confessio nominis* (2) : nam, ut philosophatur D. Augustinus , *fides officium a nobis exigit, et cordis, et linguæ.* (3) Cordis ad credendum ; linguæ ad fidem confitendam, dum tyranni et persecutores ad negandam fidem inducere satagunt, quam tunc *debitricem martyrii* (4) asseverat Tertullianus. Sed quia hac tempestate non grassatur persecutio, quæ Christianis martyrii occasionem præbeat , fides non est passione confitenda , sed bono opere adimplenda.

3. *Fidem commendamus* (5), Christiani scilicet, *qui recte credit, et recte credendo bene vivit, et bene vivendo , fidem rectam custodit.* Tria autem sunt necessaria ut quis recte credat et bene vivat : nimirum , fides obsequens , charitas ardens , opus bonum a fide regulatum et a charitate proficiscens ; quia *nec spiritus datur nisi credentibus , nec fides valet, si non operatur ex dilectione.* Quomodo istud Canticorum « Recti diligunte, » expendit D. Bernardus (6), ad quod requiritur, 1. Fides obsequens *et recte acquiescens* : 2. Charitas ardens , sine qua Christianus nequit esse rectus. Nam , ut subjungit D. Bernardus , *quomodo rectus cujus fides mortua ? Mors fidei est separatio charitatis.* (7) 3. Opus bonum a charitate proficiscens : *Rectum judica, si fide catholicum , et justum opere probaveris.* (8) Frater, si rectus velis haberi Christianus, 1. Crede : nam *fide quæ est in Christum reviximus , a qua fide Israël cecidit.* (9) 2. Dilige , quia dilectio est vita et anima fidei. *Credis in Christum ? fidem tuam dilectio animet.* (10) 3. Bene operare. *Rectum revera dixerim si recte in omnibus sentias , et factis non dissentias : invisibilis animi statum nuntiet fides et actio.* Etenim fidem , dilectionem et bonam operationem complectitur *veritatis integritas et disciplinæ plenitudo.* (11) Frater, qui christiano nomine gloriaris , qui te fidelem profiteris , qui te Christi discipulum et servum proclamas, qui

(1) D. Bern. Ep. 189. — (2) D. Chrysost. Hom. 4. in Gen. — (3) Tert. L. de Præsc. Hær. 8. — (4) Ter.. L. de Resur. Carn. 39. — (5) Epist. 369. — (6) Tert. L. de Res. Car. 59. — (7) D. Bern. ib. — (8) Tert. L. de Carn. Chr. 2. — (9) Tert. L. adv. Jud. 8. — (10) Tert. Scorp. 13.

(1) In cap. 1. Ep. ad Philip. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) L. de Fide et Symb. c. 1. — (4) Tert. Scorp. 8. — (5) Tert. L. de Orat. 2. — (6) D. Bern. Serm. de Mod. ben. vivend. cap. 1. — (7) D. Bern. Ep. 47. — (8) Serm. 24. in Cant. — (9) Tert. Lib. adv. Jud. 13. — (10) D. Bern. ibid. — (11) Tert. L. de Spect. 20.

te dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit et tu ambulare : quod si criminosam ducis vitam, es *prævaricator fidei* (1); si male operaris, confiteris te nosse Deum, factis autem negas; non es Christi discipulus, indigneque defers christianum nomen, quod est vocabulum fidei et credulitatis, dilectionis et charitatis.

III. PARS. *Pro discrimine vocabulorum etiam res separantur.* (2) Multa habent nomina Christiani quibus a Gentilibus, Judæis et hæreticis discriminantur. Ex D. Bernardo *tria sunt quæ nos faciunt Christianos : fides, baptismus et altaris participatio.* (3) Per fidem discriminamur ab infidelibus, per baptismum a Judæis, per altaris participationem ab hæreticis, qui negant realem præsentiam corporis Christi in sacramento : vel potius altaris participatio facit Christianos, quia est mysterium amoris et charitatis, quod Christianos nobilitat, ditat et discriminat : nobilitat supra Angelos, ditat digne accedentes ad sacram Synaxim, discriminat catholicos ab hæreticis; charitas est Christianorum insigne quod eos mire, 1. Nobilitat; 2. Ditat; 3. Discriminat.

1. Humanæ carnis nobilitatem multum commendat Tertullianus : in præsentiarum duas tantum ejus dotes afferre lubet : nam, 1. Ratione carnis homo sacerdotali pollet dignitate. Ideo carnem nuncupat Deus apud Tertullianum : *Religionis suæ sacerdotem.* (4) 1. Ratione carnis, Christianus ad altaris mensam accedit : *Eucharistiæ sacramentum, omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus.* (5) Tam sublimis est bina hæc Christianorum prærogativa, ut in hac gloria Angelis superiores existant: licet enim Christum adorent Angeli in sacramento, et tempore sacrificii humiliter adsint altari, attamen neque tantum mysterium offerunt tanquam sacerdotes, neque sunt sacræ mensæ participes : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* (6) Ratione Eucharistiæ Christianus Angelos antecellit, et ratione charitatis, ad Seraphinorum gloriam ascendit. Amor etenim est proprius Seraphinorum character, qui inter cœlestes spiritus primatum tenent, quia Dei æstuant amore. Christianus charitatis igne safflammatus Seraphinorum æmulatur nobilitatem et divitiarum Dei ditatur gazis.

2. Eucharistia opulenter ditat digne accedentes ad sacram Synaxim: nam *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur* (1), scilicet per gratiæ augmentum quod recipit digne suscipientis anima. Uti Eucharistia est gratiarum fons et scaturigo, ita dilectio est charitas *christiani nominis thesaurus* (2); tantaque quilibet Christianus est ditior, quanto majori ardet charitate : *Quanto in quocunque major est charitas, tanto melior est in quo est.* (3) Eucharistia nuncupatur a Tertulliano thesaurus Dei, *sed Deus thesauro suo providet.* (4) Ex D. Gregorio Nanzianzeno, *Christianos Deus pro divitiis habet, et divites reddit* (5) : Eucharistia est sacramentum sacramentorum cæteris antistans sacramentis : charitas est regia virtus, *omnibus charismatibus præponenda.* (6) Eucharistia ad amorem Dei et proximi sufflammat ; charitas dicitur vinculum, quia Christianum cum Deo et cum suis proximis conjungit. Eucharistia commendatur, tum ex Christi instituentis dilectione ; tum ex rei contentæ dignitate ; tum ex gratiæ quam largitur valore. Commendatur etiam charitas ex amore Spiritus Sancti illam largientis, ex naturæ ipsius nobilitate, ex affectuum quos largitur pretio. Quapropter eam *Apostolus totis viribus Spiritus Sancti commendat.* (7)

3. Tandem Eucharistia Christianos catholicos ab hæreticis discriminat. Catholici enim reale Christi præsentiam in sacramento credunt: *quod et corpus ejus in pane censetur.* (8) Hæretici vero figuram duntaxat corporis admittunt : *Hæretici volunt omnia Prophetas per imagines concionatos.* (9) Imo Calvinistæ docent ipsummet Christum institutione sacramenti figuraliter locutum fuisse, *adversus definitivam Evangelii sententiam* (10), quæ Christum corpus suum vere et realiter dedisse aperte declarat. Uti Eucharistiæ fides catholicos ab hæreticis discernit, sic *dilectio summum fidei sacramentum* (11) ab infidelibus distinguit fideles : qui ratione mutuæ dilectionis nuncupantur fratres, ut ipsimet fatentur : *Fratrum appellatione censemur.* (12) Nec immerito *commune cum sit nomen secundum naturam, secundum disciplinam.* (13) Duplici namque ratione Christiani sunt fratres : una in natura, alia in disciplina fundata. Secundum naturam fratres sunt omnium hominum, nec hac fraternitate distinguuntur ab infidelibus, cum quibus in eadem essentia conveniant.

(1) Tert. L. de Idol. 20. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 4. — (3) Serm. 4. de Epiph. — (4) Lib. de Res. Carn. 12. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 3. — (6) Hebr. 13.

(1) Tert. L. de Res. Carn. 8. — (2) Tert. L. de Pat. 12. — (3) D. Aug. in Enchir. 117. — (4) Tert. L. de Pœn. 6. — (5) Orat. 12. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 8. — (7) Tert. L. de Pat. 12. — (8) Tert. L. de Orat. 6. — — (9) Tert. L. de Res. Carn. 20. — (10) Tert. L. adv. Prax. 25. — (11) Tert. L. de Pat. 12. — (12) Tert. Apol. 39. — (13) Tert. L. de Vel. Virg. 8.

Quapropter sic idololatris persecutoribus loquuntur : *Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres.* (1) Secundum disciplinam distinguuntur ab infidelibus Christiani, et conveniunt cum cæteris Christianis, quorum sunt fratres, et hæc fraternitas in religione et charitate fundata, nobilior est ea quæ in natura duntaxat fundatur. Nam, ut subjungit Tertullianus, *at quanto dignius fratres et dicuntur, et habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem, ad unam lucem expaverint veritatis;* qui in eadem disciplina confœderantur, ejusdem Ecclesiæ sunt membra, eamdemque sperant felicitatem. Quod attente considerans D. Augustinus, audacter proclamat : *Omnes proximi sumus et conditione terrenæ nativitatis, et etiam spe cœlestis hæreditatis.* (2)

Illius autem fraternitatis in disciplina et religione fundatæ, qua Christiani ab infidelibus distinguuntur, et inter se conveniunt, triplicem notam refert Tertullianus : prima est facultatum temporalium communio, seu communicatio : unde sic pungunt Gentiles : *Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores. In isto solo consortium solvimus.* (3) Secunda est mititas quam commendavit Dominus : *Beati mites* (4) ; quam specialiter verbo et exemplo docuit : « Discite a me quia mitis sum; » quam etiam in suo adhuc nomine præ se ferunt Christiani : *Christianus, quantum interpretatio est, de unctione deducitur.* (5) Itaque christianum nomen *de suavitate vel benignitate compositum est.* (6) Tertia est, ardens patiendi, imo et moriendi pro fratribus desiderium : mirantes Gentiles, illud perverse æmulabantur : *Vide, inquiunt, ut invicem se diligant. Ipsi enim invicem oderunt. Et, ut pro alterutro mori sint parati. Ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores.* (7)

Christiane, habesne tui *nominis formam*, (8) nimirum sanctitatem, credulitatem et charitatem? « Christianus, justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen : et tu illud quomodo defendis et vindicas tibi, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistunt? » (1) Christianus accedens ad Deum credit, auctoritati et veracitati divinæ cunctas mentis cogitationes subjicit, superbiam non sapit, neque vanis quæstionibus et disputationibus christianas veritates debellare satagit. Tu autem quomodo fidelis habes nomen, qui temerarie mysteria religionis aut negas, aut impugnas? « Christianus ille est qui omnibus misericordiam facit, qui omnino non movetur injuria, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum mœrentibus mœret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit; quia ad fletum fletibus alienis provocatur, cujus domus communis est, cujus janua nemimi clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat. » (2) Num tu illum fratrem et « Christianum putas, qui opprimit miserum, qui pauperem gravat, qui res concupiscit alienas, qui ut se divitem faciat, plures efficit indigentes, qui lucris gaudet injustis, qui de alienis lacrymis cibum capit, qui miserorum ditatur interitu? (3) Num tu illum Christianum putas, cujus nunquam pane saturatur esuriens, cujus potu nullius sitis exstinguitur, cujus mensam nemo cognoscit, sub cujus tecto, nec advena, nec peregrinus aliquando succedit, cujus nemo nudus tegitur vestimentis, cujus pauper nullus fovetur auxilio, cujus bonum nemo sentit, cujus misericordiam nemo cognoscit? (4) Num tu illum Christianum putas, in quo nullus Christianitatis est actus, in quo conversatio nulla est justitiæ, sed nequitiæ, impietatis et sceleris? (5) Absit ut hujusmodi Christianus dicatur. Christianus ille est qui non nomine tantum, sed et opere, Christum in omnibus imitatur et sequitur ; qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus est ; cujus in pectore sola pietas consistit et bonitas, qui nemini novit nocere, neminem lædere, sed omnibus opem ferre ; » qui sanctitatem, credulitatem et fraternitatem in omnibus demonstrat. (6) Qui est hujusmodi, verum se profitetur Christianum, et mercedem debitam sanctitati, fidei et charitati, in cœlo assequitur.

(1) Tert. Apol. 39. — (2) Serm. 39. de Temp. — (3) Tert. Apolog. 39. — (4) Tert. L. de Pat. 11. — (5) Tert. Apol. 3. — (6) Tert. ib. — (7) Tert. Apol. 39. — (8) Tert. L. adv. Valent. 6.

(1) D. Aug. L. de Vit. Chr. c. 6. — (2) D. Aug. L. de Vit. Chr. 14. — (3) D. D. Aug. L. de Vit. c. 11. — (4) Cap. 14. — (5) Cap. 10. — (6) Cap. 6.

CONCIO QUINTA.

Quam felices religiosum nomen habentes et statui suo probe respondentes ! *Quibus a cœlo*

bene est (1) ob vitam æternam eis a Christo Domino pollicitam. Cunctis generatim Christianis christiane viventibus immortalis promitittur beatitudo;sed regularibus adhuc specialiter debetur, ob admirabilem status sanctitatem. Nam *quis non miretur et prædicet eos qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in omnem vitam sanctissimam et justissimam congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti; nulla invidia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intensissimam in Deum agunt, et gratissimum munus ipsi offerunt, a quo illa posse meruerunt?* (2) Postquam D. Augustinus vitam religiosam a vitiis quæ in seculo vigent, alienam prædicavit,et præcipuis christianæ disciplinæ virtutibus fulgidam demonstravit, eam ubique coruscare desiderat, monachos alloquens : *Tam bonum, tam sanctum est vestrum propositum, quod in Christi nomine cupimus, per omnes terras pullulare.* (3) Nec mirum si Hipponensis Antistes religiosam professionem commendat, ejusque dilatationem et incrementum exoptat. Nam, ut fatur Melliffluus Doctor, *modus quidem vitæ est sanctus, honestus, castitate decorus, discretione præcipuus, a Patribus institutus, a Spiritu Sancto præordinatus, animabus salvandis non mediocriter idoneus.* (4) Quia tamen hac tempestate religiosi *nominis prælium est* (5) : nam nonnulli illud æstimant, alii oderunt, multo plures diffamant. Primi quidem juste, secundi vero inique, tertii tandem criminose. Itaque nomen religiosum, 1. Merito commendatur; 2. Injuste aversatur; 3. Scelerose depretiatur.

I. PARS. *Nominis concilium* (6) sibi conciliant religiosi, evangelica sectantes consilia: quorum status multitudo commendatur : præsertim, 1. Vetustate; 2. Dignitate; 3. Salutis securitate.

1. Religiosi adeo sunt *vetustate nobiles* (6), ut teste D. Augustino, ipsorum antesignani habeantur Helias et Joannes Baptista : *Hos enim duos viros magnificos exordium monastici ordinis prætulisse credimus.* (8) Helias quidem in veteri Testamento, Joannes vero Baptista in novo. Etenim *Heliam et Hælizæum constat veraciter veteris Testamenti monachos fuisse.* Subjungit ibidem D. Augustinus : *Deveniamus ergo apud monachum novi Testamenti, Joannem scilicet Baptistam, qui propter sanctitatem et munditiam vocatus est a Domino Angelus : propter ariditatem vitæ potest dici monachus : quem nos dicere possumus Angelum terrenum et hominem cœlestem.* Idipsum de Joanne Baptista asseverat D. Chrysostomus, religiosis objiciens propositi sui dignitatem: *Considerate, monachi, dignitatem vestram: Joannes particeps vestri est dogmatis* (1) : quasi statuta monastica sint velut fidei dogmata, quorum sectator et particeps fuit Domini præcursor. « Recabitæ, in veteri Testamento, vitam monasticam duxerunt, et eo quod præcepto patris sui Jonadab obedierunt, a Domino collaudantur. Ipsi enim, sicut Hieremias propheta narrat, præcepta patris sui servare curaverunt. Præcepit namque eis ut vinum non biberent, et domos non ædificarent, et vineas non plantarent, et remota cæterorum hominum conversatione, seorsum vivere studerent : qui et ita præcepta patris sui servaverunt, quousque post hostium incursum, licentiam habuerunt. Babylonico enim exercitu appropinquante, Hierusalem sunt ingressi. (2) » In novo quoque testamento, Heliam et Joannem Baptistam *secuti sunt Paulus et Antonius, et multi hujus propositi sectatores.* (3) Nam,ut animadvertit aliorsum D. Augustin. (4) « nomen Christianorum quando dici cœpit, scriptum est : in Antiochia enim primum post ascensionem Domini discipuli appellati sunt Christiani, *et Xenodochia et Monasteria postea sunt appellata novis nominibus : res tamen ipsæ et ante nomina erant, et religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur.* (5) Ab initio nascentis Ecclesiæ structa sunt monasteria, et regulares nuncupati sunt monachi; licet ante hujus nominis appellationem fuerunt religiosæ vitæ sectatores, cujusmodi fuerunt Alexandriæ sub Sancto Marco, Essæi, sic dicti quasi *sancti*, seu *pii*. Quanta vero fuerit Essæorum sanctitas seu pietas declarat Porphyrius, infensissimus Christianorum inimicus. Impii illius philosophi verba refert Eusebius (6), quæ libens prætereo, ut concludam cum D. Bernardo status religiosi vetustatem: *Res enim est antiquæ religionis, perfectæ fundatæ in Christo pietatis, antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei, a tempore Prophetarum præmonstrata, jamque novæ gratiæ sole exorto, a Joanne Baptista*

(1) Tert. L. de Pall. 1. — (2) D. August. L. de Mor. Eccles. 31. — (3) Lib. de Oper. Monach. cap. 28. — (4) D. Bern. Apolog. de Morib. Religios. — (5) Tert. Apol. 2. — (6) Tert. L. de Pall. 4. — (7) Tert. de Pall. 1. — (8) Serm. de Instruc. Monach.

(1) Hom. de S. Joan. Bapt. — (2) D. Aug. ibid. — (3) Cap. 35. — (4) D. August. ibid. — (5) Tract. 97. in Joan. — (6) Lib. 9. de Præpar. Evang.

instaurata et innovata, ab ipso Domino sanctissime celebrata; ab ejus discipulis ipso præsente concupita. Post passionem vero Domini calente adhuc in cordibus fidelium effusi ejus sanguinis recenti memoria, solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus, et in spiritualibus exercitiis, et in contemplatione Dei pingue otium altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt. Ex quibus legimus Paulum, Macharium, Antonium, Arsenium, et alios quamplures in sanctæ hujus conversationis republica consulares viros, egregia nomina, in civitate Dei nobiles et triumphales titulos habentes de victoria hujus seculi, et principis hujus mundi, et corporis sui, de cultu animi, et Domini Dei sui. (1) Postquam D. Bernardus fuse monastici status retulit vetustatem, hujus propositi consolatur sectatores, redarguens hæreticos, aliosque pravæ voluntatis homines, qui eos novitatis accusant. *Sileant ergo qui in tenebris de luce judicantes, nos arguunt novitatis ex abundantia malæ voluntatis, ipsi potius arguendi vanitatis :* qui superbia qua tument excæcati, religiosi nominis non agnoscunt neque vetustatem, neque dignitatem.

1. Quanta sit religiosi *nominis dignitas* (2) duodenaria est ratione demonstrandum : scilicet ex, 1. Ardenti dilectione ; 2. Status perfectione ; 3. Religionis obligatione ; 4. Terrenorum abdicatione ; 5. Perfecta imitatione ; 6. Proximorum separatione ; 7. Omnimoda suiipsius oblatione ; 8. Crucis bajulatione ; 9. Plenaria remissione ; 10. Meritorum acquisitione ; 11. Ampla remuneratione ; 12. Cœli comparatione.

Qui charitatis sufflammatur igne, *ad plenitudinem legis accedit.* Nam, ut subjungit ex Apostolo D. Bernardus, *plenitudo legis charitas in qua omnia concluduntur mandata.* (3) At religiosus ad *plenitudinem Evangelii* (4) assurgit : quia qua ardet dilectio eum non solum ad mandatorum observationem stimulat, sed adhuc ad sectanda evangelica consilia invitat. Ob hanc causam fratres de monte Dei sic alloquitur Mellifluus Doctor : « *Non est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere quid præcipiat Deus, sed quid velit, probantes quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta* (5), quæ charitatem respicit. Charitas autem nuncupatur ab Apostolo, vinculum perfectionis : tum quia omnia Dei mandata complectitur : *Si est charitas, ibi est plenitudo legis* (1) : tum quia, ut vult Doctor Angelicus, *omnes alias virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectam* (2) ; tum quia, ut subjungit ibidem D. Thomas, « unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis, et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianæ vitæ » (3) ; tum quia religiosos ad sequenda evangelica consilia inducit. Inde merito exclamat D. Bernardus : *Bonus dilectio murus ; sed habet hic murus antemurale, dilectio quasi murus est, antemurale regularis districtio.* (4) Seculares dilectione tanquam muro cinguntur, qua ad observanda divina mandata incitantur, et vitanda cuncta quæ divinæ legis observationi contraria sunt : religiosi ultra hunc murum quo non secus ac cæteri Christiani adstringuntur ad præceptorum divinorum observantiam, habent antemurale, nimirum dilectionem, qua ad servanda consilia evangelica accenduntur, quæque repellit acquirendæ perfectionis impedimenta. Quare nuncupantur a D. Bernardo, *christianæ devotionis, ac religionis speciosissima portio.* (5) Devotio autem in fervore consistit charitatis, ad quam se per votum adstrinxerunt. Quos ideo sic urget D. Bernardus : *Non enim solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnem sanctitatis perfectionem, et omnis consummationi finem.* (6)

Non quod perfectio essentialiter sita sit in consiliorum observantia, quam absque consiliis evangelicis sectantur prælati, sed quia, ut ait D. Thomas, *actualis renuntiatio propriarum facultatum est instrumentum perfectionis.* (7) Neque quod religiosi sint in statu perfectionis acquisitæ, sed duntaxat acquirendæ : et ut fatur Doctor Angelicus, *non quasi profitentes seipsos perfectos, sed profitentes se ad perfectionem tendere.* Neque tandem quod sint episcopis perfectiores : episcopi enim sunt in statu perfectionis acquisitæ ; religiosi vero in statu perfectionis acquirendæ. Hoc discrimen, inquit ipsemet Christus (8), nam dum pastorale munus commendare vult Petro, illum ter interrogat an de facto plus cæteris amet, scilicet an Christum diligat, ut aliorsum diximus, plus quam sua, plus quam suos, plus quam se, ita ut sit paratus pro Salvatoris amore relinquere suas facultates, separari a proximis, suamque donare constanter vitam : at dum ad paupertatem evangelicam vocat, ait

(1) Lib. de Vit. Solit. ad Frat. de Mont. Dei cap. 1. — (2) Tert. L. de Spect. 12. — (3) D. Bern. Serm. 25. in Cant. — (4) S. Paulin. Epist. 1. — (5) Tract. de Vit. Solitar. cap. 1.

(1) Coloss. 3. — (2) D. Aug. in Psal. 91. — (3) 22. q. 114. ad. 8. — (4) Serm. 25. in Cant. — (5) Tract. de Vit. Solit. cap. 1. — (6) Tract. de Vit. Solitar. cap. 2. — (7) 22. quæst. 184. a. 7. Act. 3. (8) Joan. 21.

tantummodo : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus et sequere me. » (1) Verum licet religiosi non sint in statu perfectionis acquisitæ, neque episcopalem perfectionem attingant, attamen *si bene perspicimus ista sollicitudo nos ad perfectionis necessitatem constringit* (1), quia perfectionis acquirendæ tollit impedimenta et media sectatur. Quare religiosam vitam velut mediam collocat D. Bernardus inter cœli cives et homines mundo deditos. Illi manducant panem Angelorum in regno Dei, isti cum prodigo porcorum siliquas comedunt in seculo. *Ab utraque mensa prohibeor ; ab hac quidem professionis, ab illa corporis vinculo: ut nec ad inferiorem audeam, nec ad superiorem accedere possim.* (3) Verum licet religiosi accedere nequeant ad cœlestium civium dignitatem, mundanos tamen longe superant in christiana perfectione. Quos denotatos vult D. Athanasius per veros adoratores qui adorant Deum in spiritu et veritate. (4) « Quinam sunt illi veri adoratores, qui neque in hoc monte, neque Hierosolymis, sed in spiritu adorant Deum, et in veritate? Responsio, isti sunt qui in desertis montibus, et qui in speluncis et cavernis terræ habitant, qui citra congregationem Ecclesiæ per opera bona spiritu illuminati, in spiritu et veritate adorant Deum. » (5) Non negat Athanasius seculares qui solitariam vitam non ducunt, esse veros Dei adoratores ; sed eremi cultores et religiosos antonomastice et per excellentiam prædicat Dei adoratores, quia omnibus spretis, unius Dei adorationi unice vacant in spiritu et veritate adorantes. Nec mirum si D. Athanasius vitam solitariam agentes adeo commendat ; quia in illis *pietas magis enituit, gratia plus refulsit, charitas amplius radicavit.* Religiosorum pietatem et perfectionem belle declarat D. Bernardus (5) ex dentium comparatione : « dentes enim candidi sunt et fortes ; carnem non habent ; carent corio ; nihil intra se pati possunt ; non est dolor sicut dolor eorum ; clausi sunt labiis ne videantur ; indecens est cum videntur nisi ridendo ; toti corpori masticant cibum ; per ordinem positi sunt ; superiores alii et alii inferiores ; et cum inferiores moventur, superiores nunquam. (6) Hujusmodi dentes ego arbitror homines monasticæ professionis, qui viam compendiosiorem et securiorem vitam eligentes, de toto corpore Ecclesiæ quod candidum est, candidiores esse videntur. Quid enim illis candidius, qui totius immunditias spurcitiæ evitantes, cogitationum sicut actionum peccata deplorant ? quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur ? Isti carnem non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab Apostolo ; « Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. » (1) Corio carent, quia nitorem et distensionem mundanarum sollicitudinum non habentes, in pace in idipsum dormiunt et requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra se, aut in conscientiis singulorum. Clausi sunt labiis ne videantur, sic et nos materialibus vallis circumcingimur, ne secularium oculis et accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum, quia nihil turpius quam monachus per urbes et castella discurrens : nisi cum illa cogit quæ operit multitudinem peccatorum charitas. Charitas enim risus est, quia hilaris est : læta quidem non tamen dissoluta. Toti corpori masticant cibum dentes : quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore, videlicet tam vivis quam mortuis orare sunt constituti. Non facile consumuntur : quia quanto annosiores tanto ferventiores, et eo rapidius currunt, quo vicinius appropinquant ad palmam. Per ordinem positi sunt ; ubi enim aliquid ordinatum est, si hic non est, ubi cibus et potus, vigilare et dormire, laborare et quiescere, ambulare et sedere, cætera omnia in numero et mensura et pondere constituuntur? Superiores et inferiores sunt, quia inter nos prælati et subditi sunt, et sic superiores inferioribus junguntur, ut inferiores a superioribus non discordent : cum autem inferiores moveantur, superiores nunquam moveri debent : quia etsi subditi quandoque turbentur, prælatorum est in mente composita perdurare? Huc usque D. Bernardus qui longiuscule religiosam perfectionem ex dentium comparatione deducit, quæ micantius adhuc, 3. Ex religionis obligatione coruscat.

Status religionis totam vitam obligat ad studium perfectionis. Ex Angelico namque Doctore, « ad statum duo requiruntur : primo, obligatio ; secundo, quod hæc obligatio cum aliqua solemnitate fiat, ut perpetuam habeat firmitatem. Unde aliquis in statu perfectionis dicitur esse, non ex eo quod habet actum dilectionis perfectæ, sed ex eo quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis. » (1) Religiosi autem obligant sese per vota, non pro

(1) Matt. 19. — (2) Euseb. Emiss. Hom. 4. ad Monach. — (3) Serm. 39. de diversis. — (4) Joan. 4. — (5) Quæst. 7. ad Antiochum. — (6) D. Bern. in Cœn. Dom. — (7) Serm. 93. de Diversis.

(1) Rom. 8. —(2) D. Thom. 2. 2. q. 184. n. 8. Art. 4.

aliquo tempore, sed pro toto tempore vitæ; et hæc obligatio fit per vota solemnia; unde dicuntur esse in statu perfectionis; *præsertim cum in professione regulari promittatur stabilitas* (1) : status namque ab stando dictus, constantiam, firmitatem, et quamdam velut innuit durationis perpetuitatem. Sic status matrimonialis est constans, neque nisi per alterius conjugis mortem potest dirimi. Sic status regularis perpetuo obligat religiosos ad observationem votorum quæ solemniter voverunt, velut æmulantes statum beatorum. Uti enim beatitudo est status omnium bonorum, in quo beati immutabili fruuntur felicitate, ita religio est status in quo regulares invariabiliter obligantur ad observantium rerum quas vovendo polliciti sunt. Inde D. Thomas commendat perfectionem regularium supra Curatos, quia hi proprie non sunt in statu perfectionis, quia non sese obligant pro semper ad regimen animarum: possunt enim ad libitum resignare aut permutare beneficium : religiosi vero post emissa solemniter vota, nequeunt pro sua voluntate deserere religionem quam libere professi sunt, sed necessario et firmiter tenentur vivere; 4. In terrenorum abdicatione.

Quam bene monachi tonsionibus comparantur : quia revera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. (2) Si ex morali Philosopho *nemo dignus Deo qui opes non contempserit*, nonne Deo digni sunt religiosi qui pro Dei amore, non solum proprias relinquunt facultates, sed adhuc desiderio eas habendi renuntiant? O quam nobilis est abdicatio illa etiam desiderii terrenorum! Nullus est quantumvis pauper, qui non sit spe et desiderio habendi dives. Itaque religiosus etsi de facto parvas vel nullas reliquerit mundi divitias, attamen *multum reliquit, qui desiderium etiam habendi reliquit.* (3) Religiosa paupertas binam complectitur terrenorum abdicationem : nam et bona quæ possidebat deserit, et etiam spei et desiderio, quo homo cuncta mundi bona complectitur, renuntiat. Ut autem fatur D. Bernardus, *paupertatem spiritualem tria constituunt: depositio rerum et contemptus; vilitas et abjectio suiipsius; abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Hæc sunt tria veræ religionis insignia, quæ hominem Deo et Angelis reddunt conformem, cœlestis patriæ civem conscribunt, et hæredem.* (4) Mire D. Bernardus spiritalem commendat paupertatem. Religiosos qui eam profitentur Gregorius Nazianzenus multum adhuc prædicat, Julianum Apostatam redarguens : *Videsne hos pauperes victu ac tecto carentes? hos humiles et terrenos, et supra terrena; qui inter homines versantur, et rebus humanis sunt superiores; qui vinculis pressi, liberi sunt; qui nihil in mundo habent, et omnia habent? qui mundo superiores sunt. Hos, inquam, propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo conjunctos; quorum est abjicere, et quorum simul est super thronos sedere; qui nudi sunt, et incorruptibili vestiuntur indumento; qui in solitudine hujus seculi, alterius seculi frequentia ac celebritate fruuntur; qui voluptates abjiciunt, et tamen perpetuam atque inexplebilem animorum oblectationem habent.* (1) Vides quantum extollat Gregorius Nazianzenus religiosam professionem. Tædiosum foret singulas ejus elucidare sententias. Optime ad propositum religiosos mundo superiores decantat, seu, ut fatur Clemens Alexandrinus, *mundo majores* (2) : quia nihil in mundo proprium habent, nihil desiderant; omnia terrena contemnunt, ut, 5. Illustri imitatione, exemplari divino sese conforment.

Semper ante te habes quem sequaris, Dominus exemplum in terra posuit, cum Evangelium ibi reliquit. (3) In Evangelio autem habent religiosi spiritalis paupertatis exemplaria, nimirum Christum et Apostolos, qui omnia relinquentes secuti sunt Dominum : *nobilis titulus voluntariæ paupertatis quam Christus docuit verbo : Beati pauperes spiritu, consecravit exemplo; nec enim habuit propriam domum, in qua caput reclinaret, et in qua cum discipulis Pascha manducaret: nec proprium habuit unde tributum solveret.* (4) Sic paupertatem in omnibus demonstravit Salvator, non solum in summa egestate vivens, neque adhuc nudus moriens, et in alieno tumulo sepeliri volens, sed præsertim nascens. Nam *in diversorio viatorum natus est, ut hospites et peregrinos, super terram ipsius exemplo edocti, nos esse confiteremur. Pannis involutus est, ut habentes tantum quibus tegamur, his contenti simus : per omnia paupertate materna contentus, ut totius religionis forma, in ejus nativitate nota videretur.* (5) Habent Regulares paupertatis evangelicæ exemplar illustre, nempe pauperem et egenum Christum. *Hujus paupertatis*

(1) D. Bern. Epist. 7. — (2) D. Bern. Serm. 93. de diversis. — (3) D. Greg. Hom. 5. in Evang. — (4) Serm. 2. in Cœn. Dom.

(1) Orat. 1. in Julian. — (2) Strom. 2. — (3) D. Aug. L. 50. Hom. Hom. 34. — (4) D. Bern. Serm. 2. in Cœn. Dom. Matth. 5. — (5) Guerr. Serm. 5 de Nat. Dom.

exemplum primi post Christum Apostoli ediderunt, quando in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum et anima una, et omnia communia: hæc religiosis Apostolorum sequacibus relicta est. (1) « Laus ergo hujus disciplinæ ab Apostolis sumpsit exordium, qui sicut a Domino didicerant, vel a Spiritu Sancto, cujus virtute nuper ex alto fuerant induti, modum convivendi sic sibi instituerunt ut esset multitudinis cor unum, anima una, et omnia communia, et essent unanimes semper in templo. Hanc apostolicæ institutionis formam quidam æmulantes non habent domos, vel diverticula, nisi domum Dei, domum orationis: omnia quæcunque faciunt in nomine Domini faciunt, simul habitantes, uno ordine, una lege viventes, nihil habentes proprium : nec ipsa corpora sua, nec voluntates in potestate sua habentes, simul dormiunt, simul surgunt, simul orant, simul psallunt, simul et legunt : fixum et immobile propositum eorum, obedire præpositis suis, et subjacere eis. »(2) Magna profecto religiosorum dignitas Apostolorum esse sequaces, sed longe major eorum gloria, esse ipsiusmet Christi imitatores, pro ejus amore abdicare terrena, ipsosque, 6. Relinquere parentes.

Deus Abrahamum in perfectionis semita dirigere volens, dixit ei : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui.* (3) Non absimiliter qui in statu religioso perfectionem acquirere satagunt, debent exire de terra sua, de cognatione sua, relinquere parentum domos, ab ipsis etiam parentibus separari *extra cognatos quisque, ac proximos, debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi.* (4) Dei Filius, etsi princeps pacis, non venit tamen pacem mittere, sed gladium, venit separare filium a patre, a matre filiam. Duo sunt quæ naturæ velut contraria videntur, scilicet inimicorum amor et parentum odium inimicorum amorem cunctis generatim Christianis præcipit Dominus; parentum vero odium expostulat Christus ab illis quos ad statum regularem vocitat. *Quam verum est quod regnum cœlorum vim patitur et qui vim faciunt diripiunt illud. Quanta enim vi opus est ut homo diligat inimicos, et oderit patrem et matrem : utrumque enim jubet, qui ad regnum vocat.* (5) Utrumque exsequuntur religiosi, et inimicos diligunt, et parentes deserunt, ut, 7. Toti sese Deo offerant.

(1) D. Bern. Serm. 2. in Cœn. Dom. — (2) D. Bern. L. 2. de Amor. Dei c. 9. — (3) Gen. 12. — (4) D. Greg. L. 7. Mor. 14. — (5) D. August. L. 1. de Serm. Dom. in Mont. cap. 25.

Nihil enim gratius Deo possumus offerre quam quod dicamus : Posside nos. (1) Tria sunt bonorum genera quæ Deo possumus offerre: nimirum bona fortunæ, bona corporis et bona animi ; tria autem illa bona Deo offerunt religiosi : bona fortunæ, quibus per voluntariam paupertatem renuntiant; bona corporis, quæ per votum castitatis abdicant; bona animi, per votum obedientiæ mentem suam imperio superioris subjicientes; tribus religionis votis tres Trinitatis personas honorant: liberalitatem Patris per votum paupertatis; puram Filii generationem per votum castitatis; per votum vero obedientiæ missionem Spiritus Sancti, a Patre et Filio missi, non per imperium neque per consilium, sed per originem. Ex Cardinali Angelico nihil in via excellentius efficere possunt mortales, quam honorare Deum, amare Deum, seseque totaliter donare Deo. Hæc tria præstant *flos Ecclesiæ ordines* (2), religiosi namque honorant Deum, quia, ut fatur Esaias propheta, sunt in Ecclesia Dei *plantatio Domini ad glorificandum*. Deinde Deum amant demonstrantes *fervorem spiritus, in proposito rigorem, in dilectionem ipsam Sancti Spiritus suavitatem, et plenam omnium in conversatione formam pietatis.* (3) Tandem seipsos totos Deo dant : nimirum facultates, corpus, animam, mentem, cor, et cuncta generatim quæ habent, et quæ sunt, Deo tanquam holocaustum consecrant. Hoc namque intercedebat discrimen inter holocaustum aliaque sacrificia, quod in aliis sacrificiis una duntaxat pars victimæ Deo offerebatur, alia vero pars vel ad sacerdotem, vel ad offerentem pertinebat, verum in holocausto tota victima Deo offerebatur, neque pars residua erat vel sacerdoti, vel offerenti. Idem discrimen reperitur in oblationibus Deo a secularibus et a religiosis factis : seculares dimidiatum cor offerunt; unam partem Deo, alteram vel conjugi, vel proli, vel mundo. At religiosi sese totos et integros absque ulla divisione offerunt Deo, corpus, animam, mentis cogitationes, cordis affectiones, totam vitam quam ducunt, 8. Bajulantes crucem ut Christi Domini sint sequaces.

Quid ad crucem invitat perfectionis sectatores: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me. » Salvator primus pertulit crucem, et regulares ad ferendam crucem sui exemplo stimulat. Nam *propter crucem piis dictum est :* (*Gal.* 5.) *Qui sunt Christi carnem suam cru-*

(1) D. August. — (2) D. Cypr. — (3) D. Bern. Tract. de Vit. Solit. cap. 2.

cifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis. (1) Carnem suam cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigunt religiosi religiosam vitam ducentes : *Qui sunt voluptate superiores, qui vincunt animi motus et perturbationes* (2), qui mentis dejiciunt tumorem, carnis petulantiam domant, passionum procellas sedant: quapropter eos sic loquentes inducit Gregorius Nazianzenus; *Iram velut belluam quamdam sustineamus, linguam velut ensis aciem retundamus, et voluptatem velut ignem exstinguamus : oculos frænemus, rabiosum tactum, gustumque vellicantem coerceamus, effusum et petulantem risum irrideamus* (3), cunctasque in universum cordis et carnis domemus concupiscentias: *Sunt qui existimant Christianum expeditum mortis genus ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum eruditi.* (4) Primiceri Christiani spectaculorum abdicabant voluptates, ut ad cruentum subeundum martyrium forent expeditiores ; et Religiosi jugi voluptatum abdicatione continuum patiuntur martyrium. *Religionis status spiritualis martyrii bellum est.* (5) Ille vere martyr est qui pro Dei amore, pro veritate et religione sustinet mortem. Hoc præstant religiosæ vitæ sectatores, ex Dei amore morientes sibimetipsis, suis concupiscentiis, vitiis, libertati suæ : licet enim non sint judices qui eos condemnent, nec carnifices qui torqueant, nec instrumenta supplicii, quibus aut decollentur, aut dilacerentur, aut exurantur, *non deest concupiscentia quæ materiam quotidianam nobis exhibet.* Hoc martyrium quo quis moritur suis concupiscentiis adeo est nobile et excelsum, ut sit non solum dispositio ad martyrium cruentum, sed adhuc conditio sine qua nemo potest consequi martyrii palmam. Nam, ut subjungit Cyprianus martyr, *frustra cervicem præbueris carnifici, nisi prius occideris affectus.* (6) Imo incruentum martyrium quo inordinati concupiscentiæ et passionum acciduntur motus, duplici de causa cruento præponendum est martyrio : tum quia difficilius vinciturvoluptatis concupiscentia quam dolor: dolor enim venit ab extrinseco, voluptas ab intrinseco nascitur. Qui vincit dolorem triumphat de sicariis; at qui superat voluptatem, de semetipso triumphat ; ut enim ratiocinatur D. Cyprianus, *malum omnino facilius vincitur quam voluptas: qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero ; qui libidinem repressit, seipso fortior fuit.* (7) Tum quia in cruentum martyrium cruentum in duratione superat. Cruentum martyrium in momento simul cum vita finit ; unde vocitatur a Tertulliano, *compendium mortis* (1) ; at martyrium incruentum toto vitæ tempore durat, quapropter qui illud sustinent nuncupantur a Gregorio Nazianzeno *vivi martyres.* (2) Religiosi sunt vivi martyres, quia incruentum sustinent martyrium. Ideoque, ut docet D. Bernardus, idem consequuntur præmium ac illi qui pro confessione fidei sanguinem fundunt: *Quid est quod eadem merces promittitur pauperibus et martyribus, nisi quod paupertas voluntaria quoddam est genus martyrii, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius?* (3) Ut autem martyrium, ita et 9. Religiosa professio plenariam pœnæ obtinet remissionem.

Perfectus Christianus *pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat. Omnia enim huic operi delicta donantur.* (4) Aliorsum (5) efficaciam martyrii retulimus, quod peccatorum maculas expungit, et omnem pœnam sive temporalem, sive æternam peccatis debitam absolvit. Idipsum enim præstat martyri quod renato baptismus. Eosdem effectus confert religiosis professio : hæc enim omnem pœnam peccato debitam tollit; non solum ob indulgentiam plenariam quam lucrantur novitii habitum religionis suscipientes, sed etiam ex virtute votorum, quæ tanta efficacia pollent, ut ex seipsis satisfaciant pro omni pœna peccatis debita. Ideoque professio solemnis comparatur baptismo. *Lavacrum baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit* (6) : et quemadmodum adultus suscepto baptismate moriens, cœlum illico ascendit, neque purgatorii sustinet pœnas, ita religiosus emisso voto solemni afflans animam, statim cœli potitur beatitudine, neque temporalem purgatorii patitur flammam, adeo religio est satisfactoria, 10. Et meritoria.

Meritorius factus est mundus (7) : et qui secularem, et qui regularem ducunt vitam, mereri possunt quandiu sunt viatores ; at religiosi cæteris paribus majora sibi comparant merita : tum quia virtutis profitentur disciplinam ; siquidem *in obedientia virtutes solidantur* (8) : castitas cœlum sapit, et angelicam reverberat puritatem. Unde D. Bernardus sic alloquitur fratres de Monte

(1) D. Bern. Serm. 2. in Cœn. Dom. — (2) Clem. Alex. 2. Strom. — (3) Orat. Apolog. ad Martyr. — (4) Tert. L. de Spect. 1. — (4) D. Cypr. Orat· Apolog. ad Mart. — (6) D. Cypr. de Dup. Mart. — (7) De Bon. Pud.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 12. — (2) Orat. pro Basil. — (3) Serm. 1. de Fest. Omn. Sanct. (4) Tert. Apol. 50. — (5) Tert. Prædic. Tom. 4. Tract. de Martyr. — (6) D. Bern. Serm. 35. in Cant. — (7) Tert. L. adv. Valent. — (8) D. Bern. Serm. 20. de Diversis.

Dei : *Altissima est professio vestra , cœlos transcendit ; par Angelis est ; angelicæ similis puritati.* (1) Quam adhuc voluntaria commendat paupertas : nam *custos et magistra est virtutum hujusmodi paupertas, sicut econtrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia* (2) ; tum quia pœnitendo mortificata per peccatum merita rursus vivificant ; et, ut fatur D. Bernardus, *ruptæ stabilitatis damna, reliquorum regularium præceptorum integra observatione compensant ;* (3) tum quia de virtute in virtutem proficiscuntur , et majores quotidie sanctitatis acquirunt gradus : nam *sicut peccatoribus , ut sancti fiant , sic Sanctis ut sanctiores fiant , necessaria est severior vivendi disciplina* (4); tum quia regularis Deo donat , non solum fructus, sed arborem, non solum opera, sed principium , nempe voluntatis libertatem. Meritum autem dono Deo facto commensuratur : tum quia religio , quæ est præcipua inter virtutes morales, magis meretur, cæterasque virtutes ad religionis virtutem elevat ; tum quia regulares ex voto virtutem ad praxim redigentes duplo merentur. Habent enim meritum speciali virtuti debitum, et adhuc meritum ex observantia voti comparatum. Verbi gratia et meritum virtutis castitatis, et meritum voti castitatis : contrariorum enim eadem est ratio. Religiosus luxurians duplex committit peccatum : unum contra præceptum Dei luxuriam vetans, aliud contra emissum castitatis votum. Tot condensatæ rationes probe demonstrant quantum ditentur meritis religiosi , quorum, II. Ampla est in cœlis remuneratio.

Ut enim opera scelerosa parant descensum in infernum , ita virtutum actus sunt media ascendendi in cœlum. Quod innuit D. Bernardus alloquens fratres de Monte Dei : *Sinite , sinite sapientes hujus seculi , de spiritu hujus mundi tumentes , alta sapientes et terram lingentes , sapienter descendere in infernum : vos autem dum foditur peccatori fovea , sicut cœpistis , stulti facti propter Deum , Christo duce humilium apprehendite disciplinam ascendendi in cœlum.* (5) Attendite non ad præsentia bona quæ videntur , sed ad futura quæ non videntur : *Enervat quippe animam præsentium consolatio , roborat exspectatio futurorum*, cœlestium spe et futurorum exspectatione. Roborati regulares , terræ renuntiant, præsentium consolationem abdicant, cunctas seculi contemnunt voluptates, et tanquam *exsules vitæ* in mundo vivunt. Quemadmodum qui exsilio damnantur, extorres a patrio solo, carissima uxore et dilectissimis filiis orbantur, censu despoliantur, cognatis privantur voluptatibus, suntque penitus a fruge hujus vitæ alieni , sic religiosi etiam viventes sunt *exsules vitæ* (1), in patrio solo sunt extorres, inter propinquos longe absunt a propinquis, inter seculi voluptates sunt voluptatum expertes, a cunctis seculi gaudiis prorsus alieni ; in terra viventes, cœlestium civium æmulantur vitam. Regularis namque observantia , *ipsa est Hierusalem , ei quæ in cœlis est , tota mentis devotione , et conversationis imitatione , et cognatione, quadam spiritus societate.* (2) Religiosi cœlestem æmulantes vitam , cœlestibus splendent virtutibus. Nam , ut eloquenter fatur Philo Judæus , *sed quod est propositum de parandis divinis , vereque olympicis virtutibus : in his quibus infirmissima sunt corpora , sed animæ validissimæ.* (3) Corpus quod corrumpitur aggravat animam , eamque ab arduis virtutibus sæpe sæpius dimovet : at religiosi qui corpora sua crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis, adeo sunt animo validi , quasi sint corporis mole exonerati , et ita virtutibus sunt addicti quasi non sapiant terram, sed cœlum. Quare Gregorius Nazianzenus monasticam agens vitam, hæreticorum malevolentia persecutus et dehonestatus, audacter pronuntiat: *Ipse sum imago supernæ gloriæ* (4) ; quia innocua ejus vita cœlestes exprimens virtutes , imago erat supernæ Hierusalem et beatæ felicitatis , quam prælibant in terra probi religiosi, et qua in cœlo abunde remunerantur : *Ipsorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi.* (5) Ultra æternam felicitatem qua omnes præmiantur justi, specialiter remunerantur religiosi. Quod animadvertens D. Bernardus expendens istud : Ecce nos reliquimus omnia , quid ergo erit nobis ? ait : *In exsilio vestro duplex est afflictio , humilitatis et laboris , ideo duplex remuneratio in terra viventium , sublimitatis et quietis : quies in sede , sublimitas in judicio.* Specialis hæc religiosorum remuneratio innititur verbo ipsiusmet Christi , qui eam etiam adhibito jurejurando pollicitus est. Hæc promissio est quidem facta primo Apostolis , qui omnia relinquentes, secuti sunt Christum ; est etiam facta regularibus evangelicam paupertatem profitentibus. Quod

(1) Tract. de Vit. Solitar. c. 2. — (2) D. Bern. Serm. 2. in Cœn. Dom. — (3) Epist. 7. — (4) Guerr. Serm. 4. de S. Joan. Bapt. — (5) D. Bern. Ep. 341.

(1) Tert. Apol. 42.— (2) D. Bern. Ep. 63. — (3) L. de Agricult. — (4) Orat. in Ægit. Episcop. appulsum. — (5) D. Bern. Episc. 27.

denotatum vult D. Bernardus (1) per illas sedes quas in circuitu sedis Dei, viginti-quatuor senioribus positas nobis in Apocalypsi Evangelista Joannes testatur. « Ubi si duplicatum quis apostolicum numerum animadvertat, non difficile forsitan, quibus etiam sedes illas judex paraverit, recognoscet. Invenitur autem in aliis apostolica vita pariter et doctrina; in aliis tantum vita. In aliis, inquam, meritum pariter et officium: in aliis meritum sine officio invenitur. Quod si dixerit quis nonnullos etiam inveniri apostolicæ perfectionis expertes, solius autem probationis hæredes; ipsi viderint ubi sedeant, imo etiam caveant ne ea forte sit tertia pars stellarum, quam de cœlo in terram draconis cauda legitur detraxisse. Soli siquidem perfectioni illarum sedium legitur facta promissio, dicente ad Dominum Simone Petro: Ecce nos reliquimus cuncta et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et Dominus ad eum: Sedebitis, inquit, super sedes duodecim, judicantes. Duplicatur autem numerus duodecimus, quod hæc promissio videatur tam in prælatis quam in subditis, nempe in Noe et Daniele inveniri. Hi sunt etiam apud Esaiam (2), duo Seraphim, qui super solium stetisse leguntur, in quo Dominus præsidebat. Interpretatur enim nomen ipsorum, ardentes vel accendentes. *Accendere est prælatorum ardere religiosorum*», quorum dignitas, 12. Ex cœli comparatione declaratur.

Monasticæ professionis encomiastes Basilius Magnus, illam interdum paradiso voluptatis, interdum cœlo comparat. Adamus in paradiso terrestri positus, quadruplici potissimum pollebat privilegio: nam, 1. Erat divina insignitus similitudine, superna illustratus luce, Dei familiaritate gaudens, jucunde et absque labore ullo in illo loco voluptatis operans, cui aptari possunt hæc Ezechielis verba: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* (3) Verum peccando, fuit, 2. Divinis illis destitutus characteribus; cui probe convenit quod de Lucifero fatur Tertullianus: *Tu resignaculum similitudinis.* (4) 3. Ignorantiæ tenebris obvolutus, et, 4. Dei familiaritate privatus; 5. Ærumnoso labori mancipatus. Verum religiosus quodammodo potitur privilegiis innocuo Adamo collatis; et, ut fatur Basilius, *exsul mundi, hæres est paradisi.* (5) Adamus per peccatum factus est exsul paradisi et mundi incola, probus religiosus econtra est exsul mundi, incola paradisi. 1. Criminosus Adamus fuit divina denudatus similitudine, at probus religiosus divinæ similitudinis defert characteres: *O cella spiritalis exercitii mirabilis officina, in qua humana anima, Creatoris sui imaginem in se restaurat, et ad suæ redit originis puritatem.* (1) 1. Scelerosus Adamus fuit ignorantiæ obvolutus tenebris; at religiosus innocuus divina illustratur luce: nam, ut subjungit Sanctus Basilius, eremum Gregorio Nazianzeno commendans, *solitaria vita cœlestis doctrinæ est schola, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est totum, quod dicitur; via qua tenditur; totum per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur.* Perperam religiosi de ignorantia culpantur, *qui sunt gnostici, id est, cognoscendi potestate præditi.* (2) Religiosa namque vita est divinarum artium disciplina, cœlestis doctrinæ schola, ubi de cœli gymnasio, Deus est totum quod dicitur. *Porro non amplius invenire licet, quam quod a Deo discitur: quod autem a Deo discitur, totum est.* (3) 3. Criminosus Adamus fuit Dei familiaritate privatus, at probus religiosus familiariter cum Deo conversatur. Nam, ut testatur ipsemet Deus de anima innocua loquens, *ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem: et loquar ad cor ejus.* (4) Inde exclamat D. Hieronymus: *O eremus familiarius Deo gaudens!* (5) Cui arridet Richardus Victorinus expendens istud Sponsæ: «Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.» (6) « Quo præsente innovatur anima, et quasi ei adhærens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incentivum, compassionis affectum, justitiæ zelum, delectationem virtutum. Habet in oratione cum Deo familiare colloquium, audiri se sentiens, et plerumque exaudiri, facie ad faciem cum eo loquens, et audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, et interdum convincens.» Tandem, 4. Scelerosus Adamus ejectus est de paradiso voluptatis, et labori et ærumnis mancipatus. Profecto sibi pugnare videtur Scriptura; nam uno loco asseverat nuper productum Adamum ad operandum in paradiso voluptatis positum: « Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso, ut operaretur, et custodiret eum; »(7) et

(1) Serm. ad Prælatos in Concil. Gener. congregatos. — (2) Cap. 6. — (3) Cap. 28. — (4) Tert. 2. adv. Marc. 10. — (5) Tract. de Laudib. Erem.

(1) Basil. ib. — (2) Clem. Alex. 2. Strom. — (3) Tert. L. de An. 2. — (4) Osee. 2. — (5) Epist. ad Heliod. — (6) Cant. 5. — (7) Gen. 2.

statim ac peccavit Adamus « emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est. » (1) Productus Adamus vix ad operationem destinatus est, et ejectus de paradiso, statim ad operandam terram mulctatus est. Magnum autem agnoscit D. Thomas inter utramque operationem discrimen. Operatio innocui Adami in paradiso non fuisset ærumnosa, sed gratissima Adami criminosi non fuit jucunda, sed laboriosa : *Nec tamen illa operatio esset laboriosa, sicut post peccatum, sed fuisset jucunda.* (2) Idem intercedere videtur discrimen inter regulares et seculares. Utrique laboribus et ærumnis sunt addicti ; sed extra paradisum religionis, ærumnæ laboriosæ sunt, in paradiso religionis jucundissimæ. Nam, ut pergit Basilius Magnus, *eremus est paradisus deliciarum, ubi spirant aromata virtutum ; ubi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt; ubi lilia castitatis niveo candore candescunt ; cum quibus etiam humilitatis violæ, ubi myrrha mortificationis, non solum carnis, sed quod gloriosius est, propriæ voluntatis exundat, et thus assiduæ orationis indesinenter emanat.* Paradisus namque religionis non est corporeus, sed spiritualis : *Nec vero locum reputes corporalem paradisum hunc voluptatis internæ.* (3)

Et quasi parum sit statum religiosum comparasse paradiso voluptatis, in quo innocuum Deus posuit Adamum, Beatus Basilius illum adhuc velut cœlum contemplatur, asseverans *nihil esse in terris tam magnum et tam pulchrum quod ei comparari possit : itaque e solo cœlo petendam ejus similitudinem.* Basilio arridens Joannes Climacus ait *monasterium esse quoddam cœlum terrenum* (4) cœlestem æmulans Hierusalem : 1. Cœlestis Hierusalem pulcherrimis vernat floribus, suavissimis abundat fructibus : *Vere claustrum est paradisus. Hic prata virentia Scripturarum, præterfluens lacrymarum undositas, quam de puris affectibus amor ille cœlestis eliquat : hic sunt arbores erectissimæ, chori Sanctorum, nullaque est quæ non multa gaudeat fructus ubertate.* (5) 2. Cœlestis Hierusalem est locus pacis et habitatio quietis, ubi animæ sanctæ solutæ a molestiis corporis, ab effrænatis passionum motibus, a dæmonum tentationibus, a peccandi periculis, impeccabiles effectæ, invariabili fruuntur tranquillitate. *O eremus mundi persequentis felix effugium, laborantium quies, mærentium consolatio, ab æstu seculi refrigerium, peccandi repudium, reclusio corporum, libertas animarum, curia cœlestium senatorum, ubi victor dæmonum, socius efficitur Angelorum.* (1) 3. In cœlesti Hierusalem, sunt Angeli puritate nitentes, dilectione ardentes, Deum indesinenter laudantes et benedicentes, divinamque voluntatem in omnibus adimplentes. *Quis cœlibem vitam cœlestem et angelicam dicere videatur?* (2) Regulares enim non secus ac Angeli, castitate nitent, dilectione ardent, Dei voluntatem adimplent, ejusque laudes continuo decantant. 4. In cœlesti Hierusalem sunt throni in quibus velut in solio suæ majestatis Deus sedet. Religiosos nuncupat Gregorius Nazianzenus *Spiritus domicilium, Domini voluntatem* (3); quia sunt templa Spiritui Sancto sacrata, in quibus Deus residet velut in thronis et tanquam Seraphini igne cœlesti sufflammati, propriam abnegant voluntatem, ut Deo totaliter adhæreant. Quod fuse prosequitur D. Bern. (4) multas cellæ et cœli demonstrans similitudines, ut religiosos ad cœlestem vitam ducendam incitet : « Propter hoc secundum formam propositi vestri habitantes in cœlis potius quam in cellis, excluso a vobis toto seculo, totos vos inclusistis cum Deo : cellæ siquidem et cœli habitatio cognata est : quia sicut cœlum et cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic et pietatis. A celando enim cœlum et cella nomen habere videntur, et quod celatur in cœlis, hoc et in cellis. Quidnam est hoc? Vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem pie et fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, sancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis, et æque delectantur in cellis ac in cœlis. Nam in cella jugiter cœlestia actitantur : cœlum cellæ et sacramenti similitudine, et pietatis affectu, et similis operis effectu proximum efficitur : nec jam spiritui oranti, vel etiam a corpore exorto, a cella in cœlum longa vel difficilis via invenitur. A cella enim in cœlum semper ascenditur, vix unquam a cella in infernum descenditur : nisi sicut dixit Psalmista (5) : Descendant in infernum viventes : videlicet ne descendant morientes; hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assidue contemplando revisere amant gaudia cœlestia, ut ardentius ea appetant, *sic et dolores in-*

(1) Gen. 3. — (2) 1. p. q. 102. art. 3. — (3) D. Bern. ad Cleric. cap. 21. — (4) Grad. 4. — (5) Petr. Dam. Serm. 59.

(1) Basil. Magn. — (2) D. Bern. Serm. 37. de Divers. — (3) Orat. in laudem patris sui. — (4) Tract. de Virg. Solit. c. 4. — (5) Ps. 34.

ferni, ut horreant » et refugiant. Belle quamvis fuse D. Bernardus religiosi status dignitatem declarat ex cellæ cœli comparatione, innuitque adhuc quanta polleant regulares præ secularibus salutis securitate.

3. Nullus quandiu vivit in hoc seculo, securus est de salute, quia tempus viæ *idem quod periculi et timoris.* (1) Verum minus periclitatur in religione quam in seculo; majoremque habent regulares quam seculares salutis securitatem. Nam, ut fatur D. Bernardus, *in religione homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, mœretur fidentius, purgatur citius, præmiatur copiosius.* (2) Salus vitio periclitatur, virtute solidatur. Religiosum autem propositum est *mors vitiorum, fomes et vita virtutum.* (3) Magnum est religioso statui, quod sit vitiorum mors, majus quod virtutum vita dicatur, maximum vero, quod virtutum fomes nuncupetur. Uti vita mundialis et carnalis est mors virtutum, vita et fomes vitiorum, ita vita regularis et spiritualis est mors vitiorum, vita et fomes virtutum, et qui illam profitetur, tacet *non modo a strepitu diabolicarum suggestionum, a strepitu carnalium desideriorum, a strepitu mundi* (4), sed adhuc mundum contemnens, carnalia desideria comprimens, diabolicas suggestiones repellens, vivit virtutibus, ad quas velut quodam fertur fomite. Cujusmodi fuit Victor mira sanctitate præditus, qui, ut fatur Sanctus Paulinus, *ingenita simplicitate, tam purus animi fuisse perhibetur, ut peccare nescierit.* (5) Innata malitia omnes sumus proni ad peccandum, ad malum omnes docti et ingeniosi: at Victor peccare nescivit, quasi agnata illi esset sanctitas, ac si alterius foret naturæ. *Quale jugum fidelium unius spei, unius voti, unius disciplinæ!* (6) Exclamat Tertullianus; ac si homines infideles, animales et scelerati, sint alterius speciei ab hominibus spiritualibus, religiosis, disciplinam virtutis profitentibus: illi vitia sectantes, salutis patiuntur dispendium: isti justitiæ et sanctitati vacantes, salutis suæ curam gerunt.

D. Bernardus præsentem vitam velut mare procellosum et periculosum repræsentat; homines vero supra illud mare navigantes ad tres ordines revocat: nimirum ad conjugatos, prælatos et continentes, seu religiosos: quos per Job, Noe et Daniel vult denotatos: *Hoc mare magnum et spatiosum, in quo utique certum est, nihil aliud quam præsens seculum amarum fluctuans designari. Tribus hominum generibus, suo cuique modo pervium est, ut transeant liberati. Tres enim sunt Noe, Daniel et Job, quorum primus navi, secundus ponte, tertius vado transit. Porro tres homines tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit ne periret diluvio, ubi protinus rectorum Ecclesiæ formam agnosco; Daniel, vir desideriorum, abstinentiæ et castimoniæ deditus, ipse est soli Deo vacans, pœnitentium et continentium ordo; Job quoque substantiam hujus mundi bene dispensans, in conjugio, fidelem designat populum terrena licite possidentem.* (1) Religiosus autem ordo ponte pertransit procellosum hujus vitæ pelagus, minori cum periculo et majori cum securitate, quam ordo conjugatorum vado pertransiens. Quod multiplici ratione demonstrat D. Bernardus: tum quia ordo conjugatorum, *qui maxime mare magnum vado pertransit, laboriosum prorsus, et periculosum, etiam longum habet iter; quippe quod nulla viæ compendiæ captet: at continentium ordo, ponte pertransit; quod iter brevius, et facilius, et securius esse nemo est qui nesciat.* Tum quia tot vitia, maxime in seculo grassantur, et naufragia sæpe sæpius accidunt: *Valde enim difficile est præsertim diebus istis quibus malitia nimis invaluit inter undas hujus mundi, voraginem vitiorum, et criminalium peccatorum foveas declinare.* Religiosi autem mundi declinant foveas, sirtes evitant vitiorum, et quemadmodum Loth, ut sese a Sodomæ liberaret incendio, ad parvam confugit civitatem, ita illi, ut a procellis maris sint immunes, ad quietum religionis portum se recipiunt. *Civitas parva et justa, id est, non longe a seculo, in qua, Loth ardente Sodoma, salvatur, monasterium est.* Tum quia mundani conjugati sustinent *tria maris hujus pericula: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ* (2): Religiosi autem mundum abdicantes tria illa evadunt pericula. Tum quia pons super quem transeunt religiosi, *tribus compactus est lignis: ut qui perfecte eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem sunt pœna corporis, paupertas substantiæ mundialis et humilitas obedientiæ.* (3) Tum quia seculares divitiis onusti, sunt multo magis expositi diaboli tentationibus quam religiosi terrenis exonerati facultatibus. *Voluntaria*

(1) Tert. L. de Pœn. 6. — (2) Serm. in id; Simil. est Regn. cœlorum. negor. — (3) Basil. Mag. de Laud. Erem. — (4) Basil. Magn. Serm. de Sanct. Pet. et Paul. — (5) Epist. 24. — (6) Tert. L. 2. ad Uxor. 8.

(1) Serm. 35. de Diversis. — (2) D. Bern. Serm. in Parab. de decem Virg. — (3) Serm. 35. de Diversis.

paupertas quæ sine possessione vel desiderio habetur, quanto expeditior est, tanto securior est. Expedit esse nudos cum diabolo, qui nudus est luctaturus : nudus athleta fortius dimicat ; natator exuitur, ut fluvium transeat ; viator rejectis sarcinulis bene cursitat. (1) Seculares et regulares cum diabolo dimicant, illi induti, isti nudati. In via etiam salutis ambulant, illi ponderibus onusti, isti sarcinis exonerati. Tandem procellosum mare sulcant, illi tempestatibus exagitati, isti placida tranquillitate fruentes. *In monasterio est vita contemplativa, in seculo est laboriosa ; in monasterio est vita sancta, in seculo est vita criminosa ; in monasterio est vita spiritualis, in seculo est vita carnalis ; in monasterio est vita cœlestis, in seculo est vita terrestris ; in monasterio est vita quieta, in seculo est vita turbulenta ; in monasterio est vita pacifica, in seculo est vita litigiosa ; in monasterio est vita tranquilla, in seculo est vita contentiosa ; in monasterio est vita casta, in seculo est vita luxuriosa ; in monasterio est vita perfecta, in seculo est vita vitiosa ; in monasterio est vita plena virtutibus, in seculo est vita plena vitiis ; in monasterio est vita sanctitatis, in seculo est vita iniquitatis* (2) : et quia contraria juxta se posita magis elucescunt, multimode religiosam vitam mundiali vitæ opponit D. Bernardus, ut illius perfectiones ex hujus defectibus micantius splendeant : inde sororem ad seculi fugam et religionis hortatur statum. *Audisti bona quæ sunt in monasterio, audisti mala quæ sunt in seculo ; audisti virtutes monasterii, audisti vitia seculi ; audisti salutem monasterii, audisti perditionem seculi ; audisti vitam, audisti mortem. Nunc igitur ecce in conspectu tuo bonum et malum. Ecce ante oculos tuos perditionem animæ et salutem. Ecce ante te vitam et mortem. Ecce ignem et aquam : extende manum tuam, et elige quod vis. Ecce via paradisi, et ecce via inferni. Ecce via quæ ducit ad vitam, et ecce via quæ ducit ad mortem : ergo ambula per quam volueris. Hoc solum rogo ut eligas meliorem*, quæ ducit, non ad infernum, sed ad paradisum ; non ad mortem, sed ad vitam ; non ad damnationem, sed ad salutem.

Prælati Ecclesiæ nave transeunt pelagus : *Quæ poterit navis inveniri quæ tam immanes sustineat fluctus, et in tanto secura possit esse discrimine ?* (3) Respondet Mellifluus Doctor : « Utique fortis ut mors dilectio : juxta quod alibi habes ; aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem. » (1) *Necessaria est et omnino navis ista prælatis, tribus compacta lateribus, quæ est utique forma navium, ut sit nimirum juxta doctrinam charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* (2) Ut prælati nave procellosum vitæ pertranseant pelagus absque naufragio, charitatis debent ardere igne : hæc autem charitas prælatis necessaria ad navigandum absque periculo tria complectitur : 1. Puritatem cordis. « Puritatem cordis in eo prælatus habeat ut prodesse desideret, non præesse : ut scilicet proprium commodum vel honorem seculi, vel aliud quidpiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, et animarum salutem. » 2. In prælato desiderat D. Bernardus conscientiam bonam. Nam cum intentione pura irreprehensibilis quoque necessaria est conversatio, ut forma factus gregis, incipiat facere et docere ; quoniam oportet irreprehensibilem eum esse qui præest, ita ut secura conscientia, cum Domino respondeat exprobrantibus sibi verbum : Quis ex vobis arguet me de peccato ? (3) Non quod sine peccato penitus esse possit in hac misera vita, sed quod ea quæ arguit in discipulis oportet summopere vitare magistrum. Tandem, 3. « Qualis est in conversatione, talis sit necesse est in cogitatione. Ne videlicet foris humilis, intus elatus sit, in corde suo præsumens de sapientia seu virtute, aut sanctitate sua : quæ est sine dubio fides ficta, quando non sicut ostendit humilitas conversationis, in sola Dei pietate confidit. » Hæ sunt conditiones quas in prælatis requirit Bernardus, ut absque salutis jactura navem pastoralem regant. Qui corde impuro aut prava conscientia, aut fide ficta navigant, sunt in naufragii periculo. Hac tempestate prælati Ecclesiæ et sacerdotes charitate fragrantes, puro corde Deo servientes, in conscientia bona conversantes, veram non fictam fidem habentes, super navem hujus mundi, magna cum securitate navigant. Quibus non competunt ea quæ D. Bernard. exprobrat suæ ætatis pastoribus. « Sicut populus, sic sacerdos ; sicut laicus, sic et clericus. Uterque cupit, uterque diligit mundum, et ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore, sed clerici sine labore volunt possidere totum mundum. (4) Communicare volunt cupiditati et superfluitati hominum, sed non labori ; peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus : unde timendum est quod flagellentur cum dæmonibus. Quomodo seculares

(1) D. Bern. Serm. 2. de Cœn. Dom. — (2) Lib. de Mod. ben. vivend. ad Sor. c. 21. — (3) D. Bern. Serm. 35. de diversis.

(1) Cant. 8. — (2) 1. Timoth. 1. — (3) Joan. 8. — (4) Serm. ad Pastor. in Synodo Congregatos

non expenderent substantiam suam vivendo luxuriose, etiam in præsentia sacerdotum; quomodo non intenderent vanitatibus et lenociniis hujus seculi; quomodo non essent insolentes et elati, cum tantum fastum, tantam insolentiam videant clericorum? Nonne in præsentia eorum irreverenter abutimini eleemosynis pauperum: de patrimonio crucifixi non facitis codices in Ecclesiis, sed pascitis pellices in thalamis vestris, impinguatis canes, adornatis equos, phalerantes pectora, et capita deaurando, et vere in capitibus omnium platearum dispersi sunt lapides sanctuarii. (1) Plateæ latæ sunt, et lata estvia quæ ducit ad mortem. Lapides sanctuarii, id est, sacerdotes, sunt in capitibus, id est, in introitu latarum viarum: docent enim populos per prava exempla, ingredi vias latas quæ ducunt ad mortem, et demergunt in profundum inferni. » Hucusque Bernardus, illico subjungens: *Dolor capitis in membra redundat: capita populi sunt sacerdotes. Omne caput languidum, et omne cor mœrens.* (2) *Languent prælati Ecclesiæ in cupiditatibus suis: quia ergo languor est in capitibus, mœror oboritur in cordibus. Corda sunt Ecclesiæ viri religiosi, qui honorem suum intelligentes non respiciunt in vanitates et insanias falsas: qui plorantes plorant in nocte hujus adversitatis, ubi apud prælatos Ecclesiæ invalescit cupiditas, et refrigescit charitas.* Religiosi mœrent et plorant. Ad quid mœrent et plorant? quia Deus peccatorum sceleribus offenditur; quia immobilis Ecclesiæ columna concutitur; quia status religionis ob pravos regulares contemnitur; quia religiosum nomen injuste oditur.

II. PARS. Quantumvis religio christiana sit *summum fidei sacramentum* (3) quo fideles discriminantur ab infidelibus, *christiani nominis thesaurus* quo probi Christiani opulenter ditantur, perfectio propria religionis quæ non solum amicos, sed etiam inimicos, diligit; *ut hæc sit perfecta et propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.* (4) Attamen plures ab hac bonitate propria degenerant, de pretioso illo thesauro nullum lucrum reportant, tandem Christiani characterem non demonstrant. Tantum abest ut inimicos diligant; quinimo religiosum nomen absque ulla ratione oderunt, Gentilium æmulantes iniquitatem, christianum nomen insequentium, ut ipsis exprobrant fideles. *Hæc etenim est revera ratio totius odii adversus nos: nomen in causa est* (1): tanto scelerosiores quod injuste adversantur religiosum nomen, *nullius inimicum, nullius reum.* (2) Uti autem pagani christianum nomen odiebant, nonnulli ex injustitia, quidam ex invidia; alii vero ex nequitia: ita multi Christiani trino illo motivo religiosum aversantur nomen, scilicet ex, 1. Injustitia 2. Invidia, 3. Nequitia.

1. Quam injuste Gentiles christianum aversati sint nomen inde colligit Tertullianus, quia oderunt quos ignorabant. *Hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis odii erga nomen christianum: ignorantiam scilicet* (3): iniquitatem autem odii ex ignorantia procedentis quadruplici ratione demonstrat. Odium non secus ac amor cum sint actus voluntatis, prærequirunt necessario notitiam objecti vel diligendi, vel odiendi. Uti amor non fertur in incognitum, ita nec odium; et quemadmodum nemo rationaliter potest amare, ita nec juste odisse quod ignorat. *Quid enim iniquius quam ut oderint homines quod ignorant, etiamsi res meretur odium? Tunc enim meretur, cum cognoscitur an mereatur. Vacante autem meriti notitia, unde odii justitia defenditur? quæ non de eventu, sed de conscientia probanda est?* (4) 2. Malum et demeritum est objectum odii, at econverso bonum et meritum est amoris objectum: qui autem absque prævia objecti notitia amat vel odit, sæpius amat malum odiendum, et odit bonum amandum. *Cum oderint homines, quia ignorant quale sit quod oderunt, cur non liceat ejusmodi illud esse, quod non debeant odisse? Ita utrumque ex alterutro redarguimus, et ignorare illos dum oderunt, et injuste odisse dum ignorant.* (5) 3. Odii ex ignorantia procedentis injustitiam fatentur ipsimet Christiani nominis osores: *Cum omnes qui retro oderunt, quia ignorabant, simul ac desinunt ignorare, cessant odisse.* 4. Depulsa ignorantia, qua innitebatur injustum odium et cognito christiani nominis bono et merito, plures ex idololatris *fiunt Christiani. Utique de comperto, et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderunt.* Cognita christianæ religionis veritate et bonitate multi ex Gentilibus incipiunt odisse fuisse se idololatras, et christiani nominis osores, et odium in amorem conversen-

(1) Thren. 4. — (2) Esa. 1. — (3) Tert. L. de Pat. 12. — (4) Tert. L. ad Scap. 1.

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 3. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. Apol. 1. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. ibid.

tes, christianam diligunt disciplinam, eamque libenter amplexantur.

En verum specimen injusti odii quo plures religiosum aversantur nomen. 1. Oderunt, quod ignorant, injustum est autem odisse quod non cognoscitur malum; 2. In injusta illa ignorantia iniqui odii parente sibi complacent, *amant ignorare, cum alii gaudeant cognovisse; malunt nescire, quia jam oderunt.* (1) 3. Nolunt veritatis assequi notitiam, ne prævia cognitione illustrati, injustum odium immutent in debitum amorem, sed in ignorantia perseverare volunt, ut in odio quoque perseverent. *Adeo quod nesciunt, præjudicant id esse, quod si sciant, odisse non poterunt, quando si nullum odii debitum deprehendatur; optimum utique sit desinere injuste odisse.* 4. Ex magno numero personarum quæ religiosam sectantur professionem, non colligunt regularis propositi meritum, sed potius *omnem sexum, ætatem, conditionem, et jam dignitatem, transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent: nec tamen hoc ipso modo ad æstimationem alicujus latentis boni promovent animos.* Quam bonus autem sit status religiosus satis demonstrat magnus eorum numerus, *qui elegerunt vitam quietam, remoti ab strepitu populari, a turbis inquietis, a magnis fluctibus seculi, tanquam in portu sunt. Feliciores in portu quam in pelago, fatendum est, concedendum est* (2): in pelago fluctuant mundani, in portu existunt religiosi: quapropter solitudinem nuncupat Gregorius Nazianzenus *asilum*, quo religiosorum denotatur securitas. Eamdem vocitat Magnus Basilius *spiritualem arcem.* (3) In tuto est quisquis est in arce: nam defenditur murorum fortitudine, turrium altitudine, machinarum ingenio, et militaris custodiæ præsidio. Inde colligendum est quam immerito parentes prolem suam ab hac arce dimovere nituntur, et quam injuste nonnulli ex invidia nomen religiosum aversantur.

2. Christianum *nomen quædam ratio æmulæ operationis insequitur.* (4) Per operationem æmulam dæmonem intelligit Tertullianus. Gentiles *dæmoniorum pessimorum aculeis incitati* (5) injuste adversantur *nomen illius æmulæ rationis inimicum.* (6) Quapropter Gentilium invidiam erga christianum nomen, *invidiam iniquitatis* (7) appellat Tertullianus: tum quia injuste odium spirat, tum quia a dæmone sumpsit originem. *Diabolus enim invidet homini ascensum unde corruerat, et propter hoc tentavit et animam occidit* (1); tum quia invidia est peccatum et iniquitas quæ invidentem supernaturali vita privat: *O quisquis es qui saluti invides alienæ, parcito vel tuæ. An nescis quod invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum? Attende itaque tibi: si enim ubi invidia, ibi mors, profecto non potes simul et invidere et vivere.* (2) Uti Gentiles a diabolo in invidiam incitati christianum nomen odiebant, ita pravi Christiani a dæmone invidia exasperati religiosum aversantur nomen. Verum, ut belle philosophatur D. Bernardus, *invidia non magnos, sed parvos semper torquet, dicente Sancto Job: Parvulum occidit invidia.* (3) *In eo enim quod aliquis alicui invidet, minorem se ostendit eo cui invidet, quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret.* (4) Itaque religiosis invident multi, quia illis inferiores sunt scientia, probitate, sapientum existimatione, prædicatione, exemptione, quam *ex privilegio sedis apostolicæ* (5) mutuati sunt. Pergit D. Bern. de invidia loquens: *Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Unde si quæ desiderat illi invidet qui penitus ea accepit, vel illi qui partem habendo quantitatem ei restringit; hunc parvulum occidit invidia, quia dum non potest adipisci quod alii invidet, in odium (invidiæ filium) cadit.* (6) Bene invidiosus nuncupatur parvulus, quia invidendo se inferiorem illo cui invidet, profitetur. Hunc parvulum occidit invidia, quia ejus interimit animam. *Imo uni invidens, duos tibi reddis infensos* (7): dominum scilicet et servum: Deum cui mancipatus est religiosus, et religiosum, quem injuste tum ex invidia, tum ex nequitia aversaris.

3. Multis rationibus demonstrat Tertull. quam injuste et quam scelerose Gentiles oderint christianum nomen: quia non debet aversari, nomen nisi ob aliquam culpam, ob aliquem reatum: *At quod nominis crimen? quæ offensa? quæ culpa? Nam si quis reatus est nominum, si qua accusatio vocabulorum, ego arbitror nullam esse vocabulo aut nomini querelam, nisi cum quid aut barbarum sonat, aut infaustum sapit, vel impudicum, vel aliter quam enuntiantem delectet. Hæc vocabulorum aut nominum crimina, sicuti verborum atque sermonum barbarismus est vitium, et solecismus, et insulsior figura. Christianum nomen de suavitate vel bonitate modulatum est; non incommodum linguæ,*

(1) Tert. Apolog. 1. — (2) D. August. in Psalm. 99. — (3) Orat. 2. — (4) Tert. Apolog. 2. — (5) D. Just. Apol. 2. — (6) Tert. ibid. — (7) Tert. Apol. 1.

(1) D. Bern. Serm. 4. de Purif. Virg. — (2) D. Bern. Epist. 7. — (3) Sap. 1. — (4) Bern. Serm. 5. de Purif. Virg. c. 3. — (5) D. Bern. Epist. 199. — (6) Serm. 5. de Purif. Virg. — (7) D. Bern. Epist. 7.

non auribus asperum, non homini malum, non patriæ infestum, sed et gratum aliis et sonorum, et interpretatione jucundum. (1) 2. Inique Gentiles christianum aversantur nomen, quod non potest esse scelerosum, nisi aliquod crimen denotet in Christianis. Quomodo autem Christianorum denotabit crimen cum Christianus sit nomen nullius criminis? At *Christianus si nullius criminis nomen est, valde ineptum si solius criminis nomen est.* (2) 3. Non potest aversari nomen nisi secta aversetur, neque secta odio haberi, nisi odio habeatur auctor sectæ; neque auctor sectæ odio haberi, nisi de scelere convincatur. *Plane si qui probavit malam sectam, et ita malum et auctorem, is probabit et nomen malum, dignum odio de reatu sectæ et auctoris. Ideoque ante odium nominis competebat prius de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de secta. At nunc utriusque inquisitione et agnitione neglecta, nomen detinetur, nomen expugnatur, et ignotam sectam, ignotum et auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia revincuntur* (3), quapropter injuste et nequiter *secta oditur in nomine utique sui auctoris.* Tantum abest ut secta sit mala, ut auctor sectæ sit malus, quinimo secta est optima, auctor sectæ summe bonus. Auctor sectæ est Christus Deus homo a quo secta denominatur christiana, a quo sectatores ejus dicuntur Christiani. *Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* 4. Inique bonum oditur nomen; christianum autem nomen bonum est; non solum quia a bono procedit auctore, neque adhuc quia bonam denotat sectam, sed etiam quia homines mali illud suscipientes emendantur, ut experientia comprobatur in pluribus *quos retro ante hoc nomen, vagos, viles, improbos* novimus, amplexato autem nomine christiano, probi et studiosi sunt effecti. 5. Gentiles ita sunt odio iniquo excæcati, ut non convincantur neque probitate Christianorum, neque emendatione vitæ idololatrarum christianam professionem amplexantium. *Ut quisque hoc nomine emendatur, offendit. Tanti non est bonum, quanti est odium Christianorum.* 6. Iniquitas eorum qui christianum aversantur nomen, ostentat simul et semel et odii malitiam, et Christianorum bonitatem; qui sic redarguunt Romanos adhuc Gentiles: *Consulite commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.* (1) Plures alias condensat Tertullianus rationes: inde concludit alloquens Ethnicos: *Atque adeo quasi præfatus hæc ad sugillandum odii erga nos publici iniquitatem.* (2)

Iisdem rationibus evidenter demonstratur odii iniquitas erga religiosum nomen: 1. *Nunc igitur si nominis odium est, quis nominum reatus? quæ accusatio vocabulorum nisi aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum.* (3) Nihil horum sapit nomen religiosum, sed potius pudicitiam profitetur, benedictionem pollicetur, benignitatem præstolatur, felicitatem ominatur. (4) A religando sic dictum, quia religiosos divino cultui ligat, et religat per vota solemnia obedientiæ, castitatis et paupertatis. 2. Nomen religiosum nullum denotat in religiosis crimen, qui ad perfectionem per virtutes properant. Religiosa professio ita est aliena a vitiis et criminibus, ut qui eam servant, dicere valeant cum veritate: *In nobis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare* (5); quapropter injuste et inique aversatur *in hominibus innoxiis, etiam nomen innoxium.* (6) 3. Non potest odiri religiosum nomen nisi odio habeatur prefessio religiosa, neque odio haberi professio religiosa nisi odio habeantur religionum institutores, quos tanquam Sanctos veneratur Ecclesia: imo nisi aversetur ipsemet Christus ad consilia evangelica vocans: falso enim et impie Calvinistæ in sua confessione debacchantur in vota religionis quæ ex dæmonis officina procedere clamitant. (7) Verius dixissent ea ab Spiritu Sancto edocta, a Christo auctorata, et a religionum fundatoribus amplexata, et suis sectatoribus transmissa. *Nec quemquam offendit professio nominis, cum institutione transmissi ab institutore.* (8) 4. Conversio de malo in bonum eorum qui propositum religiosum amplexantur, ostendit religiosæ professionis sanctitatem. *Ita nomen emendationi imputatur* (9), ut constat plurimorum exemplo, qui ante monasterii ingressum, erant cunctis addicti vitiis, suscepto autem religionis habitu, virtutibus splendent; 5. Multi *cæcitate odii* religiosum aversantur nomen, et, ut fatur Tertullianus, *plerique clausis oculis in odium ejus impingunt* (10): nec oculos ape-

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 3. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) Tert. Apol. 3.

(1) Tert. Apol. 5. — (2) Tert. Apol. 4. — (3) Ibid. — (4) D. Thom. Opusc. 19. — (5) Tert. Apol. 2. — (6) Tert. L. 1. ad Nat. 3. — (7) Art. 8. — (8) Tert. Apolog. 3. — (9) Ibid. — (10) Ibid.

riunt, ut inspiciant tot bona opera, quæ quotidie fiunt in monasteriis; 6. Pravitas eorum qui nomen religiosum oderunt plane demonstrat, et odii iniquitatem, et religiosi propositi probitatem. *Tales semper nobis insecutores injusti, impii, turpes, truces, vani, dementes* (1); cujusmodi sont hæretici, et alii quamplures a quibus religiosum nomen scelerose depretiatur.

III. PARS. *A primordio enim justitia vim patitur. Statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est.* (2) Omissa persecutione quam passi sunt, tum in veteri, tum in novo Testamento, Dei cultores, status religiosus fuit semper animadversione insecutus, persecutione jactatus, et calumniis denigratus. Tempore D. Augustini *perrexit ore maledico Petilianus in vituperationem monasteriorum et monachorum, arguens etiam me quod genus hujus vitæ a me fuerit institutum; quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit.* (3) D. Bernardus animi denotat magnitudinem in causa tum episcoporum, tum religiosorum? Nam Franciæ regem episcopos opprimentem constanter redarguit. *Rex Ludovicus non tam episcopos quam in ipsis justitiæ persequitur zelum pietatis cultum, habitum religionis* (4): Summumque Pontificem deprecatur ut vicaria Christi utatur auctoritate adversus *inimicum Christi et Sanctorum qui in circuitu ejus sunt, violentissimum oppressorem et calumniatorem pauperum.* (5) Quia nihil ita decet zelum justitiæ quo agere debet Christi vicarius, quam oppressos benigne recipere, et ab injustis oppressoribus liberare. « A nobis id omnimode flagitatur: quod aliunde frustra tentatum est. Circumspeximus, et non erat auxiliator. Ventum est ad commune refugium; illo refugimus, ubi confidimus liberari. Tantum adsit pietas, nam facultas non deest. Et quidem ex privilegio sedis apostolicæ constat, summam rerum ad vestram potissimum respicere summam auctoritatem, et plenariam potestatem. Verum hoc inter vetera vestri singularis primatus insignia, specialius illustriusque nobilitat vestrum, et inclytum reddit apostolatum; si eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla meo judicio in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consuevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem justorum. » Prolixus est D. Bernardus in commendando Summi Pontificis primatu, declarando recursu ad eum tanquam ad supremum Ecclesiæ judicem, in oppressionibus quas injuste patitur religiosum nomen; quod hac ætate *malorum similiter hominum gravi infestatione vexatur.* (1) Nam, 1. Vile et velut contemptibile vituperatur; 2. Tanquam inutile reputatur; 3. Tandem scelerose devenustatur.

1. Multum sane sunt criminosi religiosis propositi hostes: cum odio injusto quo illud aversantur, *admisceant nominis exprobrationem* (2) per derisum, religiosos nuncupantes monachos, sceleroseque imitantes paganos, qui, ut fatur Lactantius, « ignari rerum nostrarum Christum Chrestum, et Christianos Chrestianos vocabant. » Gentilibus christianum nomen vituperantibus similes sunt qui *ad impugnationem nominis* (3), religiosi; regulares vocitant contumeliose monachos: sicque *vituperant quæ ignorant, et id quod sciunt, eo quod ignorant, corrumpunt.* (4) Quibus respondere possunt religiosi idipsum quod cuidam ethnico Theophylus Antiochenus: « Mihi crimen vertis quod sim Christianus, et insigne præclarumque hoc nomen geram. At libere confiteor me esse Christianum, et nihil magis in votis habeo quam ut sim εὔχρηστος, id est, bonus erga Deum: non enim mihi molestum aut odiosum illud nomen est. » Neque etiam monachi nomen est contemptibile, sed honorabile. Itaque *in solum nomen impingitis* (5) vos omnes, qui illud derisorie et contumeliose pronuntiatis. « Nos appellamus monachos cum dicit versus: Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Μόνος enim *unus* dicitur: et non unus quomodocunque: nam et in turba unus est, sed una cum multis unus dici potest, μόνος non potest, id est, *solus*; μόνος enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere quod scriptum est (6): Una anima et unum cor, multa corpora, sed non multæ animæ, recte dicitur μόνος, id est, unus solus. Unde ille unus sanabatur in piscina. Respondeant nobis et exponant qui insultant nomini monachorum, quare ille qui inventus est triginta et octo annos habens in infirmitate, hoc respondisset Domino cum mota fuerit aqua (7): Non habeo qui me deponat, alius ante me descendit; descenderat unus, jam alius non descendebat. Unus solus sanabatur, unitatem Ecclesiæ figurabat. Merito insultant nomini unitatis, qui se ab unitate præcide-

(1) Tert. Apol. 6. — (2) Tert. Scorp. 8. — (3) D. Aug. L. 3. cont. Petilian. c. 40. — (4) Epist. 49. — (5) Epist. 197.

(1) D. Bern. ibid. — (2) Tert. Apolog. 3. — (3) Tert. L. 1. ad. Nat. 3. — (4) Tert. Apol. 3. — (5) Tert. L. 1. 1. ad Nat. 3. — (6) D. August. in Psal. 132. — (6) Act. 4. — (7) Joan. 5.

runt. Merito aliis displicet nomen monachorum, quia nolunt in unum habitare cum fratribus. » Fuse demonstrat. D. Augustinus immerito insultare monachorum nomini, tum hæreticos ab unitate Ecclesiæ sejunctos; tum alios qui simul habitare cum fratribus nolunt, ad instar religiosorum qui in eodem monasterio varia corpora habentium, unum duntaxat habent cor quo se ad invicem diligunt et uni Deo serviunt. Inde subjungit D. Augustinus : « Consideremus utrum de omnibus Christianis dictum sit : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum; an aliqui sint certi atque perfecti qui habitant in unum : nec ad omnes pertineat ista benedictio, sed ad quosdam a quibus tamen descendat ad cæteros. Illa enim verba psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico, quam in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum, sonuit per orbem terrarum, et qui divisi erant, congregati sunt in unum. Clamor Dei, clamor Spiritus Sancti, clamor propheticus non audiebatur in Judæa, et auditus est in orbe terrarum. » Ubique constructa sunt monasteria in quibus homines ex diversis mundi oris congregati vivunt in unitate spiritus et cordis, diligentes Deum, et semetipsos in Deo amantes. Quos ideo hortatur D. Augustinus : *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus : quia ista præcepta sunt principaliter vobis data : propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis cor unum et anima una in Deo.* (1) Cuncti generaliter Christiani ad dilectionem Dei et proximi sunt adstricti : sed præceptum charitatis multo melius servatur in monasterio, ubi religiosi ad diligendum Deum et proximum congregantur. *Non enim a lege solvitur, qui supra legem facere proponit : quinimo nullus magis illicita vitare debet, quam qui respuit quæ licebant. Nec quisquam ita a se mandata pollicetur implenda, ut ille qui amore perfectionis supra mandata conscendit.* (2)

Immerito igitur monachi insultatur vocabulo, cum ab unitate cordium sumpserit originem; cum charitas quæ religiosos Deo et proximo conjungit, sit vinculum perfectionis : cum ipsemet Deus, cui specialiter mancipantur, sit unus et solus, *solitudinem quamdam de singularitate substantiæ suæ possidens.* (3) Quare perperam depretiatur tanquam vile et contemptibile religiosum nomen, quia *nihil vilitatis admittit* (1), sed pietati totum est addictum, die noctuque divinas decantans laudes. *Reliquum ordinem disciplinæ æstimate qui sit, de religionis officio.* (1) Tædiosum foret cuncta monachorum recensere virtutis officia, quæ sileo, ut exclamem cum D. Hieronymo : *O desertum Christi floribus vernans ! o solitudo in qua illi nascuntur lapides de quibus in Apocalypsi civitas regis magni struitur ! o eremus familiarius Deo gaudens.* (2) Quo familiarius Deo gaudent monachi, quo micantius fulget Ecclesia floribus virtutum, quæ carpuntur in monasterio, eo scelerosius vituperatur nomen religiosum ab hæreticis et hominibus criminosis mundo deditis. *Quid mirum si homines mundi servis Dei detrahunt, et qui eorum vitam pervertere non possunt, famam decolorare conantur, cum ipsum Deum et Dominum eorum quotidie blasphemare non cessent, cum eis displiceat, quidquid contra eorum voluntatem justo et occulto judicio facit ?* (4) Ab hac vituperatione mundanos divertere nititur D. Augustinus, ex metu pœnæ quam luituri sunt. *Nemo laceret servos Dei, quia non expedit lacerantibus.* (5) Tantum illis damnosa laceratio, quantum dilaceratis religiosis fructuosa; illis enim supplicia, istis vero acquirit præmia. *Servorum quidem Dei merces falsis detractionibus crescit, sed crescit etiam pœna detrahentium,* qui eos contumeliose tanquam viles vituperant, et injuriose velut inutiles depretiant.

2. Politici monachos et religiosos otiosos ac superfluos, et reipublicæ et religioni inutiles decantant. *Sed alio quoque injuriarum titulo postulamur, et infructuosi in negotiis dicimur.* (6) Neque solum inutiles religiosos proclamant, sed adhuc onerosos Ecclesiæ, regno et populo : Ecclesiæ, quam depauperant; regno, quod militia, negotiatione et vectigalibus frustrant; populo, quem crebris mendicitatibus gravant. Ad retundenda hæc tela adversus regulares jaculata, plures suppetunt rationes. Qui sic loquuntur, æmulantur veterem gentium adversus Christianos querelam a qua fideles profunde vindicat Tertullianus. *Quo pacto homines vobiscum degentes ; ejusdem victus, habitus, instructus ejusdem ad vitam necessitatis ? Neque enim brachmanæ, aut Indorum gymnosophistæ sumus, sylvicolæ et exsules vitæ; itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris,*

(1) Epist. 109. ad Monachos. — (2) Incert. Hieron. Epist. ad Demet. c. 12. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 4.

(1) Tert. Apol. 39. — (2) Tert. ibid. — (3) Epist. ad Heliodorum. — (4) D. August. Epist. 156. ad Felic. et Hilar. — (5) Serm. 53. ad Frat. in Erem. — (6) Tert. Apol. 42.

cæterisque commerciis cohabitamus hoc seculum. Proinde miscemus artes, operas nostras, publicamus usui vestro : quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio. Aliorsum plures alias Tertulliani subministravimus rationes, quas omittimus, dicentes quod religiosi non depauperant Ecclesiam, quam opulenter ditarunt, ut constat ex tot abbatiis impinguatis opibus et annuis reditibus quos monachi suo studio, labore et pietate Ecclesiæ compararunt, quam dilataverunt sua prædicatione, rigarunt suo sanguine, sua doctrina adversus hæreticos propugnarunt, et suis exemplis ædificarunt. Quare Gregorius Nazianzenus vocitat suæ ætatis monachos *generis nostri primitias, fidei coronas, egregia Ecclesiæ complementa.* (1) Ecclesia suum mutuatur complementum, non solum a doctoribus, quorum eruditione irradiatur; a confessoribus, quorum exemplis ædificatur; a virginibus, quarum puritate dealbatur; a præsulibus, quorum auctoritate sublimatur; a martyribus, quorum sanguine purpuratur; sed adhuc ab instituto regulari, a quo accepit lilia virginum, myrrham confessorum, lucem doctorum, infulas præsulum, purpuram martyrum. Regulares adhuc sunt *propriæ religionis pignora.* (2) Quasi status regularis sit pignus veritatis, quam fides et religio christiana docet. Porro pignus tanti aut pluris valet quam res debita : religiosus status velut pignus religionis, æmulatur totius religionis pretium, et pie ambit Ecclesiæ complementum, tum quia religiosi Ecclesiam ad Orientem et Occidentem dilatarunt; tum quia Ecclesiæ mutuarunt cunctos ordines, scilicet virginum, doctorum, pontificum, martyrum, quibus integratur; tum quia profitentur observantiam mandatorum Dei, et consiliorum evangelicorum, a quibus præsertim sumitur Ecclesiæ perfectio; tum quia Ecclesiæ perfectio duo importat: nimirum doctrinæ veritatem et operis integritatem : religiosi autem splendent et doctrinæ veritate, et operis Sanctitate : quibus probe competunt quæ Hugo Cardinalis et D. Paulinus asseverant de Sanctis Matthæo et Martino : *Matthæus, non solum sermone, sed et vitæ correctione, Evangelium prædicavit* (3) : D. quoque Martinus ex monacho factus episcopus, *fidem exemplis et dictis fortibus armat.* (4) Neque, 2. Regno et reipublicæ onerosi sunt religiosi : tum quia etsi regi vectigalia non solvant, subditos regis ad obsequium, et vectigalium solutionem incitant, deinde Deum quotidie deprecantur pro rege, qui *per manum omnium religiosorum se ad justitiam offert.* (1) Christiani olim a Gentilibus calumniati, tanquam imperatorum osores, hanc retundunt calumniam dicentes : *Oramus pro omnibus imperatoribus; vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcunque hominis et Cæsaris vota sunt.* (2) Idem præstant regibus religiosi, ut testatur D. Bern. Ludovico, Francorum regi, scribens : *Si non meremur exaudiri, sed contemnimur; et nos fratres, et amici vestri, et qui quotidie oramus pro vobis, et filiis vestris, et regno.* (3) Religiosi inter milites regum non adnumerantur nec mirum, nam *militia Dei sumus.* (4) *Propterea venimus ad monasterium, et seculi libertatem perdidimus, ut servitutem Christi accipiamus.* (5) Religiosi negotiationi et mercaturæ operam non dant, quia sunt *negotiatores salutis.* (6) Quanto cœlum antistat terræ, religiosorum quam mundanorum nobilior est negotiatio : ita si ostendatur quantum regno et reipublicæ prosunt religiosi. *Facile ratio haberi possit, unius speciei querela compensata pro commodo cæterarum rationum.* (7) At, 3. Religiosi crebra mendicitate populum gravant. Adeo *avaritia subvertere nititur misericordiam.* (8) Populus oneratur quidem et gravatur vectigalium exactionibus, militum stationibus, magnatum concussionibus, epulis et potationibus, ludis et jucundis conversationibus, non eleemosynis et largitionibus factis Religiosis, qui terrenis renuntiarunt bonis, ut mendicantem et egenum imitarentur Christum, quique absque ulla comparatione, magis prosunt populo quam illi obsint. Idipsum respondere valentes quod Gentilibus querulis veteres Christiani: *Et tamen quodcunque dispendium est rei vestræ per hanc sectam cum aliquo utique præsidio compensari potest. Quanti habetis, non dico jam qui de vobis dæmonia excutiant, qui pro vobis quoque vero Deo preces sternant.* (9) Nonne religiosi pro populo sacro-sanctum missæ offerunt sacrificium, populi peccata dimittunt in pœnitentiæ tribunali, populum de cathedra erudiunt, in adversitatibus consolantur, ad opera virtutis verbo et exemplo promovent, die noctuque Deum pro populo deprecantur; *ut Deus cunctis Ecclesiis et*

(1) Orat. 6. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 7. — (3) Hug. Card. super Argum. — (4) D. Hieron. in Matt.

(1) D. Paul. Epist. 12. — (2) Tert. Apol. 30. — (3) D. Bern. Epist. 45. — (4) Tert. ad Mart. 3. — (5) D. Aug. Serm. de Obed. et Humil. — (6) Tert. Apol. 46. — (7) Tert. Apol. 42. — (8) D. Bern. in illud : Sapientia vincit malitiam. — (9) Tert. Apol. 43.

animabus, ac denique universo orbis supplemento luceat? (1) Probi religiosi sunt orbis supplementum, quia scilicet orbis supplent defectus; tum quia sua virtute orbis supplent sterilitatem; tum quia sua pietate Deo cultum exhibent quem ei denegant peccatores; tum quia sua oratione Dei justitiam placant. Quod si hac ætate, in qua tot tantaque exundant scelera, Deus humanum non punit genus, uti alias Sodomæ et Gomorrhæ cives, probis religiosis gratias agant peccatores. *Quid quod sic puniti sunt, nonne sunt et nunc multi qui eadem committunt, illi attamen non puniuntur? Etiam, sed quia propter gratiam Dei sunt et nunc justi, virtute præditi, qui placare possunt Dominum, sicut tunc patriarcha, tametsi nos, cum nos ipsos attendimus et nostram videmus desidiam, putamus miram virtutis raritatem, attamen propter illorum virtutem Deus longanimitatem in alios servat.* (2) Tot officia quæ præstant populo religiosi, nonne compensant parvas eleemosynas quas illis erogat populus? Immerito igitur queruntur politici de religiosis, parce et moderate, et cum gratiarum actione rebus ad vitam necessariis utentibus. *Meminimus gratiam debere nos Deo, Domino creatori: nullum fructum operum ejus repudiamus, plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur.* (3)

Verum quamtumvis religiosi sint Ecclesiæ, reipublicæ, et populo utiles, de officiis præstitis tumere non debent, sed sese fateri servos inutiles. (4) Quantumvis adhuc politici impii et hæretici eos velut onerosos et viles insequantur pro persecutoribus orare, dicentes cum Apostolo: *Maledicimur et benedicimus; persecutionem patimur et sustinemus; blasphemamur et obsecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* (5) His humiliationibus nobis sternitur via ad humilitatem. Nam, ut fatur D. Bernardus, *nunc autem alii insipientem me ridebunt, alii subsannabunt idiotam, alii præsumptori indignabuntur. Putasne parvum hoc mihi conferat religionis emolumentum, cum humilitas ad quam ducit humiliatio, totius sit spiritualis fabricæ fundamentum? Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi.* (6) Pergit D. Bernard. « Etsi scientia virtute, nobilitate et dignitate exaltatus, ludam et vilior fiam (1): ludam scilicet ut illudar. *Bonus ludus qui hominibus quidem ridiculum, sed angelis pulcherrimum spectaculum præbet: Bonus, inquam, ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus et despectio superbis: nam revera quid aliud secularibus quam ludere videmur; cum quod ipsi appetunt in hoc seculo, nos per contrarium fugimus: et quod ipsi fugiunt nos appetimus? Hoc religioso ludo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus:* (2) *hoc ludo et nos interim ludamus, ut illudamur, confundamur, humiliemur.* Bono ludo non ludit pravus religiosus qui scelerose vivens statum religiosum dedecorat.

3. Religiosus, cujus vita est suo proposito conformis, *idem et ipse, et sui nominis, et sui hominis.* (3) Ad quodvis religiosum propositum duo requiruntur, et nomen et opus: nomen quod a suo mutuatur institutore: *Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? nonne philosophi de auctoribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pythagorici?* (4) Non absimiliter religiosi a suis institutoribus vocitantur Augustiani, Benedictini, Bernardini, Dominicani, Fransciscani. Et quemadmodum *etiam a locis conventiculorum et stationum suarum Stoici Academici* (5), philosophi nominantur, ita etiam Carmelitani et Carthusiani appellantur a locis in quibus primum incepit eorum institutum. Et quia cuncti religiosi ejusdem ordinis in eodem proposito et in eadem observantia conveniunt, unusquisque debet *contineri consortio nominis, ut contineatur communione legis.* (6) Opus adhuc requiritur nomini religioso conveniens, quia operatio sequitur esse, *sed nec nominum proprietas competit proprietati operum.* (7) Neque verus est religiosus qui religiose non operatur: nam sextuplici potissimum de causa, tenetur ducere vitam suo statui convenientem, 1. Ut sit homo sui nominis: nam *fides nominum salus est proprietatum.* (8) Ad quod monachos hortatur D. Bernardus: *Quapropter non pigeat, o bone frater, quantum potes bonis insistere actibus: hoc solum attende, quod monachus factus es, et ideo age quæ monachi sunt:* (9) 2. Ut conformetur illis ejusdem ordinis religiosis, suo nomini et professioni probe respondentibus. *Ut si non ex consortio generis, certe vel ex privile-*

(1) Greg. Nazianz. Orat. 5. — (2) D. Chrys. in c. 18. Gen. — (3) Tert. Apol. 42. — (4) Luc. 17. — (5) 1. Cor. 4. — (6) Epist. 87.

(1) L. 2. Reg. 6. — (2) 1. Cor. 4. — (3) Tert. L. de An. 35. — (4) Tert. Apol. 3. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. L. de vel. Virg. 8. — (7) Tert. L. adv. Valent. 19. — (8) Tert. L. de Carn. Chr. 13. — (9) L. de Mod. ben. vivend. c. 8.

gio nominis. (1) 3. Ne perdat regnum cœlorum propter quod seculo renuntiavit, et vitam religiosam amplexus est. Hac ratione sororem ad virtutem stimulat D. Bernardus : « Soror in Christo amantissima, considera qui fecisti et ad quid venisti. Tu propter Deum omnia quæ in mundo sunt reliquisti ac despexisti, et pro amore illius monasterium elegisti. Tu regnum cœlorum comparasti, et teipsam in pretium illius tradidisti. Stude ergo cum summa vigilantia ut non perdas regnum quod comparasti, sed ut habere possis in perpetuum quod desiderasti et optasti. Cave ne perdas regnum pro quo temetipsam dedisti pretium. » (2) 4. Ne nimis seculo addictus tot laborum quos in monasterio passus est, amittat fructum. « Quid prodest tanti corporalis pariter et spiritualis laboris atque exercitii fructum vilissima aliqua consolatione imo desolatione minus acceptabilem fieri, aut certe et periclitari? Præsertim nos monachi, quorum certe velimus nolimus, in labore vita est; plane miserabiliores sumus omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientiæ? imo quid insaniæ est, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? Si mundum contempsimus universum; si abrenuntiavimus affectibus propinquorum; si monasteriorum carceri mancipavimus nosmetipsos; si denique non venimus facere voluntatem nostram, sed imposuimus homines super capita nostra; quid non oportet fieri, ne forte contingat hæc omnia nobis in insipientia nostra et negligentia deperire? » (3) 5. Ne regulare propositum dedecoret ducendo vitam suo statui contrariam. Quare D. Bernardus sic suam hortatur sororem : « Soror in Christo amabilis, professionem tuam habitu et incessu demonstra: sit in ingressu tuo simplicitas; sit in incessu honestas; nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu tuo appareat. Animus enim in corporis gestu apparet, gestus corporis signum est mentis. » (4) Tandem, 6. Ut subjungit Bern. religiosum alloquens, ut « non offendas oculos alterius, non præbeas de te spectaculum : non des aliis locum de te obtrectandi : » non scandalizes regulare propositum, faciasque religioso *nomini negotium* (5), præbens ansam impiis calumniandi cunctos et singulos regulares velut criminosos. Nam, ut ait D. Augustinus expendens istud Davidicum (Ps. 68): « Adversum me insultabant qui sedebant in porta. » *Ad quid enim aliud sedent isti et quid aliud captant, nisi ut cum quisque episcopus, vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari?* (1)

Atquin nullis vitiis adulor, nullis veternis parco. (2) Scio. Quamplures esse religiones difformatas, in quibus non bene servatur regulare propositum : « Quod audivimus, non quod vidimus, loquimur : claustrum ipsum monasterii frequenter, ut aiunt, stipari militibus, urgeri negotiis, fabulis personare, patere interdum et feminis. Quid inter hæc cœleste, quid divinum, quid spirituale poterit cogitari? » (3) 2. Non ignoro etiam in monasteriis reformatis multos reperiri defectus. « Summa itaque virtus monachi humilitas, summum vitium ejus superbia est. Superbiendo, contendendo, dimicando, murmurando, detrahendo, susurrando, negligendo, contemnendo, et proprias voluntates faciendo, infinitas monachi qui nunc sunt, culpas incurrunt. » (4) Hinc est quod ex horum magna multitudine qui seculum deserunt, rari valde inveniuntur, qui mortificationis viis, ascendere contendant ad perfectionem virtutum. Fateor adhuc, 3. Cum D. Bernardo, quod *multi habitum religionis habent, sed mentem religiosam non habent* (5); seu, ut fatur Apostolus (6), sunt aliqui formam quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes. Unde D. Bernardus sic alloquitur fratres de Monte Dei : « Pietatis non solummodo formam, sed et veritatem in omnibus et præ omnibus habitus vester repromittit, propositum vestrum requirit; hanc quicunque vestrum non habet in conscientia, non exhibet in vita, non exercet in cella; non solitarius, sed solus dicendus est; nec cella ei cella, sed reclusio et carcer est. Vere enim solus est, cum quo Deus non est, vere reclusus est, qui in Deo liber non est : solitudo enim et reclusio sunt nomina miseriæ. » (7) Tandem, 4. Concedo inveniri posse religiosos, nec virtutem neque speciem pietatis habentes, sed scandalosos et patenter scelerosos. Cujusmodi erat monachus ille apud D. Bern. *Omnino immemor regularium observationum, legum canonumque contemptor, frontosus ad verecundiam, insensatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram præceps, audax ad facinus, pronus ad injurias.* (8)

(1) Tert. L. de Res. Car. 5. — (2) L. de Mod. Ben. Vivend. c. 9. — (3) D. Bern. Ep. 341. — (4) L. de Mod. Ben. Vivend. c. 9. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 1.

(1) Epist. 137. ad Clerum. et populum Hippon. — (2) Tert. L. de Pall. 5. — (3) D. Bern. Epist. 78. — (4) D. Bern. Tract. Ord. Vitæ c. 9. — (5) L. de Mod. Ben. Vivend. c. 6. — (6) 2. ad Timot. 3. — (7) Tract. de Vit. Solit. cap. 4. — (8) Epist 107.

Verum licet in ordinibus religiosis sint regulares tepidi, imperfecti, hypocritæ, scelerosi, scandalosi, perperam tamen ex quorumdam vitio totus culpatur status religiosus : tum quia mos est hæreticorum totum statum religiosum ob unius culpam denigrare; tum quia culpæ sunt personales. «Quis amænissimum viridarium aspernatur quod inter pulcherrimos flores, inter præstantissimas plantas reperiatur araneus aut bufo : medici quidem multi carnifices qui pro medela venena propinant; nec tamen artem vitupero, sed qui arte sua iniquus abutitur; et nautæ complures navigia amiserunt, nec ideo ars navigandi damnanda est : » (1) Tum quia status conjugalis non vituperatur, neque damnatur, quia plures conjuges adulterantur, « et tamen ipsi cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas : cum autem de aliquibus qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ut de omnibus hoc credatur. » (2) Tum quia neque Ecclesiæ eradicatur frumentum, licet in ea quidam perversi velut zizania excrescant. « Et si in Ecclesia multi tam perdite vivunt, ea tamen nihilominus sancta appellatur, quoniam ipsa per se institutio, quomodo a Deo condita est, non quomodo a plerisque deformata est, inspici debet. » (3) Tum quia neque apostolica culpanda est dignitas, quia inter apostolos inventus est Judas proditor. « Non enim quod Judas proditor fuit, hoc apostolicæ perfectionis crimen, sed unius tantum viri mens improba fuit. » (4) Tum quia, « qui vituperare volunt, tam invido animo et perverso vituperant, ut claudant oculos adversus bona, et sola mala quæ ibi vel sunt, vel putantur exaggerant: » (5) cum multo magis laudandus sit status religiosus, quia in eo multo plures sunt boni quam improbi religiosi : *Quapropter et si contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari ; unde apotheca dominicæ fructum olei luminatiore implentur.* (6)

CONCIO SEXTA.

Si serio examinemus *titulos quorumdam quibus nominibus nuncupentur* (7), agnoscemus profecto illorum, 1. Vanitatem, 2. Falsitatem, 3. Infelicitatem.

I. PARS. *Si omnis gloria vana* (1), quanto magis quæ captatur ex nominibus? multi tamen ob vanitatem, 1. Magna cognomina sibi vindicant; 2. Titulos gloriæ multiplicant; 3. Nomina sua æternare curant.

1. *Nomen grande* (2) multi sibi vindicant, ut patet ex illo Persarum rege qui vel eo solum titulo suum regnum barbarorum regno præponebat, quod barbari prava haberent nomina, ut Caunus, Buthus, Davus; magnates vero Persarum magna haberent nomina, Sphendadates, Artaxerxes, Vavazanes. Constat adhuc ex romanis imperatoribus, qui ex devictis populis magna sunt consecuti cognomina. « Quorum unus pro eo quod Græciam evertisset Achaicus est nominatus : alter Macedonicus quod Macedoniæ vastitatem ac solitudinem induxisset. Scipio Africani cognomen obtinuit, quod Carthaginem solo æquasset. » (3) Cujusmodi sunt plures hac ætate, qui *dominantia nomina jactant*, ambiuntque vocari doctissimi, amplissimi, reverendissimi, illustrissimi, excellentissimi, eminentissimi, serenissimi, invictissimi, augustissimi. Christiane, humilitatis sectator,

Usibus edocto, si quidquam credis amico,
Crede mihi, et longe nomina magna fuge. (4)

Neque imiteris mundanorum vanitatem qui magna nomina sibi vindicant, titulos gloriæ multiplicant.

2. Et, ut fatur Tertullianus, *jugera nominum* congregant, ut Caroli quinti imperatoris comprobatur exemplo, qui induciarum tempore scribens ad Franciscum primum Galliæ regem, omnes provinciarum ac regnorum titulos, qui fere totam occupabant paginam, adjunxit : quos indignanter lectitans Franciscus, ne tot titulis ac nominibus videretur inferior, paucis rescripsit, suoque nomini adjecit Franciscus, Francorum rex, Francorum rex, Francorum rex, hocque titulo implevit quoque paginam, subjungens pro clausula, unum suum Galliæ regnum sufficere ad domanda cuncta Caroli regna. Neque solus Carolus imperator dignitatis et imperii multiplicabat titulos, sed adhuc plures alii. *Reges triumphorum suorum titulis nuncupantur, et subjectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta,* (5) quæ æternare curant.

(1) D. Chrysot. Hom. de Virtut. et Vitiis. — (2) D. August. Ep. 137. ad Clerum et popul. Hipp. — (3) D. Hier. adv. Helvid. — (4) D. Chrysost. ibid. — (5) In Psal. 99. — (6) D. August. Ep. 137. — (7) Tert. L. de Spect. 4.

(1) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 3. — (2) Tert. L. de Pall. 3. — (3) L. Garas. Doct. Cur. 7. Sect. 11. Themist. — (4) Ovid. Lib. 3. Trist. — (5) Chrysol. Serm. 57.

3. *Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, vel ut litteraturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet?* (1) Quanto conatu, industria, solertia, studio, labore, quantis curis, impensis, sumptibus, mortales suum nomen satagunt æternare? *Nonne vides eos qui fora et gymnasia in civitatibus ædificarunt, muros excitarunt, aquæductus adornarunt, quo pacto eorum nomina hisce sint indicta ædificiis terrenis, commenti modum quo in longum vitæ tempus sui memoriam nominis prorogarent?* (2) Ad hunc finem, uncialibus litteris, in publicis curiis, thermis, pilis, portis, porticibus, obeliscis, statuis, exarantur nomina, quorum immortalitas emendicatur a saxis, lapidibus, tempore dissolvendis: *Quo vitio laborasse dicitur Trajanus: unde eum herbam parietinam jocando cognominarunt.* (3) Uti enim parietariæ herbæ muris omnibus adhærescunt, sic Trajanus omnibus operibus suis tam novis, quam innovatis, nomen suum inscripsit, cujus æmulantur vanitatem, qui perennem nominis gloriam in excelsis palatiis, amplis atriis, marmoreis substructionibus, pictis etiam et deauratis navibus collocant. *Ecce aliud genus amentiæ, ædificiis, agris et balneis sua nomina inscribere.* (4) Neque duntaxat magnates, principes, imperatores, magnanimitate et virtute illustres, sed adhuc homines ignobiles et scelerosi, qui vilem penitus duxere vitam, litteris aureis sua nomina sepulcris inscribere non erubescunt. Nam, ut subjungit Magnus Basilius; *quin et in sepulcris inscripserunt sua ipsorum nomina, ad propriæ ostentationem magnificentiæ. Hi sunt qui terrena præsentisque gloriam temporis sapiunt, ac per hominum ora volitare tantum student, atque ista satis esse ad felicitatem putant.* Quantum vero decipiantur qui dementi hac vanitate laborant, inde colligitur, cum eorum nomina transeuntium calcibus obterantur, aut pulvere inducantur.

Vanitatis illius quæ nominis et famæ sectatur apud posteros celebritatem, auctores fuere Babylonii stupendam illam et tantæ altitudinis ædificantes turrim, ut D. Hieron. (5) teste ad quatuor millia passuum, seu tria milliaria fuerit sublimata. « Turris illa quæ ædificata est post diluvium, quam in altitudine quatuor millia dicunt tenere passuum, paulatim ex lato in angustias coarctata, ut pondus imminens, facilius a latioribus sustentetur: describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroque fulgentes, et multa alia quæ pene incredibilia videntur. » Ad quid autem tam ingens, tam insolita, tam immanis ad cœlos educta turris? Sacer textus aperte demonstrat: Venite, faciamus nobis civitatem, et turrim, et celebremus nomen nostrum. « Vide radicem mali, perpetuam memoriam consequamur, ut nostri perpetuo memores sint posteri: tale erit nostrum opus, ut nunquam oblivioni tradatur. Adhuc congregati gloriam nostram operemur, ut posteritati perpetuum nomen relinquamus. Sunt multi etiam hodie qui illos imitantur, et talibus operibus celebrari volunt. Isti splendidas domos ædificant, balnea, porticus, ambulationes, quorum si quem rogaveris, quare tantopere laboret, tantosque sumptus faciat, non aliud respondebit quam ut immortalem sui memoriam, celebritatemque nominis relinquat. (1) » Quam merito exclamat Tertullianus: *Rideam vanitatem, an exprobrem cæcitatem?* (2) Sane ridenda est vanitas eorum qui gloriæ causa nomen suum nituntur in terris efficere immortale. Cæcitas quoque exprobranda est illis, qui falsa nomina sibi arrogant.

II. PARS. *Itaque et ego vanitatem vanitate depellam.* (3) Pungit illos qui vana seu vacua tantum usurpant nomina, *qui vocantur et non sunt.* Quia nomina: 1. Imaginaria affectant; 2. Senio confecta sibi arrogant; Aliena usurpant.

1. Dominus Jesus neque *nominis phantasma affectavit* (4), neque *Christi nomen ut sportulam furunculus captavit* (5): sed vere nuncupatus fuit et Jesus et Christus: Jesus, quia salvator; Christus, quia unctus. *Neque enim meus iste Jesus nomen vacuum aut inane portat, non est in eo magni nominis umbra, sed veritas.* (6) Aliter ratiocinandum est de multis hominibus, qui nominum phantasmata affectant habentque nominis umbram, non veritatem, sumentes imaginaria nomina, quæ illis nullatenus competunt. *Quanti nequam servi regum nominibus insultant, Alexandri, et Darii, et Holofernis?* (7) quanti hac ætate fictitiis nominibus tument, et, ut fatur Juvenalis, sunt *præclaro nomine tantum insignes?* (8) Qui sunt hujusmodi, multum discriminantur a Theodorico rege, qui, ut ei adulatur Ennodius, pomposa et vana repudiavit nomina. *Quid frustra majo-*

(1) Tert. L. de Test. An. 4. — (2) D. Basil. in Ps. 48. — (3) Ammian. Marcellin. — (4) D. Chrysost. in Psal. 42. — (5) L. Comment. in Isa. cap. 14.

(1) D. Chrys. Hom. 38. in Gen. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 12. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 4. — (4) D. Aug. Tract. 5. in Joan. — (5) Tert. L. 3. adv. Marc. 16. — (6) D. Bern. Serm. 1. Circumc. — (7) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (8) Satyr. 8.

res nostri divos pontifices vocarunt, quibus sceptra collata sunt? Singulare est Theodorico actibus implere sanctissima, et veneranda nomina habere; rex meus ut divus vitam agit ex fructu conscientiæ, nec requirit pomposæ vocabula nuda jactantiæ, in cujus moribus veritati militant blandimenta majorum. (1) Quantum a Theodorico distant qui pomposæ jactantiæ nuda vocabula fingunt, antiquata et senio confecta usurpantes nomina!

2. Quamplures ut habeantur *vetustate nobiles* (2), sui generis ignobilitatem *nominum senio* (3) occultare moliuntur, fabulas et genealogias interminatas commiscentes. Per has genealogias interminatas de quibus loquitur Apostolus (4), D. Chrysost. et Theophylactus intelligunt fabulas et theogonias Gentilium, quarum fuit valde studiosus Tiberius Cæsar, qui *maxime curavit notitiam historiæ fabularis, usque ad ineptias et derisum.* (5) Theodoretus vero et D. Ambrosius censent Apostolum loqui de fabulis et genealogiis judaicis quales nunc exstant in Thalmud et apud Cabalistas: Tertullianus autem illas refert ad Ogdoadas Æonum quas commentatus est Valent. *Sed et cum genealogias indeterminatas nominat (Paulus) Valentinus agnoscitur, apud quem Æon ille nescio qui novi et non unius nominis, generat e sua Charitate Sensum et Veritatem: et hi æque procreant duos; Sermonem et Vitam: dehinc et isti generant Hominem et Ecclesiam: estque hæc prima Ogdoas Æonum: exinde decem alii, et duodecim reliqui Æones miris nominibus oriuntur, in meram fabulam triginta Æonum.* (6) Per fabulas illas et genealogias interminatas, intelligere adhuc possumus figmenta qua nonnulli fabulantur, ne præveniantur, *mendacio nominis* (7), quod imaginarie fingunt, vel injuste usurpant.

3. Dum veniunt *in nomine alieno.* (8) Plebeii namque equitum usurpant nomen; simplices clerici sine ullo titulo, priores vel abbates nuncupantur; nobiles barones vocitantur, barones marchiones, marchiones comites, seu duces. Verum, ut belle ad propositum fatur rex Theodoricus apud Cassiodorum, *nimis absurdum est portare nomen alienum* (9), habere *nomen inane, et crimen immane* (10), sectarique nominis infelicitatem.

III. PARS. In mundo sunt *felicitates et infelicitates* (1); in hoc tamen justi a peccatoribus discriminantur, quod justi ut plurimum sunt in hoc seculo inhonorati, innominati, et terrenis bonis denudati, peccatores vero honorantur, nominantur, et fortunæ bonis opulenter locupletantur. Verum in altero seculo non erit æqua sors justorum et peccatorum: justi namque honorabuntur, nominabuntur, et abunde in cœlo præmiabuntur; peccatores econverso trina mulctabuntur infelicitate, eruntque, 1. Inhonorati; 2. Innominati; 3. Cœlesti beatitudine privati.

1. *Omnibus fere ingenita est famæ post mortem cupido.* (2) Verum quamtumvis scelerosi angusta affectent vocabula, aliena nomina usurpent, gloriæ titulos multiplicent, ventosaque et imaginaria cognomina lapidi marmoreo exarent velut tot *famæ suæ ornamenta* (3), attamen tantum abest ut bonam sibi comparent famam; quinimo inhonorantur. « Deliacum navigium dum subinde sarcitur, et reconcinnatur, perpetuum in multa secula redditur: sic famæ semper aliquid addendum est, ne putrescat. » (4) Impii ut nomen suum famosum reddant, excelsas moles, amplissimas ædes, marmorea atria, vasta prædia, latos fundos, amœnissimas villas suburbanas sibi construunt, atque his insignia præfigentes, sibi comparant *nomina immunda* (5) et inhonorantia. Transeuntes namque in illos juges injurias, continua improperia jaculant dicentes apud Œcumenium: *Illa domus istius avari, istius raptoris viduarum et orphanorum spoliatoris.* Et quia filii ejus hæreditatem male partam possident, sunt etiam et reatus et infamiæ parentis participes. *Necesse est quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas ejus, a qua habet causas.* (6)

Bonum et honorabile nomen sectandum est, juxta Siracidis consilium: *Curam habe de bono nomine.* Nam, ut fatur Sapiens, *melius est nomen bonum quam divitiæ multæ.* (7) Bonum nomen sibi comparavit Scipio. Nam, ut refert Doctor Seraphicus (8), « Scipio princeps nobilissimus Romanorum, dum postularetur ut rationem redderet de innumerabili quasi pecunia sibi commissa, tradidit eis librum in quo expensæ erant quas fecerat, dicitque ad senatum: Nolite, Patres, de mea innocentia dubitare: quia licet Africam totam vestræ potestati subjecerim, tamen nihil ex ea quod meum possit dici, præter no-

(1) In Paneg. Theodor. — (2) Tert. L. de Pall. 1. — (3) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 15. — (4) 1. Timoth. 1. — (5) Sueton. in Vit. Tiber. c. 7. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 33. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 39. — (8) Tert. ibid. — (9) L. 8. Var. Epist. 10. — (10) D. Ambr. de Dign. Sacerd. cap. 3.

(1) Tert. L. adv. Valent. 3. — (2) Tert. L. de Test. an. 4. — (3) Tert. L. de An. 33. — (4) Plutarch. in Moral. — (5) Tert. L. de Spect. 8. — (6) Tert. L. de Spect. 12. — (7) Eccles. 41. — Proverb. 22. (8) Serm. 2. de S. Thom. Apost.

men et gloriam reputavi. Si tales hodie essent Christiani, quam securi viverent, quam bonum nomen morituri posteris relinquerent! » Nonne Scipionis exemplum condemnat tot vectigalium exactores, tot ærarii regii præfectos et administratores, qui totum regnum devastant, ut superba palatia ædificent; cunctos populos depauperant ut nomen suum marmori et æri scribant; qui ex aliorum dejectione et inopia tumentes, sibi Marchionis Comitis aut Ducis nomina arrogant? At in vanum laborant, quia gloriam sectando, sibi ignominiam acquirunt, ut uni ipsorum exprobrat D. Chrysost. *Hæc enim monumenta non te clarum reddent, sed ora omnium aperient: ædificia enim non sinunt tuam avaritiam, quæ oblivioni tradi poterat, temporis excursu exstingui, et stant veluti columnæ, et trophæa erecta avaritiæ* (1), concussionis, rapinæ et tyrannidis. Quam vere dixit olim Mathathias Antiocho nobili seu superbo: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est* (2): tumidum et ventosum olim ejus nomen fœtide sordet, et ut stercus putrescit, cadaverascit, vermescit. Quod etiam asseverat Sapiens justum ab impio discriminans: nam *memoria justi cum laudibus* (3): seu, ut alii legunt, memoria justi *celebris est et plausibilis cum encomio, et in benedictionem.* Subjungit illico: *Nomen impiorum putrescet.* Biblia tigurina scribit: *nomen impiorum sordet;* Vatablus legit: *Exolescet;* Septuaginta vertunt: *Exstinguetur.* Quasi dicat Sapiens, sicut justi memoria, grata, suavis, honorata dulcisque est, ut tam Deus quam homines, cum ejus mentionem faciunt, eum benedicant, laudent, celebrent, ita econverso impiorum fama, existimatio, laus, gloria et nomen sordet, putrescit, exolescit, exstinguitur, adeo ut nulla claritutudinis et honoris supersit scintilla. Quibus competunt quæ terræ aptat Tertul. *Post totum ignobilitatis elogium caducæ in originem terram, et cadaveris nomen: et de isto quoque nomine perituræ in nullum inde jam nomen, in omnis jam vocabuli mortem* (4): nam gloriæ et honori morientes sunt inhonorari et innominati.

2. Homines mundanæ gloriæ studiosi sectantur, *qualem potest præstare seculum de fama æternitatem* (5): ideo nomina sua historiis commendant, marmoribus consignant, ædificiis exarant, velut perenne magnitudinis suæ monumentum. Ejusmodi fuerunt insani conatus Babyloniorum dicentium: « Celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras: » (1) seu, ut ex Hebræo legit Lippomanus: *Faciamus nobis nomen ne forte dispergamur. Voluntate Dei contra seipsam pravitas vaticinatur: sic enim Scribæ et Pharisæi de seipsis prophetarunt futurum, cum dixerunt: Ne forte veniant Romani, et tollant locum nostrum et gentem.* Peccatores dum suum perpetuare nomen affectant, tacite prophetant, deinceps futurum esse, ut tanquam lenis vagusque pulvis in terram dispergantur, nullamque sui memoriam, sed perennaturam oblivionem post se relinquant: arcano divinæ providentiæ consilio, iisdem verbis quibus impii æternum sui nomen relinquere posteris moliuntur, nullum sui nomen relicturos ominantur, sed æternam sui oblivionem declarant. *Nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum.* (2) Scelerosi anonymi sunt, neque ullum merentur apud Deum nomen: quod tum ex veteri, tum ex novo Testamento comprobatur. In veteri Testamento, abominanda hominum scelera diluvio punienda referre volens sacer historicus, sic sumit exordium: « Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt Filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a seculo viri famosi. » (3) Septuaginta vertunt: *Viri nominati;* Paraphrastes Chaldæus legit: *Viri nominis;* alii vero: *Cadentes vel violenti.* Gigantes illi libidine notissimi, corporis proceritate ac robore insolentes, omnia prosternebant, conculcabant, omnia vi diripiebant, adeo ut propter enormissima eorum flagitia diluvium mundo ingruerit. Tametsi *viri nominati*, seu *viri nominis* dicantur, nullum tamen præferunt vocabulum, nullo insigniuntur nomine, sed *gigantes*, seu *violenti*, vel *cadentes* nominantur. Ut autem animadvertit Cajetanus, Gigantes hebræa lingua *lapsi* interpretantur: itaque *a lapsu in scelera denominatur*, eorum nomina silentur, et a flagitiorum insolentia vocabulum adsciscunt, dicunturque gigantes, violenti, cadentes, lapsi.

In novo etiam Testamento, « homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide: et erat quidam mendicus, nomine Lazarus. » (4) Ex D. Ambrosio, *narratio magis quam parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur.* At cur unius duntaxat imprimitur nomen, ulterius vero siletur? Cur pauper

(1) Homil. 30. in Gen. — (2) L. 1. Machab. 2. — (3) Prov. 10. — (4) Tert. L. de Res. 4. — (5) Tert. Scorp. 6.

(1) Genes. 11. — (2) Sap. 2. — (3) Genes. 6. — (4) Luc. 16.

proprio vocitatur nomine, dives vero innominatus inducitur? Scilicet divitem tanquam durum et in pauperes inhumanum Dominus anonymum inducit, uti per Prophetam de Deum non timentibus pronuntiarat dicens: Nec memor ero nominum eorum per labia mea (1): pauperem vero justum nomine designat; siquidem tales in Dei lingua et ore obversantur. Justus quantumvis pauper, crebro in Dei memoria, ore et lingua versatur, quem *nomine æterno hæreditabit* (2); dives vero injustus, etsi apud homines nominatissimus, anonymus apud Deum est, indignusque qui Dei ore et biblico charactere describatur. Quare tantum dicitur *homo quidam*, suppressio hominis scelerosi vocabulo. Christiane, « si perpetuam memoriam desideras, ne nomen tuum ædificiis inscribas, sed trophæa recte factorum erigas, quæ in præsenti vita nomen tibi conservant, et in futura vita immortalem tibi requiem comparant. Si sis memoriæ cupidus, ego te docebo viam veram et apertissimam. Virtutis curam gere, nihil enim facit nomen adeo immortale ut natura virtutis. Id ostendunt martyres, ostendunt Apostolorum reliquiæ, ostendit memoria eorum qui recte et ex virtute vixerunt. Quot reges urbes everterunt, portas exstruxerunt, et nominibus suis inscriptis decesserunt, nec eis tamen quidquam profuit, sed silentio et oblivioni mandati sunt? Piscator autem Petrus qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosecutus, et civitatem maxime regiam occupavit, etiam post mortem splendet sole clarius, et ab ortu solis usque ad occasum laudabile nomen ejus. Quod tu autem facis est ridiculum et plenum ignominia, » (3) ære alieno, pauperum sanguine, viduarum substantia amplissimas struens domos, quibus tuum inscribas nomen, perituris consignans periturum vocabulum. Certissimam æternandi nominis viam disce a D. Chrysostomo: « Si æternam igitur memoriam amas, liberalitatem tuam et pecuniarium largitionem in pauperes confer, relictis villis, balneis, aliisque ædificiis: larga eleemosyna immortalem viri memoriam reddit: sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Uno die dispersit divitias; sed justitiæ ejus, id est, liberalitatis et misericordiæ æternum mansura est memoria. Et rursus scriptum est: In memoria æterna erit justus; ab auditione mala non timebit. Recte ab auditione mala non timebit: nam sicut improbi male audiunt apud homines, omniumque vituperatione et detestatione lacerantur, sic econtra boni omnium prædicatione celebrantur. O hominem, inquiunt, misericordem! o benignum! o mansuetum! o dignum immortalitate! » (1) Quam rari sunt hac ætate qui talia encomia mereantur! quam multi sunt oblivioni traditi innominati, qui cœlesti privantur felicitate!

3. Olim apud Gentiles simul cum nomine *Fata scribunda advocantur* (2): scilicet quæ prospere ventura forent, quasi facta simul cum nomine insculperentur, aut ex nomine auspicaretur fatum et prosperior felicitas. Quam infausta mundanorum felicitas, quorum nomina scripta sunt, non in cœlis, sed in terris! Quare Jeremia propheta sic Deum alloquitur: «Exspectatio Israël, Domine; omnes qui te derelinquunt confundentur, *recedentes a te in terra scribentur*. (3) Impios scribi in terra est, ait Vatablus, perire eorum nomen, memoriam et famam: nam quæ in pulvere scribuntur, vento aut pede facile delentur; quæ autem magni facimus, quæque memoriæ et posteritati mandare volumus, scripturis, aut lapidi, aut æri consignamus; quæ vero nihil ducimus, tanquam mox abolenda quasi per jocum in aqua aut in pulvere scriptitamus. Sic Demetrius, Antigoni regis filius, cui obtenta silentii fide declarat pater conceptam Mithridatis mortem, jaculo scripsit coram Mithridate in terra: « Fugiat hodie Mithridates, nisi crastina die enecari velit. » Ex D. autem Hieronymo et Hugone Cardinale, scribi in terra est adnumerari iis qui terrena sapiunt, cœlesti renuntiari felicitati, et terrenæ duntaxat inscribi. *Mundani inscribuntur terrenæ felicitati, divitiis, deliciis, honoribus, quasi litteris, quæ indicant quales sint, scilicet avari, superbi, luxuriosi* (4), indigni cœlesti potiri felicitate. *Vocaverunt nomina sua in terris suis* (5): non in libro vitæ, sed in libro mortis scribuntur eorum nomina: justi vero scribuntur in cœlo et cœlestibus, quasi cives Sanctorum scripti in libro vitæ, id est, in æterna Dei memoria et prædestinatione, ut Filii Dei et æternæ felicitatis hæredes. (5)

Duos libros refert Scriptura in quibus juxta Rupertum scripta sunt reproborum et electorum nomina. Reproborum nomina scripta sunt in libro generationis Adam: « Liber generationis Adam, in die qua creavit Deus hominem. » Electorum nomina

(1) Psal. 115. — (2) Eccles. 15. — (3) D. Chrysost. in Ps. 48.

(1) Hom. 30. in Gen. — (2) Tert. L. de An. 39. — (3) Cap. 17. — (4) Hug. Card. — (5) Psal. 48. — (6) Luc. 10.

scripta sunt in libro generationis Jesu Christi: « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. » *Liber iste, liber cœlestis est: liber generationis Adam, liber terrenus est. Sicut primus ille homo de terra terrenus, novissimus vero de cœlo cœlestis, ita liber generationis Adam liber terrenus : et iste liber generationis Jesu Christi, liber est cœlestis. In illo libro terreno, omnes reprobi scripti sunt, juxta illud : Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur : recedentes a te, in terra scribentur ? In isto scripti sunt electi, quibus ipse Dominus : Gaudete, inquit, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* (1) Quam infelices scelerosi terrena sectantes, quorum nomina in libro terreno Adam scripta sunt ! quam felices justi, virtuti studentes, quorum nomina in cœlesti libro scripta sunt ! Illi recedentes a Deo et terrena cœlestibus anteponendo, a cœlesti sunt exclusi hæreditate ; isti cœlestia terrenis præponendo, æternæ felicitatis inventi sunt digni, quam nobis largiatur misericors Deus.

(1) Matth. 1.

ORATIO.

SCHOLIUM.

Consideratur orationis, 1. *Indigentia et necessitas ;* 2. *Excellentia et dignitas ;* 3. *Conditio et qualitas ;* 4. *Virtus et efficacitas ;* 5. *Fructus et utilitas ;* 6. *Rerum quæ postulantur in oratione, natura et proprietas.*



CONCIO PRIMA.

Christianus de cœlo eruditus *convertitur ad preces* (1) : probe sciens necessariam sibi esse orationem, tum necessitate præcepti, tum necessitate medii : 1. Necessitate quidem præcepti, ut obsequatur Christo imperanti : *Quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis, petite et accipietis.* (2) Ut autem subjungit Tertullianus, hujusmodi Christi præceptum *ei competit qui sciebat a quo esset petendum*, nimirum fideli adulto, qui verum colens Deum, eum oratione veneratur, ab eoque expostulat corporis sanitatem, animæque salutem. Quapropter primiceri Christiani merito Gentiles irridebant quod imperatoris salutem frustra ab idolis expostularent, gloriabanturque se illam a Deo petere, quem solum posse præstare certo cognoscebant. *Ideo committimus in majestatem imperatorum ; quia non ludimus de officio salutis ipsorum ; qui eam non putamus in manibus esse plumbatis. Sed vos religiosi, qui eam quæritis ubi non est, petitis a quibus dari non potest, præterito eo in cujus est potestate ; insuper eos debellatis, qui eam sciunt petere, qui etiam possunt impetrare, dum sciunt petere.* (1) 2. Oratio necessaria est etiam necessitate medii : tum peccatori, tum justo : ad postulandum Dei auxilium ; quo peccator possit a morte peccati suscitari, et justus perseverare in vita gratiæ. Ideo D. Chrysostomus expendens illud Lucæ : « Oportet semper orare et nunquam deficere, » declarat quod ly *oportet*, *necessitatem inducit.* (2) D. quoque Augustinus postquam asseruit : *Oratio in Ecclesia universis gradibus necessaria est* (3), erroris damnat eum qui alios homines a Christo ab hac necessitate eximere præsumit : *Quam orationem quisquis cuilibet homini, etiam sancto, et Dei voluntatem scienti et facienti, præter unum*

(1) Tert. L. adv. Valent. 16. — (2) Tert. L. de Præsc. Hær. 8.

(1) Tert. Apol. 29. — (2) Cap. 18. — (3) Tract. de Misericordia.

Sanctum Sanctorum, *dicit in hac vita necessariam non fuisse*, *multum errat*. (1) Chrysostomo et Augustino arridens D. Hieronymus (2) redarguit Pelagium, quod tollendo necessitatem gratiæ, orationis tolleret necessitatem, quæ ad postulandam gratiam necessaria est. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus, *nullum credimus ad salutem*, *nisi Deo invitante venire : nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari : nullum nisi orantem, auxilium promereri*. (3) Absque gratiæ auxilio nequit homo, neque salutis evadere pericula ; neque graves superare tentationes ; neque divina servare mandata : itaque ut salutis tollat impedimenta et media consequatur, suam agnoscit impotentiam et imbecillitatem ; divinam implorat benignitatem, auxiliumque gratiæ sibi tantopere necessarium in oratione postulat, ideoque ex necessitate gratiæ colligitur orationis necessitas : et vicissim *ipsa oratio clarissima est gratiæ testificatio*. (4)

Multis comparationibus utuntur Patres, ut orationis demonstrent necessitatem. D. Chrysostomus orationem nuncupat animæ vitam : uti enim corpus sine anima, sic nec anima sine oratione vivere non potest. « Quod si teipsum destitueris deprecatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris : ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Hac omnes homines non minus opus habemus quam arbores aquarum humore ; neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus ; neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse gravidi, nisi precibus irrigemur. » (5) D. Augustinus orationem vult homini necessariam velut animæ alimentum : « Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis et orationibus interior homo nutritur et pascitur. » (6) Eadem est mens Sancti Antiochi apud quem *oratio cum luctu conjuncta*, *et ad Deum effusa in spiritu*, *alimonia mentis est, haud secus ac panis corpori* (7) : id est, oratio tam necessaria est animæ quam corpori cibus. Orationis autem necessitatem tria præsertim ostentant, scilicet, 1. Humana conditio ; 2. Christiana religio ; 3. Divina dispositio.

I. PARS. *Humanam necessitatem quasi deprecatricem* (8) inducit Tertullianus ; maxime quando aliqua miseria gravatur : nam, ut animadvertit D. Chrysostomus, *pro se orare necessitas cogit, pro aliis autem fraternitatis charitas hortatur*. (1) In quo viatores conveniunt et disconveniunt cum beatis in cœlo regnantibus. Conveniunt quidem, quia utrique ex motivo charitatis pro aliis orant ; disconveniunt vero, quia Sancti in cœlo Deum assidue laudant : Deum pro viatoribus deprecantur ; pro seipsis vero non orant, quia inopia non gravantur : adversitate non torquentur, neque de salute sua periclitantur. Viatores econtra trinæ sunt obnoxii miseriæ, nimirum inopiæ et egestati, tristitiæ et adversitati, concupiscentiæ et iniquitati. Quapropter necessitas illos orare compellit : ut obtineant, 1. Egestati subsidium ; 2. Adversitati solatium ; 3. Adversus iniquitatem remedium.

1. Sanctis in cœlo est *vita sufficiens* (2), neque ulla egestate laborant. Nec mirum quia Deum possidentes omnia possident : *Præsume nihil tibi opus esse, si Domino appareas ; imo omnia habere, si habeas Dominum, cujus omnia* (3) quæ ab illo effective procedunt, et in illo velut in causa æquivoca eminenter continentur. Et ob hanc causam *in patria orandi locus nullus erit, sed tantum laudandi, quia nihil deerit : quod hic creditur, ibi videbitur ; quod hic speratur, ibi tenebitur ; quod hic petitur, ibi accipitur*. (4) Verum si beatis nihil deest, viatoribus multa desunt : nam prætereundo quod illis deest gloria, qua fruuntur in cœlo beati ; tacendo adhuc quod multis deest gratia, quæ est medium ad æternam beatitudinem comparandam necessarium, quamplures sunt *in penuria mundi* (5) fortunæ bonis denudati. Christiane, qui egestate laboras, orationi vaca. *Revela Domino viam tuam*, *et spera in eo*, *et ipse faciet*. (6) Pro ly *revela*, D. Hieronymus legit *volve* ; Symmachus vero vertit, *revolve* : Hebræi autem referunt, non *viam*, sed *indigentiam*. Quasi dicat Propheta : Quando desunt tibi bona temporalia ad vitæ sustentationem necessaria, expande, manifesta, declara, exhibe Deo in precibus indigentiam tuam, et ipse subveniet inopiæ et egestati tuæ. Nam *oratio est mentis devotio*, *id est*, *conversio in Deum*, *per pium et humilem affectum : humilem ex conscientia infirmitatis propriæ ; pium ex consideratione divinæ clementiæ*. (7) Deus nullo indiget, quia est infinite bonus : homo multis eget, quia est pauper et egenus ; Deus utpote infinite bonus, est boni diffusivus et liberalis. De Jove

(1) L. 13. de Pecc. Mer. c. 13. — (2) Epist. ad Ctesiphonum. — (3) L. de Ecclesiast. Dogm. c. 56. — (4) D. August. Ep. 95. — (5) L. 1. de Orando Deo. — (6) L. de Salut. Docum. c. 28. — (7) Hom. 106. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 12.

(1) Hom. 53. in Matth. — (2) Tert. L. de Spect. 29. — (3) Tert. L. 1. ad Uxor. 4. — (4) D. Aug. Serm. 17. de Verb. Dom. — (5) Tert. L. de Pat. 13. — (6) Psal. 36. — (7) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. c. 27.

sic fatur eloquentiæ romanæ princeps : « Jupiter, id est, juvans pater, a poetis divumque hominumque dicitur, a majoribus autem nostris, optimus maximus et quidem tam optimus, id est, beneficentissimus, quam maximus : quia majus est certe gratiis prodesse omnibus, quam opes magnas habere. » (1) Verum quod falso Jovi tribuit Cicero, vere competit Deo : « Et quis alius æque dives aut liberalis ad præstandum sicut Dominus omnium? dives in omnes qui invocant illum (2) : qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione (3); qui dat omnibus affluenter (4), et non improperat, nisi illi qui vel pigre petit, vel ingrate detinet gratiam quam accepit. » (5) Homo egenus et pauper uti debet *precario*, *ex necessitate mediocritatis suæ* (6), Deoque opulento et munifico suam inopiam exhibere. Nam, ut belle ait ad propositum Gillibertus abbas (7), « annuntiatio, precationis tenet effectum. Humanum recogitate morem in rogando : nam apud miseratorem, alicujus commemorare miseriam, ipsum rogare est. Efficax precatio est modesta suggestio, oppressi infirma exponere, fortunæ imbecillitatem, insolentiam hostium. Hæc, inquam, exponere in aure potentis, quid est aliud quam ipsum verecunda quadam prece ad auxiliandum inflectere ? Quot in locis apud Psalmistam hunc precis modum invenies ? In Evangelio, inquit Maria ad Jesum : Vinum non habent. Non deprecatur Dominum, nec imperat Filio, defectum vini suggere tantum contenta. Cum beneficis et ad liberalitatem propensis, ita agendum est : non est enim gratia violenter exprimenda, sed proponenda occasio. » Ipsa indigentia, miseria et calamitas, orat, precatur, et deprecatur subsidium : quapropter belle Tertullianus *humanam apponit necessitatem tanquam deprecatricem*, quia (etiam opere et corde silente) aliquod est orationis genus, et quidem ad impetrationem efficacissimum. Quod ex miraculo in nuptiis patrato constat. « Deficiente namque vino, dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent. » (8) Non prece rogat, et supplicatione exigit a Filio miraculosam aquæ in vinum conversionem, sed solummodo necessitatem modeste proponit, et illius vocem pro sua ad Filium prece supponit, *illa cum mater sit, se matrem oblita, non audet petere miraculum vini* (9), duntaxat aiens : « Vinum non habent. » *Quid modestius ? quid fidelius ? Non defuit pietati fides, voci gravitas, efficacia voto.* (1) Attamen Deipara se matrem obliviscitur ad petendum, cum penuria urget, dum necessitas clamat. Quod si Christus dixit Matri : « Quid mihi et tibi est, mulier ? nondum venit hora mea : » hoc modo locutus est, non velut ipsi indignans, sed tanquam erudiens ab egentibus postulandum esse auxilium : *ab indigentibus enim, non a Matres id quærendum erat.* (2) Exspectat Christus ut oratio fiat ab urgenti necessitate ; at dum Maria postulat, nondum urget necessitas : « Nondum venit hora mea ; » necessitate autem urgente, ab indigentibus, non a Matre quærenda erat miraculosa aquæ in vinum conversio, ut quod non impetravit Maria impetraret necessitas.

Miseria ipsa dat patronos (3); imo miseria ipsa supplicationis mater est, vigor orationis et energia precum. *Egestas intercedit ad veniam* (4) : indigentia, etsi nulla prece evulgata, tacito miseriæ clamore orat et deprecatur : ut demonstrat Basilius Seleucus ex misero illo cui Petrus contulit sanitatem. « Et quidem vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur ; quem ponebant quotidie ad portam templi, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. » (5) *Cum naturæ paupertate pecuniarum inopia conjuncta erat, et miseri calamitates ita partitæ : natura enim male pedatum genuit ; inopia vero rogatorem fecit.* (6) Naturæ paupertas, et pecuniarum inopia, geminata miseria, claudum et egenum rogatorem fecit, oratione obtinuit egestati subsidium, et adversitati solatium. Nam, ut subjungit Basilius, *orationis appendix erat claudi curatio.* (7)

2. Beati in cœlo *constabiliti sunt, et in requiem ex veritate compositi magno cum gaudii fructu, hymnis patrem concinunt* (8), In cœlesti Hierusalem est quidem pax et requies, non perturbatio et bellum ; gaudium et lætitia, non tristitia et amaritudo ; beatitudo et felicitas, non miseria et adversitas : quoniam *nec miseria et beatitudo, simul in uno homine habitare consueverunt.* (9) Beatitudo non esset status omnium bonorum aggregatione perfectus, si compati posset cum miseria et adversitate : et quia, ut docet D. Augustinus, *oratio non est nisi miserorum : transibit oratio, succedet lauda-*

(1) Lib. 2. de Nat. Deor. — (2) Rom. 10. — (3) Ps. 144. — (4) Jacob. 1. — Guerr. Serm. in Rogat. — (5) (6) Tert. L. adv. Hermog. 9. — (7) Serm. in 47. in Cant. — (8) Joan. 2. — (9) D. Bern. de Grad. Humil.

(1) D. Bern. ibid. — (2) D. Chrys. Hom. 20. in Joan. — (3) Basil. Seleuc. Orat. 20. — (4) Hildeb. Ep. 20. — (5) Act. 3. — (6) Orat. 12. — (7) Orat. 11. — (8) Tert. L. adv. Valent. 12. — (9) D. Aug. L. de Mor. Eccl c. 3.

tio (1); Sancti qui in cœlo immortali fruuntur beatitudine, Deum laudant, pro se vero non orant, quia nulli sunt obnoxii miseriæ; viatores vero miseria et adversitatibus exagitati, Deum orare coguntur, nam, ut fatur dubius Augustinus : « Legem non habet necessitas, dolor me compellit dicere, et exclamare me compellit calamitas quam patior. Æger sum, ad medicum clamo; cæcus sum, ad lucem propero ; mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita : Jesu Nazarene, miserere mei ; fili David, miserere mei ; fons misericordiæ, audi qui ad te clamat infirmum ; lux quæ transis, exspecta cæcum ; vita vivens, revoca mortuum. » (2) A dubio Augustino ad indubitatum transeamus Augustinum hac supra re mirum in modum ratiocinantem : « Quo studio et quo affectu a nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul et ex conditoris misericordia considerare possumus. Quid enim affectius hominem ad orandi studium excitaret quam miseria et calamitas tantorum malorum quibus premitur ? aut quid jucundius ad affectum traheret, quam misericordia conditoris quam toties inter mala sua experitur ? Ne ergo mens humana ad orandum sit pigra, illic ex una parte necessitate compellitur ; et ne aut diffidens oret, aut trepidans, illic misericordia Dei provocatur. » (3)

Duplici incentivo homo ad orationem stimulatur : uno ex propria miseria desumpto ; altero, ex divina misericordia mutuato : adversitas qua premitur, illum, 1. Ad orationem competit. *Magnificemus, oremus vel humano timore, si non amore divino ; si non invitati bonis, vel coacti malis.* (4) Quod nos docere voluit ipsemet Christus qui mutum quemdam sanare volens, « suspiciens in cœlum ingemuit. » Ut autem expendit Beda, *suspexit in cœlum ut inde mutis loquelam, inde auditum surdis, et inde cunctis infirmitatibus medelam, doceret esse quærendam.* (5) Imo, ut animadvertit. D. Augustinus (6) elucidans istud Davidicum : « Qui tangit montes, et fumigant, » persæpe permittit Deus affligi superbos ut eum in adversitate deprecentur. Montes superbi erant, jactabant se, non eos tetigerat Deus, tangit illos et fumigabunt. Quid est, fumigare montes? precem Domino reddere. Ecce magni montes, superbi, montes ingentes non rogabant Dominum, se rogari volebant, et superiorem non rogabant. Quis enim potens, et tumidus, et superbus in terra, qui dignetur humiliter rogare Deum ? De impiis loquor, non de cedris Libani, quas plantavit Dominus. Impius quilibet rogare Deum nescit, et vult se rogari ab omnibus. Mons est, opus est, ut tangat illum Deus, et fumiget : quando cœperit fumigare, dabit Deo precem, tanquam sacrificium cordis. Fumigat ad Deum, deinde tundit pectus, incipit et flere, quia et fumus excutit lacrymas. » 2. Hominem miserum et afflictum Dei misericordia ad orationem stimulat : nam, ut fatur Tertullianus, *consequens erat, ut observata Dei liberalitate, etiam clementiam ejus precaremur.* (1) Inopia pauperem orare cogit ut Dei experiatur liberalitatem, *petitio enim alicujus est indigentiæ.* (2) Miseria etiam ad postulandam Dei misericordiam compellit afflictum : oratio pauperum divinam attrahit liberalitatem, ut ipsemet testatur Deus. « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus. » (3) Ubi Cyrillus Alexandrinus : *Exsurrecturum se dicit, non sicut corporis resurrectionem, aut suscitationem dicimus, sed quale est annuere, cum quis servatricem manum, laborantibus præbet.* Miserorum deprecatio Dei allicit misericordiam. Magnus Basilius præfatum Davidis versans locum, hoc agnoscit discrimen inter inopes et pauperes quod inopes, bonorum temporalium penuria laborantes denotant : pauperes vero, ærumnosos et misere calamitosos significant. Unde Aquila vertit : *A vastitate pauperum, a gemitu inopum;* Symmachus vero legit : *Propter afflictionem inopum, propter ploratum pauperum nunc exsurgam.* Itaque afflictio, miseria, vastitas, gravitas et gemitus afflictorum et miserorum, causa sunt cur Deus exsurgat et illis auxilium abunde ferat. Profecto non allegat inculpatam afflictorum vitam, egregia virtutum facinora, acervatum sanctitatis et meritorum cumulum, efficacem precum energiam, ut auxiliarem deprecetur misericordiam; sed miseriam, afflictionem et malorum perpessionem, dicit Deum excitare, ut exoratus servatricem porrigat manum, et calamitatem avertat. Ac si orationis, vel potius exorationis loco sit ipsa calamitas, et luctuosa malorum perpessio. « Propter miseriam inopum, gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Domidus. » *Non enim vitam nec virtutem, sed malorum perpessionem dixit Deum excitare. Magna est vis ejulatus, quæ supernum evo-*

(1) D. Aug. in Ps. 148. — (2) L. Solol. c. 2. — (3) L. de Orando Deo. — (4) D. Chrysol. Serm. 43. — (5) Marc. 6. — (6) In Ps. 103.

(1) Tert. L. de Orat. 7. — (2) D. August. Tract. 102. in Joan. — (3) Psal. 11.

cat auxilium. (1) Gemens afflictorum oratio cœleste implorat auxilium, et ut subjungit acute Chrysostomus, *illud ipsum injuriæ affici, e cœlis auxilium attrahit.* Non modo calamitas et malorum perpessio, e cœlis expetit auxilium, sed quasi expetitum et exoratum attrahit : ac si mala pati, adversitatibus anxiari et injuria affici, sit divini magnes auxilii.

Regius vates sævis calamitatibus pene obrutus ut Deum sibi advocaret auxiliarem tria præstat : « in suis afflictionibus ad divinam clamat misericordiam. Voce mea ad Dominum clamavi. » (2) 2. Divinum auxilium in oratione deprecatur. « Effundo in conspectu ejus orationem meam. » 3. Suam afflictionem Deo proponit, ut validius eum ad opitulandum flectat. « Tribulationem meam ante ipsum pronuntio. » *Hic est enim fructus afflictionis : duo enim habet hæc commoda : unum quidem, quod studiosiores faciat, et attentiores ; alterum autem quod ea quoque justa sit causa, ut audiamur. Non enim dixit, justitiam meam, sed tribulationem meam ante ipsum pronuntio* (3) : nempe quod ea non parum illi afferat patrocinium. Prophetæ oratio ad impetrationis patrocinium flebili calamitate concinnatur. Supplex David non allegat in suis precibus obsequia a se Deo hactenus exhibita, eminentes quibus fulgebat virtutes, rigidam de suis sceleribus factam pœnitentiam, invictam in suis afflictionibus et persecutionibus animi fortitudinem et patientiam : *Non dixit : Justitiam meam, sed tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* In justorum enim oratione, prope muta est orantis justitia, virtus, innocentia, sanctitas ; et clamor : Vocalis est tribulatio, miseria, et calamitas : Taceant gratiæ, sanctitates, sileant egregia virtutum facinora dum in precibus tribulatio et adversitas pronuntiatur. Ille, ille vere clamat, et ad Deum clamat, et voce sua clamat qui in oratione tribulationem et adversitatem suam ante Deum pronuntiat. Afflicti et miseri oratio de tribulationis patrocinio Dei exorat misericordiam, ut Israëlitarum comprobatur exemplo, qui *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.* (4)

Christiani, *tristatur aliquis vestrum ?* (5) oret, et accipiet a Deo auxilium et consolationem. Non secus ac Regius Vates de semetipso testificans : *Die tribulationis meæ Deum exquisivi, et non sum deceptus* (6) ; in adversitatibus meis Deum exquisivi ejus misericordiam deprecando, neque fefellit me fiducia quam habui in ejus miseratione : *Renuit consolari anima mea :* nullum accepi solatium, neque a throno regio, in quo sedebam ; neque a magnitudine regni, cui imperabam ; neque a multitudine subditorum qui mihi humiliter obsequebantur ; neque ab affluentia tot divitiarum, quas abunde possidebam ; neque ab ullis fortunæ bonis. *Memor fui Dei, et delectatus sum :* Deus solus consolationem mihi largitus est quam nulla creatura potuerat impertire. Inde exclamat Gregorius Nazianzenus : *O facilem et parabilem medicinam ! O celerem curandi rationem ! o egregiam beneficii magnitudinem ! quid memoria paratius ? Memor esto Dei tu quoque et delectaberis.* (1) Quando humanum tibi inutile est auxilium ; quando nullum a creatura potes habere levamen ; quando tot gravaris adversitatibus, ut incapax consolationis esse videaris, ad Dei accurre misericordiam, ejus in oratione deprecare auxilium. *Ipse consolationes disponit in corde suo, sed nostris exspectat precibus compelli.* (2)

Quam merito Chrysologus reprehendit hominem, qui neque in prosperitate, neque in adversitate orat ! *Quid de adversis queritur, qui sibi prospera non precatur ?* (3) Christiane, si indigentia et egestate laboras, Deum adi liberalem et munificum, et tuæ subveniet inopiæ et necessitati. Nam *inane non potest esse quod vehementer rogatur ab eo qui fons est misericordiarum.* (4) Si tristitia, miseria et afflictione opprimeris, divinæ misericordiæ implora auxilium in oratione. « Hæc solatium præstat. Per hanc divites tuti sunt, per hanc pauperes non deficiunt : hæc pro illorum abundantia excubat : hæc ut ab istis penuria expellatur, exorat. In hac gubernamur in prosperis, per hanc fiduciam gerimus in adversis. Hæc nobis in gaudiis jucunda est, hæc in luctibus suavis : per hanc lætitiam percipimus, per hanc tristitiam declinamus. Huic animi nostri pondus et tædium, nocivaque omnia commendamus. Hæc justos continet, sublevat peccatores, » (5) estque efficacissimum adversus culpam et iniquitatem remedium.

3. Gaudent in cœlo Beati *liberati* (6) a peccatis, tentationibus, lapsusque periculis : 1. Liberati a peccatis, quia Deo immobiliter adhærent, neque per totam retro æternitatem ab ejus visione et amore cessabunt.

(1) D. Chrysost. — (2) Psal. 141. — (3) D. Chrysost. — (4) Psal. 106. — (5) Jacob. 5. — (6) Ps. 76.

(1) Orat. ad suos cives. — (2) Gillib. Abbas. Serm. 46. in Cant. — (3) Serm. 43. — (4) D. August. in Ps. 6. — (5) D. August. Tract. de Misericordia. — (6) Tert. Scorp. 6.

Idcirco *nullum erit omnino peccatum ; vel sub quo jaceat , vel cui cedat, vel contra quod laudabiliter dimicet , pacatissima virtute perfectus.* (1) 2. Liberi sunt a tentationibus. Tentationes insurgunt in via , vel a passionum stimulis, vel a mundi blanditiis , vel a dæmonum jaculis : Beati autem non exagitantur ullis passionum perturbationibus. *Ibi natura humana quæ vitiata fuerat, cunctis passionum squaloribus defæcata tripudiat , et azima facta in suæ puritatis munditie perseverat.* (2) Neque mundi blanditiis alliciuntur , quia bona absque comparatione numerosiora et meliora possident , quam ea quæ mundus offert. Itaque *nec ulla illecebra* potest eos a suo statu dimovere. Neque dæmonum feriuntur telis, quia, ut subjungit D. Augustinus , *nec erit hostis impugnans* : (3) dæmones enim exsulant a loco beatitudinis, et postquam damnati sunt, non est amplius inventus locus eorum in cœlo. Tandem, 3. Liberi sunt a cadendi periculo. *Semel in patria locatus lubricum non debet habere vestigium , sed tenere status proprii firmamentum.* (4) Quapropter,ut animadvertit D. Bernardus , *omne opus ipsorum est laudare Deum.* (5) Neque orationes sunt illis necessariæ ad postulandum præsidium sive contra peccata, quia nullis sunt peccatis obnoxii ; sive contra cadendi periculum , quia sunt in suo statu immobiles ; nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *sola Dei gloria stat , solique stant et permanent qui cum illo et in illo gloriantur.* (6) Sive contra tentationes , quia perpetua pace fruuntur. Inde concludit D. Augustinus : *In eis nulla sunt certamina, ideoque nulla oratio* (7), aliter ratiocinandum est de viatoribus peccati tentationibus, et cadendi periculis obnoxiis. *Sed nos qui ad incerta consurgimus , qui inter insidias diem ducimus , qui horarum varietates , momentorum motus , verborum lapsus , actuum pericula sustinemus* (8), orationi studere debemus. *Per orationem , qui stant non cadunt , et qui elisi sunt eriguntur.* Itaque *orandum est , ut non solum liberemur a malo quo caremus , sed etiam ab illo quo jam inducti sumus.* (9) Ut aliorsum animadvertit D. Augustinus , *Oratio Dominica utrumque petendum commonet, et ut dimittantur nobis debita nostra, et ut non inducamur in tentationem : illud, ut præterita expientur; hoc , ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit , tamen ut fiat voluntas sola non sufficit: ideo pro hac re nec superflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius quam orare ut facias quod in potestate habeas?* (1) In potestate non habet homo sine gratia , nec ut convertatur a peccato , neque ut non labatur in peccatum.

(1) D. Aug. L. 22. Civit. — (2) Pet. Dam. Opusc. 50. c. 15.—(3) D. Aug. Sol. 35. — (4)D. Ambr. in Ps. 39.— (5) Serm. 78. in Cant. — (6) Tert. L. de Pœn. 11. — (7) Serm. 17. de Verb. Dom.—(8) D. Chrysol. Serm. 43.— (9) D. Aug. Tract. de Misericordia.

Homines quandiu sunt in seculo vel sunt peccatores, vel sunt justi: utrisque necessaria est oratio : peccatoribus quidem ut convertantur, justis vero ne in peccatum cadant, oratio est, 1. Necessaria ad peccatorum conversionem: scelerosi enim absque gratia præveniente converti non possunt. Ad conversionem duo requiruntur, et gratia Dei, quæ voluntatem excitet, et cooperatio voluntatis, quæ cum gratia adjuvante libere gratiæ prævenienti consensum præbeat. *Ideo orando petimus , non quia hoc sine voluntate nostra agitur , sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur : hæc est fidei sanitas , quæ nos facit orare, et quærere, ut inveniamus; petere ut accipiamus ; pulsare , ut aperiatur nobis.* (2) Licet enim Deus sua infinita bonitate aliquando ad pœnitentiam vocet peccatores non orantes, de sua conversione minime curantes , imo renitentes ; attamen ex beneficio aliquibus specialiter concesso, non recte colligitur , quod cunctis in universum peccatoribus eamdem demonstret benignitatem. De via ordinaria Deus non convertit criminosos , nisi suam conversionem postulaverint in oratione, quæ est conditio a divina providentia apposita, et necessario prærequisita, sine qua ut plurimum non convertuntur : Christus Dominus *docet itaque petamus dimitti nobis debita nostra: debitum autem in Scripturis delicti figura est , quod perinde judicio debeatur , et ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactionis , nisi donetur exactio , sicut illi servo dominus debitum remisit.* (3) Profecto æquissimum est ut homo Deum recognoscat , supremam ejus honoret auctoritatem , infinitam testetur liberalitatem , propriamque fateatur impotentiam et infirmitatem. Peccator Deum non agnoscit , quia pro suo numine objectum sui sceleris habet : supremam Dei auctoritatem non honorat , sed contemnit ; ejus legem insolenter contemnens, infinitam non testatur Dei misericordiam gratias sibi oblatas respuens : neque ad suam respicit miseriam et infirmitatem quæ tanta est, ut ex suis viribus non possit neque vitare peccata , neque consequi media salutis. In oratione

(1) D. Aug. de Serm. Dom. in Mont. 16. — (2) D. Aug. L. de perfectio Justi. Resp. 26. — (3) Tert. L. de Orat. 7.

autem peccator, 1. Deum recognoscit : *Quacunque die invocavi te, ecce cognovi quia Deus meus es.* (1) In peccatore enim deprecante, *habet per quem Deus cognoscitur, et omnipotens vocatur.* (2) 2. Supremam Dei honorat independentiam et auctoritatem, cui sese submittit, quia *nemo non subjicitur ei cujus eget.* (3) 3. Deum testatur infinite liberalem et misericordem : liberalem, quia gratis suam largitus est gratiam, *et illi copiam operandi subministravit.* (4) Misericordem : *sic et pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia mavult eam quam mortem peccatoris.* (5) Tandem, 4. Suam impotentiam, infirmitatem et miseriam recognoscit, *quia qui petit veniam, delictum confitetur.* (6) Per delictum autem peccator ad nihilum redactus est, quia annihilavit gratiam sanctificantem, effectusque impotens ad obtinendam ex semetipso gratiam actualem ad conversionem necessariam. *Quid oramus cum dicimus : Dimitte nobis debita nostra, nisi ut vulnera nostra sanentur? Et quid aliud petimus, cum dicimus : Et ne nos inducas in tentationem, nisi ut ille qui insidiatur vel certat extrinsecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos possit virtute superare?* (7) Ex duabus illis petitionibus in Oratione Dominica contentis, recte colligit D. Augustinus necessariam esse orationem tum peccatoribus, ut obtineant a Deo suam conversionem et a suis peccatis sanentur : *Quoniam vivituri sumus in hoc seculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in Oratione Dominica, et quotidiana. In illa invenimus quasi quotidianum baptismum nostrum* (8) : tum justis, ne decidant a gratia, et labantur in peccatum.

Quanto major est humana fragilitas, quanto plures occurrunt cadendi occasiones et illecebræ ; quo vehementiores sunt concupiscentiæ æstus et passionum motus ; quo periculosiores sunt dæmonum tentationes, eo pluribus et majoribus indigent justi gratiæ auxiliis, ne vincantur et cadant in peccatum. Quos ideo hortatur Salvator : *Vigilate et orate ne intretis in tentationem.* Et adhuc nos docens orandi modum, *adjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut de avertendis in totum delictis supplicaremus, Ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos patiaris induci ab eo qui tentat.* (9)

(1) Psal. 55. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 8. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. ib. — (5) Tert. L. de Orat. 7. — (6) Tert. ib. — (7) D. Aug. Tract. 52. in Joan. — (8) D. Aug. Serm. 119. de Temp. — (9) Tert. L. de Orat. 8.

Ut autem evidentius appareat quam necessariam existimet Christus orationem, justis ne amittant gratiam et sanctitatem, et deveniant scelerosi et peccatores, quatuor sunt animadvertenda : 1. *Sciebat Dominus se solum sine delicto esse* (1), id est, ex sua natura impeccabilem ; 2. Sciebat adhuc multos justos de facto cecidisse in peccatum, alios quoque posse labi. *Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retro, postea excidat? Saul bonus præ cæteris ; livore postea evertitur ; David vir bonus secundum cor Domini, postea cædis et stupri reus est ; Salomon omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur.* (2) Post lapsum tantorum virorum, quis potest præsumere se esse immobilem et a casu immunem? 3. Christus *ipse a diabolo tentatus, præsidem et artificem tentationis demonstravit.* (3) Tandem, 4. Salvator videns ex una parte humanæ naturæ fragilitatem, et ex alia parte malitiam et astutiam diaboli tentantis homines, eosque ad peccatum inducentis, præbet illis orationem velut tutum præsidium adversus diaboli tentationes : *Orate, dicens, ne tentemini. Eo respondet clausula interpretans quid sit, Ne nos inducas in tentationem : hoc est enim, sed devehe nos a malo* (4) : peccato, scilicet, ad quos nos allicere satagit diabolus, et a quo nos dimovere nititur Christus, ad orationem stimulans : quia *oratio jugis munitio est animæ* (5) adversus spiritualia nequitiæ. Qui a potentissimis aggrediuntur hostibus, in arces munitissimas se recipiunt, optima arma qui buscum dimicent, perquirunt : *Magna arma sunt preces, refugii locus.* (6) Hujusmodi arma nobis præstat ipsemet Dominus ; illum refugii locum nobis offert ipsemet Christus : « Fratres, vigilate et orate ut non intretis in tentationem, quoniam undique circumdati estis tentationibus. Unde et legistis quia tentatio est vita hominis super terram. (7) Itaque si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito tota illa tentatio debeat appellari, pervigili circumspectione opus est, et oratione, ne inducamur in eam. Unde et illud in Oratione Dominica : Et ne nos inducas in tentationem. » (8) Siquidem « oratio frequens diaboli jacula submovet : oratio quotidiana diaboli tela exsuperat ; oratio est prima virtus adversus tentationum incursus (9) ; oratio super tentamenta inimicorum vincit

(1) Tert. L. de Orat. 7. — (2) Tert. L. de Præsc. Hær. 3. 3. — (3) Tert. L. de Orat. 8. — (4) Tert. ib. — (5) Aug. L. de Sal. Docum. c. 28. — (6) D. Chrysost. 2. de Orando Deo. — (7) Job. 7. — (8) D. Bern. Serm. 1. in Ps. Qui habitat. — (9) D. Bern. Lib. de Mod. Ben. Vivend.

dæmones, superat immundos spiritus. » Neque duntaxat Bernardus, sed etiam cæteri Patres uno ore nos ad orationem hortantur, ne diaboli succumbamus tentationibus. *Optimum tentationis remedium est, ut Dei opem et gratiam invocemus, nostris diffisi viribus.* (1) Orationis remedium subministrat D. Augustinus adversus tentationes diaboli. Idem concludit Sanctus Antiochus iis qui æstuant concupiscentiæ igne, aut inordinatis passionum exagitantur motibus: *Qui curiosam peccatorum putrilaginem a se excutere cupiunt, iis semper orat oni incumbendum est.* (2) Quoties imminet peccandi periculum, toties invocandum est divinum auxilium, ne peccemus. Itaque *opus est nobis quotidiana oratione, ut qui quotidie delinquimus, delicta satisfactione assidua repurgemus.* (3) Christi auctoritas quæ Patribus multum antistat, præsertim nos ad orationem urget: ab ipso enim habetur *sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ.* (4) Quare simul cum Chrysologo *audiamus vocem Domini monentem: Orate ne intretis in tentationem: in tentationem cadit qui ad orationem non vadit* (5), ut apostolorum constat exemplo, qui Magistro minime annuentes, *adeo tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potius indulserant quam orationi.* (6) Quàm multi ad instar Apostolorum Deum deserunt et diaboli succumbunt tentationibus, quia orationi non vacant! Hujusmodi negligentiam, imo et stultitiam obplorat Chrysologus: *Quid est quod Ecclesiam mane nolumus intrare? Quid est quod matutina prece totius diei custodiam nolumus postulare? Quid est quod homini astare toto tempore libet, et Deo assistere nec puncto libet?* (7) Quid est quod tantum sumus solliciti de temporalibus, et æternæ salutis nullam curam gerimus? Talis negligentiæ causam audiamus a Chrysologo: *Non est nostrum, Fratres, non est nostrum: inimici est ita surreptio; decipere parat, quos non patitur orationibus communiri.* Christiane, habes ex una parte Christum ad orationem incitantem, ne vincaris a diabolo, et ex altera parte, dæmonem ab oratione revocantem, ut labaris in peccatum: cui præbebis assensum? An Domino ad salutem hortanti? an inimico, diræ servituti subjicere volenti? Frater, audi non infensissimum Dominum, et si cupis resistere diabolo, si non vis labi in peccatum, sume orationis munimen. Nam *qui per orationem fuerit communitus, jacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, christianus armiger, bellator dominicus non timebit.* (1) Tot tantæque miseriæ, quibus obnoxia est humana conditio, probe ostentant quam sit oratio necessaria. Necessitatem docet adhuc christiana religio.

(1) D. Aug. Tract. de Misericordia. — (2) Hom. 106. — (3) D. Cypr. Tract. de Orat. — (4) Tert. L. de Orat. 9. — (5) Serm. 43. — (6) Tert. ib. 8. — (7) Serm. 43.

II. PARS. Christiani *veræ religionis homines* (2) debent orationi vacare: tum ut Deo orationem docenti et imperanti obtemperent: *Deus solus docere potuit ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis* (3), qua Deus tanquam primarium religionis objectum colitur; tum ut Christi imitentur exemplum, *qui certe ascendit in montem, et illic pernoctat in oratione; et utique auditur a Patre.* (4) Magistrum imitantes discipuli erant *orationi instantes* (5): imo primi fideles *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus* (6), scilicet audiebant verbum Dei, ad sacram accedebant synaxim, et assiduis vacabant orationibus. Sicut enim ad vitam corporalem tria requiruntur, nimirum sol, panis et halitus, seu respiratio, ita ad spiritualem tria requiruntur, nempe spiritualis sol, id est, verbum Dei; spiritualis panis, id est, Eucharistia; et spiritalis respiratio, puta oratio, qua de cœlo attrahitur halitus et spiritus divinus; juxta istud Davidicum: *Os meum aperui, et attraxi spiritum.* (7) Quæ adumbrata fuerunt per candelabrum septiceps, mensam panum propositionis, et altare thymiamatis: candelabrum Dei verbum repræsentabat; mensa panum propositionis Eucharistiam figurabat: altare thymiamatis orationem denotabat; Tum ut in miseriis quibus affliguntur, postulent auxilium a Deo, qui est *prospector humanarum necessitatum* (8), et hominem adversitate oppressum benigne audit, ut ipsemet testatur Deus: *Clamavit ad me, et ego exaudiam eum.* (9) Ubi D. Bernardus: *Dulcis lex quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis.* (10) Quod si quæras ab ipso Bernardo unde magnus ille clamor qui exauditur a Deo, respondebit: *Clamorem magnum sane magnitudo necessitatis extorsit.* Nam, ut aliorsum fatur Mellifluus Doctor, *unicum in hujusmodi remedium seu refugium oratio est, et frequens*

(1) Chrysol. ibid. — (2) Tert. Apol. 35. — (3) Tert. L. de Orat. 9. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 13. — (5) Act. 6. — (6) Act. 2. — (7) Ps. 118. — (8) Tert. L. de Orat. 9. — (9) Psal. 90. — (10) Serm. 16. in Psal. Qui habitat.

gemitus ad Deum. (1) Ad Deum clamare debent Christiani in privatis adversitatibus; sed quia commune bonum est particulari præferendum in publicis calamitatibus, præsertim orandus est Deus. *Sed quando Deus magis creditur, nisi cum magis timetur, nisi in tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est; tunc et fides in expeditione sollicitior, et disciplinatior, in jejuniis, et stationibus, et orationibus, et humilitate, in alterutra diligentia et dilectione, in sanctitate et sobrietate: non enim vacatur nisi timori et spei.* (2) Tunc instituuntur orationes quadraginta horarum, honorem sepulturæ Christi qui totidem horis in sepulcro decubuit; tunc cuncti fideles ad Ecclesiam confugiunt: *simul orant, simul volutantur, et simul jejunia transigunt* (3); et ut fatur aliorsum Tertullianus, *devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit* (4), et ut Dei placent iram, eumque ad misericordiam flectant, ad Ecclesiam conveniunt, 1. Orantes; 2. Pœnitentes; 3. Deprecanti Christo in Eucharistia adhærentes.

1. *Cum probi, cum boni coeunt, cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia.* (5) Falso Gentiles de factione accusabant Christianos: ab hac calumnia sese vindicant fideles, tum ex virtutibus quibus fulgebant; tum ex intentione qua velut in curia simul conveniebant, scilicet ut unanimes Deum orarent. Unde subjungunt: *Corpus sumus de conscientia religionis, et disciplinæ unitate, et spei fœdere, coimus in cœtum et congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Plura notatu dignissima dicunt: 1. *Corpus sumus de conscientia religionis*; hoc est, eamdem profitemur religionem quæ sola vera est, quia non falsos veneratur deos, sed unum et verum colit Deum; *Coimus in cœtum et congregationem*, non solum in secreto seorsim Deum oramus, sed etiam in publico et conjunctim, ut palam christianam testemur religionem, et simul cum fratribus Deum deprecemur. 3. *Ad Deum quasi manu facta precationibus ambimus*, quia fideles simul ad orationem convenientes sunt velut copiæ armatæ simul unitæ, acies bene instructæ, phalanges invincibiles. Singuli milites quovis robore prædiati sint, non reportant victoriam, sed omnes conjunctim acies fortissimas superant: oratio a particularibus facta habet efficaciam, sed quando multi coeunt in cœtum, tunc oratio est longe efficacior: pieque *ambitiosa* dicitur, quia audentius confidit, actuosius negotiatur, potentius, licet supra votorum fastum, petita extorquet. 4. *Hæc vis Deo grata est.* « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. » (1) Animadvertit autem acute Origenes, quod non dixit: *In medio eorum ero: sed sum. Mox enim ut aliqui consenserint, Christus invenitur in eis.* (2) Talis congregatio non est factio odienda, sed curia amanda, in qua delectatur Deus: Addit opportune Origenes: *Causa propter quam non exaudimur orantes, quia non consentimus nobis per omnia super terram, neque dogmate, neque conversatione. Sicut enim in musicis nisi fuerit convenientia vocum, non delectat audientem, sic in Ecclesia nisi consensum habuerit, non delectatur Deus ia ea, nec audit voces eorum.*

Inde colligit D. Ambrosius (3) orationem communem in Ecclesia factam præferendam esse ei quæ in loco privato a particulari efficitur, sextuplici potissimum de causa: 1. Quia in templo quasi in domo specialiter habitat Deus, ibi suam præsentiam exhibet et postulata exaudit. Ut autem ait D. Chrysost. Christianum alloquens, *non ita a Domino per te solus orans audieris, ut cum fratribus.* (4) 2. Oratio in templo facta est publica Dei invocatio, Deo honorificentior ea quæ solitarie fit: *Apud te laus mea, in Ecclesia magna; vota mea reddam in conspectu timentium eum.* (5) 3. In templo preces singulorum adjuvantur a precibus omnium qui simul orant; *quia dum singuli orant pro omnibus, sequitur ut omnes orent pro singulis.* (6) 4. Oratio in templis facta adjuvatur a Sanctis, quorum corpora ibidem sepulta sunt. 5. In templo orantes sibi mutuo præbent exemplum et ad orandum stimulant. 6. Quia communis oratio particularis supplet defectum, audetque postulare, quod criminosus peccatis gravatus non præsumit. *Propterea debet esse nobis communis oratio: et quando oramus, non pro uno, sed pro populo toto oramus: quia populus totus unum sumus. Deus pacis et concordiæ magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit.* (7)

Ex his patet quam immerito nonnulli hæretici orationes a fidelibus in templo congre-

(1) Serm. 57. in Cant. — (2) Tert. L. de Fug. in Pers. 1. — (3) Tert. L. 2. ad Uxor. 8. — (4) Tert. L. de Orat. 14. — (5) Tert. Apol. 39.

(1) Matth. 18. — (2) Tract. 6. in Matth. — (3) Lib. 1. de Cain et Abel. — (4) Hom. 79. ad Pop. — (5) Ps. 21. — (6) D. Ambr. ib. — (7) D. Cypr. de Orat. Dom.

gatis factas depretient. Nonne « discipuli fuerunt unanimiter congregati cum mulieribus, et Maria matre Jesu ? » *Unanimiter* (1), hoc est communiter, unite, simul, et unum quid postulantes, non singuli pro se, sed pro singulis et omnibus simul. Nonne Petrus et Joannes (2) ascenderunt in templum ad horam orationis nonam ? *Id primum in dictis cognitu necessarium est, quod in tantam dignitatis celsitudinem evecti Apostoli orationem minime neglexerint : nam homines cum essent, hinc quoque petito præsidio egebant. Quod si Apostoli precationis opem non excutiunt, sed perpetuis rerum usibus necessariam supplicationem ostendunt, quantum nos crimen incurrimus, qui per incuriam hoc tam salutare projicimus viaticum ?* (3) Belle Seleucus multorum orationem appellat *viaticum*, quo fideles qui a cœlesti peregrinantur patria, victitant in terris. Nonne fideles nascentis Ecclesiæ in unum conveniebant et in unum orabant ? Ut enim refert Tertullianus, *oratio commendabilior ascendit, habita cum fratribus, ut ipsi de nostra operatione participent.* (4) Nonne Tertulliano teste fiebant antiquitus stationes in Ecclesia ante venerandum Eucharistiæ mysterium ?

Ab exordio christianæ religionis et deinceps fideles congregati sunt ad orandum, præsertim tempore persecutionis, aut alicujus publicæ calamitatis. *Propter quod conflictamur, imo potius propter quod oramus.* (5) Sic quando princeps Apostolorum Petrus fuit ab Herode incarceratus, *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* (6) Sic idem Petrus Romæ cum Simone Mago decertans, *genibus provoluti servi Dei, et concordiam illam præ se ferentes, quam Jesus dixerat : Si duo ex vobis consenserint de omni re quamcunque petierint, succedet eis, consensionis telum, precum interventu, in Magum ejaculati sunt, et in terram eum ejecerunt.* (7) Sic in germanica expeditione christiani milites suis orationibus obtinuerunt imbres queis exercitus Marci Aurelii imperatoris siccitate et siti deficiens conservatus est : *Marcus quoque Aurelius in germanica expeditione, christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit.* (8) Tale ac tantum miraculum testatus est ipsemet imperator ad senatum scribens : *Si litteræ Marci Aurelii gravissimi imperatoris requirantur, quibus illam germanicam sitim christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* (1) Neque in Germania duntaxat, sed adhuc Romæ Christianorum precibus simile patratum est miraculum : quod admirans universus populus, Dei Christianorum potentiam prædicavit : *Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ ? Tunc et populus adclamans, Deo deorum, qui solus potens est, in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit.* (2) Sic singulis retro seculis vel bello devastante, vel fame humanum genus metente, vel aliqua alia calamitate urgente aut imminente, Ecclesia publicas ordinat orationes. *Spiritus Sanctus ex providentia imminentium sive ecclesiasticarum tentationum, sive mundialium plagarum, ad exorandum judicem, hujusmodi officiorum remedia mandabat.* (3) Loquitur de publicis orationibus et jejuniis ab Ecclesia in publica necessitate ordinatis, cujus imperio obtemperantes fideles, templa frequentant, in cœtum congregati orant : *Eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant Matrem* (4), nimirum Mariam, ut misericordes suos super christianum populum convertat oculos, pro eoque supplex appareat ante thronum supremæ Majestatis : *Ad exorandam Dei iram, ad impetrandam tutelam ejus aut gratiam* (5); imploratoque Deiparæ patrocinio, Sanctorum auxilio, Deum deprecantur, ab eoque postulant miseriæ levamen, pestis finem, famis cessationem, Christianorum pacem, regni prosperitatem, regis regiæque familiæ incolumitatem. *Ita nos magis oramus pro salute imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.* (6) Neque solummodo pro regno oramus, sed adhuc pro provinciis, pro urbibus, pro domibus et familiis, pro magistratibus, pro judicibus, pro ecclesiasticis, pro cuncto generatim populo. *Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum, ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* (7) Hæc aliaque plura postulant omnes fideles, simul orantes. *Quoties persecutiones irrogantur Ecclesiæ, sanctæ terræ precibus, id est, omnium Sanctorum oratione, aut amoventur, aut temperantur* (8) : per pœnitentiam autem peccatores Deo reconciliantur, et deprecationes commendant.

2. *Utique misericordiam postulantes, uti-*

(1) Act. 1. — (2) Act. 3. — (3) Basil. Seluc. Orat. 21. — (4) Tert. L. de Orat. 14. — (5) Tert. L. de Orat. 5. — (6) Act. 12. — (7) S. Cyril. Hier. Cathec. 6. — (8) Tert. L. ad Scapul. 4.

(1) Tert. Apol. 5. — (2) Tert. L. ad Scap. 4. — (3) Tert. L. de Jejun. 13. — (4) Tert. L. de Pud. 5. — (5) Tert. L. de Jejun. 12. — (6) Tert. L. ad Scap. 2. — (7) Tert. Apol. 39. — (8) D. Aug. Hom. 10. in Apoc.

que ex pœnitentia stantes, et jejunantes, et afflictationem suam offerentes Domino. (1) Orationes quas in publica calamitate fundunt fideles, pœnitentiam jejunium, et eleemosynam debent habere comites. Pœnitentia *precationes commendat, deprecationes affirmat; hæc aures Dei aperit, severitatem dispergit, clementiam elicit.* (2) Quam sit potens pœnitentium deprecatio tum ad vitandam divinam severitatem, tum ad experiendam divinam benignitatem, multiplici comprobatur exemplo ex Scriptura Sacra desumpto : Israëlitæ ut iratum placarent Deum quem suis sceleribus ad iracundiam provocaverant, « convenerunt in Masphat, hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini. » (3) Chaldæus legit : Hauserunt aquam de puteo cordis sui et abunde lacrymati sunt coram Deo pœnitentes. Hebræa lectio habet : « Ingemuerunt omnis Israël post Dominum. » Idipsum agunt probi fideles, in corde dolent, de suis peccatis pœnitent. Et quia *pœnitentiæ quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est : ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus qui magis græco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* (4) Pœnitentia interdum sumitur pro sacramento, interdum pro virtute : utroque modo pœnitere solent fideles in publicis adversitatibus ; nam et ad tribunal pœnitentiæ sua scelera confitentur, et adhuc per pœnitentiæ virtutem, iratum Deum placare nituntur. De sacramento pœnitentiæ intelligi possunt quæ dixit Tertullianus, de pœnitentia vere virtute intelligenda sunt quæ subjungit : *Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animam mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare : ingemiscere, lacrymari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Indicia pœnitentiæ tradit Tertullianus, fuseque dinumerat externos ejus actus, fuseque adhuc refert plura pœnitentiæ exempla, quæ dederunt Judæi in veteri Testamento : *Cum rex Assyriorum Sennacherib, compluribus jam civitatibus captis, Israëli per Rapsacen blasphemias et minas intentaret, nihil aliud illum a proposito in Æthiopis avertit. Dehinc, quid aliud centum et octoginta millia de exercitu ejus per Angelum assumpsit, quam Ezechiæ regis humiliatio ? Siquidem duritia hostis annuntiata, vestem scidit, saccum induit, eodemque habitu seniores sacerdotum ad Deum per Esaiam adire jussit.* (1) Taceo plura pœnitentiæ Israëlitarum monumenta prorsus stupenda : at quis non miretur, quod ipsi etiam Gentiles vana quidem pœnitentia, publicas calamitates dimovere moliantur. Nam *cum stupet cœlum et aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, tristitiam instaurant.* (2) De Romanis adhuc idololatriæ deditis loquitur Tertullianus mox subjungens : Apud *quasdam vero colonias præterea annuo ritu saccis velati, et cinere conspersi, idolis suis invidiam supplicem objiciunt, balnea et tabernacula in nonam usque cluduntur. Unus in publico ignis apud aras, aquæ nec in lancibus. Niniviticum credo justitium.* (3) Nonne hæc exempla Christianos ad pœnitentiam stimulant, vel potius eorum impœnitentiam condemnant ? Judæi in calamitatibus publicis de suis sceleribus dolent, et Christiani nullum doloris et contritionis demonstrant signum. Gentiles spectaculis renuntiant, vestium luxum abdicant, nudis pedibus, sordibus induti, cinere conspersi, deorum iracundiam placare aut mitigare contendunt, et Christiani ludis vacant, luxum sectantur, *cultu et ornatu mœroris munus infamant*, delicias captant, neque ullum pœnitentiæ præbent indicium : Judæi et Gentiles ab escis delicatis abstinent. *Utique jejunio preces prosequente, neque enim cibi tempus in periculo, nec saturitatis cultus in sacco* (4) : et Christiani a vino non se abstinent, gulæ indulgent. Nec mirum quia jejunium est pœnitentiæ comes, ipsi non pœnitent, neque jejunant.

Aliter agunt Christiani pœnitentes, *jejuniis preces alere* (5) studentes. Uti enim ingluvies et ciborum ambitio impœnitentiam denotat, ita jejunium pœnitentiam ostentat. *Semper inedia mœroris sequela est, sicut lætitia accessio saginæ.* (6) Plura aliorsum (7) retulimus jejunantium exempla, qui tum in novo Testamento jejuniis Deum placaverunt,

(1) Tert. L. de Pudic. 2. — (2) Tert. L. de Pat. 13. — (3) L. 1. Reg. 7. — (4) Tert. L. de Pœnit. 9.

(1) Tert. de Jejun. 7. — (2) Tert. L. de Jejun. 16. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. L. de Jejun. 7. — (5) Tert. L. de Pœnit. 9. — (6) Tert. Lib. de Jejun. 7. — (7) Tert. Præd. tom. 1. Tract. de Abst.

sibique propitium reddiderunt, quæ prætereo, ut dicam jejunium ita esse affine orationi ut unum cum ea esse videatur. Quare hæc Estheris verba ad Judæos : *Orate pro me.* (1) Paraphrastes Chaldæus legit : *Jejunate mecum*, quasi orare et jejunare sint synonyma. Verum etsi jejunium ab oratione discriminetur, illam tamen commendat exemplum Danielis : *Daniel Deo fidens et sciens quod ad demerendam Dei gratiam faceret, cum sua fraternitate jejunat, atque ita orationibus Deo commendatis, et ordinem et significationem somnii per omnia instruitur.* (2) Vides quomodo Daniel suo et fratrum jejunio orationem commendavit; et ut fatur Tertullian. *Daniel ad vesperam jejunans pinguiorem orationem Deo immolat* (3) : et ob hanc causam quoties in aliqua publica necessitate ordinantur orationes quadraginta horarum, decernuntur etiam jejunia. *Bene autem quod et episcopi universæ plebi mandare jejunia adsolent ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticæ causa.* (4) Quapropter, Fratres, « sanctificate jejunium, vocate cœtum », et ut vos hortatur D. Bernardus, « omnino solliciti estote, ut alas duas habeat jejunium vestrum, sanctimoniam scilicet et pacem. Sanctificate jejunium, ut pura intentio, et devota oratio, divinæ illud offerant Majestati. Vocate cœtum, ut congruat unitati, ut concors sit mortificatio carnis. » (5) *Nam etsi mavult opera justitiæ, non tamen sine sacrificio, quod est anima conflictata jejuniis.* (6)

Neque duntaxat a jejunio commendatur publica fidelium oratio, sed adhuc ab eleemosyna. Uti jejunio nutritur oratio, ita jejunium alitur eleemosyna; et ut fatur eloquenter Chrysologus, « Fratres, esurit, jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget jejunium, jejunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris aer, hoc misericordiam scimus esse jejunio : sicut vernus flatus tota facit germina florere camporum, ita misericordia tota jejunii semina producit in florem, in cœlestem messem totam jejunii facit fructificare virtutem. Quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, et moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere, sic pietas facit splendere jejunium, et ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei sol est, hoc eleemosyna noscitur esse jejunio : sicut jubar solis clariorem perficit diem, et totam nubium dispergit obscuritatem, sic eleemosyna jejunii sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis noctem lumine excludit. Quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur : sicut enim mortificatur corpus, e corpore anima cum recedit, ita mors est jejunii largitatis abscessus. Misericordia et pietas jejunii sunt alæ per quas tollitur et portatur in cœlum, sine quibus jacet et volutatur in terra. » (1) Multus est Chrysologus ut ostendat quantum a largitate commendetur jejunium, quod pluribus comparationibus belle declarat. Sed non minori eloquentia deducit sacrum nexum quo inter se confœderantur « oratio, jejunium, misericordia : quod oratio pulsat, (2) impetrat jejunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia, jejunium sunt hæc tria unum, dant hæc sibi invicem vitam. Est namque orationis anima jejunium; jejunii vita misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Horum qui unum habet, hæc qui simul non habet, nihil habet. Ergo qui orat, jejunet; qui jejunat, misereatur; audiat petentem, qui petens optat audiri. Auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum. Jejunium jejunator intelligat, esurientem sentiat, qui vult Deum sentire quod esurit : misereatur qui misericordiam sperat; pietatem qui quærit faciat, qui præstare sibi vult præstet. Improbus petitor est, qui quod aliis negat, sibi postulat. Homo, esto tibi misericordiæ forma : sic quomodo vis, quantum vis, quam cito vis, misericordiam tibi fieri : tam cito alii, tantum, taliter, ipse miserere. Ergo oratio, misericordia, jejunium, sint unum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc advocatio sit una, una hæc pro nobis oratio sit triformis. Hæc sunt, Fratres, hæc sunt, quæ tenent cœli arcem, quæ secretum Dei judicis pulsant, quæ ante tribunal Christi causas humani generis exsequuntur, quæ injustorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cœlestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris; hæc cum teneant in cœlestibus principatum, in terris rerum summam moderantur. Hæc regunt prospera, hæc adversa propellunt, vitia exstingunt ista, virtutes ista succendunt. Et nos, Fratres, si volumus omnium Sanctorum meritis applicari, sistamus orationi, vacemus jejunio, misericordiæ serviamus. Magnificemus, oremus, vel humano timore, si non amore divino, si non invitati bonis, vel coacti malis. Mala tempora facit nobis

(1) Esth. 4. — (2) Tert. L. de Jejun. 7. — (3) Tert. L. de Jejun. 10. — (4) Tert. Lib. de Jejun. 13. — (5) Joel. 1. — (6) Tert. L. de Jejun. 15.

(1) Serm. 8. — (2) Serm. 43.

contemptus Dei, temporum cursus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, jejuniis conquiramus, animas nostras jejuniis immolemus : quia nihil est quod Deo præstantius offerre possimus, probante Propheta, cum dicit : Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Sed accepta ut sint ista, misericordia subsequatur ; jejunium non germinat, si de misericordia non rigetur ; siccatur jejunium misericordiæ siccitate ; quod imber terris, hoc jejunio misericordia est. Quamvis cor excolat, carnem mundet, eradicet vitia, virtutes serat, si misericordiæ fluenta non dederit, fructus non colligit jejunator. Jejunator, ager tuus misericordia jejunante jejunat ; jejunator, quod tu in misericordia fuderis, tibi in horreo hoc redundat. » Hucusque Chrysologus mirum in modum commendans orationem jejunio et largitate munitam. Post tot rationes conglobatas et eloquenter expressas, quid amplius hac supra re dici potest ? O quam vere dixit Tobiæ Raphael Angelus : *Bona est oratio, cum jejunio et eleemosyna !* (1) Jejunium et oratio sunt quasi duæ alæ quibus evehitur oratio et evolat ad Deum. Magnam sane mutuatur oratio virtutem ex conjunctione cum eleemosyna et jejunio, sed multo majorem habet efficaciam ex unione cum oratione Christi, in altari supplicantis.

3. Quia *facile impetratur quod filius postulat.* (2) Christus est Deus et homo, quia natura divina et humana eadem Verbi personalitate suppositantur. Ut Deus, nequit orare, quia oratio denotat dependentiam et indigentiam, et non fit nisi inferioris ad superiorem, et indigentis ad eum, qui potest ejus egestati subvenire : Christus autem, ut Deus, a nullo dependet, neque subjici subest egestati. *Christus mediator Dei et hominum Patris Dei et hominis filius, æqualis nostri, per divinitatis unitatem, et particeps nostri per humanitatis susceptionem, Patrem interpellat pro nobis ; per id quod homo erat.* (3) Et quia sacerdotis munus est orare et interpellare, Christus ut Deus, non est sacerdos. Nam, ut profunde ratiocinatur D. Augustinus, *ad hoc natus est ante luciferum ut esset sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nam secundum id quod natus est de Patre Deus, apud Deum coæternus gignenti, non sacerdos ; sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam, quam propter nos offerret a nobis assumptam.* (4)

(1) Tob. 12. — (2) Tert. L. de Pœnit. 10. — (3) D. August. 4. de Trin. — (4) In Psal. 109.

Christus itaque non præcise ut Deus, sed duntaxat in carne assumpta et ut homo factus est victima, et *sacerdos quia et pro nobis interpellat.* (1) Et ne hac supra re supersit aliqua difficultas explananda, audiatur D. Augustinus belle præsentem materiam elucidans : *Dominus noster Jesu Christus, Filius Dei, orat pro nobis, orat in nobis, oratur a nobis. Orat pro nobis ut sacerdos noster ; orat in nobis, ut caput nostrum ; oratur a nobis, ut Deus noster.* (2)

Duplex illud præcipuum est sacerdotis munus : unum est sacrificium offerre, aliud est orare pro populo, unde Magnus Gregorius : *Quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessore eligitur ?* (3) Et ob hanc causam variis encomiis patres commendant sacerdotes. Gregorius Nazianzenus illos nuncupat *divinitatis consequendæ mediatores.* (4) Eosdem appellat Eucherius *columnas quod nutantis mundi statum orationibus sustentent* (5), præsertim si humilitate et sanctimonia splendeant. *Hi humilitate subnixi atque prostrati, onus totius orbis portant humeris sanctitatis.* In Missa autem potissimum sacerdotes deprecantur pro populo, et, ut fatur D. Augustinus, *velut advocati, misericordissimæ offerunt potestati.* (6) Duplex illud sacerdotis munus obivit Christus : nam et obtulit sacrificium, simul sacerdos et hostia, in quo multum ab aliis sacerdotibus discriminatur. *Et quidem solus ille sacerdos talis exstitit, ut ipse esset etiam sacrificium ; obtulit Deo non aliud quam seipsum.* (7) Deinde oravit pro populo. Ut enim ait D. Augustinus, *Christus orans pro peccatis nostris* (8), triplici potissimum in loco oravit, tanquam supremus Pontifex : 1. In Calvario, cruci affixus : *In diebus carnis suæ preces supplicationesque offerens.* (9) Animadvertit D. Ambrosius quod *non quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat Christus* (10), ut ostendat tum submissam in Deum pietatem, tum ardentem in homines charitatem ; 2. In cœlo orat supremus Pontifex Christus : *Accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis.* (11) Quomodo autem in cœlo oret, aliorsum declaravimus (12), et optime adhuc explicat D. Thomas (13) : « Interpellat pro nobis, primo, humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit repræsentando ; item sanctissimæ animæ

(1) D. Aug. in Psal. 26. — (2) In Præfat. Psal. 85. — (3) L. Epist. 24. — (4) Orat. ad Greg. Niss. — (5) Hom. 3. ex editis cum Theod. Stud. — (6) Epist. 59. ad Paulin. qu. 5. — (7) D. Aug. in Præfat. Psal. 26. — (8) In Psal. 128. — (9) Hebr. 5. — (10) In c. 6. Luc. — (11) Hebr. 7. — (12) Tert. Præd. tom. 2. Tract. de Chr. Conc. 6. — (13) Lect. 4.

suæ desiderium, quod pro salute nostra habuit, exprimendo; 3. In altari orat Pontifex noster. *Et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis* (1), quem offert æterno Patri, tanquam victima propitiationis, ad ejus placandam iram, et tanquam hostia impetrationis, ad obtinendam ejus misericordiam: validissima fuit oratio Christi in cruce facta, ubi *exauditus est pro sua reverentia.* (2) Potentissima est adhuc interpellatio Christi in cœlo, ostendens Patri latus et vulnera. Sed in altari *amplius interpellat* (3): tum quia non minus in altari quam in cœlo advocati negotiatur officium, et licet sensibili voce non loquatur, attamen *cum in altari Christus immolatur, clamat idem Redemptor ad Patrem, corporaliter suas cicatrices ostendens.* (4) Tum quia cuncti fideles missæ assistentes veluti tot sacerdotes simul cum ministro sacratissimam offerunt hostiam, et ob hanc causam sacerdos sacrificans ait ut refertur in Canone missæ, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt* (5): quia, ut animadvertit Innocentius III, loquitur in nomine totius Ecclesiæ, et potissimum in nomine eorum qui missæ assistunt. Tum quia sacrificio adstantes cum Christo orant: nam, ut fatur D. Ambrosius, *ipse Christus est os nostrum, per quod Patri loquimur.* (6) Quapropter mediatori nostro probe conveniunt quæ de Deipara decantat D. Anselmus: *Te Domina tacente, nullus orabit; te autem orante, omnes orabunt.* (7) Tum quia orant pro nobis Angeli, et dum sacra offertur oblatio, Deum ut humanis subveniat necessitatibus deprecantur. *Tempore enim illo, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, et Archangeli rogant: habent sibi tempus ad id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore.* (8) Ad augustum altaris ministerium, non solum accurrunt homines, sed etiam Angeli ut promptius exaudiantur, quia habent tempus ad id idoneum: ideo dum sacrum facit Ecclesia, reverentissime Deum deprecatur, ut dignetur preces nostras admittere cum precibus Angelorum, qui pro nobis erant: quanto magis desiderare debemus ut eas admittere dignetur cum oratione Christi, qui in altari pro nobis interpellat, et adhuc orat in nobis!

Christus multimode orat in nobis: 1. Tanquam magister in discipulis, qui orationis forma a magistro edocta deprecantur. *Jesus Christus, Dominus noster, nobis, discipulis novi Testamenti, novam orationis formam determinavit.* (1) 2. Quia, ut fatur Guillelmus Parisiensis *oratio donum Domini Deo est* (2), quod nobis suo sanguine meruit Christus. Ideo sponsæ congratulatur: *Sicut vita coccinea labia tua.* (3) Quia scilicet ejus orationes sanguine sponsi sunt purpuratæ; 3. Quia Christus Deus nobis inspirat orandi voluntatem et affectum. Ut enim subjungit Parisiensis Antistes, *Deus omnium salutarium sibique acceptabilium orationum et inspirator et exauditor est.* 4. Quia est caput nostrum cui tanquam ejus membra conjuncti sumus, ideoque in nobis *Christus patitur, Christus patrem deprecatur.* (4) 5. Quia Christus in communicantibus habitat et etiam interpellat, quandiu inconsumptæ remanent species sacramentales: nam ad sacram accedentibus synaxim, *naturam suæ carnis nobis admiscuit, semetipsum nobis commiscet.* (5) 6. Quia quo abundantior est gratia, eo pinguiorem Deo offerimus orationem: in Eucharistia autem *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* (6) Quare, Frater, sumpto corpore et sanguine Domini, *sacrifica Deo sacrificium laudis* (7), et stude diligenter orationi ut *holocaustum tuum pingue fiat* (8), sitque, ut expendit D. Ambrosius, *quodam fidei pabulo, et devotionis alimonia saginatum.* (9) Cujusmodi erant primiceri Christiani, qui non accedebant ad sacramentum, nisi præmissa oratione: *Quam prius oratio degustetur* (10); neque nisi devota habita oratione, a sacra mensa recedebant; nam, ut subjungit Tertullianus, *æque oratio convivium dirimit.* Illud pietatis et devotionis non imitantur exemplum qui *stationum diebus non putant sacrificiorum orationibus interveniendum: quod oratio solvenda sit accepto corpore Domini.* (11) In publicis calamitatibus facienda est statio, non solum matutinis, sed etiam vespertinis horis, et orationi vacandum est sive ante communionem, sive post communionem: tempore communionis, Christus orat in nobis; post communionem vero oratur a nobis.

In Patre Filius invocatur: Ego enim, inquit, et Pater unum sumus. (12) Deus solus est primarium religionis objectum, cujus

(1) Tert. Lib. ad Scap. 3. — (2) Hebr. 5. — (3) Tert. Lib. de Car. Chr. 7. — (4) Laurent. Just. Serm. de Corp. Christ. — (5) Lib. 3. de Mist. Miss. c. 5. — (6) Lib. de Isaac. c. 8. — (7) Lib. de Orat. Eccles. — (8) D. Chrysost. Homil. 3. de imcompreh. Nativ. Dei.

(1) Tert. L. de Orat. 1. — (2) Lib. de Rhetor. Div. c. 1. — (3) Cant. 4. — (4) Tert. L. de Pœn. 10. — (5) D. Hilar. L. 8. Trin. — (6) Tert. L. de Res. 8. — (7) Tert. Lib. adv. Jud. 5. — (8) Psal. 19. — (9) L. 2. de Cain et Abel. — (10) Tert. Apol. 39. — (11) Tert. L. de Orat. 14. — (12) Tert. L. de Orat. 2.

perfectiones variis virtutibus et operationibus veneramur. Nimirum supremum ejus dominium per sacrificium, primam ejus veritatem revelantem per fidem; summam ejus auctoritatem per legis observantiam: misericordiam et liberalitatem per orationem, qua postulamus liberari a malis, quæ nos cruciant et obtinere bona quibus indigemus. Ut autem docet Guillelmus Parisiensis, « non omnis petitio est oratio, sed ea sola quæ dirigitur ad Deum, vel ad Sanctos ejus propter ipsum: aliæ autem petitiones quæ ad homines diriguntur, orationes minime habendæ sunt, nec dicendæ. » (1) Et quia Christus ut Deus est idem in natura et perfectionibus, cum aliis personis divinis: *In Patre Filius invocatur;* quia eadem oratione qua oratur Pater, Filius quoque oratur, a quo postulamus mali liberationem, et boni nobis necessarii acquisitionem: *Hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio me consecuturum, quoniam et ipse est qui solus præstat, et ego sum cui impetrare debetur; famulus ejus, qui eum solus observo, qui propter disciplinam ejus occidor, qui ei offero opimam et majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam.* (2) Sic nequit loqui scelerosus Christianus. Deine dicendus est famulus, qui diabolo et vitio mancipatur? Deumne ille observat, cujus mandata insolenter transgreditur? Estne paratus pro Deo et veritate mori, qui *impatiens Dei vivit* (3), neque vel minimam pacato animo valet ferre adversitatem? Offertne Deo orationem de anima innocenti, de Spiritu Sancto perfectam, qui sordet vitiis et est dæmonum habitaculum? Tantum abest ut Deo gratam offerat hostiam, quin imo immundam et inquinatam orationem aversatur, ut ipsemet testatur: *Vanum supplicamentum, exsecramentum mihi est.* (4)

Quam infelices peccatores offerentes *despicabiles orationes, et Dei dignatione non dignas!* (5) Has enim non acceptat Deus, neque pro illis orat Christus, neque in illis orat, neque ab illis oratur. Pro illis non orat scilicet efficaciter, eorum namque crimina postulationis Christi impediunt vim et efficaciam. *Et tu ne adoraveris pro populo, et ne postulaveris pro eis in prece et oratione, quoniam non exaudiam in tempore quo invocaverint me, in tempore afflictionis suæ.* (6)

(1) Lib. de Rethor. Div. c. 1. — (2) Tert. Apol. 30. — (3) Tert. L. de Pat. 16. — (4) Tert. L. adv. Jud. 5. — (5) S. Hilar. in Psal. 54. — (6) Tert. L. de Pud. 2.

Christus non orat in eis, quia non est in illis, neque per gratiam, neque ratione sacramenti, sed est ab illis separatus, tanquam a membris mortuis corruptis et fœtidis; tandem Christus ab illis non oratur, quia vel non vacant orationi, vel si interdum orant, tanto cum conscientiæ inquinamento et mentis divagatione ut nec ipsi seipsos audiant: *Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias?* (1) Magnus Basilius elucidans istud Davidicum: « Adorate Dominum in aula sancta ejus, » (2) merito exclamat: « Multi sunt qui speciem et habitum orantium præ se ferunt, nec tamen in aula sunt, propter mentis evagationem, et distractionem quæ fit per inanes curas. » Christiani, *recogitemus ipsam conscientiam nostram, si orationem facit ad Dominum,* (3) quem debemus orare ex christiana religione, et adhuc ex divina dispositione.

III. PARS. *Opus salutis et incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium.* (4) In homine duplex considerari potest esse: unum naturæ, aliud gratiæ. Illud absque ulla sui oratione accepit a Deo: non enim poterat orare antequam esset: oratio, cum sit actus tum rationis, tum liberæ voluntatis, supponit orantis existentiam: quapropter Basilius Seleucus acute animadvertit Deum non rogatum in mundi exordio homines et Angelos ex mera liberalitate produxisse. *Solus enim Deus erat, Deus ipsius esse fons, vitæ thesaurus, ortus non indigens, bonitate scatens; hic ea quæ non sunt vocat non rogatus, non supplicatione invitatus, non existentibus dat existere.* (5) Esse etiam gratiæ largitur Deus puerulis in Baptismi sacramento, nullatenus rogatus ab eis, quia nequeunt orare, cum rationis et libertatis non sint capaces. Imo et adultis, quædam largitur Deus gratiæ dona non rogatus, quædam vero non largitur, nisi prævia illorum oratione. Ex D. namque Augustino, *constat Deum nobis aliqua etiam non orantibus dare, ut initium fidei, alia nonnisi pro orantibus præparasse, sicut perseverantiam.* (6) Primam gratiam largitur Deus absolute independenter a nostris orationibus, at donum perseverantiæ multaque alia gratiæ auxilia duntaxat conditionate, requiritque adultorum orationes velut conditiones ad ea obtinenda prærequisitas. Uti sol pluvia non fecundat terram, nisi prius a terra acceperit

(1) D. Cypr. Tract. de Or. Dom. — (2) Psal. 28. — (3) Tert. L. de Exh. Cast. 10. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 12. — (5) Orat. 12. — (6) Lib. de Don. Persever. c. 6.

vapores et exhalationes, et quemadmodum reges criminosis non dimittunt reatum, nisi quibusdam observatis formalitatibus, tanquam conditionibus sine quibus reis non concederent veniam : sic Deus adultis non dimittit peccata, et largitur gratiam, nisi prius postulaverint, et peccati remissionem et gratiæ largitionem. Christiani, adeamus Deum cum fiducia, imploremus ejus benignitatem : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* (1) Nam, 1. Cognoscit quæ sunt nobis necessaria ad salutem ; 2. Vult nobis dare necessaria ad salutem ; 3. Potest nobis dare necessaria ad salutem.

1. *Consideremus itaque, benedicti, cœlestem Christi sophiam, in primis de præcepto secrete adorandi : quo et fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis et conspectum et auditum sub tectis, et in abditis etiam adesse confideret : et modestiam fidei desiderabat, ut quem ubique audire et videre fideret, ei soli religionem suam offerret* (2) : per orationem scilicet, ei manifestando necessitatem gratiæ ad suam operandam salutem : Deus utpote infinitus et immensus ad omnia loca suos oculos et aures extendit in quo maxime a diis gentium discriminatur, qui oculos habent, et non vident, aures habent et non audiunt : *Deus autem qui et ubique et in omnibus est, totus audit, totus vidit, totus efficit, totus incedit* (3), totus intima hominum conspicit, eorumque orationes in corde conceptas, nec corporea voce expressas audit : *Deus non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium oraculi Pythii : Et mutum, inquit, intelligo, et non loquentem exaudio. Dei aures sonum exspectant ? Quomodo ergo oratio Jonæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cœlum potuit evadere ?* (4) Conspectum et auditum suum declarat ipsemet Deus quo hominum intuetur et audit miseriam et necessitatem. « Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi, et sciens dolorem ejus, descendi ut liberarem eum de manibus Ægyptiorum. » (5) Pagninus ex Hebræo vertit : *Videndo vidi afflictionem populi mei*, geminat videndi verbum, ne putent homines, dum tribulantur, Deum eorum tribulationem non considerare, quam hic dicit, *videndo videre*, hoc est attentius, et velut perspicacius intueri. *Famulos suos tunc magis respicit, cum injuste eos nequitia persequentis, affligit.* (6) Quasi quodammodo oculatior sit Deus adspectu ad calamitatem, quam ad humanam justorum felicitatem : unde populi sui sciens dolorem, dicitur descendisse ut liberaret eum. Quod si Deus humanam calamitatem intuetur, quæ ex animi oritur angore, aut corporis dolore, aut fortunæ damno, aut iniquorum persecutione, quanto perspicacius respicit gratiæ necessitatem ad consequendam gloriam ? Tanta attentione considerat hominum indigentiam, et eorum orationem audit, ut dicat Regius Vates Deum alloquens : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus ; præparationem cordis eorum audivit auris tua.* (1) Pro ly præparationem cordis, Remigius legit *meditationem ;* Cassiodorus habet *concupiscentiam cordis :* Symmachus vero vertit *propositum cordis*, seu, ut vult Corderius, *inchoatum propositum cordis :* adeo ad cor hominis aures admovet Deus, oculos dirigit et mente attentius intendit, vel tenuissimum animi motum, vel desiderium concupiscentiam aut inchoatum adipiscendi boni propositum. Quare Psalterium Ambrosianum legit : *Præparationes cordis eorum, inspexit auris tua.* Quasi non modo Dei aures, desidera hominum audiant, sed oculatius inspiciant non solum proprio, sed adhuc oculorum fungentes officio. *In auribus Dei vehemens desiderium est magnus clamor* (2) ; ideo Agar de cœlo erudita, quam attente Deus humanas inspiciat necessitates, Dei confitens perspicaciam orationem suam incipit : *Tu Deus, qui vidisti me.*

Verum si *Deus novit quid nobis in hac vita expediat, et quid post hanc vitam daturus est* (4), cur a nobis orari desiderat ? Exoptat Deus ut ei in orationibus nostram manifestemus necessitatem, non ut illam cognoscat, quam optime cognoscit, cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus, neque ut ex nostræ indigentiæ intuitu et deprecationis auditu immutet suæ decreta voluntatis quæ immutabilia sunt : *Æterna enim est, et incommutabilis voluntas ejus, nec consilio alternante variatur, in qua simul est quidquid in rebus creandis, vel ordinandis, aut præcessit, aut sequitur.* (5) Sed orationes nostras expostulat Deus, ut exsequatur in tempore, quod ab æterno decrevit : in voluntate qua Deus ordinavit plura nobis largiri gratiæ auxilia, orationes nostræ comprehensæ sunt, velut conditiones sine quibus ea non daret : ideoque oratio nobis est necessaria, tanquam conditio aut medium *quo*

(1) Psal. 11. — (2) Tert. L. de Orat. 1. — (3) D. Zen. Serm. 1. in Ps. 120. — (4) Tert. L. de Orat. 13. — (5) Exod. 3. — (6) D. Greg. L. 2. Mor. 21.

(1) Psal. 9. — (2) Clem. Alex. L. 5. Strom. — (3) Gen. 16. — (4) D. August. in Expos. Epist. ad Rom. proposit. 54. — (5) D. Prosper. in Sententiis.

possimus capere quod præparat dare (1): et ob hanc causam Regius Vates ut a se avertat pœnam quam adulterio sanguine innocuo purpurato meruit, sic Deum deprecatur : « De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi orationem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. » Qua ratione oret Propheta ut Deus suam audiat orationem belle explanat Veronensis Antistes : *Deus ubique est, et ubi adest, audit, et videt, et efficit. Est orandus a nobis ut secundum precem nostram adsit, audiat, videat, efficiat. Naturæ suæ est ut audiat, sed fidei nostræ est ut precemur audiri. Fides officium suum exsequitur, ut Dei auditionem roget : ut qui per naturam suam audit, per orationis precem dignetur audire.* Qui precibus Deum rogat, non tam rogat audientiam Dei, qui per naturam suam audit, quam ut per orantis precem dignetur audire : et largiri gratiam quam orantibus largiri decrevit. Orandus est Deus ut fides nostra suum exsequens officium obtineat necessarium gratiæ auxilium a Deo omnisciente et omnipotente, qui cognoscit et potest juvare necessitatem nostram.

2. Quam diversus est ab impio probus Christianus ! Hic gratiæ auxilium *ab eo postulat, qui potest præstare* (2) : nimirum a Deo cujus munificentiam et omnipotentiam confitetur : ille vero orare Deum dedignatur, quia ejus infinitam neque liberalitatem, neque potestatem recognoscit. Unde sic stulte et insolenter loquitur : *Quis est Omnipotens ut serviamus ei ? et quid nobis prodest, si oraverimus eum ?* (3) Quam inepta sit hæc ratiocinatio evidenter constat : nam cui potius serviendum quam Omnipotenti, qui ad remuneranda servitia sibi præstita, tota suppetit omnipotentia divina ? cui potius fundendæ sunt preces, quam Omnipotenti, cui indefectus adest thesaurus ? In Hebræo autem non habetur *omnipotens*, sed *sibi sufficiens ;* ergo orandus est Deus, quia est sibi sufficiens, neque ullo indiget, et superest illi munifica ad liberalitates omnipotentia, qua *quodcunque voluerit, hoc facit.* (4) Unde belle ad propositum Philo Judæus : *Cæterum beneficæ potentiæ, Deus nomen est.* (5) Benefica potentia ita est propria Dei, ut vel in ipso Dei nomine omnipotens ejus munificentia descripta legatur. Quam sit beneficus et potens ad largiendum Deus probe sciens Jacob Patriarcha, eum obnixius orat, ut det illi victum, vestitum et felicem ad suos reditum, et erit illi in Deum, id est, tanquam beneficum et omnipotentem reverenter colet, et perpetuo venerabitur. Jacobi votum sic moralissime expendit Philo Judæus : *Hoc ille meditator Jacob postulavit in fine precum sacratissimarum, dicens : Et erit Dominus mihi in Deum. Ac si dicat : Jam non herili potestate libera erga me utetur, sed benefica, propria, et undequaque salutari potentia, sublato dominationis metu, et anima devincta beneficiis mutuam gratiam conciliantibus.* (1) Vovet Jacob se Dominum pro Deo habiturum, si hujusmodi dona illi concesserit : non quod si hæc non daret Deus, etsi pro Domine haberetur, non esset tamen eum habiturus pro Deo : sed ideo ait Propheta : Si hæc dederit, erit mihi Dominus in Deum : quia sicut Domini vocabulum regiam denotat auctoritatem, ita Dei nomen beneficam significat potentiam. *Cæterum beneficæ potentiæ Deus nomen est, regiæ vero Dominus.*

Dei munificentiam et omnipotentiam quodammodo devenustat, qui donum a Deo gratis non petit, et posse sibi dare quod postulat, diffidit : unde quia homo in parabola a Luca relata non donum, sed mutuum expostulavit : *Commoda mihi tres panes, et cito reddam tibi* (2), id est, non gratis, sed duntaxat mutuo accipere exposco, audivit : *Non possum dare tibi :* merito repulsam perpessus est, quia, ut opposite ad propositum Hugo Victorinus scribit, *in ipso quem petit, debet orans duo considerare: bonitatem, quæ gratis velit, et majestatem, quæ plene possit dare quidquid petitur.* (3) Scilicet qui Deum orat, ab eoque beneficium expostulat, debet ad ejus recurrere munificentiam et omnipotentiam, et his confidens perfectionibus petere beneficium, non mutuo, velut a lucroso fœneratore, sed gratis, tanquam a benefactore potentenssimo, qui *vult dare, quia bonus est, et potest dare, quia omnipotens est.* (4) Utramque perfectionem in Christo Deo agnoscit leprosus dicens : *Domine, si vis, potes me mundare* (5), quia cum voluntas Dei sit ejus potentia, potest quidquid vult : quasi dicat : *Velis, et poteris* (6): seu, ut in re non absimili fatur Chrysologus, *si dandi animus, et facultas non deerit largiendi.* (7) Verum elegantissime præfata leprosi verba commentatur D. Ambrosius : « Domine, si vis, potes me mundare. » (8) *Religionis et fidei plena confessio, in voluntate Domini tribuit potestatem* ; qui cum sit munificentissimus et potentissimus, *potens*

(1) D. Bern. Serm. 16. in Ps. Qui habitat. — (2) Tert. Apol. 30. — (3) Job. 21. — (4) Job. 23. — (5) Lib. de Insomniis.

(1) Lib. de plantatione. Noe. — (2) Luc. 11. — (3) L. 3. Miscella. — (4) D. August. — (5) Matth. 8. — (6) Clem. Alex. 2. Strom. — (7) Serm. 26. — (8) Cap. 5. Luc.

est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus (1), ut probat D. Chrysostomus ex evangelico illo regis servo, qui domino debebat decem millia talenta, qui prorogationem petenti debitum omne dimisit. « Vidisti, inquit, misericordam domini. Ille procidit, supplicat, orat, ut longius sibi tempus præfiniatur : Longanimis esto in me, inquit, et omnia reddam tibi : sed bonus Dominus, misericors, nostrique curam agens, supplici benevolus, non solum quantum petivit, sed et quantum ne cogitare quidem ausus fuit, dedit. » Bonus quidem Deus et potens orantibus dans superabundanter quam expostulant aut excogitant, ut patet ex servo illo nequam cui dedit dominus non tantum petivit, sed et quantum ne cogitare quidem ausus fuit. *Vide divini amoris superabundantiam : petit servus solius temporis dilationem, ipse autem majus eo quod petit, dedit, et dimissionem, et concessionem totius mutui.* (2) Quasi parum fuerit munificentiæ Domini donare servo quod postulabat, majores adhuc liberalitates, et gratias oranti largitur. Pergit Chrysostomus : *Volebat autem rex a principio dare, sed nolebat solum suum esse donum, sed et supplicationis illius, ut non incoronatus abscedat.* Etsi rex propria fulgeat dignitate, supplicantium precibus honoratur. Orantium postulatio est diadema principis, et rex quem non venerantur orantes, quodammodo incoronatus habetur : rogare enim adorare est : unde quando Ægyptiorum primates Moysen adoraturi perhibentur : « Descendentque omnes servi tui ad me, » (4) et *adorabunt me* (4) : Paraphrastes Chaldæus legit : *Rogabunt me :* quasi idem sit aliquem *rogare* et illum *adorare*. Itaque ne rex incoronatus abscedat, majora largitur servo quam postulat, tum quia servi oratione et adoratione honoratur et coronatur, tum quia bonorum largitione opulente dives cognoscitur.

Terreni reges quo liberaliores sunt, eo evadunt pauperiores : Deus vero a largitione non vilior et pauperior, sed præcelsior et opulentior existimatur : nobilior munificentia illum proclamat, et *ditiorem esse quodammodo, a quo aliquid poscitur.* (4) Quod innuit Apostolus de Deo quoque aiens : *Dives in omnes qui invocant illum* (5), seu, ut expendit ibidem D. Chrysostomus, *dives in omnia, et omnes invocantes se.* Deus infinite dives est, et inexhausto suæ omnipotentiæ thesauro locuples. Paulus tamen Deum *divitem, et locupletem, et liberalem* (1) prædicans, ejus arctat divitias, et divitem duntaxat dicit, in eos quos muneribus cumulat. *Dives Deus non est, nisi in iis qui invocant illum : quia ipsi accipient remunerationem : perfidis vero non est dives, quia participes non sunt bonorum ejus.* (2) Deus in orantes ditissimus, quia liberalissimus, in non supplicantes vero pauper dicitur, quia ex defectu orationis, est illis immunificus. Tantum divitiarum se habere computat Deus in omnipotentiæ censu, quantum bonorum liberalitas ejus largitur, tantoque est munificentior et potentior, quanto magis ab orantibus ejus munificentia et omnipotentia invocatur. *Incomparabilis prærogativa orationis, ut Deus omnipotens, in solio gloriæ suæ constipantibus undique Angelorum millibus, subito se demittat ex throno, inclinetque aurem ut orationem a terra excipiat ascendentem.* (3) In solio gloriæ et throno majestatis, Angelorum millibus stipatus sedere dicitur Deus ; verum cum e terra ascendit oratio, tunc de throno gloriæ suæ se demittere perhibetur ; ut oranti subveniat, cujus potest et vult juvare necessitatem.

3. *In omnibus petimus fieri voluntatem Dei, idem est sensus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri et in cœlis.* (4) In cœlis adimpletur voluntas Dei, desiderat Deus ut in terris quoque adimpleatur. Quæ in cœlis adimpletur *voluntas Dei, est salus ipsorum quos adoptavit,* (5) elegit, et suæ gloriæ participes effecit ; et quia Deus cunctis in universum hominibus voluntate antecedenti exoptat æternam beatitudinem, ut voluntas ejus in terris adimpleatur, postulare debemus auxilium gratiæ ad felicitatem adipiscendam necessarium : *Petimus ergo substantiam, et facultatem voluntatis suæ subministret nobis, ut salvi simus, et in cœlis, et in terris.* (6) Stimulamur autem ad postulandum illud gratiæ auxilium, ut trina Dei in nobis adimpleatur voluntas : 1. Qua disposuit nobis non largiri gratiam, nisi præmissa oratione ; 2. Qua vult hominum salutem, quæ absque gratiæ auxilio consequi nequit ; 3. Qua illud auxilium nobis orantibus donare desiderat. Multi postulant beneficia quæ non obtinent, vel quia illi a quibus petunt necessitatem orantium non agnoscunt, aut si agnoscunt, non possunt eam levare, aut cognoscunt et possunt, nolunt juvare :

(1) Hom. 28. in Gen. — (2) D. Chrysost. Hom. 62. in Matt. — (3) Exod. 11. — (4) Ennod. Contorv. 8. — (5) Rom. 10.

(1) Tert. L. adv. Hermog. 8. — (2) D. Ambr. ibid. — (3) D. Aug. in Ps. 114. — (4) Tert. L. de Orat. 4. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. ibid.

Deus autem cognoscit supplicantium necessitatem, et potest eam levare, et adhuc vult juvare.

Quantum autem velit Deus largiri bona supplicantibus, declarat Propheta Evangelicus : *Et vidit Dominus quia non est vir, et aporiatus est, quia non est qui occurrat.* (1) Quæ verba sic interpretatur Hugo Carensis : « Quasi enim labor et afflictio grandis est Deo, quando nullus orando animadversioni ejus obviat. Aporiari enim laborare est, vel angustiari, sive affligi. Vel aporia est contemptus sive privatio bonorum, sive depauperatio. » (2) Aliter præfata verba ex Chaldæo expendit Modernus Auctor: « Aporiatus est, id est, anxius et perplexus hæsit Deus, obstupescens et admirans, et quasi inops consilii in re desperata, anceps hæsit Deus, quia non est qui iræ ejus orando occurrat. » Se contemptum Deus existimat, quando homines calamitatibus jactati et ærumnis oppressi, non confugiunt ad eum precibus ut infestantia mala avertat, potentiæ et beneficentiæ suæ non parum detrahi censet, dum homines gratiæ auxilia non expostulant ; bonis velut privatus et depauperatus sibi videtur; dum homines suis orationibus munificentiæ suæ non attrahunt liberalitates : quasi oratio humana sit census divinæ bonitatis : ut plurimum enim nihil donat Deus quod desiderium supplicis non suspiret, quando orantis votum non exoptet, et precaria deprecantis instantia non extorqueat. Ex divina namque dispositione, per orationem tanquam per aquæductum major gratiarum pars e cœlo ad homines fluit : unde cum deest oratio, depauperatus et contemptus videtur Deus. Et ob hanc causam Achaz culpatur, recusans postulare signum a Deo. Quod enim dicit : « Non petam et non tentabo Dominum, » (3) *non humilitatis fuit, sed superbiæ, quod non vult signum a Domino postulare.* (4) Unde in hebræo pro ly non tentabo Dominum, habetur, *non exaltabo Dominum;* seu, ut alii legunt, *non laudabo Dominum.* Impius rex, et veræ tunc religionis desertor, adorans idola gentium, oblatum sibi signum recusat, ne supplici petitione Deum laudet et gloriosius exaltet : supplicatio namque est ejus a quo aliquid postulatur, laudatio et exaltatio, ejus independentiam, opulentiam, munificentiam decantans : *Erubescat ergo humana pigritia : plus paratus est Deus dare quam nos accipere.* (5)

(1) Esai. 59. — (2) Cornel. a Lap. — (3) Isa. 7. — (4) D. Hieron. — (5) Thom. Anglic. in c. 1. Jacob.

Fratres, triplex orandi habemus incentivum : divinam majestatem, divinam voluntatem et audientiæ divinæ felicitatem : 1. Divinam majestatem, ut eam nostris orationibus honoremus; 2. Divinam voluntatem ut nostris orationibus ejus dispositionem adimpleamus. « Nam quasi quoddam dogma est, neminem accipere divinum donum ex non quærentibus illud, ipsum autem Salvatorem jubet Pater poscere, ut det illi, secundum illud : Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : et ipse Salvator dicit : Petite, et dabitur vobis : et ideo signanter dixit Samaritanæ : Si scires donum Dei, petiisses forsitan ab eo (1), et dedisset tibi. » (2) 3. Audientiæ divinæ facilitatem : nam, ut fatur laudatus Thomas anglicus, « Deus dat, 1. Liberaliter, non vendit sicut multi; dat, 2. Generaliter, non uni, sed omnibus; dat, 3. Abundanter, non parce ; dat, 4. Curialiter. » Deus dat, 1. Liberaliter, quia, ut ait D. Bernardus, verus *beneficus est, dans affluenter, et non improperans : non improperat dona, quia dona sunt ; et beneficia sua mihi dedit, non vendidit.* (3) Dat, 2. Generaliter, quia non est personarum acceptor ; neque nobilem et divitem magis quam egenum et plebeium considerat ; ex æquo vult illorum salutem, et æqualiter pro illis mortuus est Christus. Dat, 3. Abundanter ; nam, ut fatur D. Augustinus, *Deus tibi totum est : si esuris, panis tuus est; si sitis, aqua tibi est; si in tenebris es, lumen; si nudus, immortalitatis tibi vestis est.* (4) Christus quoque ad nostram salutem totum sese adhibuit, et quilibet homo potest dicere cum D. Bernardo : *Totus mihi datus, et totus in meos usus expensus.* (5) Tandem, 3. Dat curialiter, quia non inurbane : *Neque enim petitur quod non habet, ut cum non dederit, erubescat; dives est et pius, affluens et benignus : dat et non improperat : imo tunc thesauri domus ejus tristitiam patiuntur : quando desunt delectabilia fastidia petitionum.* (6)

In quo multum a terrenis principibus discriminatur, qui supplicantibus non præstant audientiam facilem, celerem et civilem. Non præstant auditum facilem, præsertim humilibus et egenis, quibus ad reges denegatur accessus. Deus vero *non sprevit neque despexit deprecationem pauperis ; nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* (7) Deus in infini-

(1) Joan. 4. — (2) Orig. in Caten. — (3) Serm. 16. in Cant. — (4) Tract. 19. in Joan. — (5) Serm. 3. Circumc. — (6) D. Aug. Serm. 171. de temp. — (7) Ps. 21.

tum magis distat a regibus, quam sublimes quique reges ab abjectissimis suis subditis : et tamen, ut legit Paraphrastes Chaldæus, *vilissimam nostram naturam despicere minime voluit, sed exaudivit.* 2. Terreni principes celerem non præstant audientiam : sunt qui per biennium secuti sunt curiam, antequam alloquendi regem habeant licentiam. Quam rari sunt principes similes Trajano imperatori omnibus tempestivo et opportuno ! Et ut fatur ejus Encomiastes, *nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora : adeunt statim, dimittuntur statim.* (1) Nemo non congruo tempore petiturus aderat, quia Trajano omne tempus erat congruum sive ad audiendas petitiones, sive ad largienda beneficia. Quod verius de Deo dici potest, qui ita est ad audiendas orationes promptus et paratus, ut nullum sit tempus, quo non præsto sit, quo auditum non præbeat. *Cum invocarem, exaudivit me Deus.* (2) Quid est, cum invocarem ? Sane illico, omni tempore, in quacunque hora, nulla interposita mora, nullo interveniente qui impediat. Nam, ut ait D. Chrysostomus, « non assistit miles qui expellat, non satelles qui tempus interrumpat; non est qui dicat : Non est nunc tempus accedendi, veni postea : sed quando veneris, erit audiens, etiamsi tempore prandii, etiamsi tempore cœnæ, etiamsi nocte intempesta, etiamsi in foro, etiamsi in via, et etiamsi in cubili; etiamsi totus in magistratu fueris, nihil vetat, quo minus tuam petitionem audiat, si rite vocaveris. Neque enim opus est janitoribus qui te introducant, neque dispensatoribus, procuratoribus, custodibus, aut amicis. » (3) Tantum audientiæ celeritatem admirans, D. Gregorius Nazianzenus exclamat : *O miram beneficentiæ celeritatem ! o facilem contrahendi rationem ! Hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur : appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco æstimat, sitit sitiri, bibere cupientibus potum præbet; cum a Deo beneficium petitur, beneficio affici deputat : prompta, munifica, atque prolixa natura est, jucundius dat quam alii accipiunt.* (4) Plures condensat Nazianzenus sententias, quibus demonstret quam facile, prompte et urbane Deus præbeat orantibus auditum. Verum si Deus benigne deprecantes suscipit, multi terreni principes, supplicantibus inurbani improperant, dicentes apud Cassiodorum : *Alter nos frequentia invidiosa exaggerat, alter miseriarum mole castigat; alter furiosa contentionum seditione circumdat.* Deus autem neque orantium multitudine obruitur, neque miserorum afflictionibus offenditur, neque supplicantium clamoribus concitatur, sed omnibus opportunus, munificus et benevolus, cunctos absque discretione, mora et repulsa, audit et exaudit : quare, Fratres, *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat.* Indigentiam et necessitatem suam Deo exhibeat, qui est omnisciens, omnipotens et bonitate præditus illam cognoscit, illam juvare vult et potest. Orationi diligenter invigilet, *per hanc enim omnia nobis utilia tribuuntur a Domino, et cuncta noxia effugantur.* (1) Per hanc habemus indigentiæ subsidium, adversitati solatium, et adversus iniquitatem præsidium ; per hanc in publica calamitate Dei iram placamus, ejusque attrahimus misericordiam; per hanc dispositionem divinæ voluntatis sequimur quæ orantibus desiderat largiri gratiam et gloriam.

(1) Plin. — (2) Psal. 4. — (3) In Ps. 4. — (4) Orat. 40. in sanct. Baptima.

(1) D. Aug. L. de salut. Docum. c. 28. — (2) Tert. L. de Orat. 1. — (3) Tert. L. de Orat. 9. — (4) Tract. de Orat. Dom.

CONCIO SECUNDA.

Orationis excellentiam et dignitatem Patres una voce commendant. Orationem quidem Dominicam, quæ *quantumcunque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus* (2) ; complectens, ut subjungit Tertullianus, *omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut revera in moratione breviarium totius Evangelii comprehendatur.* Christus Dominus, qui est verbum humanatum et abbreviatum, in oratione velut in compendium redigit præcipua totius religionis documenta. Etenim *compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangelistarum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta ? quot simul expunguntur officia ? Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione tutelæ.* (3) Tertulliani vestigiis inhærens D. Cyprianus (4) de Oratione Dominica, ait : « Qualia autem sunt Orationis Dominicæ sacramenta, quam multa, quam magna, breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa ! Ut nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus

atque orationibus nostris doctrinæ compendio comprehendatur. » Ex D. Etiam Ambrosio *Dominica Oratio omnia comprehendit.* (1) Quod comprobat D. Cyprianus ad Orationem Dominicam flectens Esaiæ vaticinium: « Consummatio abbreviata inundabit justitiam : consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terræ.» (2) « Quid mirum si oratio talis est quam Deus docuit, quia magisterio suo omnem pacem nostram salutari sermone, breviavit ? Hoc jam per Isaiam prophetam fuerat ante prædictum, cum plenus Spiritu Sancto de Dei majestate, ac pietate loqueretur : Verbum consummans, inquit, et brevians in justitia, quoniam sermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ. Nam cum Dei sermo Dominus noster Jesus Christus omnibus venerit, et colligens doctos pariter et indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit; præceptorum suorum fecit grande compendium. » Oratio est præceptorum compendium : vel quia præceptorum perfecte adimplendorum vigor, a brevi orationis sermone vivide afflatur ; vel quia fervens oratio omnia virtutis opera, etsi injussa, ingeniosa devotione sibi præcipit, et obsequenter adimplet ; vel quia homo orationi assiduus, suis operibus divina præcepta compendiose commentatur ; vel tandem quia quemadmodum dilectionem Apostolus nuncupat legis plenitudinem, ita Cassianus asseverat Orationem Dominicam *perfectionis plenitudinem continere.* (3)

Verum omissa Oratione Dominica, cujus *brevitas magnæ ac beatæ interpretationis substantia fulta est* (4), D. Augustinus de oratione in communi sic fatur: *Quid est oratione præclarius ? quid in tota nostra religione sublimius ?* (5) Ut autem docet Guillelmus Parisiensis Antistes, « orationis præexcellentia apparet in eo, quod omnis sacrificatio, omnis benedictio, et omne sacramentum, et omnino quidquid in cultu divino honorifice agitur, aut oratio est, aut oratione peragitur, sive perficitur. » (6) Cassianus in virtute orationis reliquas omnes virtutes vult *colligatas atque compactas.* (7) Quod ab enumeratione comprobat Ephrem Syrus : « Oratio temperantiæ est custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, et ad modestiam revocatio, ad acceptas injurias medicina, invidiæ destructio, impietatis correctio. Oratio corporum robur, rei familiaris administratio, recta juris legumque constitutio, regni potentia, trophæum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, evigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio reorum patrona, victorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitii, conjugum corona, morientium sepultura. Oratio, proborum promotio, ab improbis aversio, et peccantium emendatio. » (2) Hactenus Ephrem plures orationis perfectiones, vires, victorias, et effectus condensans, quibus aut de vitiis gloriose triumphat, aut cum cæteris virtutibus reciprocat. Cum Ephrem concordat Antonius (3), aiens : « Oratio custodia est temperantiæ, virginitatis sigillum, iræ castigatio, superbiæ moderatio, animæ memoris injuriarum expiatio, invidiæ domitrix, pacis confirmatio. » Neque minora sunt orationis elogia quæ conglobat Climacus (4): « Oratio, si ipsius naturam seu qualitatem spectes, est familiaris conversatio et conjunctio hominis cum Deo ; si autem vim seu efficaciam, mundi conservatio, Dei reconciliatio, mater lacrymarum, et iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, propugnaculum adversus impetum afflictionum, bellorum oppressio et exstinctio, virtutum scaturigo, gratiarum divinarum conciliatrix, profectus spiritualis, nutrimentum animæ, mentis illustratio, tristitiæ solutio, iræ diminutio, speculum religiosi profectus, dimensionum index, status declaratio, futurorum significatio, gloriæ futuræ indicium. » His verbis innuere videtur Climacus, quod oratio cum cæteris virtutibus quodammodo reciprocat, quasi cæteræ virtutes sint cum oratione synonymæ, vel consequentiæ ex illa deductæ, vel arbores, ex illa tanquam ex radice fotæ, nutritæ, adipatæ et fecundatæ, ad fertilem omnium sanctitatum proventum. Neque sola temperantia salvare potest hominem, neque cura pauperum, neque benignitas. » Sed oportet ut omnia simul concurrant in animas nostras. *Cæterum precatio ceu radix et basis, omnibus substernitur.* Virtutes sine oratione sunt quodammodo velut fructus in arbore exsectis radicibus emortua : eradica arborem, et fructus marcent ad interitum ; tolle orationem, et omnium virtutum opera prope era-

(1) Lib. de Virg. cap. 2. — (2) Cap. 20. — (3) D. Chrysost. L. de Orando Deo. — Collat. 9. Cap. 24. — (4) Tert. Lib. de Orat. 1. — (5) Tract. de Misericordia. — (6) Lib. de Orat. Divin. cap. 1. — (7) Collat. 9. cap. 1.

(1) Tract. de Orando Deo. — (2) In Melissa Lib. 1. Serm. 46. — (3) Grad. 28.

dicasti, et fabricam sublata basi evertisti. Oratio est plantarium bonorum operum, sanctitatum basis, virtutum fundamentum, fomes, subsistentia et consummatio : et ut fatur Magnus Gregorius, *virtus veræ orationis est celsitudo charitatis.* (1) Tot elogia quibus Patres orationem prædicant, ejus encomium non consummant, ad ejus excellentiam et dignitatem rite propalandam, addendum est, quod oratione, 1. Trinitas honoratur; 2. Homo sublimatur; 3. Terra cœlum æmulatur.

I. PARS. Oratione *Deum honoramus.* (2) Nam, ut docet Parisiensis Antistes, *oratio pars est divini cultus et honorificentiæ* (3), pertinens ad virtutem religionis, divinam quoque testans excellentiam. Nam, ut perfecte ait Imperfectus, *est autem oratio quasi quoddam spirituale tributum quod anima offert Deo de visceribus suis.* (4) Et quia inter tributa quæ homo ex religione solvit Deo, majus et præstantius est *sacrificium mundum, scilicet oratio de conscientia pura,* (5), est nobile illud et præcipuum tributum divinæ majestati solvendum. Fides immolat Deo mentis cogitationes, obedientia voluntatis libertatem, mortificatio corporis vigorem, oratio vero totam animam, quæ ante Deum velut accensa consumitur, velut pretiosus liquor effunditur, et velut thus et sacrum thymiama resolvitur. Et quia excellentia et majestas est communis tribus personis divinis per orationem *Deum cum suis honoramus*, nimirum cum Patre, Filio et Spiritu Sancto, in quibus una et eadem est divinitas. Ultra hunc honorem toti Trinitati communem, specialiter per orationem honoratur, 1. Pater, tanquam orationis objectum; 2. Filius, tanquam orationis exemplar et medium; 3. Spiritus Sanctus, tanquam orationis principium.

1. Oratio Dominica *incipit a testimonio Dei, et merito fidei, cum dicimus : Pater noster, qui in cœlis es. Nam et Deum oramus, et fidem commendamus, cujus meritum est hæc appellatio?* (6) Paternitas est propria primæ personæ Trinitatis, quæ Filium ab æterno per memoriam fecundam generat, et quia *nomen Dei Patris nemini proditum fuerat : etiam qui de ipso interrogaverat Moyses, aliud quidem nomen audierat; nobis revelatum est in Filio. Jam enim Filium novum Patris nomen est : Ego veni, inquit, in nomine Patris.* (7) Ante Verbi incarnationem non adeo erat distincta Patris et Filii notitia, at post humanationem Verbi, *Christo licuit commentari divinitatem rem propriam* (1), et per miracula quæ patravit in nomine Patris se verum Dei Filium et adhuc Patrem testatus est : idcirco quoties dicimus Orationem Dominicam, et primam Trinitatis credimus personam, toties ejus honoramus paternitatem. Subjungitur noster, quia *scriptum est : Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem ut filii Dei vocentur.* (2) Uti enim Verbum divinum est Filius Dei per naturam quia Pater per generationem communicat illi divinitatem, ita justi sunt filii Dei per adoptionem, quia dum justificantur et gratiam habitualem recipiunt, fiunt divinæ naturæ consortes et participes. Vocando Patrem nostrum, illum honoramus, quem auctorem et largitorem gratiæ recognoscimus; *quanquam frequentissime Dominus Patrem nobis pronuntiavit Deum.* (3) Deus est Pater noster, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ. In ordine naturæ, est cunctorum generaliter hominum Pater, quos tanquam Deus et prima causa produxit; in ordine gratiæ, est duntaxat Pater justorum, quos per sanctitatem adoptavit in filios. Subjungimus : Pater noster qui es in cœlis, « non tanquam sit ibi Deus, et quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed majestate potentiæ, » sed vel ut erudiamur Patrem qui ratione suæ immensitatis est ubique per essentiam, præsentiam et potentiam, esse in cœlo per gloriam tanquam objectum beatitudinis, sibi essentialis et participatæ Sanctorum; ad Dei autem honorem spectat, ut omnes Sancti ab eo suam emendicent felicitatem; ipse vero non ab alio, sed a semetipso illam habeat, vel « in cœlis : ergo cum dicit, non illic Deum concludens; hoc ait : sed a terra abducens orantem, *et excelsis regionibus affigens.* » (5) Sanctificetur nomen tuum. *Id ergo ut sanctificetur postulamus, non quod deceat homines Deo bene optare, quasi sit et alius de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus* (6) : id est, quasi ulla alia sit divinitas de qua ei possit optari, ut sanctificetur : cum enim sit unus et solus Deus, nequit ejus nomen ab alio Deo sanctificari : sed ex semetipso essentialiter sanctum est. Unde edocuit nos Christus ut dicamus ad Patris honorem : Sanctificetur nomen tuum. « Non quod oremus, ut sanctificetur quod per se

(1) Hom. 27. in Evang. — (2) Tert. L. de Orat. 2. — (3) Lib. de Rhetor. Div. cap. 1. — (4) Hom. 15. in Matth. — — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 1. — (6) Tert. L. de Orat. 2. — (7) Tert. L. de Orat. 3.

(1) Tert. Apol. 21. — (2) Tert. L. de Orat. 2. — (3) Tert. ib. — (4) D. Aug. Serm. 282. — (5) D. Chrysost. Hom. 20. in Matth. — (6) Tert. L. de Orat. 3.

sanctum est, sed quod petamus ut quod per naturam sui sanctum est, sanctificetur in nobis. » (1) Hanc explanationem mutuatus est D. Hieronymus a Tertulliano, cujus hæc sunt verba: *Hoc quantum ad gloriam Dei. Alioquin quantum ad nostram petitionem, cum dicimus : Sanctificetur nomen tuum, id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus.* (2) Neque solum fideles Dei majestatem credentes et colentes postulant, ut sanctum ejus nomen ab ipsis honoretur et revereatur, sed etiam ut infideles, qui in errore versantur, Dei assequantur notitiam, suos illi deferant cultus, ab eisque sanctissimum ejus nomen sanctificetur. *Simul et in cæteris quos adhuc gratia Dei exspectat, ut et huic præcepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris : ideoque suspensa enuntiatione nos dicentes, sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus*, sive justis et fidelibus, sive scelerosis et infidelibus. *Secundum hanc formam subjungimus : Fiat voluntas tua in cœlis et in terra, non quod aliquis obsistat quo minus voluntas Dei fiat, et ei successum voluntatis suæ oremus, sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus.* (3) Quænam est autem voluntas Dei, quam exoptat fieri in nobis in terra, nisi christianæ disciplinæ observantia? *Quid autem Deus vult quam incedere nos secundum suam disciplinam ?* (4) Quænam est adhuc Dei voluntas, quam in cœlis fieri desiderat : nisi ut salutem consequamur ? *Quia summa est voluntatis ejus, salus illorum quos adoptavit.* Ut autem salutem consequamur in cœlis, observanda est christiana disciplina in terris : igitur iste est *sensus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri et in cœlis.* (5) Observatio namque divinæ legis est adulto necessaria ad immortalem adipiscendam felicitatem. *Veniat quoque regnum tuum, ad id pertinet quod et Fiat voluntas tua, in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, in cujus manu cor omnium regum est ?* (6) « Hac ratione precatur, ut ejus regnum adveniat; non, ut ipse quod possidet, hoc acquirat; non ut illi aliunde adveniat, id est, ut ei regnum præstetur a superiori persona. » (7) Nam quis Deo superior ? Æternus Pater nequit habere suum regnum, ab alio numine, quia non est nisi unicus Deus, neque ab alia persona, quia ipse est prima Trinitatis persona. Petimus ergo, adveniat regnum tuum, vel ut nos cœleste comparemus regnum, vel ut Dei regnum adveniat cunctis hominibus : ita ut cuncti mortales ejus recognoscant imperium, et mandatis ejus obtemperent. Itaque *quicquid nobis optamus, in illum auguramur, et illi deputamus quod ab illo exspectamus* (1) ; scilicet cuncta bona ad quæ nostrum fertur desiderium, eminentissimo modo in illo reperiuntur, a quo futuram exspectamus beatitudinem, tanquam a summo bono sibi, nobisque sufficientissimo ; et nunc per orationem veneramur æternum Patrem tanquam ejus objectum : honoramus quoque filium velut orationis nostræ medium efficacissimum.

2. Refert Tertullianus primipilos Christianos *ad orientis regionem precari* (2) ; quam consuetudinem D. Justinus seu Auctor Responsionum ad orthodoxos a sanctis apostolis acceptam asseverat. Quod ab ipsis etiam gentibus usitatum testatur Tertullianus : *Sed et plerique vestrum affectatione aliquando et cœlestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis.* (3) Gentiles ignorantiæ et erroris involuti tenebris, ad Orientem obvertebantur, solem falso tanquam Deum existimantes et adorantes. Christiani ad Orientem versus deprecantur, *alia longe ratione, quam religione solis* (4) ; solem enim non Deum, sed creaturam a Deo factam credebant. Cur autem Christiani versus Orientem orarent, rationem assignat D. Joannes Damascenus: nimirum quia Christus cruci affixus versus occasum spectabat ; itaque Christiani conversi ad Christum in cruce pendentem, respectabant in Orientem. Aliam rationem prodit D. Hieronymus : *In mysteriis primum renuntiamus ei qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis, et sic versi ad orientem pactum inimus cum Sole justitiæ, et ei nos servituros esse promittimus.* (6) Ultra has rationes tres alias adhuc subjungo: 1. Quia sol est figura Christi, qui est Sol justitiæ, quo sensu de columba ait Tertullianus : *Amat figura Spiritus Sancti Orientem, Christi figuram.* (7) 2. Quia Dei Filius Oriens nuncupatur a Prophetis : quare Zacharias de cœlo illustratus prædicat misericordiam Dei, quia *visitavit nos Oriens ex alto.* (8) 3. Quia Christus Oriens et Sol justitiæ est orationis nostræ doctor, exemplar et medium efficacissimum. Doctor quidem, *quid mirum ? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis,*

(1) D. Hieron. Epist. 135. — (2) Tert. L. de Orat. 3. — (3) Tert. ib. 4. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. ib. 5. — (7) Venant.

(1) Tert. L. de Orat. 5. — (2) Tert. Apol. 16. — (3) Quæst. 118. — (4) Tert. ibid. — (5) Lib. 4. de Fid. Ortho. 13. — (6) In cap. 6. Amos. — (7) Tert. L. adv. Valent. 3. — (8) Luc. 1.

et de Spiritu ipsius jam tunc cum ex ore divino ferretur, animata suo privilegio ascendit in cœlum commendans Patri quæ Filius docuit. (1) Quod si Doctoris nobilitas doctrinæ arguit nobilitatem, merito Tertullianus ex dignitate Christi orationis colligit excellentiam. *Et quid non cœleste, quod Domini Christi est, ut hæc quoque orandi disciplina?* (2) Christus est etiam orationis exemplar, Patrem orans, suspiciens in cœlum. *Quo et ipse Filius suspiciens, et orabat, et postulabat a Patre, quo et nos erectos docebat orare: Pater noster qui es in cœlis.* (3) Quod si inquiramus a D. Augustino cur Dominus oravit, respondebit: *Ad hoc oravit Christus ut doceret nos orare; ad hoc passus est ut doceret pati.* (4) Christus passus est, nobis relinquens exemplum, ut ejus sequamur vestigia; eodem motivo orare dignatus est, ut nobis esset orationis exemplar. « De Domino nostro scriptum est: quod procidens in terram ita oraverit, ut ab eo guttæ sanguinis stillarent: quid autem indigebat Christus, ut taliter supplicaret? Non ille quidquam indigebat, sed nobis exemplo suo orationis remedia præparabat. » (5) Tandem Christus est medium orationis efficacissimum ad impetranda nobis necessaria.

Non absque mysterio sæpe sæpius Christiani extensis manibus orant: quod innuit Tertullianus, apud quem sic fantur: *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus.* (6) Sextuplici autem potissimum de causa alias et etiam nunc orantes Christiani levant manus in modum crucis: 1. Ut imitentur Christum, qui manibus cruci affixis, oravit: *Dominus Deus noster manus in cruce levavit* (7): leva ergo manus in oratione; 2. Ut hæc figura crucis orantis revocans ad Christianorum memoriam tormenta quæ pertulit in cruce Christus, ipsos ad passiones et martyria subeunda invitaret. *Paratus est ad omne supplicium, ipse habitus orantis Christiani.* (8) 3. Quo denotaretur extendendas esse ad bona opera Christianorum manus. Nam, ut subjungit D. Augustinus de Christo loquens: *Ideo extensæ sunt manus ejus in cruce, ut manus nostræ extendantur in bona opera.* (9) 4. Quia orationes totum suum valorem mutuantur a Christi Passione. *Ecce levavit ille manus, et obtulit sacrificium Deo seipsum, et per illud sacrificium deleta sunt peccata nostra. Levemus et nos manus nostras ad Deum in prece, et non confundentur manus levatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus.* (1) 5. Quia sacerdos in missa sacrificans et orans, repræsentat personam Christi, qui pro humana salute habuit in cruce manus extensas. *Unde præceptum est, ut levatis manibus oremus ad Deum, levantes puras manus.* (2) 6. Quia orationes vim impetrandi habent a passione Christi; ideo Ecclesia, dum aliquid a Deo impetrare desiderat, *per Christum Jesum, catholicum Patris sacerdotem* (3), ejusque unigenitum Filium postulare consuevit. Hæ sunt præsertim rationes *quibus nos non attollimus tantum manus, sed etiam expandimus, ex Dominica Passione modulatum, et orantes confitemur Christo.* (4)

Judæi Deum exorare cupientes, orabant per Abraham, Isaac et Jacob, qui fuerant patriarchæ Deo chari: Ecclesia vero æterni Patris implorat misericordiam per Dominum nostrum Jesum Christum filium ejus: quanto dignior et Patri charior Filius quam servus, tanto majorem habet virtutem ad impetrandum oratio per ipsum facta. Molossitæ a rege aliquid supplici oratione efflagitantes, id exspostulabant per regis filium, quem prensabant ulnis, brachiis stringebant, et paternis sistebant oculis, ut regem charissimi filii aspectu, elinguique oratione ad subditorum vota vel preces flecterent. Idipsum fecit Themistocles, qui Athenis exsulare jussus, ad Admetum regem supplex se contulit, et sapienti reginæ consilio, filium quem manu gestabat patri ostendit: oravit Themistocles, imo et peroravit. At longe efficacius in cœlesti curia Dei Filius perorat Patrem, qui ad supplicum inclinatur vota tum ex magnis Filii meritis, quibus negari nihil omnino potest: tum ex summo in Filium amore. *Apud Patrem non intercedit extraneus; intus est in Patris pectore, ipse qui intervenit et exorat affectus.* (5) Porphyrius, Gazæ Episcopus, christianæ religionis zelo succensus, adiit Arcadium imperatorem, ab eoque expostulavit ut cuncta idolorum templa solo æquarentur. Repulsam passus, libellum supplicem nomine Theodosii junioris recenter nati, et fonte baptismatis regenerati, composuit, et Arcadio pueruli manu offerre curavit. Imperator, de dilecti filii manu suscipiens libellum, Porphyrium sui voti compotem effecit: Christiane, si Deum exorare deside-

(1) Tert. L. de Orat. 9. — (2) Tert. L. de Orat. 1. — (3) Tert. L. adv. Prax. 23. — (4) In Ps. 56. — (5) D. August. Serm. de Orat. — (6) Tert. Apolog. 30. — (7) D. Aug. in Ps. 62. — (8) Tert. Apol. 30. (9) D. Aug. ibid.

(1) D. Aug. — (2) 1. Timoth. 2. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (4) Tert. L. de Orat. 11. — (5) D. Chrysol. Serm. 2.

ras, stude, ut oratio tua sit justa : at *oratio non est justa nisi per Christum*, medium impetrandi efficacissimum ; nisi ab Spiritu Sancto, qui est justæ orationis principium.

3. *Sic igitur oratio a Christo constituta ex tribus constituta est : ex sermone, quo enuntiatur; ex ratione, qua suscipitur; ex Spiritu, quo tantum potest.* (1) Sermonem quo enuntiari debet Oratio Dominica, docuit nos ipsemet Christus, non secus ac rationem, qua suscipienda est, pro spiritu autem quo tantum potest, intelligendus est spiritus orationis. Ex D. namque Augustino uti datur spiritus sapientiæ, spiritus timoris, cæterorumque donorum, ita datur spiritus orationis, quæ non fit nisi ab Spiritu Sancto spirante. Spiritum illum orationis effundendum super domum David pollicitus est Deus : *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum.* (2) Non dicit spiritum mortificationis, aut eleemosynæ et largitionis, aut pudicitiæ et castitatis, aut patientiæ et fortitudinis, sed spiritum orationis : seu, ut ait D. Chrysostomus, *donum precum*, quod fideles ad orandum impellat. Simul connectit Propheta *spiritum gratiæ et precum* (3) : vel quia nemo nisi ex gratia Dei valet orare ; vel quia oratio justi gratia habituali decoratur, vel ut denotet hominem *animatum spiritu omnium animatore* (4) honorare Deum suis orationibus : Spiritus Sanctus dicitur omnium animator, quia cunctis viventibus largitur vitam : imo homini quem justificat, donat vitam supernaturalem, in eo inhabitat, et ad orandum animat. Et ob hanc causam Gregorius Nyssen. vocitat orationem *sacrum et divinum opus* (5), quia procedit ab Spiritu Sancto. Nam, ut fatur Apostolus, *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (6)

Circa hunc autem Apostoli locum tria sunt elucidanda : 1. Quis sit ille Spiritus qui postulat; 2. Quomodo postulet; 3. Quid per gemitus inenarrabiles sit intelligendum. 1. Illum Spiritum pro nobis postulantem Lyranus vult esse Angelum custodem; OEcumenius virum spiritualem, seu ministrum Ecclesiæ, cui in primitiva Ecclesia gratia data erat a Spiritu Sancto orandi pro populo, quod munus negotiatur hac ætate sacerdos pro populo supplicans; Theodoretus Spiritum orationis seu gratiam Spiritus Sancto qua excitati, oramus; alii superiorem animæ portionem, gratiam Dei illustratam et adjutam, quæ spiritus vocatur, et carni contrariatur ; D. Augustinus gratiam habitualem seu charitatem : *Spiritus, id est, charitas ipsa gemit, ipsa orat* (1); D. Ambrosius Spiritum Sanctum, qui adjuvat infirmitatem nostram, docetque nos quid debeamus orare, et hunc sensum intendere videtur Apostolus, ut ex textus connexione constat : *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (2) Et hæc est etiam mens Tertulliani, ut constat ex subsequenti loco, in superioribus allato : *Ab ipso igitur ordinata religio orationis, et de Spiritu ipsius jam tunc cum ex ore divino ferretur animata suo privilegio, ascendit in cœlum, commendans Patri quæ Filius docuit.* (3) Quis enim est Spiritus Dei nisi Spiritus Sanctus? Oratio Spiritu Sancto animata, suo privilegio ascendit in cœlum : quia «oratio justi penetrat cœlos.» (4) Quomodo autem, 2. Spiritus Sanctus postulet, non conveniunt inter se doctores. Arius et Macedonius volunt Spiritum Sanctum proprie Patrem orare, et ita non esse Deum, sed creaturam. Hunc errorem confutat D. Augustinus : *Spiritus Sanctus in Trinitate est, quem Patri et Filio consubstantialem et coæternum fides catholica confitetur.* (5) D. Augustinus (6) vult Spiritum Sanctum postulare pro nobis, quia scilicet nos postulare facit ; eodem modo quo in Evangelio dicitur : *Spiritus Patris qui loquitur in vobis* (7); id est, qui vos facit loqui. Quod hac comparatione belle declarat Origenes : Sicut magister ut rudem plane discipulum litteras doceat, ad ejus ruditatem se dimittit, primusque litteras pronuntiat, pueroque præit, ut puer repetens id quod pronuntiavit magister, idipsum addiscat : ita Spiritus Sanctus videns hominem carnis exagitatum perturbationibus, nescientemque quid orare debeat sicut oportet, ipse quasi magister orationem præmittit, ejusque animo immittit, quam ille «si discipulus Spiritus Sancti esse desiderat» prosequatur. Tandem ex D. Thoma (8) Spiritus Sanctus postulat, id est, Paracletus et advocatus noster in consistorio sanctæ Trinitatis, magno pondere, magna auctoritate et magna instantia proponit, *commendans Patri quæ Filius docuit* (9) ; quasi præfectus et magister libellorum supplicum quos toti Trinitati, quasi

(1) Tert. L. de Orat. 1. — (2) Zachar. 12. — (3) In cap. 8. Rom. — (4) Tert. Apolog. 48. — (5) Orat. 1. de Orat. Dom. — (6) Rom. 8.

(1) Tract. 6. in Joan. — (2) Epist. 35. ad Horont. — (3) Tert. L. de Orat. 9. — (4) Eccles. 25. — (5) Tract. 74. in Joan. — (6) Epist. 121. de Orando Deo. — (7) Matth. 10. — (8) 3. p. q. 21. a. 4. — (9) Tert. L. de Orat. 9.

LIB

noster interpres exponit. 3. *Gemitibus inenarrabilibus* (1), id est, ait D. Ambrosius, cœlestibus et divinis quos excitat et toti Trinitati proponit. Fratres, Spiritum Sanctum humiliter deprecemur, ut adjuvet infirmitatem nostram, doceat nos orare sicut oportet, largiatur nobis donum precum, et excitet in nobis gemitus doloris et amoris. *Quia gemitus non est nisi miserorum, et oratio non est nisi indigentium: ideo gemamus modo, oremus modo. Transiet oratio, succedet laudatio; transiet fletus, succedet gaudium* (2) : oratione etenim et Trinitas honoratur, et homo sublimatur.

II. PARS. Ad hominem *religionis sacerdotem* (3) spectat offerre Deo orationis sacrificium, ad quod illum stimulat Regius Vates apud Tertullianum : *Sacrifica Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* (4) Hujusmodi oblatio Deum honorat et hominem exornat. Quod hac comparatione belle declarat D. Chrysostom. «Quod si amictus hominis, pedum gressus et risus dentium, quæ in eo celantur intus, retegit ex sapientis Salomonis sententia, multo magis precatio, Deique cultus est justitiæ argumentum, cum illa vestis sit quædam spiritualis ac divina, quæ mentes nostras magno decore ac pulchritudine induit et exornat; quæ singulorum vivendi rationem aptam efficit atque compositam; quæ non patitur ulla re vili et absurda, mentem occupari; quæ persuadet ut Deum ac dignitatem, quæ ab illo ad nos derivatur, vereamur. » (5) Plures alias prærogativas dinumerat Chrysostomus, quas homini confert oratio, inde hominem orationi vacantem dignificat, orationis vacuum depretiat : « Quando aliquem video a precationis studio abesse, neque illius ardenti ac vehementi amore teneri, jam mihi exploratum est nihil ab eo magnificum, nihil præclarum possideri : quando vero aliquem cerno in Deo colendo sine satietate persistere, quique non precari assidue, in magnis numeret detrimentis : omnium illum virtutum acerrimum cultorem, Deique templum esse conjicio. » In eo enim habitat Spiritus Sanctus; imo et per os ejus loquitur : *Qui habitat in pectore, ipse est in voce.* (6) Adeo homini gloriosa est oratio, ut ab illa totam suam dignitatem sumere videatur, ideoque D. Ambrosius hæc Regii Vatis verba : «Intret oratio mea in conspectu tuo, » sic legit : *Intret dignitas mea in conspectu tuo*: quasi oratio sit humanæ dignitatis complementum, per illam enim homo, 1. Cum Deo confabulatur; 2 In Angelum immutatur; 3. In Deum velut transfiguratur.

1. Quis dubitet mire nobilitari hominem qui *ad cœlum supplices manus tendat, nubes numeret orans, animam suam Deo suo voveat.* (1) Multum cæteris animantibus antistat homo : nam est ratione præditus, mentis cogitationes sermone declarat, sapientiæ capax est; libertate pollet, ad cœlum extollit oculos, Dei efficitur templum, ejusque colloquio et familiaritate potitur. In oratione autem omnes illæ hominis prærogativæ mirum in modum splendent. Homo, 1. Ratione pollet : at *oratio est ascensio mentis in Deum* (2) 2. Homo, non solum mentis ratione, sed etiam oris sermone, belluas superat. *Oratio nostri oris est ratio, quando jam ore suo loquitur cum Deo suo.* (3) Homo, 3. Est sapientiæ capax, quæ inter habitus intellectuales nobiliorem tenet dignitatis gradum; nam ad altissimarum causarum et rerum assurgit notitiam : *Oratio est ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium.* (4) Homo, 4. Libertate a bestia discriminatur, libertas vero cum in voluntate sita sit quæ est præcipua animæ potentia, multum hominem nobilitat : *Oratio est conversio in Deum, per pium et humilem affectum.* (5) 5. Homo maxime distinguitur a cæteris animantibus, quod hæc terram respiciunt, ille vero ad cœlum, tum corporis, tum mentis attollit oculos : *Oratio cœlos penetrat, nubes transit, Dei aures attingit* (6); et ut aliorsum fatur D. Augustinus, *omnis Sanctus quando orat, relinquens humilia vel terrena, in altum mente extollitur, et in sublime rapitur, et cogitatione sancta, cœlo efficitur vicinior.* (7) Et quasi parum sit quod homo media oratione nubes transcendat, in sublime feratur, fiat cœlo vicinior; *oratio pura cœlorum altitudinem penetrat, et usque ad conspectum divinæ majestatis ascendit.* (8) 6. Bestia nequit esse Dei templum, quia gratiæ et gloriæ est incapax : homo vero justus est Dei sacrarium. *Sancta est orationis ara : pertrahit enim ad nos sancte Sanctum Sanctorum* (9); et ut acute ait Sanctus Paulinus, *in oratione fit conceptio spiritualis* (10) : qua mens Deo gravidatur : intellectus enim attrahit intra se

(1) Epist. 23. — (2) D. August. in Ps. 26. — (3) Tert. L. de Res. Car. 9. — (4) Tert. L. adv. Jud. 5. — (5) Orat. 1. de Precat. — (6) D. Cypr. Tract. de Or. Dom.

(1) Tert. Apol. 24. — (2) D. Dasmasc. — (3) D. Bern. Serm. 25. de diversis. — (4) D. August. Serm. 256. de Temp. — (5) D. August. L. de Spir. et Anima c. 50. — (6) D. Aug. Tract. de Misericor. — (7) Serm. 3. de Sanct. Pet. et Paul. — (8) D. Aug. Serm. 2. de Orat. — (9) S. Nilus in c. parœn. — (10) Epist. 4.

objectum quod concipit : oratio autem est mentis operatio.

Tot dotibus quibus homo belluis antistat, multum commendatur hominis dignitas, sed absque comparatione magis, ex privilegio quod habet colloquendi cum Deo et familiariter confabulandi cum eo : *Grande miraculum, ut homo terra et cinis, in sua purissima oratione, cum Deo fabuletur!* (1) Quis non miretur et divinam benignitatem, et humanam dignitatem? Benignitatem, qua Deus supremæ et infinitæ majestatis, hominem ad suum colloquium admittere dignatur; dignitatem, qua homo cum Deo familiariter conversatur. Talem ac tantam dignationem et dignitatem ab homine semper meditandam desiderat D. Chrysostomus : *Considera quanta tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa orationibus fabulari cum Deo; cum Christo miscere colloquium; petere quod velis; quod desideras postulare.* (2) Magnum honorem se assecutos existimant curiales quando conceditur illis licentia alloquendi regem : quaproter Theodoricus rex sic de se superbe et arroganter loquitur apud Cassiodorum : *Quilibet habere nostra colloquia, munera credit esse divina.* (3) Quanto major est divina majestas quam regia dignitas, tanto gloriosius est cum Deo fabulari quam colloqui cum rege : at *oratio cum Deo est colloquium.* (4) Homines cum rege aliquando loquentes, cum eo familiariter non confabulantur; at *oratio est familiaris conversatio et conjunctio hominis cum Deo.* (5) Homines cum rege familiariter conversantes de rebus nullius momenti ut plurimum colloquuntur; at *oratio est qua cum Deo loquimur; qua Patrem Deum dicimus; qua universa desideria nostra in conspectu majestatis ejus effundimus* (6); qua ex tali colloquio immutamur in Angelos.

2. Homines orationi vacantes et cum Deo colloquentes, *de familia angelica deputantur.* (7) Non quod revera desinant esse homines et efficiantur Angeli, sed, ut fatur Tertullianus de orantibus, *translatis scilicet in angelicam qualitatem.* (8) Quod quomodo efficiatur belle declarat D. Chrysostomus : *Homo qui cum Deo loqui didicit, qui cum Deo loquitur, erit deinceps Angelus.* (9) Plures dinumerat D. Chrysostomus qualitates in quibus homines orationi studentes, assimilantur Angelis : 1. Angeli in cœlis colloquuntur cum Deo : *oratio cum Deo est colloquium, par cum Angelis honor.* (1) 2. Angeli sunt substantiæ pure spiritales a materia defœcatæ : et per orationem, ait D. Chrysostomus, *liberatur anima a vinculis corporis*, et ut profunde fatur Tertullianus, *etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent.* (2) 3. Angeli in cœlo habitant, et homo orationi deditus, *in altum tollitur, et de terrenis migrans, in cœlis habitat* (3); et ut ad propositum subjungit Tertullianus, *totum hominem animus circumfert, et quo velit transfert.* 4. Angeli de terrenis minime curant, neque ad quærenda victui necessaria solliciti sunt : et homo orationi deditus, *de victu omnem curam abjicit, et quæ ad victum pertinent, despicit;* nihilique facit res terrenas, sed tanquam supervacuas, futiles, inutiles, et puerorum nugas, contemnit. 5. Angeli sunt immortales : *per orationis exercitium hoc assequimur, ut mortales esse desinamus* (4); non solum quia per orationis virtutem immortalitatem adipiscimur, sed quia etiam in hac vita mortali, adversitates et dolores quibus obnoxii sumus, non sentimus. Nam, ut ait ibidem Tertullianus, *nihil crus sentit in nervo, cum animus in cœlo est.* 6. Angeli Deum in cœlo videntes, in eum transformantur : homo quoque virtute et efficacia orationis in Deum transformatur.

3. *Corporalem Moysis inluminationem de congressu Domini* (5) : eloquenter declarat Chrysologus : *Moyses ipse dierum quadraginta jejunio, ita humano defœcatus est, et exinanitus a corpore, ut totus divinitatis mutaretur in gloriam, et adhuc in nostri corporis obscuro toto fulgeret lumine Deitatis : neque intueri eum mortalis visus posset,* (6) et ob hanc causam, ut animadvertit ibidem Tertullianus, *Moyses faciem tenebat incontemplabilem filiis Israël.* Verum quemadmodum, ut fatur aliorsum Chrysologus, *Moyses de servo in amicum, de homine promovetur in Deum* (7), ita certum videtur Tertulliano *nos eadem imagine transfigurari a gloria, qua scilicet et Moyses transfigurabatur a gloria Domini.* Non sine mysterio refert Evangelista factam Christi « inter orandum » transfigurationem : *Ascendit in montem ut oraret, et dum oraret, facta est species vultus ejus altera* (8) : at quomodo ascendit ut oraret, si ascendit ut se transfiguraret?

(1) D. Aug. Serm. 6 in Commun. — (2) L. 2. de Orando Deo. — (3) Lib. 3. Var. Epist. 2. — (4) S. Ephrem. Syrus. — (5) Climac. Grad. 28. — (6) D. Aug. Tract. de Misericordia. — (7) Tert. L. 1. ad Uxor. 4. — (8) Tert. L. 1. ad Uxor. 1. — (9) In Ps. 4.

(1) S. Ephren. Syrus. — (2) Tert. L. ad Mart. 2. — (3) D. Chrysost. ibid. — (4) D. Chrysost. L. de Orando Deo. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (6) Serm. 66. — (7) Serm. 151. — (8) Luc. 9.

Quia scilicet orare et transfigurari idem esse videntur, vel potius officium orationis est transfigurare, et transfigurari est velut orationis effectus.

Trinam transfigurationem operatur oratio: 1. Nam transfigurat de pecore in hominem; 2. De animali in Angelum; 3. De homine in Deum; 4. De pecore transfigurat in hominem. Peccatum hominem transformat in pecus, ut ex Prodigo constat, qui luxuriosam ducendo vitam, *a se migrat, et ab homine totus transit in bestiam.* (1) Verum mox ut orandi concepit propositum, *in se reversus est, in se ante redit, ut rediret ad patrem, qui a se ante recesserat, cum recessit a patre* (2), et dixit: Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, et ego hic fame pereo? Surgam et ibo ad patrem meum. (3) *Jacebat, qui dixit: Surgam: intellexit lapsum, sensit ruinam*: et patrem rogans, et ab illo veniam postulans, cœpit hominis recuperare figuram. Et surgens venit ad patrem suum: *Surrexit iste mentis et corporis de ruina*; et de pecore in hominem transfiguratum filium pater vel a longe cognoscit; 2. Oratio de animali transfigurat in Angelum; ut in superioribus satis superque probatum est; tandem, 3. Hominem transfigurat in Deum: ut enim ait D. Joannes Damascenus, *oratio est transformatio hominis in Deum.* Quapropter, Fratres, *accedite ad Deum et illuminamini* (4): nam, ut expendit Theodoretus, qui per orationem ad Deum accedit, æternæ lucis radios suscipit sicut Moyses, cœlestium amore suscenditur, de pecude transfiguratur in hominem, de homine in Angelum, imo et in Deum, et per orationem terra cœlum æmulatur. (5) *Qui de terra est, terrena loquitur, et qui de cœlis adest, quæ vidit, ea loquitur.* (6) Homo simul sapit cœlum et terram: cœlum ratione animæ spiritualis et immortalis, terram, ratione corporis perituri et materialis. Ut enim fatur Tertul. *ex interpretatione figurata carnis et spiritus, nos sumus cœlum et terra.* (7) Mirum non est quod animæ justæ a corporibus separatæ cœlestia sapiunt: sed omni est stupore dignissimum, quod animæ in corporum carceribus inclusæ: imo et ipsi homines ex materiali et terreno corpore compositi, cœlicolarum æmulentur officia: quod probe exsequuntur media oratione. Siquidem *oratio est officium Angelorum, omnium spirituum alimentum, futura lætitia, actio sempiterna.* (1) Quid enim in cœlo faciunt Angeli quod in terra non agant orantes? Angeli Deum contemplantur, Dei laudes decantant, incessanter Deo gratias agunt. Orantes Angelorum præstant officium, 1. Contemplatione et meditatione; 2. Psalmodia et decantatione; 3. Continua gratiarum actione.

1. *Contemplatione angelicorum luminum* (2) cognoscitur et amatur Deus; Angelorum contemplationem æmulantur homines meditatione; qua Dei magnalia inquirunt, et inquirendo magnifaciunt et diligunt. Ut enim fatur ipsemet Deus apud D. Augustinum, *cum me inquiris, me acquiris.* (3) Homo autem potest inquirere Deum prædicatione, oratione et contemplatione: quas tribus vocabulis quibus sponsa ab sponso commendatur denotatas vult D. Bernardus: « Etenim merito amica dicitur, quæ sponsi lucra studiose ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando, conquirit: merito columba, quæ pro suis delictis in oratione gemens et supplicans, divinam sibi non cessat conciliare misericordiam; merito quoque formosa, quæ cœlesti desiderio fulgens supernæ contemplationis decorem se induit, horis duntaxat quibus commode et opportune id potest. » (4) Lectio qua homo inquirit Deum non est culpanda, modo spiritum orationis non exstinguat. *Advertite illud, vos qui in transitu oratis, qui ad legendum fervetis: in orando tepetis: debet lectio orationi servire, præparare affectum, non horas præripere, nec succidere moras.* (5) Oratio est lectione melior, nam, ut subjungit Guerricus, *cum legis, erudiris de Christo; orans vero cum illo familiare seris colloquium; et quanto suavioris est gratiæ, cum illo, quam de illo loqui?* Sed optima est meditatio tantum antistans vocali oratio quam tum oratio lectioni. « Vocem eripit oratio vehemens, et verbis nec eget, nec utitur, quæ puro et pleno fertur affectu: amor in auribus Domini solus obstrepens, corporalium strepitus dedignatur verborum, quæ sicut inchoanti excitamenta sunt, sic impedimenta solent esse perfecte oranti. » (6)

Meditatio autem ultra materiæ meditandæ præparationem, submissam veritatum christianarum fidem, præsentiæ Dei adorationem, devotam corporis compositionem; ad suum complementum tria desiderat: nimirum attentam mentis cogitationem, ardentem voluntatis affectionem, et conformem consi-

(1) D. Chrysol. 2. — (2) Chrysolog. — (3) Luc. 15. — (4) Chrysol. Serm. 2. — (5) Ps. 38. — (6) Tert. L. de Orat. 1. — (7) Tert. L. de Orat. 4.

(1) Climac. Grad. 28. — (2) Tert. L. adv. Valent. 17. — (3) Orat. de 5. Hæres. — (4) Serm. 57. in Cant. — (5) Guerr. Serm. 7. in Cant. — (6) Gilbert. Serm. 23. in Can..

derationi et affectioni operationem : attenta cogitatio requiritur. *Orationi sanctæ sancta meditatio necessaria est, et omnino oratio perfecta nequit esse sine ea : oportet enim eam comitetur atque præcedat.* (1) Ad quod nos urget ipsemet Deus apud Regium Vatem: *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus.* (2) Hunc Prophetæ locum varie Patres interpretantur : Remigius quidem : « Vacate id est, vacui estote unde pleni estis, implemini unde vacui estis. Quasi dicat : Evacuate saccos vestros palea, et implete eos granis : et sic videte quoniam ego sum Deus. » Paleæ sunt mundi cogitationes, domus sollicitudines, filiorum teneritudines, aliæque hujusmodi terrenorum affectiones, quibus evacuanda est mens, ut Dei consideratione repleatur : D. Basilius aliter præfatum expendit locum, aiens : *Is qui passionibus vacat, capax est notitiæ Dei.* (3) Passiones enim meditationem et Dei notitiam impediunt ; unde qui meditationi operam dare desiderat, curam suam adhibere debet ad passiones, vel exstirpandas, vel saltem frænandas. Tandem D. Augustinus sic versat Prophetam : *Agite otium, et cognoscetis quoniam ego sum Deus.* Hæc autem actio otiosa, seu otium actuosum, est mentis operatio divinas perfectiones attente considerans, quæ nuncupatur a D. Ambrosio *magnum et nogotiosum silentium.* (4) Silentium passionum, quæ frænantur, ne impediant meditationem ; silentium creaturarum, quæ abjiciuntur, ne mentem in Dei contemplatione occupatam distrahant : quæ sæpe sæpius *in ipso suæ orationis ascensu, dum elevari ab infimis nititur, infimorum phantasmate reverberatur.* (5) Silentium negotiosum : nam mens ab infimorum phantasmamatibus et passionum perturbationibus libera, tota in divinorum meditatione occupatur : ad instar Deiparæ, quæ cuncta Jesu verba sedulo conservabat, *conferens in corde suo.* 2. In meditatione, ardens voluntatis dilectio lucidam comitatur mentis considerationem. *Sol ignis.* (6) In sole calor nunquam ab ejus luce separatur. Non absimiliter *in meditatione exardescet ignis* voluntatis: namque ardor intellectus sequitur lumen : nam, ut fatur dubius Augustinus, « meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, devotio commendat orationem: meditatione assidua homo ad cogitationem suam illuminatur, in compunctione ex consideratione malorum suorum ducitur, sed occulto, sed magno cordis dolore tangitur. » (1) Imo, ut fatur indubitatus Augustinus, elucidans istud davidicum : Lex tua meditatio mea est : *hæc meditatio amantis est cogitatio : et tantum amantis, ut charitas non frigescat hujus meditationis suæ, quantalibet abundantia constipetur iniquitatis alienæ.* (2) Tandem ad perfectam meditationem requiritur, 3. Operatio mentis considerationi, et voluntatis affectioni conformis. Meditationem hujusmodi nuncupat Gregorius Nazianzenus *actionem divine otiosam, et otium mirabibiter actuosum.* (3) A Regio Vate beatus vir prædicatur, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, *sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* (4) Ubi Propheta desiderat, non nudam et otiosam divinæ legis meditationem, sed adimplendæ legis divinæ affectionem, et actuosam ejus operationem. Quomodo Prophetam Origenes interpretatur : « Meditatur legem Domini die ac nocte, non qui verba legis sine operibus ejus memoriæ mandat, sed qui meditando pervenit ad opera ipsis consentanea, donec per assiduam operum legis meditationem promptus efficiatur ad præstanda omnia, quæ secundum legem perfecte viventi conducunt. Sic enim fieri potest ut quis tota die ac nocte legem Dei meditetur. » (5) Unde paucis interpositis perfectæ orationis gnome concludit : *Dum omnia facit secundum rationem, ita ut omnis actio sit oratio.* Eodem modo ibidem ratiocinantur Patres græci, dicentes apud Corderium : *Meditatio est quidam usus et exercitatio actionis,* ad actionem enim ordinatur ; ita ut proficua meditatio sit boni operis matrix, pignus et obses, et econverso bonum opus sit meditationis fructus et stipendium. Quod intendere videtur Propheta, qui postquam prædicavit beatum virum die ac nocte in lege Domini meditantem, statim illum prodit *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Ad praxim scilicet redigens proposita, quæ in meditatione concepit, et producens operationes mentis cogitationibus et voluntatis affectionibus conformes, æmulans Angelorum negotium, qui in cœlo Dei laudes incessanter decantant.

2. *Illa Angelorum circumstantia non cessant dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* (6) De Seraphinis loquitur Tertullianus, qui in

(1) D. August. Lib. de Orando Deo. — (2) Psal. 45. — (3) In Caten. Pat. Græcor. — (4) Lib. Offic. 4. — (5) D. Greg. L. 8. Mor. 3. — (6) Tert. L. de An. 8.

(1) Lib. de Spirit. et An. cap. 50. — (2) Serm. 19. in Ps. 118. — (3) Orat. 21. — (4) Psal. 1. — (5) Caten. Pat. — (6) Tert. L. de Orat. 3.

cœlo thronum Dei circumstant, ejusque laudes indesinenter decantant. Idem negotium pertractant cæteri Angeli, quos ideo D. Bernardus vocitat *cœli cantores*. (1) Christiani in terra degentes Angelorum æmulantes officium, Deum laudibus et psalmis celebrant. D. namque Dionysius psalmorum cantum nuncupat *religionis et divini cultus symbolum*. (2) Ex D. Augustino, *psalmus Angelorum opus, cœlestis respublica, spirituale ornamentum*. (3) Ad psallendum Christianos hortatur Tertullianus, ut Angelorum officium præpropere discant et exsequantur. *Proinde igitur et nos Angelorum, si meminerimus, canditati, jam hinc cœlestem illam in Deum vocem, et officium futuræ claritatis ediscimus*. Illorum instar divinas decantantes laudes. «De hoc cantu totum quod agitur, spectat ad gloriam Creatoris. Merito Propheta omnes et omnia ad laudem Dei cuncta gubernantis, hortatur (4), dicens: «Omnis spiritus laudet Dominum.» (5) Neque solum spiritus cœlestes psallunt, sed etiam aves irrationales Dei laudes decantant. Idcirco *imitare, Frater, minutas aves, mane et vespere Creatori gratias referentes, et si es devotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurrit*. (6) Luscinia spiritualis est Christianus pietate præditus, qui, non solum die Deum laudat, *sed etiam per noctem exsurgit oratum*. (7) Ad nocturnam illam harmoniam Eustochium hortatur D. Hieronymus: *Esto cicada noctium*. Lusciniæ spirituales, sunt præsertim regulares die noctuque in choro psallentes ad instar Christi Domini, qui tum de die, tum de nocte deprecatus est Patrem: *De voce autem nocturnæ orationis ad Patrem, manifeste psalmus: Deus meus, clamabo per diem, et exaudies; et nocte, et non in vanitatem mihi*. (8) De diuturna diurnaque regularium psalmodia disserit Gilbertus Abbas: «Inter psallendum quanta est disciplina in corpore, et quam major quorumdam in mente: dum ne ad modicum, vel certe tantum ad modicum, a sensu verborum illam sinunt abire? Nam ibi, id est, in ipsis quæ cantantur verbis, aut ligatam tenent mentem, aut ad cognata relaxant, ad peregrina nequaquam. Quod si contingit (fugax est enim mens humana), quanta statim castigant censura, et moræ hujus usuras a se reposcunt! Sed ipsa communium horarum intervallo nocturna vacant. Bone Deus, hora illa noctis, quam sine nocte est! quam nox illa illuminatio in deliciis!» Et belle ad propositum fatur Guerricus Abbas: *Lucere nos necesse est, coram Angelis per operationem, coram Deo per intentionem; lucerna nostra coram Angelis est pura devotio, cum in conspectu Angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter*. (1) Orationem et psalmodiam hujusmodi tanquam sibi gloriosam, pergratam habet Deus. *Sacrificium laudis honorificabit me*. (2) Illam tanti faciunt Angeli, ut, teste Regio Propheta, in templis sacris libentissime canentium choris se adjungant. *Prævenerunt principes, conjuncti psallentibus*. (3) Quare D. Bernardus religiosos in Ecclesia psallentes sic admonet: *Attendite principes vestros, cum statis ad orandum vel psallendum, et state cum reverentia et disciplina*. (4)

Illa autem inter psallendum reverentia et disciplina debet esse devota, attenta et modesta: 1. Devota, ut potius in ea quæratur devotio et cordis affectus, quam effeminata vocis suavitas ad delectandas audientium aures. Unde in rusticum monachum effeminate canentem acriter invehit D. Hieronymus: 1. *Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur*. (5) 2. Attenta. Multorum cantus et psalmodia, vilium rerum cogitatione depretiatur; quorum mens vanissimis imaginibus, et in mundanarum rerum affectu volutatur: nam, ut fatur eloquenter Chrysologus, *ad longinquam diaboli regionem anima est peregrina, non loco: et vanis pervagata cogitationibus, necnon est corporis motibus jactata per terras: namque coram Patre orat: et cum in se esset, non erat secum* (6), stulta et inutili peregrinatione a se et a Deo exsulans. *Ego spiritus angelicos, et si qui inter homines illorum æmuli sunt, quosdam velut colles thuris interpretor, quorum oratio quasi incensum dirigitur semper in conspectu Dei: qui devotionis suavissimos vapores gignunt, cœlestium glomerant nubes affectuum*. (7) *Sacra Divinitas* (8) omnibus quidem præsens est mentibus, non tamen ei præsentes sunt omnes mentes. Sunt enim quidam homines quorum animus turbam omnium cogitationum et affectionum suscipit, non secus ac taberna, et diversorium homines excipit, et jumenta stabulat, uti rusticorum prædia omne genus servitu-

(1) Serm. 7. in Cant. — (2) Lib. de Eccles. Hier. — (3) Proæm. in Ps. — (4) D. August. L. de utilit. et cantu Psal. — (5) Psal. 150. — (6) D. Ambr. Serm. 43. — (7) Tert. L. 2. ad Uxor. 5. — (8) Tert. L. 4. ad Marc. 13.

(1) Serm. 1. Purif. — (2) Psal. 49. — (3) Psal. 67. — (4) Serm. 7. in Cant. — (5) Epist. 4. — (6) Serm. 5. — (7) Gilbert. Serm. 28. in Cant. — (8) D. Dion. c. 3. de Div. Nom.

tum admittunt; iter, actum, viam, aquæductum : *iter* (1) est jus homini commeandi in alienum prædium; *actus* agendi jumenta : *via* etiam vehicula inducendi ; *aquæductus* aquæ derivandæ. Ita in multorum cor tot servitutibus obnoxium, et humana se ingerunt negotia, et affectiones contrariæ rationi, ut equus et mulus commeant, et nugarum vehicula inducuntur, et sæpe sæpius fœdæ putentesque cloacæ defluunt. Qui divinas laudes volunt decantare, animum ab omnibus illis impedimentis purgent et expediant, revocent mentem vel in domum, quæ per infinita curiosissime et inanissime vagatur ; cordis tumultum sedent, ut vim omnem et devotionem ad Dei cultum et venerationem afferat. Qui sic *animorum habitus concinne et apte componere* (2) student, sunt Deo præsentes, secumque deferunt templum, seu domicilium pietatis, cui Deus præsens est : tranquilla mente psallunt; *cubiculum cordis* (3); seu, ut fatur D. Ambros. *interiorum secretum* (4), tanquam interius animi penetrale sedulo custodiunt, ne ullis turbetur terrenorum imaginibus. *In plateis et in triviis, suum pietas habet secretum.* (5) Nam sive psallant in choro, sive in templo, sive in publico, processionaliter incedentes, habent secretum in quod nihil introeat profanum : in triviis et plateis, velut in delubro sacro versantur ; oculos mentis in Deum præsentem injiciunt, illum suis cantibus mirantur, laudant, honorant. Tandemque, 3. Psalmodia debet esse modesta, ita ut, non solum secum habeat annexam mentis attentionem, sed etiam corporis compositionem. Hanc modestiam debent sibi, ut pietatis suæ existimationem ingenerent : adstantibus, ut eis exemplum et ædificationem præstent; Deo, ut ejus præsentiam et majestatem honorent; Angelis, ut eos ad secum psallendum incitent. Etenim *Angeli psalmodiæ libenter intersunt, si ordinata sit et ex devotione procedat.* (6) Qui vero voce effeminata, mente vaga, immodesto corpore psallunt, cantus solutione, mentis evagatione, corporis immodestia, sese depretiant, adstantes scandalizant, Angelos propulsant, Deum inhonorant. *Eo apponitur et irreverentiæ crimen, etiam nationibus, si quid saperent, intelligendum. Siquidem irreverens est assidere sub conspectu contraque conspectum ejus quem quammaxime reverearis ac venereris : quanto magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adstante, irreligiosissimum est* (1) inverecunde, immodeste, scandolose et impie supremi Numinis decantare laudes? Absit, Fratres, ut illorum exemplum sequamur ! *Atqui cum modestia et humilitate adorantes magis, commendabimus preces nostras* (2), et Angelorum æmulantes cultum, Deo gratias agemus.

3. *Meminimus gratiam debere nos Deo, Domino, creatori* (3), pro tot acceptis ab eo naturæ et gratiæ beneficiis : sic enim æmulabimur Angelorum officium, qui continuas Deo gratias agunt, indesinenter decantantes : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in secula seculorum* (4), et suo exemplo nos ad reddendas Deo gratias invitant. Profecto jugis gratiarum actio est vitæ cœlestis inchoatio : stimulus ad prosequendum in cœlum iter et tacita Dei invocatio, quæ novam ac continuam ab eo gratiam elicit et provocat : et, ut ait D. Chrysostomus, *optima beneficiorum custos est, ipsa memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum confessio.* (5) Aliorsum (6) integrum tractatum de gratitudine tradidimus, nunc autem gratiarum actionem desideramus, velut psalmodiæ et orationis individuam comitem. Psalmodiæ quidem : *Psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper Domino, in nomine Domini nostri Jesu Christi ?* (7) Uti enim qui Dei laudes decantant, ei gratias agunt, ita, ait D. Augustinus, *si non laudaverint servi Dominum, ingrati, irreliogiosi erunt* (8), orationis etiam, quapropter declaravit Christus leprosum in anima et corpore sanatum *hominem quodam peccatorem verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum ; orationem scilicet et gratiarum actionem apud Ecclesiam* (9); quasi oratio cum gratiarum actione reciprocetur, vel saltem eam inseparabiliter comitetur. Quod pluribus in locis innuere videtur Apostolus. Sic enim ad Colossenses scribit : *Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione.* (10) Sic hortatur Thessalonicenses : *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* (11) Ubi Theophylactus : « Iter monstrat quo fiat ut semper gaudeamus, orationem nimirum quæ non cesset, atque gratiarum actionem : qui enim assuevit cum Deo versari, eique gratias agere in omnibus rebus, tanquam utiliter contin-

(1) C. de servi. præd. L. 1. — (2) D. Dion. c. 3. de Hier. Eccl. — (3) D. Hil. Can. 5. in Matt. — (4) Lib. de Inst. Virg. 1. — (5) Chrysol. Serm. 9. — (6) Pet. Bles. Ep. 78.

(1) Tert. L. de Orat. 12. — (2) Tert. L. de Orat. 13. — (3) Tert. Apol. 42. — (4) Apoc. 7. — (5) Hom. 26. ad popul. — (6) Tert. Præd. tom. 3. — (7) Ephes. 5. — (8) In Psal. 134. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (10) Cap. 3. — (11) 1. Thessal. 5.

gentibus, planum est quod perpetuum sit gaudium habiturus. » Beati in patria gaudent, quia Deum in via indesinenter oraverunt, gratiasque ei egerunt, et etiam nunc in cœlo, pro nobis orant, Deo pro beneficiis acceptis grates rependunt, et sua gratitudine nos ad gratiarum actionem succendunt. Ad quod adhuc stimulamur more Ecclesiæ solito, Regii Prophetæ vaticinio, Christi exemplo.

Ad orationem et gratiarum actionem Christianos stimulat Apostolus : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* (1) Obsecrationes, orationes et postulationes idem esse vult D. Chrysostomus; illas vero cæteri Patres discriminant. Ex quorum mente *obsecrationes* sunt supplicationes, pro remotione malorum, ut iis liberemur; *orationes* sunt petitiones bonorum, ut ea nobis adveniant; *postulationes* sunt interpellationes pro nostra vel aliorum salute; *gratiarum actiones* pro bonis quæ nobis obvenerunt, Deo offerentur. Hoc autem loco præsertim loquitur Apostolus, de oratione publica et communi, qualis est missa et litania. Unde Sanctus Augustinus, *obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones* (2) ad missæ liturgiam refert : ita ut « *obsecrationes* sint Confiteor, et aliæ orationes missæ, quæ fiunt ante consecrationem, in quibus est frequens deprecatio et obsecratio, per Christum et alias res sacras; *orationes* vero sint ea quæ sunt sub consecrationem : græcum enim significat orationem, quæ fit cum oblatione, qualis est in consecratione, vel voto; *postulationes* fiant post consecrationem, scilicet cum sacerdos post consecrationem pro seipso, pro vivis et defunctis beneficia postulat; quibus peractis participato tanto sacramento, *gratiarum actio* cuncta liturgiæ et missæ mysteria concludit. » Verum, pace tanti Doctoris obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones, in quavis missæ parte fieri possunt. Sacerdos enim nunc obsecrat, nunc orat, nunc postulat, nunc gratias agit. Imo D. Thomas in eadem collecta vult reperiri orationem, gratiarum actionem, postulationem et obsecrationem : *orationem*, quæ est ascensus mentis in Deum; ut cum dicitur : *Omnipotens sempiterne Deus; gratiarum actionem*, cum subditur : *Qui infirma mundi eligis*. Hanc sequitur *postulatio*, cum additur : *Præsta quæsumus*; quæ omnia concludit *obsecratio* per res sacras, subjungens : *Per Dominum nostrum Jesum Christum*. Potissimum Ecclesia per sacerdotes nomine omnium Deo quotidie gratias agit, jubetque ut singuli idipsum agant, dum in præfatione missæ vult ab omnibus vel devote cantari et recitari, vel pia mente audiri : « Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere. » Et merito Ecclesia in missæ mysterio fideles ad gratiarum actionem provocat : nam *quod est sacratius laudis sacrificium quam in actione gratiarum; et unde majores agendæ sunt gratiæ Deo, quam pro ipsius gratia per Jesum Christum Dominum nostrum? quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio faciunt* (1), ad quod nos stimulat adhuc Regius Propheta suo vaticinio.

Regius Vates in gratitudinis monumentum, multos scripsit psalmos eucharisticos, seu gratiarum actionis, et quærens modum perfectæ gratitudinis : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Respondet statim : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* (2) Magnus Basilius et D. Cyprianus volunt Prophetam loqui in persona martyrum, qui calicem quem in sua passione bibit eisque propinavit Christus, de ejus manu læto animo suscipientes et constanter martyrium pro ejus nomine subeuntes, retribuunt illi cruciatum pro cruciatu, dolorem pro dolore, sanguinem pro sanguine, mortem pro morte : Chaldæus interpretatur calicem de quo loquitur Propheta poculum æternæ felicitatis, quod expostulat, ut simul cum cœlicolis Deo in æternum gratias agat. Alii existimant quod cum David vix inveniat quid Deo pro tot ac tantis beneficiis retribuat, addit alicujus gratitudinis loco et beneficiis acceptis se gratanter usurum, et nova semper beneficia in oratione petiturum, unde subdit : *Et nomen Domini invocabo;* quod Biblica phrasi orationem insinuat. Licet enim oratio res videatur, non accepti beneficii, sed accipiendi, beneficium enim acceptum, non orationis, sed gratitudinis, negotium est : attamen dum humanæ preces Dei benignitatem sollicitant, precandi lenocinio, non solum futuras gratias extorquent, sed quadam precum officiositate, pro retro acceptis beneficiis gratitudinem repensant : *Justum est ut quod a te, Domine, accepimus, prece saltem et voce solvamus.* (3) Unde Propheta prece, Deo solvit beneficia, quæ eo usque cumula-

(1) 2. Ad Timoth. 2. — (2) Epist. 59. ad Paulin. qu. 5.

(1) D. August. L. 1. Cont. Advers. leg. 18. — (2) Ps. 115. — (3) Ennod. in Bened.

tius acceperat, invenitque in oratione quid rependeret, quod neque in naturæ censu, neque in regia opulentia repererat : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* (1) Verum alludere videtur Propheta ad altaris mysterium, quod est sacrificium eucharisticum, in quo sacerdos orans nomine adstantium, gratias Deo agit, ad instar Christi, qui suo exemplo, ostendit gratiarum actionem esse orationis sociam et comitem.

Christus Dominus quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millia in deserto pasturus, conjectis oculis in cœlum, gratias Deo egit, panesque benedixit : atque hac prece et gratiarum actione, quasi vim multiplicandi et nutriendi elicuit, ut pauci panes tot millia satiarent hominum. Instituturus quoque Eucharistiam per multiplicationem panum præfiguratam, gratias agens Patri, ab eo petiit et impetravit virtutem transsubstantiandi panem in suum corpus, et vinum in suum sanguinem : instituitque præstantissimum novæ legis mysterium, et optimum gratitudinis medium quod ideo dicitur Eucharistia, id est, gratiarum actio, ut D. animadvertit Chrysostomus.(2) Tandem Dominus Lazarum suscitaturus, *elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi quia audisti me : ego autem sciebam quia semper me audis.* (3) Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Novum prorsus orandi genus, quod Basilio Seleuco admirationem ingenerat. *Quis tanquam nihil ante præfatus orationis tale cepit initium ? gratias ago tibi, inquit, quia audisti me ?* (4) Stuporem adhuc Basilio incrementat modus agendi Salvatoris, qui post orationem non dixit : In nomine Patris mei prodi ; neque : Pater, eum vitæ restitue. *Sed his omissis omnibus, in speciem precantis compositus, rebus ipsis, auctoritatem manifestat*, ostentans supremam qua pollebat auctoritatem. Magnam orationis cum gratitudine conjunctæ efficaciam et virtutem. Supremamque Christi auctoritatem eloquenter colligit Chrysologus illustrans Evangelistæ verba : « Elevatis, inquit, oculis sursum. » *Elevat oculos sursum, ut nobis formam supplicandi tribuat, non sibi viam præparet impetrandi : namque sursum respicit, qui semper est sursum cum Patre, semper Pater in ipso est, et ipse est semper in Patre.* (5) Pater, inquit, gratias tibi ago quia audisti me : *de præstito agit gratias, et quod Pater audierit, hoc dicitur : quod Filius petierit, hoc tacetur. Fratres, inter Patrem et Filium audiendi est affectio, non est necessitas supplicandi : charitas assensus est, non est austeritas jussionis : ibi amore geruntur omnia ubi non indigetur obsequio :* Ego autem sciebam, quia semper me audis. *Vacat invocandi cura ubi fiducia certa est audiendi ; aut quid ibi facit petendi labor, ubi præstandi est causa communis ? Nemo ergo sic filium minoret precibus, ne Patrem circa salutem hominem sic minoret. Quare sic loquatur filius, ipse aperit.* Sed propter populum dixi, qui circumstat. *Videtis quia loquendo talia, suum patrisque affectum extollit, prodit, pandit gratiam. Dixerat : Omnia quæ habet Pater mea sunt*(1) *et si sua sunt omnia, quomodo petit ? Qui de suo petit, quod petit, non necessitatis est, sed amoris.* Ut credant quia tu me misisti. *Missum se dicit, ut populi sciant de cœlo venisse Christum, non recessisse de cœlo. Sic ergo mittitur, sic et quod habet, accipit, quomodo unde venerat non recessit. Sic ergo et Filius quod habet accipit, et Pater quod dederit, non avertit. Fratres, et quod auditur, et quod mittitur, et quod venit, et quod accipit, et quod nascitur, et quod patitur, et quod moritur, et quod resurgit, non est hoc divinitatis suæ, hoc infirmitatis est nostræ, nostræ est hoc naturæ. Quod tamen totum causa nostri tulit in nostro corpore, non propter se in sua pertulit majestate.* Fuse declarat Chrysologus eamdem Patris et Filii potentiam, et in audiendo preces et beneficia largiendo auctoritatem. Quod paucioribus dicit D. Chrysost. (2) animadvertens quod Marthæ aienti : Quidquid poposceris a Deo, dabit tibi Deus : dixit ei Jesus : Resurget frater tuus : *illud primum confutat :* Quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. *Non enim, inquit, poscam, sed resurget. Nam si dixisset : A meipso omnia facio, molestiora et supra mulieris intelligentiam fuissent : dicendo autem : Resurget, medium tenuit.* Magnam orationis cum gratiarum actione conjunctæ efficaciam et virtutem prodit Origenes, considerans Christum in habitu orantis, ante orationem Patri gratias agentem, quasi jam impetrasset quod necdum postulaverat. *Sed præveniens illius orationem, qui solus bonus Pater est, exaudivit dicenda. Pro impletione igitur orationis, subdit gratiarum actiones, dicens : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me*

(1) Psal. 115. — (2) Hom. 26. in Matth. — (3) Joan. 11. — (4) Orat. 42. —(5) Serm. 65.

(1) Joan. 16. — (2) Hom. 61. in Joan.

Admiranda sane Patris liberalitas, qui præveniens rogaturum, quæ sunt in oratione dicenda, præpropere audit; nec minus stupenda gratiarum actio, quæ orationis virtutem perficit et consummat, ac si gratiarum actio sit orationis complementum; neque satis completa sit oratio nisi a Deo dona postulans, gratiarum actione adintegretur et compleatur: quare ex defectu gratitudinis persæpe oratio petita a Deo non obtinet: *Propterea oratio nostra sæpe repellitur, et hoc ipsum pia dispensatione fieri existimo, ne qui de perceptis beneficiis ingrati fuimus, ex nova largitione cœlestium munerum, graviore culpa ingratitudinis oneremur. Cum enim Deus beneficium perditum reputat, quod non prosequitur actio gratiarum, nobis expedit non exaudiri potius quam ad cumulum damnationis nostræ, ingratitudinis materiam, obtinere quod petimus.* (1) Fugiamus, Fratres, ingratitudinem quæ orationis impedit efficaciam; studeamus gratiarum actioni, quæ precibus dat integritatem et complementum; vacemus meditationi, psalmodiæ et gratitudini: sic æmulabimur cœlicolarum officium, et merebimur cum illis aliquando conjungi, ut simul contemplantes, psallentes et gratias agentes, Deum laudemus, et honoremus per totas retro æternitates.

CONCIO TERTIA.

Quomodo *carnalia sacrificia reprobata intelliguntur, de quibus et Isaias loquitur, dicens: Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus: ita sacrificia spiritalia accepta prædicantur, ut prophetæ annuntiant.* (2) Inter sacrificia illa spiritalia non minorem dignitatis locum tenet oratio: tum quia sicut vetera sacrificia nequaquam Deo placebant, sic *oratio est sacrificium et oblatio Deo acceptissima* (3): tum quia quæ dignior est oblatio in sacrificio facta, eo nobilius est sacrificium: oratio autem sacrificat corpus Dei manu formatum et honoratum: animam Dei imagine nobilitatam, mentem visionis Dei capacem, et cor quod Deo solo satiari potest; tum quia virtualiter continet sacrificia veteris legis, estque simul et semel sacrificium, 1. Laudationis; 2. Expiationis; 3. Imperationis.

I. PARS. *Quod non terrenis sacrificiis, sed spiritalibus Deo litandum sit, ita legimus ut scriptum est: Sacrifica Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Sic itaque sacrificia spiritalia laudis designantur.* (1) Et, ut fatur D. Cyprianus, *agnoscit Pater Filii sui verba, cum precem facimus; qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce.* (2) Quæ autem sint illa spiritalia laudis sacrificia, declarat aliorsum Tertullianus, *gloriæ scilicet relatio, et benedictio, et laus, et hymni* (3); quæ Deo offeruntur in oratione. Ut autem hujusmodi oblatio sit Deo grata, debet esse munda, et ut sit munda, adsit necesse est, 1. Animæ sanctificatio; 2. Mentis attentio; 3. Cordis devotio.

Sacrificium nomini meo offertur, et sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientia pura. (4) Sacrificium illud mundum, et orationem de conscientia pura, debet immolare Christianus præsertim ob quatuor rationes: 1. Ob divinæ Majestatis honorem; 2. Sanguinis Christi valorem; 3. Orantis bonum; 4. Orationis dignitatem. 1. Divina Majestas orationis sacrificium mundum efflagitat, quæ cum sit purissima, nihil magis eam decet quam puritas. « Honor siquidem summi est illum venerari et imitari: imitaris si pius es; templum enim sanctum est Deo mens pia, et altare optimum. Cor ejus veneraris, si misericors es, sicut ipse omnibus misericors est: hostia siquidem acceptabilis est Deo, facere bonum omnibus. Pro Deo fac omnia sicut Filius Dei, ut dignus sis eo qui te dignatus est filium vocare » (5) Si autem conscientiam habes coinquinatam, immundum offeres sacrificium, Deum non honorabis tuis orationibus, neque filii nomine dignus eris. Quomodo enim in Oratione Dominica dicere potes: *Pater noster* (6), cum sis gratia denudatus, peccatis contaminatus? Quomodo potes dicere: *Qui es in cœlis*, cum nullo modo de cœlo recogites, et cogitatione et affectione totus terræ adhæreas? Quomodo *sanctificetur nomen tuum*, quod tuis juramentis et blasphemiis continuo lancinaris? *Certe nihil prodest malis sacrificium laudis, quia assumunt testamentum Dei per os suum, et faciunt damnanda quæ displicent oculis ejus.* (7) Quomodo *adveniat regnum tuum*, cum Deum e corde tuo ejicias, neque illi sacrificium justitiæ offeras? *Ubi putas sacrificium justitiæ sacrificari, nisi in templo mentis,*

(1) D. Bern. L. 3. de Amor. Dei cap. 20. — (2) Tert. L. adv. Jud. 5. — (3) Guill. L. de Reth. Div. c. 47.

(1) Tert. L. adv. Jud. 5. — (2) De Orat. Dom. — (3) Tert. L. 3. adv. Marc. 22. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 1. — (5) D. Bern. de Cogn. hum. cord. c. 6. — (6) Matth. 6. — (7) D. Aug. in Ps. 49.

vel in cubilibus cordis ? ubi autem sacrificandum est, ibi et orandum. (1) Ut autem quis possit in corde suo offerre Deo sacrificium justitiæ, debet habere cor mundum, ut in eo habitet Deus : quare *supplicaturus interiora tua munda, et inde omni mala cupiditate depulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum, et ita age ut templum Dei sis ; ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.* (2) Scelerose peccator, in te non habitat Deus, non enim es ejus templum a sordibus expurgatum, sed potius diaboli habitaculum criminibus turpatum. Quomodo dicis : *Fiat voluntas tua*, cui continuo resistis, cujus mandata contemnis ? *Quicunque manibus operatur opera bona, psallit Deo ; quicunque ore confitetur, cantat Deo : cane ore, psalle operibus.* (3) Tantum abest ut manibus et operibus Deo psallas, quin immo depravatis tuis moribus, et scelerosis operibus Deum maledicis. *Immola Deo sacrificium laudis, sed vide si jam securus sis: et forte lingua tua Deum benedicat, et vita tua Deum maledicat.* (4) Quomodo vales postulare : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, tu qui habendi cupidine æstuas, neque propriis contentus bonis, injuste aliena rapis ? Quomodo *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus*, tu qui inimicitias perpetuas foves, neque unquam a desiderio ultionis cessas ? Verum *duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quisque possit quod postulat : nempe si adhuc homo mala committit, aut si peccanti in se ex toto corde non dimittit.* (5) Quomodo subjungere audes : *Et ne nos inducas in tentationem*, tu qui indesinenter tentationibus occurris, et diaboli tyrannidi obsequeris ? *Quid prodest Deum invocare, quem operibus negas ?* (6) Tandem quomodo orationem tuam concludis, *sed libera nos a malo*, qui tibi tot mala et damna irrogas ? *Orantes non infructuosis, non nudis precibus ad Dominum veniant : inefficax petitio est, cum precatur Dominum sterilis oratio.* (7)

Temerarie Orationem Dominicam dicit peccator : *Ad Dominum vita pulsat, vitæ aperitur, corde petitur, corde quæritur, corde pulsatur, cordi aperitur.* (8) Quapropter, Christiani, ut mundum orationis offeratis Deo sacrificium, *prius curate ut sitis filii Dei per charitatem et gratiam ; inde ultro offerte holocaustum orationis* (1): deinde ducite vitam filiis Dei congruam : *Hoc, mi frater, statue in vita tua, ut orationem tuam puram offeras Domino.* (2) Bonis semper vaca operibus. *Nimirum verba devotæ orationis, adjuvat manus piæ operationis* (3) : magisque vita quam lingua laudate Deum. Nam *qui Deum laudat lingua, non semper potest ; qui moribus Deum laudat, semper potest.* (4) Tandem Deum hymnis, psalmis, orationibus, bonis moribus laudate in hoc seculo, ut in æternum illum laudare valeatis in cœlo. *Lauda et benedic Dominum Deum tuum per singulos dies, ut cum finiti fuerint singuli dies, et venerit sine fine unus dies, eas ex laudibus in laudem, ex virtutibus in virtutem* (5) : quod ut assequaris necessaria est orationi conscientia pura, tum ut Dei Majestas digne honoretur ; tum, 2. Ut sanguinis Christi valor demonstretur.

Judæi *conscientia patrum hæreditarii rei* (6) ob sanguinis dominici effusionem, *nec extollere manus ad Dominum audent, ne exclamet aliquis Esaias, ne exhorreat Christus.* Christi cruore cruentatas manus ad Dominum attollere non audent Judæi hæreditarii rei patrum suorum, qui in Salvatoris conspirarunt mortem. *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus, et dominica passione modulatum, et orantes confitemur Christo.* Modulatum non sumit ibi Tertullianus pro sonoro cantu aut psalmodia, quia agit de privata oratione, quæ cum submissa fiat voce, musica non constat modulatione, sed sumit modulatum pro imagine, figura, dispositione, corporis modo seu gestu quem præ se ferunt orantes Christiani qui non tantum attollunt manus, sed etiam expandunt, modum, modulum, seu modulatum, imitantes quem exhibuit Christus expensas habens in cruce manus : hic ritus olim observabatur in recitanda in publicis precibus Oratione Dominica, et quotidie observatur a Franciscanis. *Sic orantes confitebimur Christo*, subjungit Tertullianus : tum quia inter orandum profitemur Christum corpore nostro ad figuram Christi crucifixici conformato : *Si statueris hominem manibus expansis, imaginem crucis feceris* (7) Tum quia hoc gestu nos profitemur Christianos et Christi crucifixi sectatores ; tum quia hoc modo nos declaramus paratos ad crucem et mortem pro Christo tolerandam ; tum maxime quia hac

(1) D. August. L. de Magistro. c. 1. — (2) D. August. L. de Ver. Innoc. c. 333. — (3) D. August. in Ps. 91. (4) D. August. in Psal. 49. — (5) D. Bern. L. de mod. ben. viv. c. 49. — (6) D. August. Serm. de Virg. — (7) D. August. de Orat. — (8) De August. Serm. 234. de Temp.

(1) D. Basil. in Psal. 28. — (2) D. August. L. de salut. docum. 28. — (3) D. August. Serm. 10. de Nat. Joan. Bapt. — (4) D. Aug. tra 8. in Joan. — (5) D. Aug. in Ps. 144. — (6) Tert. L. de Orat. 11. — (7) Tert. L. 1. ad Nat. 12.

orantes figura recognoscimus cunctas nostras orationes suum sumere valorem a sanguine quem fudit in cruce Christus. Et quia Judæi non se existimant, neque Christi sanguini redemptos, neque orationes quas efficiunt suum mutuare a Christi passione valorem, non attollunt manus ad Dominum, neque eas ad modum crucis expandunt; nos vero utrumque confitentes, non solum manus attollimus, sed etiam ad Christi crucifixi modum expandimus. *Ipsius enim incessus hominis, cum manus levaverit, crucem pingis.* (1) Christiani inter orandum *levantes puras manus* dominici sanguinis valore rubescunt: nam, ut ait Dubius Augustinus, « ille enim merito ad Deum extollit manus; ille preces bonæ conscientiæ fundit, qui potest dicere: Tu nosti, Domine, quam sanctæ, quam innocentes, quam puræ sint ab omni fraude, et injuria, et rapina, quas ad te expando manus: quam justa, quam incontaminata labia, et ab omni mendacio libera, quibus tibi ut miserearis preces fundo. » (2) Sic loquuntur Christiani, qui mundum Deo offerunt sacrificium, orationem scilicet de conscientia pura. Nam, ut verus ait August. *clamare ad Christum, est gratiæ Christi congruere bonis operibus. Hoc dico ne forte strepentes simus vocibus, et muti operibus.* (3) At, proh dolor! quam multi ad Christum clamant, quorum preces non congruunt gloriæ Salvatoris! quam multi strepunt vocibus, et bonis sunt muti operibus! quam multi expandunt manus ad Christi crucifixi formam modulatas, neque eorum orationes cruore Christi rubescunt! quam multi levant manus non puras, sed inquinatas et sanguine tinctas, quos Deus per os Esaiæ sic alloquitur: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* (4) Et quinam est ille sanguis? Respondet D. Hilarius peccatum: quisnam est ille sanguis? sanguis pupillorum, pauperum, viduarum, plebeiorum, quos ad extremam redegerunt egestatem. Quisnam est adhuc ille sanguis? sanguis Jesu Christi quem iterum suis sceleribus crucifixerunt, ad instar Judæorum, quorum *certe manus semper immundæ sanguine prophetarum, et ipsius Domini cruentatæ.* (5) Zelo sufflammatus Tertullianus acriter insequitur Christianum idolorum artificem. *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire: de adversarii officina in domum Dei: attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum; his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur; eis manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt.* (1) Nonne increpantur his verbis illi qui de diversorio, de comœdia, de lupanari, veniunt in ecclesiam, non ut Deum orent, sed ut orantes scandalizent; qui ad Deum Patrem attollunt manus egenorum, orphanorum, imo unigeniti Filii sui sanguine cruentatas, qui manus immundas et sceleribus contaminatas admovere audent mundissimo et purissimo corpori Christi; qui eadem lingua, eodem ore polluto quo mille spurcitias et blasphemias protulerunt, orare præsumunt? Sacrificio mundo honoratur Deus cui *offerimus et thuris odoramentum quo significantur orationes Sanctorum* (2): *unde et Propheta: Dirigatur oratio sicut incensum in conspectu tuo:* (3) *non cujuslibet, sed justi: nam qui avertit aurem ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* (4) Christiane, si vis ut oratio tua Deo sit grata et non exsecrabilis, sectare animæ puritatem et morum probitatem: sanctimoniam debes et Majestati divinæ, cui offerre debes sacrificium laudis, et sanguini Christi a quo oratio suum mutuatur valorem, et tibi ut de tua oratione fructum reportes.

Suis cultoribus Deus sacrificium laudis, et hoc non quia a nobis tanquam indigens, exspectat laudem, sed ut in ea nobis consulat ad salutem. (5) Trinum autem præsertim reportat bonum, qui anima sanctificata et pura conscientia mundum orationis et laudis offert sacrificium. Nam, 1. Gratiam et sanctitatem incrementat; 2. Gloriam cœlestem sibi comparat; 3. A Deo petita facilius impetrat. 1. Gratiam et sanctitatem incrementat, « quia sacrificium est oblatio Deo sacrata atque dicata, sacrans, sive sanctificans, etiam ipsum offerentem, quæ etiam hac intentione semper offertur, videlicet ut ipse offerens per illam Deo sacretur, sive sanctificetur. » (6) 2. *Si orationem facit ad Dominum, prope est cœlo,* (7) cœlestem sibi comparat gloriam. *Oratio pura cœlorum altitudinem penetrat, et usque ad conspectum divinæ Majestatis ascendit* (8), cujus visione in patria fruuntur, et beantur animæ sanctæ. Non absque merito vult Christus Dominus, ut Christiani dicant: Pater noster, qui es in cœlis: « Hoc nomine et

(1) S. Maxim. Hom. 11. de Cruc. Dom. — (2) 2. Timoth. 2. — Lib. de Vit. Chr. c. 11. — (3) D. Aug. Serm. 18. de Verb. Dom. — (4) Cap. 1. — (5) Tert. L. de Orat. 11.

(1) Tert. L. Idol. 7. — (2) Apoc. 5. — (3) Psal. 160. — (4) Guerr. Serm. 3. de Epiph. — (5) D. Aug. Serm. 3. de Adventu in carnem. — (6) Guiliel. L. de Rethor. Divi. c. 47. — (7) Tert. L. de Exh. Cast. 10. — (8) D. August. Serm. 2. de Orat.

charitas excitatur, quia filiis nihil charius debet esse quam pater, cum homines dicunt: Pater noster; est quædam impetrandi præsumptio, quod petitur, cum etiam ante petitionem, tam magnum donum accipimus, ut possimus dicere: Pater noster. Quid enim jam non det filiis petentibus pater, qui jam hoc ipsum dedit ut essent filii? » (1) Filiis debetur patris hæreditas, justis cœlestis datur hæreditas, ex jure tum filiationis, tum divinæ pollicitationis. Unde D. Chrysostomus expendens istud Matthæi: « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi » (2) ait: *Si ergo sic oras, plurimam profecto accipies mercedem: non ait, denotabit tibi, sed reddet: debitorem quippe se tibi constituit.* Tum justæ retributionis, beatitudinem namque bene operantibus pollicitus est Deus. 1. Cujusmodi sunt, qui orant, *levantes puras manus.* (3) Græca lectio habet *sanctas;* Tertullianus legit *innocuas.* (4) Ut autem animadvertit D. August. *in manibus opera debemus accipere.* (5) Sint igitur orantium manus innocuæ, et ab omni pravo opere immunes, « orent levantes ad cœlestia, non deprimentes ad terrena manus puras a peccatorum sordibus: ne enim confundantur manus ad Deum levatæ, debent et a peccatis esse puræ, et in omnibus exercitatæ. » (6) Sint adhuc orantium manus sanctæ et bonis actibus fulgentes. « Levemus et nos manus nostras ad Deum in prece, et non confundentur manus nostræ levatæ ad Deum, si sese exerceant in bonis operibus. » (7) Qui in oratione impuras levant manus, cœlestem non merentur gratiam. Quibus conveniunt quæ Jacobo dixit caligans Isaac: « Vox quidem vox Jacob est, manus autem manus sunt Esau. » (8) Qui manus Esau habet, et in pravis sese exercet operibus, Filii Dei titulo non gaudet. Nam, ut fatur Germanus Constantinopolitanus expendens Orationem Dominicam: *Quod si voluntatem ejus facimus, Pater noster est; sin minus, cujus opus exsequimur, is pater est.* Idcirco, Christiane, *ea opera festinanter exsequere quæ patri tuo grata sunt; quod si mala opera facis, haud dubie diabolum patrem invocas, hic enim malorum præfectus est.* Operibus discriminantur filii Dei et filii diaboli. Qui male agunt, sunt filii diaboli; qui bene operantur, sunt filii Dei: Diabolus filiis suis nequit dare cœlum, sed infernum; non felicitatem, sed miseriam; Deus filiis suis cœlestem donat beatitudinem, quam ut assequamur, *necessarium est nos, Fratres, precationem nostram non syllabis explere, sed animi magis proposito et actionibus, quæ virtute, omni tempore vitæ nostræ condiantur.* (1) Orationes quæ virtutibus condiuntur, et bonis operibus commendantur, facilius petita impetrant. *Cito ad Dominum ascendunt, quas ad Dominum merita nostri operis exponunt.* (2) Justorum orationes faventibus oculis, et auribus benevolis Deus excipit, eisque cumulatius annuit: *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* (3) Sic humanis precibus divinæ mulcentur aures, ut illis Salviano teste non tantum oranter annuat, sed quodammodo obsequium præstet. *In hoc ait, oculi Domini super justos, esse effectus aspicientis ostenditur, per id quod dicit, divinas aures in precibus esse justorum, nos audientiam tantum Dei, sed quædam quasi obedientia designatur.* (4) Admiranda prorsus orationis excellentia, sed longe magis stupenda, quasi Dei obedientia; justi ne rogant, an imperant? imo rogando velut imperant, et non tam precariam quam prope imperialem orationem fundere videntur, suaque justitia et vitæ innocentis, mirum in modum orationem commendant.

Oratio de conscientia procedit; si conscientia erubescat, erubescit oratio. Spiritus deducit orationem ad Deum: si spiritus reus apud se sit conscientiæ erubescentis, quomodo audebit orationem suam ducere ab illa, de qua erubescente, et ipse suffunditur sanctus minister? (5) Oratio quæ de conscientia scelerosa procedit, pudore suffunditur, quia pudor comes individuus est sceleris; et cum spiritus deducat orationem ad Deum, ipse quoque erubescit, dum conscientia criminosa de suis sceleribus erubescit: quapropter ne spiritus orationis minister effundatur, et oratio ad Deum absque erubescentia ascendat, debet a conscientia innocua procedere: nam, ut observat D. Bernardus expendens istud Canticorum: « Vox tua dulcis, et facies tua decora, » (6) *non potest esse loquela orationis dulcis, nisi facies conscientiæ sit decora.* Qualis est conscientia, talis est oratio ab illa procedens. Si conscientia erubescit, erubescit et oratio; si conscientia sit immunda, immunda est oratio; si conscientia sit fœda, deformis est oratio; si conscientia Deo displicet, displicet quoque et oratio. Unde ut oratio sit munda, pul-

(1) D. Aug. Serm. 182. de Temp. — (2) Matt. 6. — (3) 1. Timoth. 2. — (4) Tert. Apol. 30. — (5) Serm. 23. de Temp. — (6) D. Anselm. — (7) D. August. in Ps. 62. — (8) Gens.

(1) D. Basil. de precat. — (2) D. August. Serm. de Orat. — (3) Psal. 33. — (4) Lib. 2. de Provid. — (5) Tert. L. de Exhort. Cast. 10. — (6) Cap. 2.

chra, Deoque placens, debet a sancta conscientia et pura mente procedere.

2. *Sacrificamus, sed Deo nostro, sed quomodo præcepit Deus, pura prece.* (1) Ut oratio sit pura, in orante trina requiritur puritas : 1. Puritas animæ seu conscientiæ quæ a gratia sanctificante mutuatur : unde justus ratione hujus puritatis, offert Deo *opimam hostiam*, *orationem de Spiritu Sancto profectam.* (2) Oratio de Spiritu Sancto profecta est hostia opima : hostia quidem Deo oblata et ab eo accepta; opima etiam quia gratiæ augmento impingat offerentem ; ideoque sororem hortatur D. Bernardus : *In oratione attende conscientiam cordis tui, ut ampliorem gratiam consequaris a Deo tuo.* (3) 2. Puritas intentionis requiritur. « Magni interest cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum, non officio, sed fine pensandum est : scilicet si bonum est quod facimus, sed præcipue si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplatur propter quod facimus, averti poscit Propheta, ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendant, propter quam faciat, cum boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multi magna fecerunt, qui magni in hoc seculo nominati sunt, multumque laudati in civitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, et propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, justeque viventes, perceperunt mercedem suam. » (4) Christiane, « lucerna corporis tui oculus tuus est; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. » (5) Ut noverimus omnia opera nostra tunc esse munda, si placent in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentione superna, fine illo charitatis, oculum ergo hic accipere debemus, ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus : quæ si munda fuerit et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint. » (6) Itaque *ab omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est spiritus ad quem mittitur* (7) : unde *orare volentes, jubemur intrare cubiculum, utique secreti gratia, id quidem ad cautelam : ne coram orantibus laus humana, orationis furetur fructum, frustretur effectum.* (8) 3. Requiritur puritas mentis attentæ, vitiorum aut terrenorum imaginibus haud coinquinatæ. *Neque enim agnosci poterit a Spiritu Sancto spiritus inquinatus, aut tristis a læto, aut impeditus a libero.* (1) Christiane, cujusvis sis ordinis et conditionis, *si vis orare pure et laudate, abnega te ad tempus.* (2) Si es miles, abnega a te cunctas militiæ cogitationes ; si mercator, abnega omnes mercaturæ occupationes ; si pater et materfamilias, abnega omnem domus curam et sollicitudinem « Tunc veraciter oras, quando aliud in corde non cogitas. Pura est oratio quando in suo tempore superfluæ cogitationes non conturbant : longe quippe est a Deo animus qui in oratione, cogitationibus seculi est occupatus: mens nostra cœlestis est, et tunc Deum in oratione bene contemplatur, quando nullis terrenis curis aut erroribus impeditur. » (3) Miratur Sanctus Zeno modum loquendi Moysis qui greges soceri sui Jethro pascens, conspiciensque rubum ardentem, nec ullomodo consumptum, dixit : « Transibo, et videbo visionem hanc. » *Quid est illud transibo ? nulla enim locorum intervalla discreverant : eodem in loco et loquitur et videt ; quo ergo transit ?* (4) Acute quidem hoc dubium proponit Veronensis Antistes, sed non minori mentis acie difficultatis nodum solvit : *Transit plane corporales carnalesque curas : et soceri sui oves pascens, in cœlestem cognitionem, relictis terrenis operibus excedit.* Ad hanc terrenorum abnegationem orantem stimulat ipsemet Christus : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. » (5) Ubi D. Ambros. *Cubiculum tuum mentis arcanum animique secretum est, in hoc cubiculum tuum intra, hoc est egredere de corporis tui exteriori vestibulo, et totus intra in alta præcordia cordis tui, et claude ostium.* (6) Tria requirit Salvator ex mente D. Ambrosii: Unum ut de corpore egrediatur, id est, animum avocet a cunctis rebus corporeis et terrenis, quæ possent impedire orationis attentionem. Aliud ut intret in cubiculum cordis, quia *oratio cordis est non labiorum.* (7) Cujus rationem tradit D. Augustinus : *Cum quis orat, Sanctum in se Spiritum advocat, ideo oratio magis agenda est corde quam voce ? melius est enim orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis.* (8) Tertium, claudere ostium cunctis cogitationibus quæ mentem possent ab oratione di-

(1) Tert. L. ad Scap. 2. — (2) Tert. Apol. 30. — (3) Lib. de Mod. Ben. Vivend. c. 49. — (4) D. August. Serm. 2. Psal. 118. — (5) Matth. 9. — (6) D. August. L. 1. de Serm. Dom. in Mont. 21. — (7) Tert. L. de Orat. 10. — (8) D. Bern. Serm. 8. in Cant.

(1) Tert. Lib. de Orat. 10. — (2) S. Nilus de Orat. — (3) D. Bern. L. de Mod. Ben. Vivend. c. 49. — (4) In Psal. 118. — (5) Matth. 6. — (6) Lib. 10. de Abel. c. 9. — (7) D. Bern. ibid. — (8) Serm. 2. de Orat.

movere. *Parum est intrare cubiculum, si pateat importunis inquietationibus ostium, per quod ea quæ foris improbe se immergunt, et in interiora nostra irrumpunt. Hæc sunt temporalia et visibilia quæ per carnales sensus cogitationes nostras penetrant, et turbam variorum phantasmatum orantibus generant.* (1)

Tres illas munditias ad orationis puritatem requisitas, multi non habent. Nonnullis desideratur conscientiæ et animæ mundities. *Cæterum quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? quando et ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ, ut a falso, a cæde, a sævitia, a veneficiis, ab idololatria, cæterisque maculis quæ spiritu conceptæ, manuum opera transiguntur, puræ alleventur. Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes.* (2) Pungit Gentiles, non solum manus, sed et totum corpus ante preces abluere solitos: Judæos quoque redarguit superstitiose externam corporis munditiem sectantes, internam animi puritatem minime curantes. *Omnibus licet membris lavet quotidie Israël, nunquam tamen purus est.* Aliis deest puritas intentionis, qui in oratione, non Dei gloriam, sed laudem humanam quærunt, *quibus merito vanitas exprobranda est.* (3) Alii tandem tertiam puritatem non habent, nimirum mentis attentionem: « Plerumque in oratione flexis genibus corpus prosternis, collum curvas, confiteris peccata, Deum adoras. Video corpus ubi jaceat, quæro ubi volitet animus. Video membra jacentia, videamus si stet conscientia, videamus si fixa est in eum quem adorat. Sic autem plerumque tanquam æstu maris abripitur, et tempestate tollitur in aliud atque aliud. Modo si mecum loquereris, et subito averteres te ad servum tuum, et dimitteres me, non dico a quo aliquid petebas, sed cum quo ex æquo loquebaris, non mihi injuriam factam deputarem? Ecce quod facis quotidie Deo (4), » qui debitum offers orationis sacrificium, quod nequaquam illi placere potest, nisi offeratur cum mentis attentione et cordis devotione.

3. Quales fuerint orationes Christianorum nascentis Ecclesiæ ipsimet declarant apud Tertullianum: *Illuc suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus.* (1) Quinque his verbis denotant: 1. Orabant suspicientes in cœlum, quia non de terra, sed de cœlo felicitatem exspectabant. 2. Orabant manibus expansis, tum quia innocuis et a criminibus puris, tum quia ad cruces et passiones tolerandas paratis. 3. Capite nudo, vel ob conscientiæ munditiem, vel ob puram mentis intentionem. 4. Sine monitore, quia seipsis absque intercessore extraneo, vel advocato precario orabant. 5. De pectore, quia magno fervore et tota cordis devotione orabant. *Nec tibi dubium est quantum valeat et quantum condeceat, quantumque per omnia melioret orationem devotio.* (2) Hæc autem devotio tria complectitur: nimirum cor purum, charitatem cor sufflammantem, et magnum cordis sufflammati affectum. 1. Cor complectitur orationis devotio, quod potissimum sibi offerri Deus exoptat, ut patet ex sacrificio Abel. *Namque major natu Cain de fructu terræ obtulit munera Deo; minor vero filius Abel, de fructu ovium suarum. Respexit Deus in Abel et in munera ejus; in Cain autem et in munera ejus non respexit.* (3) Cur respexit ad munera Abel et non ad munera Cain? Quia Abel ea offerebat ex corde, unde prius inspexit cor quo offerebat, quam munera oblata. Ad munera vero Cain non respexit, quia non ex corde illa offerebat, sed cordis devotionem a muneris oblatione dividebat. Idcirco dixit illi Deus: *Quare concidit vultus tuus? nonne si recte quidem offeras, non recte autem dividas, peccasti?* (4) En verum discrimen justi et hypocritæ. Justus in oratione cor offert Deo; hypocrita vero labia duntaxat offert, non autem cor, ad instar Israël, de quo conqueritur Deus: *Populus plenus delictis, labiis Deum diligens, non corde.* (5) Justus orat *in spiritu et veritate* (6), quia ejus interius cum exteriori concordat; et externam corporis devotionem annectit cum interna cordis devotione, ut externa devotione adstantes et videntes ædificet, et interna Deo gratam oblationem præstet: hypocrita vero interius ab exteriori dividit, et absque ulla cordis devotione corpus componit, non ut Deo placeat, neque ut suo exemplo cæteros ad pietatem alliciat, sed ut simulata oratione laudes humanas acquirat. In oratione justi *submissior quidem vox, sed mens intentior*; in oratione hypocritæ os clamat, sed silet cor. *Quam multi sonant*

(1) D. August. L. 2. de Serm. Dom. in Mont. c. 6. — (2) Tert. L. de Orat. 11. — (3) Tert. L. de Orat. 12. — (4) D. August. in Ps. 140.

(1) Tert. Apol. 30. — (2) Guillel. L. de Rethor. Div. cap. 49. — (3) Tert. L. adv. Jud. 5. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 12. — (6) Joan. 4.

voce, et corde tacent! et quam multi tacent labiis, et clamant affectu! (1) Illi sunt hypocritæ, isti sunt justi. *Multi ore clauso exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur.* (2) Rationem subjungit D. Augustinus: *Quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei.* Hominum aures sunt duntaxat ad os hominis, non ad cor, quia cor non conspiciunt, sed tantummodo oris vocem audiunt: Dei vero aures ad cor hominis, quia illius est conspector. « Hoc interest quando rogamus Deum, et quando rogamus hominem, quod homo necessitatem nostram scire non potest, nisi edoctus fuerit, Deus vero scit antequam rogetur. Quod rogare necesse sit, non opus est apud Deum nostra narratio, quia non habet necesse doceri, sed supplicatione pulsandus est, ut annuat. Sane autem nunquam Deus citius ad annuendum flectitur, quam dum orantis animus ad Deum tota intentione per devotionem convertitur. Sola ergo quantum ad Deum sufficere posset supplicationis devotio, nisi ad hoc formaretur oratio, ut orantis affectus ad majorem accenderetur devotionem. Quæcunque ergo verba sunt orantis, animum ad Dei amorem excitent, vel excitatum demonstrent, non ut Deum quasi nescientem doceant, sed ut in orante devote devotionem augeant. Nam per narrationem seipsum melius intelligit, et admonitus quid petat, considerat, et per consideratione petitionis excitatus, devotius orat. Quantum vero ad Deum, qui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, sola supplicatio cordis sufficiat: » (3) maxime si cor orans sit, 2. Charitate sufflammatum.

Sacrificia Christianorum multum super Gentilium sacrificia extollit Tertullianus: Christiani enim offerunt Deo, *non grana thuris unius assis, non arabicæ arboris lacrymas, non duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis mori optantis, et post omnia inquinamenta, etiam conscientiam spurcam.* (4) Hæ sunt hostiæ falsis deis a Gentilibus oblatæ, quæ eorum sacrificia depretiant. Ab hujusmodi inquinamentis alieni fideles Deo offerunt *opimam hostiam, orationem de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam.* (5) Spiritus Sanctus proprio charactere amor est, *qui cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei.* (6) Unde oratio quæ de Spiritu Sancto procedit, de dilectione procedit. Quia, ut subjungit D. Augustinus, *ipse est dilectio;* qui justis largitur charitatem, qua succensi, orationes igne dilectionis sufflammatas devote Deo offerunt. *Quia ex affectu dilectionis, omnis dependet effectus orationis.* (1) Ignis est charitatis symbolum, quia sicut charitas ad Deum fertur, ita ignis sursum movetur; thus vero est symbolum fervidæ orationis: hoc namque est discrimen inter incensum et vaporem, quod incensum in altum attollitur medio igne, cujus virtute sufflammatur, movetur, suumque exhalat odorem: vapor vero ex aqua frigida vel saltem tepida assurgit. Idem reperitur discrimen inter orationes. Nonnullæ velut vapores ex corde frigido vel saltem tepido dimanant; aliæ vero velut thus ab igne charitatis sufflammatæ, ad Deum ascendunt. *Thus illud nihil rectius intelligi potest quam in oratione devotio,* (2) quæ consistit in fervore charitatis: ut autem animadvertit Gilibertus Abbas (3), « thus est odoris exigui, dum integritas illi et corpulentia sua manet; cum vero flammis subactum effluere cœperit, in odoriferos totum fumos exspirat. Simili ratione nonne tibi videtur crassa et pigra oratio quadam tarditate segnis, igniti et intimi eloquii, si non fuerit virtute succensa? Utique, in thure ego accipio orationis materiam et in fumo gratiam. Dirigatur, inquit (4), oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Nescit itinere directo ad Deum ire oratio quæ succensa non fuerit. Oratio quæ frigido fuerit de corde expressa, subito relabitur: nec potest esse perpetua, quæ non est prompta. Vim patitur, et non est sui juris. Christiane, igne charitatis « thus illud adole (5), ut dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu Domini: et cum de sacrificio tuo odoratus fuerit odorem suavitatis, dicat tibi: « Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. » (6) Cujusmodi est odor devotæ orationis charitatis igne sufflammatæ, et 3. Magno affectu in conspectu Dei effusæ.

Calor est omnis affectus. (7) Calidum hunc affectum in devota oratione agnoscit ex Dubio Augustino D. Bernardus: *Oratio est mentis devotio, id est, conversio in Deum per pium affectum: nihil ita Deum complectitur quemadmodum purus mentis affectus.* (8) Quapropter fideles hortatur certus Augustinus: *Affectibus orare debemus.* (9) Nam, ut

(1) Gillib. Serm. 23. in Cant. — (2) D. August. in Ps. 119. — (3) D. August. L. de Orando Deo. — (4) Tert. Apolog. 30. — (5) Tert. ibid. — (6) D. August. L. 15. de Trin. 17.

(1) D. August. L. de Oran. Deo. — (2) Guillel. L. de Rhetor. div. cap. 43. — (3) Serm. 16. in Cant. — (4) Psal. 140. — (5) Guerr. Serm. 2. de Epiph. — (6) Cant. 4. — (7) Tert. L. de Pall. 4. — (8) Lib. de Spir. et an. 50. — (9) L. de Inst. Dom. c. 27.

aliorsum asseverat Hipponensis Antistes, *Dignior sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus.* (1) Duplex ut plurimum sequitur effectus ex fervido orantis affectu : unus, quia ipsemet orans ex assidua oratione novum acquirit fervoris gradum. (2) *Quibus studium est orare frequenter, experti sunt quod dico, sæpe corde tepido et arido orationi incumbimus; persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio Deitatis.* (3) Alter, quia orans cum magno fervoris affectu, offert Deo holocaustum, *quodam devotionis alimonia saginatum.* (4) Si orationis sacrificium, quod Deo offerimus, non adipatur, hoc procedit, ut vult D. Bernardus, ex multiloquio et vaniloquio, quod orationem præcedit. Etenim « lingua aptissimum vacuandis cordibus instrumentum, post multas confabulationes, invenitur mens quodammodo vacua, meditatio minus devota, sicca magis affectio, et orationis holocaustum non adeo pingue, propter verba quæ diximus, sive etiam quæ audivimus. » (5) Christiane, vis ut holocaustum tuum pingue (6) fiat ? « Ante orationem præpara animam tuam. (7) » Cum oraveris, intra cubiculum cordis tui, et claude ostium ne pateat mundanorum phantasmatibus ? Psalle spiritu, psalle et mente : ora fervide, ut valeas Deo dicere cum Vate Regio : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso :* orationes scilicet, quæ procedunt a corpore modeste composito ; ab anima gratia sanctificata, a mente per puritatem intentionis in Deum jaculata ; a corde igne charitatis sufflammato ; a fervido devotionis affectu. Sic oratio tua ad Deum ascendet. Tanquam holocaustum seu sacrificium laudis, et tanquam hostia pro peccato, seu sacrificium propitiationis.

II. PARS. *Ipsorum sacrificiorum alia officia* (8) consideranda sunt ; quia non solum divinam Majestatem respiciunt, ut ei honorem præstent, sed etiam justitiam ut eam placent. Ut enim docet Parisiensis Antistes, oratio est sacrificium propitiatorium *quæ ad placandum Deum offertur, ut ipse offerens reconcilietur ei per illam, juxta illud quod dictum est : Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* (9) Sacrificium orationis divinæ justitiæ placatorium tria complectitur : scilicet, 1. Animæ immundæ purificationem ; 2. Mentis humiliationem ; 3. Carnis afflictationem.

(1) In Psal. 119. — (2) Epist. 121. ad Probam. — (3) D. Bern. Serm. 9. in Cant. — (4) D. Ambr. L. 2. de Cain et Abel. — (5) Serm. 17. de diversis. — (6) Ps. — (7) Eccles. 18. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 1. — (9) L. de Rhetor. Div. c. 47.

Apostolus purificationem orationum commendandarum adjecit. (1) Anima peccatrix est coinquinata, ait D. Bernardus, *præteritorum conscientia delictorum* ; verum, ut ibidem animadvertit Mellifluus Doctor, *contra peccati conscientiam, remedium confessionis est institutum, et omnia in confessione levantur.* (3) Hoc remedio uti debet qui Deo offerre desiderat sacrificium propitiatorium : Deus enim tunc placatur, quando peccator ejus inimicus cum eo reconciliatur; reconciliatur autem per confessionem, qua ei offertur cor contritum et pœnitentia mundatum : hæc enim mundities debetur puritati Dei, quem pœnitens suis orationibus in se vocat. « Invocas Deum, quando in te vocas Deum. Hoc est illum invocare, illum in te vocare, quodammodo eum in domum cordis tui invitare. Non auderes autem tantum patremfamilias invitare, nisi nosses ei habitaculum præparare. Si enim dicat tibi Deus : Ecce invocasti me, venio ad te : quo intrabo ? tantas sordes conscientiæ tuæ sustinebo, » quas emundare potes, cum ad manum habeas confessionis remedium ? (3) *Itaque confessio tua te mundat* (4), efficitque dignum ut in te habitet Deus. In veteri Testamento duplex erat altare : unum thymiamatum, aliud holocaustorum seu victimarum; illa autem altaria ita erant disposita, ut adeundum esset altare victimarum, ante altare thymiamatum, neque huic nisi per illud pateret accessus : altare holocaustorum, in quo mactabantur pecora, designabat sacramentum pœnitentiæ, in quo destruuntur peccata ; altare thymiamatum, in quo Deo adolebatur incensum, præfigurabat orationem, ad quam accendendum non est nisi per altare holocaustorum. Nam, ut docet Parisiensis Antistes, « ab his qui mactanda vident in se vitia quæcunque vel peccata, non satis convenienter offeruntur orationes absque sacrificio contribulati spiritus, quo scilicet mactentur illa, et mortificentur, vel in ipsis orationibus, vel ante : neque enim ad sacra mysteria cuiquam tali accedendum est, absque præparatione hujus sacrificationis et sacrificii. » (5) Quomodo, autem mactanda sint vitia et peccata statim declarat Guillelmus : « Quoniam animalia in lege veteri in omnibus sacrificiis mactabantur igne et gladio : volens offerre sacrificium orationis, necessario debet habere ignem et gladium. » Unde Christianum alloquitur : « *Mactaturus igitur cor tuum, quod est dicere mactaturus*

(1) Tert. L. de Exhort. Cast. 10. — (2) Serm. 1. in fest. omn. Sanct. — (3) D. August. in Psal. 30. — (4) D. August. in Psal. 74. — (5) L. de Rethor. Div. c. 47.

animam vitiorum et peccatorum, *et animalium brutalium in corde tuo*, *accinge te gladio*, *et adhibe tibi ignem*. Ignem charitatis, quo ex toto corde avertaris a peccato, et convertaris ad Deum; gladium pœnitentiæ, quo seces habitus vitiorum, et perversis moriaris inclinationibus. Adhibito autem cœlesti hoc igne, dices : «Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris.» (1) Ubi Guerricus Abbas : « Non parvus siquidem profectus est, cum de myrrha ad thus proficiscitur : cum de ista quæ ad usus est infirmitatis humanæ, ad illud quod divinis et festivis deputatum est sacrificiis, pervenitur : ut qui sacrificium spiritus contribulati corporisque humiliati offerebat, non sine myrrha amaritudinis, jam sacrificium laudis offerat cum thure devotionis.»(2) Neque prætereundus est Gillibertus Abbas, pœnitentiæ gladium, et myrrhæ commendans amaritudinem : « Bona myrrha, quæ carnalem petulantiam reprimit, et fluxus motus lascivire non sinit, et carnem non esse carnalem compellere nititur : sed continentiæ nostræ myrrha corpulenta videtur, et nimis castigata, et quasi vicina carni, nisi fuerit igne cœlesti amoris divini fervore liquefacta. Bona quidem continentiæ myrrha, quæ pergentem ad illicita cohibet appetitum, sed alterius est suavitatis et gratiæ, quando charitatis ardore liquescens, crassum omnem et carnalem nescit affectum.» (3) Oratio quæ a corde sic contribulato procedit, « ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. » (4) Ut autem animadvertit Gillibertus, *habes in myrrha continentiæ virtutem; in thure, orationis studium; in pulvere pigmentario, inter virtutum copias cordis contriti humilitatem.*

2. *Cor contribulatum et humiliatum, hostia Deo est.* (5) Seu, ut fatur D. Augustinus, *humilitas cordis sacrificium est.* (6) Illam autem cordis humilitatem requirit D. Augustinus : tum ad confessionem orationis præviam, tum ad ipsam orationem divinæ justitiæ placatoriam. Quod hac probat ratiocinatione : *Invocationem præcedit confessio : quia quem invocas, invitas. Venire autem non vult invitatus, si tu fueris elatus. Elatus si fueris, confiteri non poteris* (7) ; quia, ut aliorsum dictum est cum Tertulliano, *exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est.* (8) Et ob hanc causam, ut animadvertit Gillibertus Abbas (1), sacer Sponsus sacrificium contriti cordis comparat virgulæ fumi ascendentis ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. « Myrrha in pulvere pigmentario humilitatis expressit virtutem, quod ea de magnis meritis nihil magnum sentire noverit, non altum sapere, sed humili æstimatione reliquarum attenuet merita virtutum, et earum soliditatem quasi ad quamdam pulveris exiguitatem deducat. » Et bene post orationis commendationem, sub figura pulveris pigmentarii de humilitate subjunxit : « Oratio enim humiliantis se nubes penetrat (2), imo sine humilitatis gratia, oratio quantumlibet acuta, hebes tamen est, et tristem refundit odorem elata myrrha castitatis ; neque fluxus carnalium bene restringit cogitationum continentiæ myrrha, quæ animum in superbiæ fumum lascivire permittit. Contritione multa pigmenta rediguntur in pulverem : et bona contritio, quoniam cor contritum et humiliatum Deus non despicit. (3) Bona plane contritio, quæ nihil relinquit inconcussum, nihil tumidum, nihil non humiliatum.» (4) Quam grata sit Deo oratio ab humili et contrito corde dimanans; quam vero odiosa oratio a corde elato et tumido procedens, declarat ipsemet Christus : *Cum templum Creatoris inducit, et duos adorantes diversa mente describit, pharisæum in superbia, publicanum in humilitate : ideoque alterum reprobatum, alterum justificatum descendisse : utique docendo qua disciplina sit orandum, eum et hic orandum constituit, a quo relaturi essent eam orandi disciplinam, sive reprobatricem superbiæ, sive justificatricem humilitatis.* (5) Aliorsum (6) hanc materiam fuse tractavimus, in præsentiarum duntaxat subjungendum est, quod Christus hac parabola : *Creatorem jubet adorare in humilitate, ut allevatorem humilium; non in superbia, ut destructorem superborum.* Quemadmodum autem superbos et tumidos Deus destruit, ita Deus humilium allevator placatur contriti cordis humiliatione, et maceratæ carnis afflictatione.

3. *Afflictatio carnis hostia Domino placatoria, cum sordes, cum angustias victus Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquæ potu.* (7) Ad hoc pœnitentiæ et expiationis sacrificium Christianum eloquenter invitat Chrysologus. *Animas nostras jejuniis immolemus, quia nihil est quod Deo*

(1) Cant. 4. — (2) Serm. 1. de Epiph. — (3) Serm. 15. in Cant. — (4) Cant. 3. — (5) Tert. Lib. adv. Jud. 5. — (6) In Psal. 120. — (7) In Psal. 74. — (8) Tert. L. de Pœn. 9.

(1) Serm. 15. in Cant. — (2) Eccles. 35. — (3) Psalm. 50. — (4) Gilib. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (6) Tert. Præd. tom. 3. Tract. de Hypoc. Conc. 4. — (7) Tert. L. de Pat. 13.

præstantius offerre possimus, probante Propheta cum dicit : Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Homo, offer Deo animam tuam, et offer oblationem jejunii, ut sit pura hostia, sacrificium sanctum, vivens victima, quæ et tibi maneat, et data sit Deo. (1) Verum quam potentes sint ad placandam divinam justitiam orationes cordis contritione, mentis humiliatione et carnis afflictione armatæ, Regii Vatis, Ninivitarum, et primorum Christianorum probatur exemplo. Regius Propheta probe sciens vim et efficaciam orationis jejunio et afflictione munitæ, jejunio, sacco et cinere, ingenioque asperitatum iratum placabat Deum, illumque mitem et exorabilem reddebat. Nam, ut eloquenter fatur Salvianus, *gemmas regias David abdicat, crepitantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu et corde mutatur : totum regem cum ornatibus suis abjicit, providum pœnitentem, cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, jejunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.* (2) Oratio cordis contriti cara Deo est, at oratio pœnitentis, jejunio aridi, sacco induti, in cinere volutati, *cum patrocinio ambitiosi squaloris*, Dei iras exarmat, ejus justitiam placat et misericordiam exorat. Ninivitarum exemplum prodit Tertullianus : *Per hanc mœroris sequelam et inediam, etiam civitas illa peccatrix Ninive, de exitio prædicato liberatur.* (3) Jonas propheta urbis Ninive miserandum prædicat excidium : « Et crediderunt viri Ninivitæ in Domino, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis, et sic clamaverunt ad Dominum in fortitudine. » (4) *Jejunio saccum addunt, et inanis venter, et luctuosus habitus, Deum deprecantur. Qui offenderant Deum luxu et ambitione, eorum damnationem placant, per quæ prius offenderant.* (5) Deum offenderant superbia et ambitione, in humilitate orant ; Deum offenderant luxu vestium, Deum saccis induti deprecantur ; Deum offenderant gula, Deo jejunium offerunt ; Deum offenderant vana et mundana lætitia, Deum mœroribus et lacrymis pœnitentiæ placare nituntur : imo de facto exorant et placabilem reddunt. *His expurgatur iniquitas : divina sententia retrocedere non erubescit* (6) ; non enim erubescit immutabilis Deus, « absque ulla immutabilitatis suæ jactura », velut mutare sententiam, nec curat de inconstantiæ suspicione apud homines, cedens orationi, jejunio et squalore armatæ. *Quæ etiam iratum Deum homini reconciliat.* (1) Quod adhuc primorum Christianorum probatur exemplo, qui declarant et quales sint Gentiles in calamitatibus publicis, et quomodo ipsimet se habeant Christiani. *Cum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, et annus in cura est : vos quidem balneis, et cauponis, et lupanaribus operantibus, aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus exspectatis, aversi ab ipso et Deo, et cœlo : nos vero jejuniis aridi, et omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco et cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, et cum misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur.* (2) « Cum æstiva hiberna suspendunt, id est, cum non pluit, neque æstivo, neque hyberno tempore, aquilicia Jovi immolatis : » Nimirum capita fontium et scaturigines : « Nudipedalia populo denuntiatis : » jubetur namque populus, in publicis supplicationibus, pluviam nudis pedibus expostulare. « Omni continentia expressi, » scilicet ab omni libidine alieni ; « ab omni vitæ fruge dalati », nimirum, alimentis in serotinas horas, et aliquando in diem crastinum dilatis, « invidia cœlum tundimus : » vel quia si cœlicolæ essent invidiæ capaces, tangerentur invidia ob efficaciam orationis, quæ ab squalido et jejuno pœnitente procedit : vel potius ipsemet Deus si non mitigetur pœnitentium orationibus, male audietur apud Ethnicos, et velut immisericors et crudelis habebitur. *Tandem cum misericordiam extorserimus*, quia oratio ariditate cibi et potus impinguata, humiliatione et maceratione roborata, vim quodammodo infert misericordiæ Dei, ab eaque impetrat quod petit. Nam, ut fatur D. Bernardus, *jejunium orationi devotionem et fiduciam donat : et vide quemadmodum sibi invicem jejunium et oratio socientur : oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat ; oratio sanctificat jejunium, et Domino repræsentat* (3) ; velut hostiam non modo placatoriam, sed adhuc pacificam, seu sacrificium impetrationis.

III. PARS. *Sophia propria orationis officia complexa est venerationem Dei, aut hominis petitionem* (4) : imo dum homo in oratione a Deo aliquid expostulat, Deum

(1) Serm. 43. — (2) Lib. 1. de Provid. — (3) Tert. L. de Jejun. 7. — (4) Jonæ 3. — (5) Strab. Fuld. — (6) Basil. Seul. Orat. 12.

(1) Tert. Lib. de Jejun. 7. — (2) Tert. Apolog. 40. — (3) Serm. 4. in Quadrag. — (4) Tert. L. de Orat. 1.

veneratur offerens ei orationem velut hostiam pacificam, seu sacrificium impetrationis; ut autem orans impetret a Deo quod petit, debet postulare res honestas Deum decentes, sibique convenientes, cum, 1. Fiducia; 2. Perseverantia; 3. Dependentia.

1. In Deum *fiduciam figimus* (1) orantes: « sic enim docuit nos Jacobus Apostolus (2) dicens: Postulet in fide nihil hæsitans: petentibus enim omnibus debet esse, et fides omnino non dubia de superabundantissimis divitiis pietatis, et dulcedinis omnipotentis Dei; similiter et fiducia non hæsitans fixa et firma impetrandi quod ipse pie ac devote petentibus esse salutare cognoverit. » (3) Fides autem de qua loquitur Jacobus Apostolus tria complectitur: 1. Fidem proprie dictam qua credimus Deum, qui mentiri, falli aut fallere nequit, nobis daturum id quod postulamus in oratione, si oremus et petamus cum debita fide, humilitate, puritate, reverentia, devotione, perseverantia. Unde concludit Parisiensis Antistes: « Valent igitur orationes peccatorum apud misericordiam tuam: alioquin non solum illusorie, sed etiam perniciose præcepisses eis ut orarent te: quia autem tu veritas es, in quo in ultimitate elongationis, longe est, non solum omnis illusio atque deceptio, sed etiam quidquid falsitatis est atque mendacii. » (4) Quapropter orans, Deum credit ut summe veracem a falsitate et fallacia alienum; *et quanto scit Dominum non esse mendacem, tanto propensius ejus de pietate præsumit.* (5) Hanc fidem ut plurimum exigebat Christus Dominus, ab iis qui sanitatem postulabant; et defectu hujus fidei cæcus a Bethsaida adductus, mox ut Christus expuit in oculos ejus, visum non recepit. Duos alios cæcos curavit Salvator: unum, solo voluntatis suæ imperio, dicens illi duntaxat: *Respice* (6); alium solo tactu, liniendo oculos ejus: *Fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus, et venit videns.* (7) At cæco a Bethsaida non statim contulit visum: nam *apprehensa manu cæci, deduxit eum extra viam;* deinde *expuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret*: cui respondens cæcus: *Video homines velut arbores ambulantes* (8); quia adhuc perfecte visu non fruebatur, tandem Dominus *iterum imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre, et restitutus est, ita ut clare videret omnia.* Quod si Christus qui illico aliis cæcis contulerat visum mox istum non sanavit; hoc accidit, non ex defectu bonitatis et potentiæ in Salvatore, sed ex defectu fidei in cæco. *Quia neque cæcus ille perfectam habuit fidem, idcirco non statim ipsum respicere facit, sed sensim utpote integra carente fide: juxta enim fidei magnitudinem, et sanitas datur.* (1) Non huic incredulo cæco similes esse debent orantes, sed aliorum debent æmulari fidem et firmiter credere veraci Christo Deo dicenti: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis* (2); modo Dei gloriæ conveniant, et saluti vestræ expediant. Etenim, *si fides deficit, oratio perit: unde et Apostolus cum ad orandum exhortaretur, ait: Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit, ut ostenderet fidem esse fontem orationis, nec posse ire rivum ubi caput aquæ siccaretur, adjunxit: Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* (3) D. Augustini auctoritate munitus Guillelmus Parisiensis sic ratiocinatur: « Quia vero fides fons est orationis, sicut dixit sanctus et sapientissimus Augustinus, manifestum tibi esse facile potest, rememorationem fidei, non solum adjumentum esse orationum, sed et orationis gratiam, ex ea et per eam mira affluentia redundare. » (4) Rememoranda igitur est orare intendentibus, 1. Dei veracitas, quæ est objectum fidei, et ejus bonitas, quæ est fiduciæ fundamentum, quam, 2. Desiderat in orante Apostolus Jacobus.

Nam, ut subjungit Parisiensis Antistes, « crebræ cogitationes de veracitate et liberalitate Dei inter alia, ad duo potissimum perutiles sunt, videlicet ad faciendam fidem de impetrandis quæ petimus, et ad formandam fiduciam obtinendi. » (4) Fiduciam parit fides, ait Cyrillus Hierosolymitanus, quasi mater filiam. Fiduciam poposcit Christus a Paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata.* Item ab Hemorroissa: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* (5) Cum fiducia non solum justi, sed etiam peccatores postulare debent: quia, ut docet D. Thomas, *oratio efficaciam merendi habet a charitate; et vero efficaciam impetrandi, a fide et fiducia* (7): Deus autem ab orantibus exigit fiduciam, seu spem impetrandi: quia congruus ordo et dispositio eam expostulat: decet enim orantem sperare quod orat, imo sine spe rite orare nequit: *Nemo orat accipere quod se*

(1) Tert. Apol. 39. — (2) Cap. 1. — (3) Guillel. L. de Rhetor. div. c. 16. — (4) L. de Rhet. div. cap. 17. — (5) Ennod. in paneg. — (6) Luc. 18. — (7) Joan. 9. — (8) Marc. 8.

(1) Theophylact. — (2) Marc. 11. — (3) D. August. Serm. 36. de Verb. Dom. — (4) Lib. de Rhetor. Div. c. 32. — (5) Cathec. 6. — (6) Matth. 9. — (7) 22. q. 83. a. 15. ad. 3.

accepturum esse desperat (1) : et quemadmodum in vase ad recipiendam ingentem vini copiam, requiritur ingens capacitas, ita in orante, ut recipiat ingens Dei donum, requiritur magna fiducia, quæ, ait D. Bernardus, est in anima idem quod capacitas in vase. *Sola spes apud te miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis.* (2) Hujusmodi spes seu fiducia est quasi carnalis, qui ab homine e terra in cœlum ad Deum dirigitur, ut per eam gratiarum aquæ defluant et depluant in hominem tanto abundantiori copia, quanto major fuerit fiducia impetrandi. Fides etenim et spes sunt mensura orationis et impetrationis : quo enim magis anima per spem dilatatur, eo donorum Dei capacior efficitur, et majorem a Deo accipit largitatem. Quare D. Bernardus sic fidelibus et fervidis fatur orantibus : *Magna audent, quoniam magni sunt, et quæ audent, obtinent. Magna siquidem fides magna meretur : et quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus obtinebis. Istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit sponsus, et magnificabit facere cum eis.* (2) Quia scilicet postulant magna cum fiducia, et firmam habent persuasionem obtinendi, quam, 3. In orante desiderat Jacobus. Ut enim fides veracitatis et bonitatis divinæ parit spem et fiduciam, ita spes parturit persuasionem, seu credulitatem obtinendi quod petimus : « Hic autem sumitur credulitas, non pro credulitate divina et certa, sed duntaxat pro credulitate humana et probabili. » Attamen quo major fuerit spes in affectu, eo majorem generat fidem, seu credulitatem in intellectu. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter : postulet autem in fide nihil hæsitans* (4), credendo veracitati et pollicitationi ejus ; fidendo in bonitate et omnipotentia ejus ; persuasionem habendo obtinendi ea quæ postulat.

Trinæ huic fidei ad impetrationem requisitæ trina opponitur hæsitatio. Una opponitur fidei, et est incredulitas seu infidelitas; altera opponitur fiduciæ, estque diffidentia seu desperatio ; tertia opponitur credulitati obtinendi, estque dubitatio, opinio seu persuasio non obtinendi. Prima veracitatem et promissionem Dei offendit; secunda, bonitati et potentiæ Dei facit injuriam ; tertia, ab ignavia et pusillanimitate procedit : *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* (1) Cum mare valido vento agitatur, ventilatur, incitatur, movetur, tunc fluctus fluctum continuo propellit, adeo ut reciprocantibus undis, aquarum glomerentur montes, et navigantes nunc in cœlum attolli, nunc in infernum descendere videantur. Simili modo hæsitans in oratione, variis agitatur cogitationum et affectionum fluctibus, quos hæsitatio tanquam ventus validus et turbulentus excitat ; nunc credit divinæ veracitati, nunc ejus promissis non credit ; nunc confidit in bonitate Dei, nunc de ea desperat ; nunc persuasionem habet obtinendi, nunc dubitat, et opinionem habet non obtinendi. *Non ergo æstimet homo ille quod accipiet aliquid a Domino* (2) : ex defectu scilicet vel fidei et credulitatis, vel fiduciæ et spei, vel persuasionis obtinendi, quæ ut plurimum oritur a timiditate. Trinum in oratione vitium agnoscit D. Bernardus : nempe timiditatem, temeritatem et tepiditatem. Timiditas opponitur fiduciæ, temeritas humilitati, tepiditas fervori. « Quanto efficacior est oratio, si fiat ut debet, tanto callidius impediri ab adversario solet. Interdum enim graviter impeditur oratio a pusillanimitate spiritus et timore immoderato. Hoc autem tunc solet fieri, cum sic cogitat homo propriam indigentiam, ut non convertat oculos ad divinam benignitatem. Verum sicut periculum est, si fuerit oratio nimis timida, sic in contraria parte : non minus, imo et majus periculum est, si forte fuerit temeraria. Temeritatem dico, quando is in cujus conscientia peccatum adhuc aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis et mirabilibus, super se minus sollicitus pro periculo animæ suæ. Tertium periculum est, si sit oratio tepida, et non ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut oratio dicatur non ascendere, sed nec procedere queat. Temeraria non ascendit, sed resilit : resistitur enim ei, nec tantum non obtinet gratiam, sed meretur offensam. Tepida vero in ascensu languescit et deficit, eo quod non habeat vigorem : quæ vero fidelis et humilis, et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit : unde certum est quod vacua redire non poterit : » (3) Deum enim exorat humilis et fervens oratio facta cum fiducia, præsertim si comitem habeat perseverantiam.

2. *Nam et orandi perseverantiam mandans* (4) Dominus ostendit orationis impetrationem perseverantia et instantia fulciri. Ex defectu

(1) D. August. L. 2. quæst. Evang. quæst. 1. — (2) Serm. 3. Annunt. — (3) Serm. 32. in Cant. — (4) Jacob. 1.

(1) Jacob. 1. — (2) Jacob. ib. — (3) Serm. 4. in Quadrag. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 36.

hujus perseverantiæ et instantiæ merito non exauditur, qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepide postulans et remisse : siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus ; e regione autem remissa intentio, vox submissa. » (1) Pauper qui a divite aliquam exoptat habere largitatem, magna voce, cum instantia et perseverantia illam expostulat. *Quandiu hic sumus, rogamus Deum ut non amoveat deprecationem nostram et misericordiam suam, id est, ut perseveranter oremus, et perseveranter misereatur.* (2) Ad hanc orationis perseverantiam sororem suam hortatur D. Bernardus : « Soror dilecta, ora cum lacrymis indesinenter, ora jugiter, precare Deum cum lacrymis diebus ac noctibus. Oratio sit sine cessatione, oratio sit frequens, oratio de ore tuo non cadat, insiste orationi, surge in nocte ad precem, pernocta in oratione, rursus ora. » (3) Ad eamdem perseverantiam quemlibet Christianum stimulat Magnus Basilius : *Etsi mensis præteriit, etsi annus, etsi triennium et quadriennium, etsi anni complures, acriter tamen perseverato, donec impetres.* (4) Verum rarissimi sunt qui perseverent in oratione : non dico per complures annos, aut per quadriennium, aut triennium, aut annum, sed neque per mensem, neque per hebdomadam, neque per diem, et fortasse neque per integram horam. *Multi enim languescunt in orando, et in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter.* (5) Quorum tepiditas et negligentia duplici redarguenda est exemplo : unum est ex veteri Testamento mutuatum; aliud ex novo Testamento desumptum.

In veteri Testamento, Isaaci habemus exemplum, qui quadraginta erat annorum, quando cum Rebecca fuit matrimonio conjunctus. Nam, ut ait sacer textus, « Abraham genuit Isaac, qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam, » (6) quæ viginti annis sterilis remansit ; nam, ut subjungit Scriptura sacra, « sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei parvuli. » Ut autem animadvertit Chrysostomus, per longum illud temporis spatium perseveravit Isaac in oratione, et sua perseverantia tamdiu expostulatam a Deo prolem obtinuit. *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ.* (1)

(1) D. Bern. Serm. 16. in Ps. Qui hab. — (2) D. Aug. Psal. 65. — (3) L. de mod. ben. Vivend. cap. 49. — (4) In Constit. Monac. c. 2. — (5) D. Aug. in Psal. 65. — (6) Genes. 25.

In novo Testamento exemplum habemus Chananææ, cujus beatus Marcus *commendat prudentiam, fidem refert, credulitatis extollit ardorem.* (2) Chananæa ex gente Chananæorum oriunda, et ut fatur Evangelista, gentilis *mulier, nullius adhuc Dei conscia, nullius novæ legis initiata* (3), multis commendatur virtutibus, præsertim diligentia, fide, dilectione, humilitate, fiducia, prudentia et perseverantia : 1. Diligentia, nam audita fama Salvatoris qui cæcos illuminabat, leprosos sanabat, energumenos a dæmonibus liberabat, filiam a diabolo possessam domi relinquens egressa de finibus suis accurrit ad Dominum ut ab illo filiæ postularet liberationem (4); 2. Fide, nulla erudita Scriptura, nullis convicta miraculis, Messiam et filium David confitetur, quem Judæi tot prophetarum vaticiniis, tot Scripturæ testimoniis, tot miraculis convicti, agnoscere noluerunt ; 3. Dilectione, nam amore filiæ æstuans, et præ afflictione se potius affectione possessæ a dæmone prolis, dolens, misericordiam poscit : Miserere mei ; denotans filiæ morbo penitus se torqueri; 4. Humilitate, tum quia sese existimavit indignam, quæ adiret Hierusalem ; tum quia ad Christi conspectum dæmoniacam filiam adducere minime ausa est ; tum quia Christi verens dignitatem, non accessit, sed a longe clamavit ; tum quia non ægre tulit vocitari canem ; 5. Fiducia, qua freta, morbi duntaxat exponit genus : Filia mea a dæmonio vexatur. Non enim ad exemplum Reguli medicum in domum suam adducere nititur, sed duntaxat sua exposita afflictione, et filiæ possessione Domini misericordiam implorat, ad instar sororum Lazari Christo solummodo dicentium : Ecce quem amas infirmatur. *Sic dicentes affectum pulsant, interpellant amorem, conveniunt charitatem, necessitudinem gestiunt submovere.* (5) 6. Prudentiam, nam, ut facilius fieret voti compos, et filiæ obtineret sanationem a Domino, discipulos interpellat pro se deprecatores. *Interim vero Apostolorum chorus, cum neque mulieris voces ferre posset, vicarius intercessor apud Salvatorem intervenit, ac mulieris oratores sunt facti discipuli.* (6)

Multum præfatis virtutibus coruscat Chananæa, sed absque comparatione magis sua splendet perseverantia ; nam multoties a

(1) Hom. 39. in Gen. — (2) Chrysol. Serm. 100. — (3) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 20. — (4) Matth. 25. — (5) Chrysol. Serm. 63. — (6) Basil. Seleuc. Orat. 20.

Christo repulsam passa, in oratione constanter perstitit : 1. Clamans ad Dominum : Fili David, miserere mei, filia mea male a dæmone vexatur. Salvator quasi ad ejus clamorem surdus, non respondit ei verbum ; 2. Accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos. Discipulorum advocationi minime annuens Christus respondit : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Chananæa se inauditam et discipulorum advocationem inutilem conspiciens ; 3. Tunc illa venit, et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me ; neque illius precibus commotus, adhuc Salvator dixit : Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus. Tot repulsis et contemptibus haud indignata Chananæa, se canem merito vocari confitetur, et hac ratione ; 4. Misericordiam expostulat : Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Micas appellat, ait Theophylactus, minora ac minus frequentia miracula, quæ ex postulat fieri non ex professo ut apud Judæos, sed obiter et quasi transeundo. In Chananæa fidem gentium expressam vult Chrysologus, quæ obtinuit a Christo, quod Judæi infidelitate perdiderunt. « Promissionis suæ memor Christus israëlitici populi primum venerat ad salutem, ut quod Abrahæ promiserat, et semini ejus David, ejusque posteris fidele redderet per solutum ; sed quia se indignos sua perfidia præstiterunt, obtinuit, rapuit, traxit fides gentium, quod infidelitas sprevit et perdidit Judæorum. Audi ipsum dicentem : Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israël ; sed oves luporum contagione jam rabidæ, et ipsis bestiis propria jam feritate sæviores, laniare et violare suum semper voluere pastorem : atque ideo velle suum Christus implere non poterat, non impossibilitate sua, sed nequitia perditorum, et quod aliis contulerat, aliis conferre comprobatur. Judæi oblatum panem conculcare ad scelus, non ad vitam sumere sunt conati : et tamen comminutum et conculcatum a filiis, canis tota fide, toto desiderio lambere festinavit. Hinc est quod sic respondit : Utique, Domine, nam et catelli sub mensa comedunt de micis puerorum. Merito quæ se canem confessa est, in hominem commutatur, et juste convertuntur in canes, qui se filios esse noluerunt. Merito adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili et profunda humilitate dejecit. Juste toto nunc epulatur micas ex pane, quæ suis meritis se intellexit, et confessa est vix mereri : hinc est quod propter justitiam suam Dominus nec Judæis dare potuit, nec gentibus denegare. » (1) Eloquenter et acute Chrysologus ex historia Chananææ declarat Judæos sua infidelitate, tumiditate, iniquitate merito repudiatos, Gentiles vero sua fide, humilitate, obtinuisse a Christo dona, quæ Deus semini Abrahæ promiserat ; verum prætermissa Chrysologi allegoria, mulier Chananæa sua perseverantia obtinuit et Christi admirationem, et fidei suæ commendationem, et filiæ liberationem. « O mulier, magna est fides tua ! fiat tibi sicut vis ; et sanata est filia ejus ex illa hora. »

Admiranda prorsus Chananææ fides, sed non minus stupenda mulieris constantia, quæ post Christi renutum rogando perseverat, et sua perseverantia, et orationis efficaciam, et divinæ largitatis commendat eminentiam. Nam, ut fatur Basilius Seleucus, *curationis dilatio, fidei specimen ; sanationis prorogatio, fuit voluntatis in muliere probatio : potius vero Domini silentium Chananææ commendatio.* (2) Curationem differt Dominus, ut probet Chananææ fidem ; filiæ sanationem prorogat, ut matris exploret voluntatem ; ad mulieris orationem nihil respondet, et suo silentio mulieris constantiam et perseverantiam laudat. Nam, ut subjungit Seleucus, *qui tandem Salvator ? quid silentium pariat, aperit : O mulier, magna est fides tua ! Ideo tibi gratificari distuli, ut fidem tuam in exemplum proponerem. Non obticebam ex inclementia, sed ut præscius quiescebam ; exspectabam dum fidei tuæ amplitudinem patefacerem, præsentes docere volebam, quantum in Chananæa margaritum lateret.*

Sua dilatione Deus ad orandum nos stimulat, et Chananæa sua constantia nos ad perseverandum in oratione incitat. Quod si Deus postulata interdum differt, neque tam cito largitur, id rationabiliter facit : 1. Ut orantium demonstret fidem et constantiam : sic Christus non statim annuit supplicationi Chananææ, ut ejus constantiam omnibus demonstraret. Quare Basilius Seleucus Dominum Chananæam alloquentem inducit : *Totam tibi curationis mensam expleo ; tu quidem Judæos fide vicisti : ego vero concedo tua postulata.* (3) 2. Ut orantium experiatur et probet fidem : et hac ratione promissam Abrahæ prolem dare distulit Deus, ut Patriarchæ probaret fidem ; et diu exspectata proles majorem parentibus afferret lætitiam. *Deo gratias, qui circa magnitudinem vestram licet protulerit cupita, non repulit.*

(1) Serm. 100. — (2) Orat. 20. — (3) Orat. ibid.

Etenim nè fides claudicet, supplicantis desideria differuntur : quia devenustat secururæ hilaritatis genium velox impetratio. (1) 3. Quia persæpe qui postulant, non sunt apte dispositi ad recipiendum, et dum perseverant in oratione, paulatim disponuntur. Ut enim ait D. Augustinus, *quærendo et petendo crescis, ut capias.* (2) Hoc autem incrementum exspectat velut dispositionem ad sua beneficia recipienda necessariam. Quod animadvertit acute Basilius Seleucus expendens responsionem Salvatoris filiis Zebedæi factam : « Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. » (3) *Quod si thronum quis petat, et sedere ad dexteram affectet, tunc quid possim curiose dispicio : si reperero quod his condignum sit, tunc est meum dare : vocant enim dantis potestatem accipientis merita. Ideo non est meum dare, sed Patris est dare. Pater, dum probat, non simpliciter gratificatur : exspectat mores nostros, donum dum parat ; non leviter effundit gratiam, sed munus recondit* (4), scilicet in subjecto ad illud recipiendum apte disposito. 4. Ut diutius in oratione persistamus : sola enim necessitas ut plurimum nos ad orandum inducit ; si autem Deus statim subveniret indigentiæ nostræ, non amplius oraremus : itaque ut diutius oremus differt sua beneficia. *Amat janua Salvatoris, ut pulsantibus semper abundet opportunis* (5), et ut fatur aliorsum D. Augustinus, « ipse Dominus præcepit in Evangelio, quia oportet semper orare, et non deficere (6) : *Ergo non deficiamus in oratione : ille quod concessurus est, etsi differt, non aufert : securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus in orando.* (7) 5. Ut res diu postulata, magna habeatur in pretio : quæ enim facile et cito acquiruntur, vilescunt. Itaque Deus cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. *Diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magne desiderare.* (8) 6. Quia nostris orationibus quodammodo cogi desiderat. *Nostris exspectat precibus compelli : quod facit, faciet citius nobis pulsantibus, fortasse et uberius. Dilatio hæc cruciatum minime parit, sed consolationis parturit cumulum : multiplicatis nostris precibus, exspectata solatio uberius refundet.* (9) Ad illam orationis perseverantiam incitat nos ipsemet Salvator aiens : *Petenti enim dabitur, et pulsanti aperietur, et quærenti invenietur.* (1) Non solum vult ut quæramus, atque petamus, sed etiam ut pulsemus desiderat. Idcirco, Christiane, *quære, pete et pulsa, quia omnis qui quærit, invenit ; qui petit, accipit, et pulsanti aperietur.* (2) Sed quære, pete et pulsa cum dependentia.

3. *Dicentes : Fiat voluntas tua, vel eo nobis bene optamus, quod nihil mali sit in Dei voluntate, etiam si quid pro meritis cujusque secus irrogatur.* (3) Persæpe Deus nobis quæ postulamus denegat quæ nobis nociva providet : neque adhuc ab adversitatibus liberat, quas nobis utiles cognoscit. Quare subjicienda est voluntas nostra ad voluntatem Dei, et semper postulandum dependenter. *Dominus quoque cum sub instantiam passionis infirmitatem carnis demonstrare jam in sua carne voluisset : Pater, inquit, transfer poculum istud. Et recordatus, nisi quod mea non, sed tua fiat voluntas.* (4) Christus suo nos docuit exemplo quomodo orandum sit ; scilicet cum humilitate orans et adorans pronus in terram ; cum perseverantia orans tertio eumdem sermonem dicens : cum dependentia voluntatem suam paternæ subjiciens voluntati : Christiane, Christi imitare exemplum, et *in omni oratione et obsecratione, Domini voluntatem in te, non tuam deprecare fieri.* (5) In hac submissione totam humilitatis summam sitam existimat D. Bernardus : *Porro totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra, divinæ, ut justum est, subjecta sit voluntati.* (6) Persequitur Bernardus : *Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit, subjectam esse Creatori ; sed a creatura rationali voluntaria subjectio quæritur, ut voluntarie sacrificet Domino, et confiteatur nomini ejus : non quia terribile et sanctum, non quia omnipotens, sed quia bonum est.* Convenientissimum enim est ut libera hominis voluntas quæ a Deo producta est, voluntarie suo subjiciatur auctori. Hoc laudis sacrificium ab orantibus exposcit Deus. *Bene intelliguntur oris voluntaria sacrificia laudis, confessione charitatis, non timore necessitatis oblata : unde dictum est : Voluntarie sacrificabo tibi.* (7) In tribus autem potissimum consistit voluntaria nostra dependentia ad Dei voluntatem. Nam, ut

(1) Ennod. L. 7. Epist. 15. — (2) Serm. 5. de Verb. Dom. — (3) Matth. 20. — (4) Orat. 24. — (5) D. August. Serm. 171. de Temp. — (6) Luc. 18. — (7) In Ps. 65. — (8) D. August. Serm. 5. de Verb. Dom. — (9) Gillib. Serm. 47. in Cant.

(1) Tert. L. de Præscr. Hæret. 11. — (2) Guerr. Serm. de tribus. panibus. — (3) Tert. L. de Orat. 4. — (4) Tert. ibid. — (5) D. August. L. de salut. Docum. c. 45. — (6) Serm. 25. de Diversis. — (7) D. August. Serm. de 23. in Ps. 118.

subjungit D. Bernardus, *at vero subjectionem istam triplicem esse necesse est : ut quod certum est Deum velle, id nos velimus omnino ; et quod certum est eum nolle, similiter exsecremus et nos ; quod autem incertum est utrum velit aut nolit, neque velimus ex toto, neque penitus non velimus.* Certum est Deum velle ut eum laudemus, amemus, ejus præcepta custodiamus, in gratia et sanctitate vivamus : itaque hæc omnia velle possumus et in oratione postulare. Certum est adhuc Deum nolle vindictam inimicorum, luxuriæ salacitatem, injustitiam, alieni boni rapinam, cæteraque peccata, quæ prohibet, ea quoque nolle debemus, neque ullo modo in oratione postulare. Incertum est an Deus velit nobis largiri temporalia fortunæ bona, aut etiam a malis pœnæ et afflictionibus liberare : illorum assecutionem et horum liberationem debemus velle non absolute, sed duntaxat conditionate : scilicet si Deus velit, et cum hac dependentia perseveranter orare. « Nemo vestrum, Fratres, parvipendat orationem suam : dico enim vobis quod ipse ad quem oramus, non parvipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ille scribi jubet eam in libro suo : et nunc indubitanter e duobus sperare possumus : quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius. Non enim quid oremus sicut oportet scimus, sed miseretur ille super ignorantiam nostram : et orationem benigne suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari necesse est, minime tribuit : oratio tamen infructuosa non erit. » (1)

Verum ut fructuosa sit oratio, *orantes non infructuosis, non aridis precibus ad Dominum veniant. Inefficax petitio est, cum precatur Dominum sterilis oratio* (2) : sterilis oratio illa est quæ a prava et scelerosa conscientia procedit. Non sterilem, sed fecundam orationem Deo offerebat Regius Vates aiens : « Auribus percipe, Domine, vocem deprecationis meæ; non dixit : Percipe auribus deprecationem meam, sed velut evidentius affectum animi sui, vocem deprecationis meæ: vitam deprecationis meæ, animam deprecationis meæ, non quod sonat in verbis meis, sed unde vivunt verba mea. Cæteri enim strepitus sine anima, soni dici possunt, voces non possunt. Vox proprie animatorum et vivorum est : quam multi autem deprecantur Deum, et non sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo: sonum deprecationis habere possunt, vocem non possunt, quia ibi vita non est. » (1) Vox, vita et anima deprecationis gratia est et sanctitas ; qui hanc non habent, sterilem orationem faciunt ; qui vero habent vitam et vocem deprecationis, non steriliter, sed fructuose deprecantur, quia orationem gratia animatam bonis fecundant operibus, dicentes cum Propheta : Deum exquisivi manibus meis, et non sum deceptus. (2) *Quomodo enim Deus incorporalis et impalpabilis manibus exquiritur, nisi operibus exquiratur?* (3) O quam felices qui manibus et bonis operibus exquirunt Deum, qui orationes suas animant gratia et sanctitate! Deus etenim percipit vocem deprecationis gratia vivificatæ et animatæ. Siquidem *oratio justi clavis est cœli, ascendit precatio, et descendit Dei miseratio: licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam* (4) ; cui Deus largitur et gratiæ augmentum, et gloriæ præmium.

(1) D. Bern. Serm. 5. in Quadrag. — (2) D. Cypr. Serm. de Orat. Dom.

(1) D. August. in Ps. 139. — (2) Ps. 76. — (3) D. August. Epist. 121. ad Probam. c. 13. — (4) D. August. Serm. 22. de Temp. — (5) Tert. L. de Orat. 1. — (6) Serm. 22. ad Frat. in Erem. — (7) Tert. L. de An. 14.

CONCIO QUARTA.

Oratio *tantum potest* (5) ut ejus virtus prorsus stupenda videatur. Admirandam ejus efficaciam D. Augustinus declarare nititur : « O quam grandis est orationis causa ! quam grande mysterium ! Ecce Moyses orabat in monte, et Josue Amalec devincebat. Per oratione Ezechias sanatur, et salutem animæ et corporis adipiscitur. Per orationem Saulus efficitur Paulus et Doctor Gentium, Jeremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exsultat, Job in sterquilinio triumphat, Susanna inter senes defenditur, paradisum de cruce Latro invenit, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, et inter lapidantes pro Saulo exauditur. » (6) Plures refert D. Augustinus historias ex sacris paginis desumptas, quæ orationis quidem commemorant virtutem ; sed non satis ejus demonstrant efficaciam, quæ tanta est ut, 1. Humanam superet industriam ; 2. Hostilem debellet valentiam ; Divinam detriumphet potentiam.

I. PARS. Rationalis *animæ ingenia* (7) demonstrare nituntur hac tempestate mortales, præsertim in comparanda eloquentia, in acquirendis divitiis, et in militari disciplina ediscenda: quia eloquentia persuadet quod vult; divitiis obediunt omnia, et armis imperia vel fun-

dantur, vel dilatantur. *Major autem horum oratio, ea namque operi et voci gratiam et efficaciam promeretur* (1); estque, 1. Eloquentia facundior; 2. Pecunia potentior; 3. Armis et bello valentior.

1. Oratores *habent artificium quo prius persuadent, quam edoceant.* (2) Verborum namque lenocinio demulcent aures et pro libito voluntates flectunt. Nam, ut fatur romanæ eloquentiæ Princeps, *tantam vim habet omnium regina rerum oratio, ut non solum inclinantem erigat, stantem inclinet, sed et adversantem et repugnantem quo velit inducat, deducat unde velit.* (3) Pyrrhus, Epirotarum rex, plures civitates eloquentia Cineæ legati, quam armis suo subjecit imperio (4); Demosthenes sua facundia semel et iterum adversus Philippum Macedonem et Alexandrum ejus filium totam Græciam armavit; diserta Valerii oratio populum romanum adversus senatum armatum, ab eoque sejunctum *ad meliora et saniora consilia revocatum Senatui subjecit et urbem urbi junxit.* Publius Antonius satellites ad eum enecandum a Mario et Cinna missos, ita sua eloquentia mollivit ut districtos et vibrantes jam gladios cruore vacuos vaginis reddiderint: Cicero pro Quinto Ligario perorans, Julium Cæsarem ad rescindendam mortis sententiam induxit: verum oratio justorum omni eloquentia facundior ipsum Deum in quas voluerit partes potentissime flectit: et ut fatur Salvianus, velut obedire compellit. *Quid Scriptura ait: Aures Domini in precibus semper justorum, non audientia tantum Dei, sed quædam quasi obedientia designatur.* (5)

Orpheus adeo suaviter lyram pulsabat, ut dicatur ad se adduxisse, non solum homines, sed etiam deos, imo et ipsas res inanimatas: ex hac fabula vere colligit D. Hieronymus, quantum divinas demulceat aures oratio justorum. *Hæc est lyra nostra, hæc cithara, in hac cantamus Domino* (6); imo excantamus Dominum, quomodo Septuaginta vertunt istud Davidicum: *Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara, excantate vertunt. Excantatur enim Dominus, quando sanctis carminibus et præcantationibus ab ira in peccatorem concepta avellitur.* (7) Divina justitia juste contra scelestissimos peccatores irata, pio orationis præstigio incantatur, lenitur, mitigatur, et Deus a furore concepto potenter avellitur: quo sensu minatur Deus se ablaturum a suo populo *prudentem eloquii mystici.* (1) Prudens eloquii mystici, aiunt commentatores, est vir pius et dono orationis pollens: seu, ut legit Theodotion, *prudens incantator* (2): quia piis justorum precibus excantatur Deus: adeo efficax est oratio, omni eloquentia facundior et pecunia fortior.

2. *Aurum et argentum principes materiæ cultus secularis* (3) belle vocitantur a Tertul. Cur autem tantopere colantur et venerantur a mortalibus? quia qui habet aurum et argentum omnia habet; et ut veteri dicitur adagio, *cornu Amaltheæ ei præsto est, cui pecunia est*: fabulantur poetæ Jovem Amaltheæ nutrici suæ in gratitudinis monumentum contulisse abundantiæ cornu continens quidquid vellet desiderare. Non fabulose, sed vere *thesaurus certe perpetuus, divitiæ inexhaustæ, denique auctor parens, fons et radix bonorum omnium, et innumerabilium, oratio est.* (4) Oratione siquidem omnes bonorum species obtinentur. De qua dici potest idipsum quod Salomon protulit de sapientia: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, bona scilicet utilia ac delectabilia et honesta. Nam *quid est oratione præclarius? quid vitæ nostræ utilius? quid animo dulcius?* Quod fuse demonstrat D. August. (5) subjungens: « Oratio est quæ ad bonum nos Christianos provocat: Oratio est qua cum Deo loquimur, qua patrem eum dicimus, qua cuncta desideria nostra in conspectu majestatis ejus effundimus. Oratio est quæ cœlos penetrat, nubes transit, Dei aures attingit. Hæc cathecumenis spiritum, fidelibus præsidium, pœnitentibus solatium præstat. Hæc justos continet, sublevat peccatores. Hæc magna servat, hæc tutatur et minima. Per hanc qui stant non cadunt, et qui elisi sunt, eriguntur; per hanc divites tuti sunt; per hanc pauperes non deficiunt; hæc pro illorum abundantia excubat, hæc ut ab istis penuria expellatur, exorat; per hanc gubernamur in prosperis; per hanc fiduciam gerimus in adversis: hæc nobis in gaudiis jucunda est, hæc in luctibus suavis; per hanc lætitiam percipimus, per hanc tristitiam declinamus. Huic animi nostri pondus et tædium nocivaque omnia commendamus: hanc quasi idoneam quamdam et tutissimam navem, universorum desideriorum nostrorum oneramus, quæ ad omnipotentem Deum precamur expansis manibus fusisque precibus prospero felicique cursu perveniat; per hanc omnia timoris Domini ornamenta percipimus; per

(1) D. Bern. Epist. 201. — (2) Tert. L. adv. Valent. 1. — (3) Lib. 2. de Orat. — (4) Valer. Max. Lib. 8. c. 9. — (5) L. 2. de Gubern. Dei. — (6) In Psal. 142. — (7) Geneb.

(1) Isai. 3. — (2) Corn. Lap. — (3) Tert. L. 1. de Cult. Femin. 4. — (4) D. Chrysost. Orat. 4. de Incomp. Dei Nativ. — (5) D. August. Tract. de Misericordia.

hanc quidquid fides inchoat, spes cumulat, charitas decorat, assidua deprecatione servamus; per hanc in confessione persistimus, in tentatione duramus.» Fuse demonstrat D. Augustinus orationis virtutem, cujus efficaciam aliorsum duobus verbis declarat *per orationem omnia nobis a Domino utilia tribuuntur, et cuncta nobis noxia procul effugantur* (1), quod evidentius ex pecuniæ comparatione patebit.

Pecuniæ facultates nuncupantur, quod ad res omnes facultatem et facilitatem præstent. Nam quidquid in urbe carum, in orbe rarum, quidquid voluptati natum, quidquid voluntati gratum, et ut fatur poeta, *et genus et formam, regina pecunia donat.* (2) At oratio potiori modo vocitanda est facultas, quia obtinendi tum temporalia, tum cœlestia habet facilitatem. *Per sanctas preces cursum habet pietas facilem atque secundum.* (3) Pecunia emuntur res ad vitam necessariæ. Oratio est *pecunia spiritualis* (4) qua emuntur quæ ad corpus pertinent, et ea quæ animam spectant: *Pecuniæ obediunt omnia*, ait Ecclesiasticus, et oratione omnia adipiscuntur. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis.* Pecunia vinctos carcere eximit, morti damnatos absolvit. Oratio Danielem ex lacu leonum, Petrum ex arctissimo carcere, et Paulum de instanti mortis periculo liberavit. Pecunia *potentior est ictu fulminis*, ait poeta, oratio longe pecunia potentior, saxa et rupes pervadit, nubes penetrat, ad cœlum usque ascendit. Pecunia nequit neque corporis morbos sanare, neque sapientiam, virtutem aliasque animi dotes comparare, neque ordinem naturæ mutare at media oratione morbi corporis sanantur, virtutes comparantur, montes de uno loco in alium mutantur, aquæ solidantur. Sol immobilis stetit, et horologium Achaz decem lineis retroegit. Pecunia nequit energumenos a dæmonibus eximere, neque mortuos ad vitam reducere. Oratio Saræ domum a dæmonio liberavit, et Sunamitidis filium ad vitam revocavit. (5) Pecunia nervus belli appellatur, et arma queis principes, urbes, arces, provincias suæ ditionis faciunt. His duobus elogiis commendatur oratio a D. Chrysostomo: *Quod quis animi nervos preces appellaverit, mihi profecto vere dicere videatur.* (6) Preces adhuc arma nuncupat aureum græcæ eloquentiæ flumen. (7) *Magna arma sunt preces* (8) armis quibus belligerare solent mortales longe valentiores.

(1) Serm. 2. de Orat. — (2) Tiraquell. L. 3. de nobilit. — (3) Hor. Lib. Epis. 6. — (4) D. Chrysost. Homil. 2. de Orando Deo. — (5) Osor. Dom. 5. post Pasch. — (6) Hom. 2. de Orand. Deo. — (7) Hom. 13. in 6. Matth. — (8) Tert. L. de Idol. 8.

3. Humana industria *armarium compingit*, et arma ad bellandum necessaria cudit. Oratio est humanæ imbecillitatis armarium, corporum robur, arx fortitudinis, virtutum supplementum, potentiæ complementum. Nonnulli de natura conquesti sunt, quod erga hominem potius novercam quam matrem sese ostentarit. Cæteris namque animantibus arma subministravit, quibus sese defendere et conservare possent, hominem vero nudum et inermem produxit. Huic querelæ varie respondent auctores natura ab hac injuria vindicantes, Plato quod homini præ cæteris animantibus tribuerit prudentiam et rationem, qua armorum loco uti potest: D. Chrysostomus (1) quod homini contulerit manus, quibus omnia valeret conficere armorum genera: Gregorius Nyssenus (2), quia Deus naturæ auctor, seu natura naturans homini dedit vocem et orationem, quæ omnibus corporalibus prævalet armis. *Aptissima arma oratio est* (3), tum ad se conservandum a telis inimicorum, tum ad aggrediendos inimicos.

Armorum duo sunt genera: defensiva et offensiva. Illis omnes hostium retunduntur insultus et ictus. Quare Gregorius Nyssenus orationi aptat, quod sacer Sponsus in laudem Sponsæ prædicat: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* (4) Oratio est velut arx munitissima, in qua in tuto est Christianus adversus mundi fallacias, carnis blanditias, dæmonis astutias; oratio est scutum et clypeus quo munimur in publica calamitate, in privata adversitate, in fortunæ jactura, corporis infirmitate, animi mœrore, et quavis qua gravamur, angustia et afflictione. Gregorius Nyssenus pro mille clypei pendent in ea omnis armatura fortium, legit: *Omnes hastæ potentum*, quia preces, non solum sunt clypei et arma defensiva, sed etiam haste et arma offensiva. Unde D. Ambrosius: *Arma nostra sunt quibus nos Salvator instruxit: oratio longius vulnerat quam sagitta: sagitta enim nonnisi proxime conspectum percutit adversarium; oratio autem longius positum vulnerat inimicum.* (5) Oratio tanquam scutum inexpugnabile orantes valentius armat et protegit, et tanquam sagitta acute penetrans hostes a longe ferit. Nec mirum, quia ipsamet auxiliatrix Dei manus arcum

(1) Hom. 2. de Orando Deo. (2) Hom. 7. in Cant. — (3) D. Chrysost. ib. — (4) Cant. 4. — (5) Serm. 88.

quo jaculatur tendit : quem ideo sic adloquitur D. Paulinus : *Te vero tendente pro nobis arcum orationis, non convertetur in arcum pravum* (1); sed nostros percutiet inimicos. Hujusmodi arcum præ cæteris filiis Josepho reliquit Jacob : *En morior, do tibi partem unam extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrhæi; in gladio et arcu meo.* (2) Pars illa quam dedit Josepho Jacob, erat possessio quædam juxta civitatem Sichem. Quo gladio autem et arcu illam de manu Amorrhæi tulerit, declarat Paraphrastes Chaldæus legens pro in gladio et arcu, *in oratione et deprecatione mea.* Quia oratio est omni gladio acutior, omni sagitta fortior, et omni terrena armatura potentior. Hac armatura *armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti.* (3) Verum inintelligibile videtur, quomodo filii Israël, qui vix habuerunt tempus colligendi secumque sumendi vitæ necessaria, tam cito sibi providere arma potuerint; at licet nulla secum detulerint arma materialia, non defuerunt illis arma spiritualia, queis inimicos aggressi sunt et debellarunt. *Per quod indicatur, populum Dei, non tam manu et armis quam voce et lingua pugnare, id est, orationem ad Deum fundendo.* (4) His spiritualibus armis armatus Israël, Gerezæos, Amorrhæos, Hethæos, Hævæos, Jebusæos, Chananæos et Phærezæos, septem nationes sibi infensissimas expugnavit. Sapientis namque testimonio, *vicit turbas, non in virtute corporis et armatura potentiæ, sed verbo et oratione* (5) quæ hostilem debellat valentiam.

II. PARS. *Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quæritur, et victoriis propagatur.* (6) Tres ut plurimum adversus nos militant inimici, qui nos suo imperio subdere moliuntur : primi sunt calentes carnis concupiscentiæ; secundi, spiritales nequitiæ, seu dæmones; tertii sunt homines, seu extraneæ gentes. Carnis concupiscentiæ suo imperio nituntur subdere rationem; spiritales nequitiæ animam suæ tyrannidi subjicere moliuntur; et gentes extraneæ, regiones nostras suæ ditionis efficere conantur : adversus tres illos inimicos nobis præliandum est; et ut illos superare valeamus, advocandæ sunt in auxilium *victoriales preces* (7); quia victoriam negotiantur adversus, 1. Carnis concupiscentias; 2. Spiritales nequitias; 3. Gentes extraneas.

(1) Epist. 1. ad Victricium. — (2) Genes. 48. — (3) Exod. 13. — (4) Orig. Hom. 11. in Exod. — (5) Sap. 18. — (6) Tert. Apol. 25. — (7) Philo. Jud. L. de Cong. quærendæ erud.

1. *Imperium animæ, obsequium carni distribuimus.* (1) Tantum abest ut caro animæ obtemperat; quin imo animæ dominari præsumit; et ut facilius obtineat principatum, suscitat passiones adversus rationem, et voluntatem æstu concupiscentiæ sufflammat. *Caro concupiscit adversus spiritum.* (2) Quam sit contraria lex carnis legi mentis, propria experientia edoctus Apostolus exoptabat liberari de corpore mortis hujus. Neque minori anxietate urgebatur D. Bernardus, exclamans : *Heu mihi, Domine Deus, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta.* (3) Et aliorsum fatetur : *Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio* (4); nimirum concupicentia carnis, concupiscentia oculorum et concupiscentia gloriæ temporalis. *Attamen contra sordes istas orationis oppono remedium.* Idem remedium sorori consulit, ut de carnis concupiscentiis reportet victoriam : « Soror mihi in Christo dilecta, hoc est remedium ejus qui vitiorum tentationibus æstuat, ut quanto amplius tentatur, tanto amplius ad orationem currat. Si ergo cogitationes hujus seculi malæ et sordidæ conturbant cor tuum, et persuadent aliquid illicitum perpetrare, per orationes puras et vigilias sanctas assiste in conspectu Domini in tempore orationis tuæ; cognosce, venerabilis soror, quia non solum debemus pugnare contra diaboli tentationem, sed etiam contra vitia carnis. Quare ? quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; ideo tam perseveranter debemus orare, quousque possimus per gratiam Dei suggestiones carnalium desideriorum atque tentationes dæmonum vincere. Frequens oratio exstinguit impugnationem vitiorum. Oratio est prima virtus adversus tentationum incursus; oratio continua superat tela diaboli » (5), et spiritales expugnat nequitias.

2. Neque solum adversus carnis concupiscentias, sed adhuc *adversus spiritalia malitiæ* (6) nobis est præliandum. Verum potentes illi et callidi hostes oratione facile vincuntur. Nam, ut ait D. Chrysostomus, *oratio Ecclesiæ murus qui rumpi non potest, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, piis vero tutum ac salutiferum.* Oratio a conscientia innocua et ore puro procedens, est murus inexpugnabilis, quo fidelis cingitur, arx fortissima, muni-

(1) Tert. L. de Res. 16. — (2) Tert. L. de Mon. 1. — (3) Serm. 6. Quadrag. — (4) Serm. 1. in Fest. omn. Sanct. — (5) L. de mod. ben. Vivend. c. 67. — (6) Tert. L. de Jejun. 17.

mentum tutissimum quod omnes inferni vires arietare et subruere nequeunt, neque aggredi audent. Nam, ut subjungit D. Chrysostomus, *ad animam precibus munitam non audet diabolus propius accedere, metuens robur ac fortitudinem quam illi deprecatio subministravit, magis vegetans animum quam cibus vegetat corpora.* (1) Cibus corporibus præstat fortitudinem, eaque ad prælandum apta efficit : oratio confert animæ illique subministrat vires ad dæmones debellandos. Quod denotavit ipsemet Salvator dicens discipulis qui contumacem diabolum excantare non poterant : *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire nisi in oratione et jejunio.* Sic oratio hominem roborat, sic valenter armat, ut potentissimum dæmonum exarmare et expugnare valeat. *Oratio jugis infirmitas hostis :* quo magis homo vacat orationi, eo majores sumit vires, et dæmon magis debilitatur. At e converso, quominus homo studet orationi, eo minimam habet fortitudinem et dæmon magis roboratur. *Cæterum ipse contra se ista ministrat, qui hostem precum instantia non fatigat* (2) ; qui scuto orationis non se clypeat, qui hoc ense non se accingit, qui hoc telum non vibrat, sibi excidium, victoriam diabolo parat. Christiani, orationibus nostris dæmonum fatigemus nequitiam ; quantumvis potentes sint diaboli, precum robore debilitantur. *Oratio terra superior, igne ardentior; quare terribilis hostibus redditur.* (3) Oratio terra superior ; quia cœlestis idcirco dæmon orationis fulmine quasi de cœlo tangitur. Oratio ardentior igne quo in gehenna torquentur dæmones. (4) Hoc igne D. Bartholomæus orans ustulabat dæmonem : et ob hanc causam orans terribilis efficitur dæmonibus, qui pias fugiunt orationes, ne igne pira infernali ardentiori crucientur. *Gravis equidem nobis est inimici tentatio, sed longe gravior est illi nostra oratio.* (5) Tantum humanis precibus licet, quibus spiritales nequitiæ fatigantur ; quibus dæmones vincuntur et fugantur ; quibus Angeli apostatæ igne acerbiore cruciantur ; quibus tartareæ potestates prosternuntur et calcantur. Nam, ut fatur D. Augustinus, *ubi assiduis pulsatur orationibus cœlum, potentia semper calcatur* (6), potentia diabolica, potentia humana ; oratio namque hostes extraneos et gentes alienigenas detriumphat.

3. *Porro bella et victoriæ, captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum injuria non est. Eædem strages mœnium et templorum, pares cædes civium et sacerdotum : nec dissimiles rapinæ sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot trophæa; tot de deis ; quot de gentibus triumphi, tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captivorum deorum.* (1) De Romanis loquitur Tertullianus, quorum rapinas, depopulationes, impietates et sacrilegia in bellando redarguit. Et utinam non urgeret modum bellandi Christianorum qui omnia devastant, promiscue res sacras et profanas rapiunt, depopulantur, et in favillas et cineres redigunt. Adversus exitiosum illud flagellum advocanda est oratio. Gregorio namque Nysseno, *oratio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas* (2) : ut multiplici comprobatur exemplo ex sacris paginis desumpto : « Quod per omnipotentem Deum sæpissime victæ sint fortes et inexpugnabiles hostium acies, ex sacris Scripturis, siquidem quis videre voluerit, poterit facile. Nam divinus Samuel, Judæorum terram Philistinis bello depopulantibus, gravemque et molestum impetum facientibus, precibus ad Deum fusis, grandinem de cœlo descendere fecit, tam copiosam et gravem et intolerabilem, ut pedestri exercitu, cum equitum alis cadente, absque labore Israëlitæ, victores evaserint, et pro his qui Deum timebant, cœlum arma moverit. » (3) David pascendis ovibus addictus, in disciplina militari haud eruditus neque clypeo et hasta munitus, sed oratione duntaxat armatus, Goliath expugnavit statura magnum robore validum et Philistinorum Achillem potentissimum. Quem sic alloquitur apud D. Chrysostomum : *Tu terrenis dimicas, ego cœlestibus pugno ; tu in lancea, ego in fide ; tu in clypeo, ego in precibus.* (4) Vide ex una parte gigantem fortissimum, clypeatum, lanceatum, gladioque munitum ; ex altera juvenem inermem, absque clypeo, gladio, lancea, sola oratione armatum : attamen *hac barbarum illum prostravit, eo quod priusquam mitteret lapides, cum precationis robore fuerat aggressus.* (5) Hanc aliasque reportatas de inimicis victorias, David adscribit Deo, a quo mutuatus est, et corporis robur, et bellandi peritiam. « Deus qui præcinxit me virtute ; qui docet manus meas ad prælium, et posuit ut arcum æreum brachia mea. » (6) Virtute accinctus fuit David, id est, fortitudine, animi alacritate, ad

(1) Lib. 1. de Orando Deo. — (2) Marc. 11. — (3) D. Chrysost. Serm. Moyse. — (4) D. Chrysost. in cap. 17. Matth. — (5) D. Bern. Serm. 3. in Dedic. Eccles. — (6) Serm. 228. de Temp.

(1) Tert. Apol. 25. — (2) Tract. de Orat. — (3) D. Cyril. Alex. L. 7. contr. Julia. — (4) Homil. de David. et (5) Saule. — D. Chryssot. — (6) Psalm. 17.

hostes strenue invadendos et animose profligandos. Scientia militaris militi quantumvis robusto necessaria est ad hostes repugnandos et expugnandos. In arte militari a Deo etiam eruditus fuit David. Quænam autem fuerit illa doctrina militaris in qua fuit edoctus ad bella strenue gerenda et victorias gloriose reportandas, declarat ipsemet divinus athleta: Posuit ut arcum æreum brachia mea. *Etenim ad preces manus expandens, supero inimicos meos.* (1) Taceo quod mœnia urbis Jericho *fide orantium* (2) *corruerunt.* Taceo similiter virtutem orationis Ezechiæ regis (3), qui post acceptas a rege Syriæ Sennacherib litteras blasphemiis adversus Deum, et minis contra homines refertissimas, causam suam ferventissimis precibus commendavit : « Cum accepisset Ezechias litteras de manibus inimicorum et legisset eas, ascendit in domum Domini, et expandit eas coram Domino, et oravit in conspectu ejus. » (4) Et ut fatur Egesippus, « non verba verbis, nec arma armis referenda credidit, sed exsurgens cilicio se ut scuto induit ; pro galea cinere caput texit ; pro jaculis orationem intorsit. Cæsa per noctem octuaginta quinque millia Assyriorum cadavera numeravimus. *Ascendit oratio, descendit Angelus.* Plures alias ejusmodi victorias media oratione reportatas, a sacris paginis relatas prætermittens, trinam duntaxat affero.

Primam Moysis orationis efficacia Amalech debellantis. *Jam vero Moyses, quid utique tunc tantum, cum Jesus adversus Amalech prœliabatur, expansis manibus orabat residens : quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus depositis, et manibus cœdentibus pectus, et facie humi volutante, orationem commendare debuisset, nisi quia illic ubi nomen Domini Jesu dimicabat, dimicabatur quoque adversus diabolum : crucis quoque erat habitus necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus.* (5) Non immoror in trina Tertulliani allegoria. Una qua Jesus Israëlitarum dux Christum Christianorum præfigurabat magistrum ; altera, qua victoria Josue de Amalechitis denotatur victoria de diabolo per Christum reportata; tertia, qua Moyses expansis manibus orans significabat Christum cruci patibulatum pro hominibus orantem, et tartareos hostes detriumphantem. Verum illis allegoriis et figuris prætermissis in orante Moyse orationis apparet efficacia : Scripturæ namque testimonio, dum « Moyses levaret manus, vincebat Israël ; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech, » (1) qui assidua et ferventi Moysis oratione prostratus et profligatus est.

Amalech Moysis oratione debellatus miram precum ostentat virtutem. Sed non minus stupenda est victoria de inimici Elizæi oratione reportata. Elizæus circa urbem Dathan simul cum populo Dei numerosissimo hostium exercitu circumdatus, cum evadendi nullus ei suppeteret locus : « Oravit ad Dominum : Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate : » (1) mox ut orationem fudit Elizæus, a Deo exauditus est : « Percussitque eos Dominus ne viderent juxta verbum Elizæi. » Memorandum hoc factum admirans, D. Ambrosius, acriter increpat eos qui militum arma commendant et Sanctorum orationes depretiant : *Ubi sunt qui dicunt plusquam preces Sanctorum hominum arma posse ? Ecce una oratio Elizæi totum exercitum vulneravit. Quæ caterva regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt : ita ut hostes prosternerent et de illis nullus occumberet ? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, ubi sic adversarius vincitur, ut de vincentibus nullus lædatur.* (3)

Admirandæ sunt prorsus duæ præfatæ victoriæ, sed absque comparatione magis stupenda quam Judith de Holopherne reportavit. Hanc sic prædicat D. Augustinus : « Precibus Judith patuit cœlum ; orationis arte, arma victricia fabricavit, quibus adversa confligeret, et pavescentes viros femina vindicaret. Orationis favore castitas pudorem proprium servavit intactum, decepitque alienum : cum palmifera castitate Judith ad cives sollicite festinat, jam recipit attonita civitas tantæ victricis reditus triumphales ; jam luctus convertitur in gaudium. Ubi enim assiduis pulsatur orationibus cœlum, potentia calcatur armorum. Ecce gloriosæ feminæ castitatem servavit oratio, et hostem servare non potuit multitudo. » (4) Judithæ victoriam oratione partam belle commendat D. Chrysostomus, ad ejus exemplum Bethulienses *ad preces conversi, præsidium revera inexpugnabile ad illud confugerunt.* (5) Præsidium profecto inexpugnabile oratio, ut constat ex Sisara Chananæorum duce a muliere prostrato ; ex Abimelech civitatum expugnatore feminea manu percusso ; ex Holopherne, Assyriorum duce a Juditha, truncato.

(1) Patres Græc. in Paraph. — (2) S. Ansel. in c. 11. Hebr. — (3) L. 4. Reg. 19. — (4) Lib. 1. c. 16. — (5) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 18.

(1) Exod. 17. — (2) Lib. 4. Reg. 6. — (3) Serm. 1. de Elizæo. — (4) Serm. 228. de Temp. — (5) D. Chrysost. in cap. 12. Actor.

Quam sit oratio auxiliatrix in bello agnoscentes, *Gothi et Vandali, in discrimine positi, opem a Deo postulant, et prosperitates suas munus divinum appellant.* (1) Tot exempla stimulant Christianos bella gerentes, ut assiduis vacent orationibus ad instar Israëlitarum, qui copiosissimum hostium exercitum conspicientes, ad suos fines approximantem convenerunt in cœtum, *ut essent parati in prælium, et ut orarent* (2), probe scientes victorias, non tam armis quam precibus comparari.

Verum ut preces victoriales existant, debet eas innocua comitari conscientia. Civitatem Hiericho, clausam atque munitam obsidere volens Gedeon, vidit Angelum Dei majestatem repræsentantem, evaginatum gladium tenentem, sibique dicentem : *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est.* (3) Nonnulli autem apud Thodoretum per calceamenta temporalium sollicitudines intelligunt quæ ab orantibus deponendæ sunt. « Aliqui dicunt ea re significasse Deum, ut sollicitudines secularium abjiceret huic mortali vitæ adhærentes. » (4) Elias Cretensis per calceamenta significatum existimat humanum auxilium quod abnegandum est ei qui Deum opitulatorem habere desiderat. « Calceamenta ad ferarum et serpentium morsus cavendos inducimus : eum porro qui Deum opitulatorem habet, neminem metuere oportet, merito proinde hic, velut supernum auxilium jam consecutus, ab Angelo monebatur ut seipsum omni humano auxilio denudaret. » (5) Qui enim Deum in bello non implorant, sed excludunt, et in suis armis, militibus et potentia duntaxat confidunt, contra Deum pugnant, et sæpe sæpius victoria frustrantur. Quod innuit ipsemet Deus Gedeoni contra Madian prælaturo. *Multus tecum est populus nec tradetur Madian in manu ejus.* (6) Rationem subjungit: *Ne glorietur contra me Israël, et dicat : Meis viribus liberatus sum.* Ubi Salvianus : « Audiant omnes contraria et blasphema jactantes ; audiant hæc spem suam in homine ponentes, loqui universos adversus se Deus dicit, qui liberari se suis viribus posse præsumunt : quis est autem Romanorum non ita dicens ? quis est non ita sentiens ? quis nostræ partis non prope jugiter in hac parte blasphemus ? » (6) Tandem idem Elias Cretensis melius ad propositum per calceamenta ex pellibus animalium mortuorum confecta peccata, quæ mortem inferunt animæ, intelligit : *Quia iis qui adversus hostes trophæum erigere cupiunt, peccati mortalitas, cujus pellis utpote mortua signum gerit, deponenda est.* Deponat ergo peccatum qui inimicos detriumphare desiderat : qui absque læthali peccato orationi jugiter vacat, hostilem valentiam vincit : sic Moyses Amalecitas *non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit*, divinamque potentiam superavit.

(1) Salvian. L. 6. de Provid. — (2) Lib. 1. Machab. 3. — (3) Josue 5. — (4) Quæst. 7. in Exod. — (5) In Orat. 1. Apolog. Greg. Naz. — (6) Josue 6. — (7) Lib. 6. de Proverb.

III. PARS. Deum credimus *perfectæ potentiæ et majestatis* (1); divinæ potentiæ participem orationem asseverat D. Chrysostomus : *Nihil enim est homine probo orante potentius.* (2) Tanta est orationis virtus et potestas, ut divinam, 1. Demulceat iracundiam ; 3. Exoret misericordiam ; 3. Superet quodammodo potentiam.

1. Oratio *aures Dei aperit, severitatem dispergit, clementiam elicit.* (3) Quod innuere videtur sacer Sponsus dilectam laudans Sponsam : *Quid videtis in Sulamite, nisi choros castrorum ?* (4) Ad hunc loquendi modum merito stupet Theodoretus : *Quid chori cum castris ? neque enim castris conveniunt chori, pax enim bello contraria est.* Quasi dicat : Non minus est contraria pax bello, quam chori castris : in choro namque ecclesiastici, in castris milites commorantur. In choro auditur psalmodia et musica : in castris tormenta bellica resonant ; in choro laudatur Deus, in castris blasphemiis lancinatur ; in choro viget concordia et dilectio, in castris regnat vindicta et animadversio. Dubium a Theodoreto propositum, ab ipsomet acute solvitur : *Nimirum natura orantis animæ per hoc nobis exprimitur. Etenim dum apud Altissimum preces fundit, et musici officium facit et militis.* Militis est pugnare, musici est vocum concentu aures demulcere. Utrumque officium exsequitur homo justus devote orans. *Musici quidem, dum placat iram ; militis vero dum vincit invincibilem.* In orantibus utrumque officium agnoscit Regius Vates : musicorum enim instar divinas decantant laudes : *Exaltationes Dei in gutture eorum ;* et adhuc ad modum militum ensibus armantur, *et gladii ancipites in manibus eorum* (5), ut animadvertit D. Chrysostomus, *ostendens per hoc quod canentes et laudantes, sic vincent* Dei iracundiam, ejusque exorabunt misericordiam.

2. *Ex quo Christianos a Deo orbis accepit,*

(1) Tert. Apol. 24. — (2) In c. 7. Matth. — (3) Tert. Lib. de Pat. 13. — (4) Cant. 7. (5) Psal. 149.

deprecatores Dei esse cœperunt (1); qui Dei misericordiam exorare præsumunt. Piæ hujus præsumptionis binum invenio in duabus piis feminis exemplum : Juditham prodit sacer textus sic Deum orantem : *Exaudi me deprecantem, et de tua misericordia præsumentem.* (2) Supplex orationis præsumptio, fastus est orationis, divinam æmulans munificentiam : quæ ne a præsumptuosa vincatur oratione, etiam audacissimæ præsumptionis vota transcendit. Ut enim ait Ennodius, *ingerit superna dispensatio, etiam quod supplicare humanitas non præsumit.* (3) Gregorius Nazianzenus sororem adhuc Gorgoniam de pia orationis præsumptione commendat : *Ad altare cum fide procumbit Gorgonia; tandem pia et præclara quadam impudentia fertur.* (4) Pie impudens et simpliciter superba dicitur Gorgoniæ oratio, quæ tanta spei certitudine efferebatur, ut præsumeret ea omnia se posse quæ potest impetrare. Oratio humilis quædam superbia est, pia quædam impudentia de sua humilitate divinam misericordiam exorans, ut ex Chananæa et Hemorroissa comprobatur.

De Chananæa. « Sollicitis auditoribus (5) Beatus Marcus (6) non parvam generat quæstionem dicendo : et inde surgens Dominus, abiit in partes Tyri et Sidonis, et ingressus domum, neminem scire voluit, et non potuit latere. *Voluit et non potuit: velle et non posse, non est divinæ majestatis, est infirmitatis humanæ: scriptum est enim* (7) : *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra, in mari, et in omnibus abyssis. Et Apostolus: Voluntati ejus quis resistit?* (8) *Succumbit necessitati, quæ non libera et absoluta est voluntas. Leprosus dicit ad Dominum : Si vis, potes me mundare; et Evangelista dicit : Voluit, et non potuit; quid ait Beatus Marcus? Nunquid extollenda ita est mulieris fides, ut inclinetur Domini possibilitas et voluntas? aut est tanta sagacitas fidei, ut volente Domino divinum valeat investigare secretum?* Evangelista dicens quod Christus voluit latere et non potuit, mirum in modum Chananææ fidem et orationem commendat : fidem quidem quæ sic inveniri nolentem voluit investigare Christum, ut beneficum remediatorem meruerit invenire. Orationem etiam, quæ adeo fuit potens, ut ad eam Domini possibilitas et voluntas fuerit inclinata. O magna *viduæ instantis ad perseverantiam orationis* (9), virtus quæ a nolente optatum extorsit beneficium et divinam potentiam ad suam inclinavit voluntatem ! *Chananæa fuit pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis, prætereuntem revocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat* (1) ; qui animosa Chananææ fide et oratione exoratus, dixit ei : « O mulier magna est fides tua ! Fiat tibi sicut vis. » (2) Alias curationes omnipotenti sua voluntate, operatur Christus : at in proposito curationem Dominus velut omittens, remittit in orantis feminæ voluntatem : *Fiat tibi sicut vis :* quasi puella non tam Christi potestate sanata sit quam supplicantis matris oratione, ad cujus voluntatem accommodata est Dominica potestas : *Fiat tibi sicut vis :* tua voluntas, mea omnipotentia quodammodo est, tuum velle, veluti meum est posse, quidquid possum imperando, tu potes obsecrando.

Neque minus apparet orationis virtus in Hemorroissa quam in Chananæa. Quemadmodum enim hæc latentem cognovit Christum ejusque potentiam ad suam voluntatem inclinavit, sic illa, Salvatoris tangendo fimbriam, virtutem attraxit, qua sanata est a fluxu sanguinis. (4) Verum uti Marcus ingeneravit quæstionem circa Chananæam, ita Matthæus Evangelista generat quæstionem cum dicit (5) : Et statim Jesus in semetipso cum cognovisset virtutem quæ exierat de eo, conversus ad turbam, aiebat : Quia tetigit vestimenta mea? (6) Cui discipuli dicunt: Turbæ te comprimunt, et dicis : Quis me tetigit? « Discipulis videbatur quod omnes tangerent Dominum solo corpore comprimentes, et tali carnali incursu omnes similiter jungerentur : at ille qui aliter senserat et aliter inquirebat, pervenisse mulierem ad majestatem suam, ad suam penetrasse virtutem, mente, non corpore, non communi tactu, sed fide : unde clamat, non homo, sed Deus : Quis me tetigit ? ut eum proderet virtus operis, quem tunc humanitas occultabat. » Eamdem difficultatem urget et solvit aliorsum Chrysologus de Christo aiens (7): « Dum interrogat, velut ignorantiam profitetur : exiisse virtutem de se sentit, ad quam exierat, nescit ; quod præstiterat, novit ; cui præstiterat, ignorat ; de persona dubitat, qui certus est de salute collata ? Verum non ignorantis errore, sed majestate Dominus hic scientis, et præscientis interrogat ; nec quod occultum sibi esset, requirit : sed et ipsum sibi bene esse cognitum, sic demonstrat : dum tali-

(1) Tert. Apol. 40. — (2) Judith. 9. — (3) Lib. 4. Ep. 29. — (4) Orat. pro Gorgon. — (5) Chrysol. Serm. 100. — (6) Marc. 7. — (7) Psal. 114. — (8) Rom. 4. — (9) Tert. Lib. de Res. 33.

(1) D. Ambr. Lib. 1. in Luc. c. 7. — (2) Matth. 13. — (3) Matth. 15. — (4) Matth. 5. Chrysol. — (5) Serm. 36. — (6) Chrysol. Serm. 100. — (7) Serm. 36.

ter quærendo cunctis ignorantibus, solus aperit quod latebat. Interpellatricem tacitam, et suggerentem cogitationibus solis, ac post tergum virtutis suæ adhærentem, non ut discussor nescius, sed ut præscius inquisitor producit in medium, suisque facit astare conspectibus, ut quæ sibi portarat salutem, omnibus reportaret, et quæ virtutem probarat, agnosceret majestatem : nec rediret ut putabat incognita, quæ plenam sibi dederat notionem. » Multus est Chrysologus : tum in probando Christum non esse nescium tactus mulieris ; tum in afferendo rationes cur voluerit Dominus feminam non latere, sed adstantibus cognosci : verum non declarat quænam fuerit illa virtus quam a se exiisse proclamat Salvator : quam prodiisse existimat Neotericus (1) a tacita et velut omnipotente Hemorroissæ oratione, licet enim feminæ sanitas processerit a Christo ; quia tamen non dicitur operata a voluntate Christi, sed ipso quasi nesciente processisse, credi potest quod feminæ oratio omnipotentiæ æmula *piissimum Deum tanta precum ambitione pulsavit.* (2)

Ambitiosus post dominationem et imperium anhelat : Oratio etsi de se humilis et supplex, imperium tamen ambit, sibique dominationem arrogat : quare nuncupatur a Clemente Alexandrino *oratio dominans* (3) ; quia supplicando jubet, et rogando imperat. Ut enim belle ad propositum ait Ennodius : *Præcipio spe, futura quæ deprecor.* (4) Id est, adeo certus sum impetrare quæ in oratione expostulo, ut non tam rogare videar quam imperare : Quid amplius dici potest ad commendandam orationis potentiam, quæ omnipotenti et independenti Deo velut imperare præsumit ; cui Deus velut obtemperat : et ut fatur Josephus, *factus obediens Deus pluit ?* (5) Loquitur de pluvia Eliæ orationibus obtenta : neque minus admiranda fuit Josue oratio ad cujus imperium in medio cœli stetit sol, *obediente Domino voci hominis.* (6) Quam potens est hominis oratio, non tantum Dei ambiens audientiam, sed quamdam velut Dei obedientiam obtinens. *Quam beati essemus, si quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam prompte ipsum audire vellemus.* (7) Præfata orationis virtutem multum prædicant, sed ejus efficacia magis splendet, divinam potentiam velut superans.

3. *Cujus potestas summa, nisi Dei solius ?* (1) Theodoretus tamen orationi tribuit omnipotentiam. *Omnipotens oratio, cum sit una, omnia potest.* Neque impertinenter Theodor. (2) orationem omnipotentem nuncupat : quia Dei æmulatur, adæquat et velut superat potentiam. Dei æmulatur potentiam : Dei potentia nullis arctatur finibus, sed ad omnia possibilia extenditur : *An non omnipotens oratio, cui omnia possibilia sunt* (3), neque ullos virtutis suæ agnovit terminos ? Sacramenta limitatam habent virtutem. Baptismus peccati originalis maculas lavat ; Confirmatio ad confitendam fidem roborat ; Pœnitentia animam de morte peccati ad gratiæ vitam suscitat ; Eucharistia gratiam sanctificantem incrementat ; Extrema Unctio corpori sanitatem communicat ; Ordo potestatem ecclesiasticam subministrat ; Matrimonium speciem humanam conservat : quodvis sacramentum finitam et limitatam habet virtutem : at orationis potentia est illimitata, Christus Dominus absque ulla restrictione orantibus omnia promisit : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, » (4) Magna fuit promissio Eliæ Elisæo facta : *Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te.* (5) Non inferior fuit promissio Assueri regis, reginam Esther sic alloquentis : *Quid vis, Esther regina ? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* (6) Sed longe majora rex Salomon Bethsabee matri promisit : *Postula quod vis, ut dem tibi.* (7) Sed illæ promissiones et quæcunque aliæ quæ unquam factæ sunt, non merentur comparari promissioni Christi, qui orantibus promittit, non dimidium regni aut integrum regnum, sed omnia in universum quæ a Patre suo postulaverint. *Solus Deus dicere potest, qui solus omnipotens est* (8) : solaque oratio potest omnia impetrare, cum sit omnipotens, et divinam velut adæquet potentiam.

Divina potentia, quæ ad omnia possibilia extenditur, est ipsamet Dei voluntas, quæ absolute valet naturæ leges, et ordinem in mundo positum immutare. Quare Marcionem merito insequitur Tertullianus : *Quid naturam adversus Deum prætendis, quasi non liceat mutare, et legem non servare ?* Oratio velut adæquans absolutam Dei potentiam, ordinem naturæ immutat. Mundus ex corporibus cœlestibus et elementaribus coalescit, oratio autem corporum cœlestium et elementarium ordinem immutat. Cœlum pro

(1) Selad. in Judith. §. 21. — (2) Salv. Lib. 4. de Gubern. — (3) 1. Strom. — (4) Lib. 3. Epist. 14. — (5) L. 14. c. 3. — (6) Josue 10. — (7) Salv. L. 2. de Guber. Dei.

(1) Tert. Lib. de Test. An. 2. — (2) In Histor. Religion. — (3) D. Bern. — (4) Joan. 16. — (5) Lib. 2. Reg. 2. — (6) Esther. 5. — (7) Lib. 3. Reg. 6. — (8) D. Chrysost.

libito Elias orans claudit et aperit. *Jubet et clauditur cœlum; orat postmodum et aperitur : ut sanctorum meritum monstraretur, non solum in terris posse quod voluit, sed et cœlestibus posse imperare quodcunque petierit.* (1) Ordinem corporum cœlestium simul et elementarium suis precibus immutavit Moyses : *Hinc est, quod fit harum suffragio Moyses Deus, et ad triumphos suos militare sibi omnia mandat elementa. Jubet mare discedere, durari undas, profunda siccari, cœlum pluere : dat frumenta, ventos spargere cogit carnes, noctem splendore solis illustrat, solem nubis temperat velamento, petram percutit, ut de recenti vulnere frigida sitientibus det fluenta.* (2) Plura dinumerat Chrysologus portenta, quæ sua oratione operatus est Moyses, in cœlo et in elementis. Neque solus tot mira patravit oratione. Namque Josue solem immobilem reddidit, Elias *dejecit ignem de cœlo* (3) naturali impetu sursum ascendentem; Simon Magus in aerem volans, *Petrus flexis genibus precatus est Dominum, et præcatione sancta, vicit magicam levitatem, prior enim ascendit ad Dominum oratio quam volatus.* (4) Naufragans Jonas « oravit ad Dominum Deum suum de ventre piscis : » et ut fatur Gregorius Nyssenus, *oratio Jonæ cetum domum effecit.* Petrus et Joannes moverunt terram. Nam, ut refertur in Actis Apostolorum, *cum orassent, motus est locus in quo erant congregati.* (5) Nec mirum si cœli et elementa orantibus obtemperant, cum adeo potens sit oratio ut divinam quodammodo superet potentiam.

Basilius Seleucus ad ista Eliæ stupet verba: « Vivit Dominus, non erit per hos annos ros neque pluvia, nisi per os meum. » (6) *Esto, o Elia, cœlum remoreris, quid Dei compescis humanitatem? Esto vel adversum conservos edicta extrahas, quid Domini potestatem rapis? Nubes coercuisti, ac creatori vel imperium committis, nequaquam vivit Dominus, nisi per os meum.* Stupenda fateor Eliæ oratio, quæ Deo velut imperare præsumit : sed longe magis admiranda Jacobi, Moysis et Aaronis deprecatio divinam quodammodo potentiam superans. « Transivit Jacob vadum Jaboc, et ecce vir luctabatur cum eo usque mane, qui cum videret quod eum superare non posset, dixit ad eum : Dimitte me : quoniam si circa Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines? » (7) Sive Angelus Deum repræsentans, sive magni consilii Angelus Dei filius, ut volunt D. Justinus (1), D. Hilarius (2) et D. Ambrosius (3), luctatus fuerit, oratio adeo Jacobum fortem reddidit, ut dicatur Deus illum *superare non posse* : et quasi cedens orationis viribus, inducias petit a Jacobo et se dimitti ab eo expostulat : *Dimitte me.* Tanquam si nostro concipiendi modo resistere non valeret Deus Jacobo oratione armato. Hanc Jacobi luctam et velut reportatam de Deo victoriam refert adhuc Osee propheta : *In fortitudine sua directus est cum Angelo, et invaluit; et confortatus est. Flevit et rogavit eum.* (4) Neque minus fortis fuit adversus Deum Moysis quam Jacobi oratio. Israëliticus populus adoratione vituli Deum ad iracundiam provocaverat, qui ut de tanta injuria sumeret vindictam, illum disperdere decreverat : Moyses tamen sua oratione Deo restitit, ejusque velut potentiam ligavit : ideoque ad Moysen ait Deus : « Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam. » (5) Paraphrastes Chaldæus legit: « Intermitte precationem. » *Quid est servo dicere : Dimitte me, nisi deprecandi ansam præbere?* (6) Adeo audax est oratio ut Dei omnipotentiam ligare præsumat. *Dei potentiam servi preces impediebant* (7); Deumque ne populum percuteret, quasi vinctum tenebant, et ob hanc causam *feriendi licentiam quærit a Moyse, qui Moysen fecit.* (8) Qui licentiam petit, se velut inferiorem confitetur, et qui se dimitti expostulat, recognoscit alterius subjici quodammodo potestati et ab ejus dependere voluntate : *Cui enim dicitur dimitte me, ostenditur quod tenendi habeat facultatem.* (9) Deus proposito etiam præmio Moysen rogat, ab eoque licentiam puniendi ingratum populum efflagitat. Verum *tantæ fortitudinis est charitas, ut ipsam omnipotentiam impotentem quodammodo reddat.* (10) Moyses sua oratione vicit invincibilem, superavit omnipotentem, fortissimum tenuit, et iratum Deum ne puniret populum impedivit, Nam, ut subjungit sacer textus, *placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Hucusque admirati sumus victricem de Deo omnipotente Jacobi et Moysis orationem : restat ut victoriales Aaronis preces efferamus in medium. Mox ut terra Dathan et

(1) D. Chrysost. Serm. in cap. 16. Act. — (2) Chrysolog. Serm. 43. — (3) Eccles. 48. — (4) D. Maxim. Homil. 5. de S. Apost. — (5) Act. 4. — (6) Orat. 11. — (7) Genes. 32.

(1) Dialog. cont. Triph. — (2) L. 4. de Trin. — (3) L. de Fid. c. 5. — (4) Cap. 12. — (5) Exod. 32. — (6) D. Greg. L. 9. Moral. 9. L. 9. — (7) D. Hier. Epist. 2. — (8) D. Bern. Serm. de Magdal. — (9) D. Hier. in c. 13. Ezech. — (10) Bern. Sen. tom. 2. Serm. 3.

Abyron cum eorum familia devoravit, cœpit populus adversus Moysen et Aaron murmurare. Quod ita Deo displicuit ut murmurantem populum incendio delere decreverit; quapropter Moysen et Aaron sic alloquitur: *Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos* (1), suumque exsequens propositum brevissimo tempore quatuordecim millia hominum et septingentos vindex flamma consumpsit, cæteros in cineres redactura, ni obstitisset Aaron, qui *stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.* Tantam populi stragem et gloriosam illam Aaronis de Deo irato et ultore victoriam refert Sapiens: *Properans enim homo sine querela, deprecari pro populis: proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ Dei, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.* (2)

Rationem subministrat Sapiens cur Aaron restitit iræ Dei; quia scilicet erat ejus famulus, et homo innocuus et sine querela. Cur autem hac tempestate tota fere Europa bello depopulatur, nec Christianorum preces divinam placant iram, divinam exorant misericordiam et superant potentiam? Quia major Christianorum pars Deo non famulatur, sed erroribus et vitiis mancipatur. *Tribus modis orationes impediuntur: aut cum quis a Deo petit, quod suæ saluti resistit; aut cum orat, et ab iniquitate non cessat; aut si delinquenti in se, debita non relaxat.* (3) Hoc trino impedimento orationes nostræ efficiuntur inefficaces. Vel quia postulamus res noxias vel saltem saluti nostræ contrarias, vel quia in sceleribus nostris perseveramus; vel quia illatas nobis injurias dimittere denegamus: *Quod triplex malum dum a se unusquisque studiosius detraxerit, securus studio orationis incumbat, et ea quæ petit precibus, se impetrare libera mente confidat.* (4) 1. Deponamus inimicias, diligenter præcaventes *ne in via orationis constituti, ad patrem cum ira accedamus.* (5) 2. Mundemus conscientias nostras a sordibus peccatorum, et sic animabus sanctitate decoratis, et charitate sufflammatis, poterimus dicere cum Propheta Regio: *Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ* (6): quasi certus sit a Deo exaudiri, qui Deum ardenter diligit. 3. *Preces nostræ non sint pro rebus secularibus prætereuntibus et transitoriis, et vice vaporis evanescentibus, sed sint preces nostræ pro ipsa implenda justitia, et sanctificatione pro nomine Dei, non pro vincendo vicino, sed pro domanda avaritia. Hinc sint preces nostræ, intus nos adjuvent luctantes, et coronent viventes* (1), cœlesti et immortali gloriæ corona.

(1) Num. 16. — (2) Sap. 18. — (3) D. August. Serm. 2. de Orat. — (4) D. August. ibid. — (5) Tert. Lib. de Orat. 10. — (6) Psal. 114.

CONCIO QUINTA.

Orationum *commendandarum* (2) plures in superioribus subministravimus rationes desumptas *ex virtuositate ipsius orationis, mirificentiis, et numerositate mirabili, atque præstantia utilitatum.* (3) Quantum autem valeat oratio justi, particulariter declarat Doctor Angelicus (4), multiplices ejus dinumerans effectus. Nam, 1. Iram Dei mitigat, omnia impetrat, Deum ut homini obsequatur, inclinat; 2. Angeli oranti assistunt, orationes ejus Deo offerunt, et divinas liberalitates referunt; 3. Oratio justi a malis hominem liberat, peccatorum veniam impetrat, salutem corporalem et spiritualem, temporalem et æternam subministrat; 4. Dæmones a corde et corpore expellit, et ut obtemperent, et in mare sese præcipitent compellit; 5. Omnibus elementis et creaturis dominatur, solem sistit, cœlum claudit, ignem cœlo evocat, mare et aquas dividit, mortuos e purgatorio educit; 6. Bestias ferocissimas cicurat; lepram, febrem, pestem, omnesque morbos sanat; incendia, illuviones ac tempestates sedat; omnes virtutes et gratias e cœlo advocat, Deumque omnipotentem vincit, et quodammodo ligat. (5) Tot orationis effectibus et portentis in præsentiarum addenda est tantummodo ejus, 1. Utilitas, 2. Facilitas, 3. Continuitas.

I. PARS. Oratio Dominica complectitur *omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut re vera in oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur.* (6) Oratio quoque in communi, omnes bonorum species continet: 1. Honestum quidem, quia vitam honeste et laudabiliter componit: *Vere enim recte novit vivere, qui novit recte orare.* (7) 2. Delectabile etiam, quod asseverat ipsemet Deus per os Esaiæ: *Lætificabo eos in domo orationis meæ.* (8) Tandem, 3. Utile: ut enim ait Ruffi-

(1) D. August. Lib. 50. Hom. Hom. 15. — (2) Tert. L. de Ex. Cast. 10. — (3) Guillel. Paris. L. de Rhetor. Div. c. 1. — (4) Serm. in Rogatio. — (5) Sap. 18. — Matth. 21. — Jos. 10. — Dan. 9. — Job. 12. — Matth. 21. — Josue 10. — L. 4. Reg. 1. — Exod. 14. — Eccles. 48. — (6) Tert. L. de Orat. 1. — (7) D. August. Serm. 14. de divers. — (8) Cap. 56.

nus presbyter Aquileiensis, *nihil utilius potest facere servus Dei in hoc seculo quam orare Deum.* (1) Trina autem potissimum de causa Deum rogamus : scilicet ut indulgeat, exaudiat et præstet. Ad hæc tria utilis est oratio Deo facta : quia est, 1. Satisfactoria; 2. Impetratoria ; 3. Meritoria.

1. *Hæc patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat ; hæc aures Christi Dei aperit, severitatem dispergit, clementiam elicit.* (2) Siquidem oratio est satisfactoria, modo adsint aliæ conditiones ad satisfactionem requisitæ : opera enim satisfactoria ad eleemosynam, jejunium et orationem reducuntur ; sunt enim opera pœnalia : eleemosyna bona temporalia pauperibus erogat, jejunium carnem macerat, oratio animam corpusque Deo humiliat. Oratio in quantum est satisfactoria, non est facienda pro beatis, quia nullam in cœlo patiuntur afflictionem, neque etiam pro præscitis, quia tormenta quæ sustinent in inferno, nunquam finem habebunt. Potest tamen fieri pro ipsis orantibus, pro fratribus etiam, non solum in terra degentibus, sed etiam in purgatorio patientibus : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (3) : ex D. autem Augustino, *libros Machabæorum, non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* (4) Ut autem aliorsum animadvertit D. Augustinus, « in Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium ; sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ (quæ in hac consuetudine claret) auctoritas, ubi in precibus sacerdotis quæ Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commemoratio defunctorum. » (5) Ad juvandos mortuos, viventes hortatur Sanctus Chrysostom. *Juvetur mortuus, non lacrymis, sed precibus.* (6) D. quoque Ambrosius ad Faustinum de obitu sororis sic scribit : *Non tam deplorandam quam prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam.* Neque in hac materia omittenda est Tertulliani auctoritas sic loquentis : *Scio feminam quamdam vernaculam Ecclesiæ, forma et ætate integra functam : post unicum et breve matrimonium, cum in pace dormisset, et morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis manus a lateribus dimotas, in habitum supplicem conformasse, rursumque condita pace, situ suo reddidisse.* (1) Tot Patrum testimonia Calvinistarum damnant errores, orationis utilitatem demonstrant, quæ in quantum satisfactoria, prodest etiam defunctis, non secus ac vivis quibus est impetratoria.

2. Ad orationem nos hortatur ipsemet Christus : *Quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis; petite et accipietis.* (2) Rationem autem cur nos tanto studio ad orationem stimulat, statim subjungit : *Petenti enim dabitur, et pulsanti aperietur, et quærenti invenietur* (3), his verbis denotans quam impetratoria sit oratio : quæ quatenus petitio est, virtutem habet impetrandi ; petitio etenim ex natura sua inducit Deum ad donandum quod petitur, quia benefacere et dare ejus bonitati et munificentiæ convenit : *Justo enim dicit Deus : Pete, et dabo tibi; cogita, et faciam : si sunt ergo utilia, accipiet protinus : inutilia autem nunquam petet, sic erit id quod vult.* (4) Quam prompta divina beneficentia, quæ cogitatæ duntaxat et mente habitæ humanæ necessitati subvenit, antequam lingua imploret auxilium ! Divinæ liberalitatis cogitatio, velut orationis meritum ad impetrationem addiscitur, et nostræ miseriæ et necessitatis cognitio, auxilii votum præcurrens, impetrat, quod nondum exposcit. *Cogita et faciam* : nedum oratio est, et de impetratione gloriatur, « electi mei non laborabunt frustra, quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis : *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* (5) »

Duplicem quæstionem proponit, et acute resolvit D. Augustin. (6) « Quæri potest cur opus sit verbis ad Deum orare, qui omnia scit antequam fiant, et novit quid nobis sit necessarium, antequam petamus ab eo ? Hic respondetur, non verbis nos agere debere apud Deum ut impetremus quod volumus, sed rebus quæ animo gerimus, et intentione cogitationis, cum dilectione pura et simplici affectu : sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriæ mandatis, eas ad tempus orandi recordaremur. Sed rursus quæri potest, sive rebus, sive verbis orandum est, quid opus sit ipsa oratione, si Deus jam novit quid nobis necessarium sit, nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat et purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quæ nobis spiritualiter infunduntur ? Non enim ambitione precum nos exaudit Deus,

(1) In Ps. 60. — (2) Tert. L. de Pat. 13. — (3) Lib. 2. Mach. 12. — (4) Lib. 8. Civ. 36. — (5) Lib. de Cura pro Mortuis cap. 1. — (5) Hom. 41 in 1. Cor.

(1) Tert. de An. 51. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 8. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 11. — (4) Clem. Alex 1. Strom. — (5) Esai. 65. — (6) Lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. c. 7.

quia paratus est suam lucem dare nobis, non visibilem, sed intelligibilem et spiritualem : sed nos non semper parati sumus accipere ; cum inclinamur in alia, et rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conversio cordis ad Deum, quia semper dare paratus est, si nos accipimus quod dederit. « Tanta munificentia præditus erat Theodoricus rex, ut petentibus duplo largiretur, quasi eis deberet ea quæ gratis donabat. » *Nec benignitas vestra una remuneratione contenta est, honorem geminat, et studio donare parat, quasi debeat omnia quæ præstat.* (1) Deus etiam ita est ad benefaciendum pronus, ut orantibus se quodammodo agnoscat suorum munerum debitorem. Quando Deus post orationem concedit gratiam, eam concedit, non tanquam gratiam, sed tanquam debitum; non velut liberale donativum, sed veluti debitam mercedem ; non tanquam favorem, sed veluti solutionem. Quod acute animadvertit Magnus Basilius expendens istud Davidicum : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » (2) ubi Deus non dicitur tribuere, sed retribuere, non donare, sed solvere. At ob quam causam retribuere Deus dicitur? Scilicet ob orationem quæ præcesserat, quam velut beneficium singularissimum acceptat: *Etenim magnificus dator Dominus haudquaquam dictus est tulisse, sed retribuisse, ac si ipse non cœpisset prius gratiam in nos conferre.* Adeo efficax est ad impetrandum oratio, ut illam Deus recipiens et acceptans, concedat nobis ea quæ postulamus, non velut gratuita, sed tanquam debita. Magno Basilio D. Bernardus suffragatur. *Sic pius Dominus qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet a nobis, et dum nos prævenit tribuendo quod tribuat gratis, agit ne gratis tribuat.* (3) Eodem modo ratiocinandum est de oratione ac de adultorum prædestinatione. Deus adultis gratiam largitur qua mereri possint, ut eis det coronam gloriæ, non tanquam donum pure gratuitum, sed tanquam præmium ipsorum meritis debitum. Non absimiliter Deus dat nobis gratiam orandi, dona etiam quæ in oratione postulamus gratis largitur, attamen sua dona ita dat quasi orationibus nostris illa debeat. Consul Plinius ita Trajano adulatur imperatori : *Tanta tibi benefaciendi vis, ut indulgentiam necessitas æmuletur.* Non dixit quod beneficentia necessitatem æmuletur, quasi non tam libero voluntatis arbitrio, quam necessario velut naturæ impetu ad benefaciendum feratur ; sed quod ita est ad benefaciendum proclivis, ut quodammodo plus apud illum indulgentia valeat, quam apud alios necessitas possit, quod ad Trajani laudem mentitur Plinius, vere de Deo asseramus; cujus munificentia æmulatur humanam necessitatem, cum magis pronus ad benefaciendum proclivis, quamvis munera libere largiatur ; tum quia posita promissione, qua orantibus dare pollicitus est necessitate conditionata et secundum quid, donare tenetur ne habeatur in promissis infidelis : *Fidelis Deus est, seipsum negare non potest.* (1)

Illa autem pollicitatio est conditionata, non absoluta ; alias orationem semper sequeretur impetratio, quod falsum etiam ipsa experientia comprobatur. Multi enim orant, neque tamen obtinent quod expostulant : quæ autem sint conditiones requisitæ ut oratio sit impetratoria, et infallibiliter obtineat quod petit, non conveniunt inter se auctores. Quidam volunt ut qui deprecatur sit in statu gratiæ, sive postulet pro se, sive pro aliis, quia oratio a peccatore facta, *vanum supplicamentum, exsecramentum mihi est* (2) : ut enim ait cæcus natus apud Joannem evangelistam, *scimus quia Deus peccatores non audit ; sed si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* (3) Verum gratia habitualis non requiritur in orante, ut oratio sit impetratoria : David etenim, Ezechias, Manasses, Publicanus, erant peccatores, et tamen exauditi sunt. Idcirco, ut animadvertit Guillelmus Parisiensis, « ipsa etiam tota Ecclesia clamat ad Deum : Peccatores, te rogamus audi nos. » (4) Ipse Parisiensis Antistes distinctione utens vult gratiam sanctificantem non esse necessariam ad impetrandum ei qui pro semetipso orat. « Si autem pro aliis orat, auferre debet imprimis a semetipso, quæ iram Dei justissimam provocant, ne dum inimicus Dei existit, et placare sibi ipsi illum negligit, aut contemnit, magis eum ad iram provocet, quam leniat ; juxta significationem B. Gregorii dicentis : Si is qui displicet ad interpellandum mittitur, irati Judicis animus ad deteriora provocatur. Propter quod memoriter tenere debent, qui pro aliis impetrare divina beneficia volunt, verbum quod legitur, peccatores Deus non audit. » Verum non video cur sanctitas requiratur in eo qui pro aliis orat; non autem in illo qui pro semetipso orat ; cum jus orationis

(1) Cassiod. Lib. 1. Var. Epist. 12. — (2) Ps. 151. — (3) Serm. 4. sup. Missus est.

(1) 2. Thimoth. 2. — (2) Tert. Lib. adv. Jud. 5. — (3) Cap. 9. — (4) Lib. de Rethor. Div. cap. 2.

in impetrando non fundetur in dignitate personæ orantis, sed in misericordia Dei et in ejus pollicitatione : quæ cum sit universalis et illimitata, non excludit etiam peccatores et indignos, sive pro se, sive pro aliis orent. Unde cum ait cæcus: Deus peccatores non audit, hoc intelligendum est quatenus peccatores reduplicative et in sensu composito, cum actu in oratione peccant; vel cum aliquid quod ex sua natura est peccatum, expostulant; vel quia in suis peccatis sunt obdurati, et prava intentione aliquid expostulant : deinde peccatores Deus non audit eadem facilitate et complacentia qua justos : tandem peccatores exaudit Deus, non ex justitia, sed ex misericordia, modo pro se petant utiliter, fideliter, humiliter, perseveranter : justi autem impetrant ex justitia, quia merentur quod impetrant, illorum enim oratio est meritoria, etiam de condigno.

Oratio spiritu Dei animata suo privilegio, ascendit in cœlum.(1) Quam merito dicit sacer textus : *Multum valet oratio justi assidua!* Tria dinumerat D. Bernardus multum utilia: *Nunc manent tria, verbum, exemplum, oratio : major autem horum oratio, ea namque voci et operi gratiam promeretur.* (2) Oratio a justo procedens triplicem habet virtutem seu efficaciam : 1. Habet efficiam consolandi, mentique spiritualem conferendi consolationem. *Habet enim dulcedinem multam vehemens et devota oratio, et dum dirigitur in conspectu Domini, quasi incensum, suavem ipsa odoris sui sensum haurit.* (3) 2. Oratio habet efficaciam impetrandi, et hoc ex gratia Dei, quæ nos inducit ad orandum. *Non nos hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet.* (4) Quanta virtute ad impetrandum polleat oratio, innuere videtur Regius Propheta aiens : « Oratio mea in sinu meo convertetur. » (5) Hujus autem loci binam expositionem tradit Gillibertus Abbas : *Cur vero in sinum? an forte defectum orationis tepidæ et infractæ dedit intelligi, in ipso primo evanescentis processu, ideo dicitur in sinu suo converti : ibidem scilicet occidens, ubi exauditur?* (6) Hac elucidatione haud contentus aliam explanationem et melius ad propositum prodit præfatus Abbas. *Sed quomodo convertitur et redit, quæ periit? Magis quidem in sinu converti dicitur, quæ celerem precis reportat effectum, et si nondum plene, ex parte tamen humilis et devotæ petitionis fructu potitur.* Eodem modo Didymus Regium Prophetam interpretatur: *Ejus qui bene orat, oratio ad ipsum convertitur, bona referens, pro quibus facta est.* Eadem est mens D. Ambrosii : *Hæc est oratio quæ in sinum convertitur deprecantis, fructum referens eorum quæ voluit impetrare, ut dona ejus ad animam, ad mentem recurrant, quæ poposcit a Deo.* Sed nemo melius quam Paraphrastes græcus in Davidis persona loquens : « Cilicio enim præcinctus et jejunio consumptus, Deo preces offerebam, et precationis meæ fructus percepi. Hoc enim significat quod dicit : Et oratio mea in sinum meum convertetur : id est, facta precatione, a Deo quæ petebam accepi, desideriumque meum replevi. » Tandem, 3. Oratio justi habet efficaciam merendi in quantum ex radice charitatis procedit. Quapropter *in vera charitate ad Deum nostrum perveniamus, ut ab eo petitionem obtineamus.* (1) Quemadmodum cæteræ virtutes charitate et gratia informatæ efficaciam habent merendi, ita et oratio quæ est virtus religionis. Quid autem mereatur oratio declarat Parisiensis Antistes : « Sciendum est quod duplex est meritum : principale et secundarium : et principale quidem est remunerationis, seu felicitatis æternæ. Et intendo illud principale esse, quia ad ipsum et propter ipsum omnia alia merita tribuuntur. Et ad hoc ipsa charitas, quæ radix est omnium meritorum, principaliter donatur. Ergo si oratio est ex hac radice, merito isto nunquam fraudatur, sed ei semper debetur. Hujus namque radicis ratione, meritoria est oratio principaliter et proprie felicitatis æternæ; et oratione illius debetur oranti ex charitate. Secundaria vero merita sunt conservatio gratiæ, augmentum ipsius, et remissio vel diminutio pœnæ meritæ, omniaque alia bona data quæ in oratione ab universali datore bonorum obtinentur. Et hæc sunt quæ principali merito fervor orationis, puritas et devotio, lacrymarumque profluvia superaddunt. » (2) Tot bona, quæ media oratione consequuntur, nos ad ejus amorem et studium sufflammare debent, maxime cum omnes adulti facile possint orationi vacare.

II. PARS. *Orationibus commendatis* (3) ob multas et magnas utilitates, quæ ab illis procedunt, orandi facilitas cunctis adultis orationis imponit obligationem. Ab hoc religionis negotio nemo sese potest excusare, ex defectu : 1. Industriæ et capacitatis; 2.

(1) Tert. Lib. de Orat. 9. — (2) Epist. 201. — (3) Gillib. Serm. 34. in Cant. — (4) D. August. Serm. 29. de Verb. Dom. — (5) Ps. 34. — (6) Serm. 34. in Cant.

(1) D. Aug. L. de Orando Deum. — (2) Lib. de Reli. Div. cap. 44. — (3) Tert. L. de Jejun. 7.

Copiæ et facultatis ; 3. Potentiæ et ætatis.

1. Omnes homines rationis compotes *sciunt petere* (1) ; ad quod non requiritur neque scientia, neque industria, neque magnum ingenium. *Non est eundum ad musæum, non sunt insumendæ pecuniæ, non sunt conducendi pedagogi, rhetores et sophistæ, neque vero multum temporis insumendum est, ut hanc dicendi artem discas.* (2) Non omnes sunt philosophiæ, aut medicinæ, aut jurisprudentiæ capaces, et hoc ex defectu ingenii, aut loci ubi præfatæ doceantur scientiæ, aut præceptorum qui erudiant ; nullus est autem homo ratione præditus, qui non sit orationis capax. Nam, ut docet Parisiensis Antistes, *potius orando quam philosophando orare discimus* (3) Deinde Oratio Dominica facile et absque ullo negotio et labore edisci potest : quam ipsemet Christus nos docere voluit. *Orandi formam Christus ipse quid precemur monuit, et instruxit: qui fecit vivere, docuit et orare.* (4) Post tantam discendæ orationis facilitatem, homines nequeunt se ab studio orationis excusare ex defectu industriæ et capacitatis, neque ex defectu copiæ et facultatis.

2. Nam *qui sciunt petere, possunt impetrare, dum sciunt petere* (5) : ad quod terrenæ facultates et fortunæ bona haud necessaria sunt. In cunctis artibus et scientiis requiritur pecunia ad emendos libros ad scientias requisitos, ad comparanda instrumenta artibus liberalibus vel illiberalibus necessaria, ad magnos sumptus exhibendos ut quis evadat in artibus magister, aut Doctor in Universitatibus habeatur, verum *oratio donum Domini Dei est, et propter hoc, non de arte vel doctrina, sed magis a datore quærenda est* (6) : donum autem orationis Deus nemini denegat, sed omnibus indifferenter largitur *ea benignitate qua cætera dare et conferre dignatus est.* (7) Non omnes homines ad eleemosynas tenentur, pauperes enim nequeunt erogare facultates quibus sunt denudati, etenim nemo dat quod non habet; at nullus est adultus cui desit orandi facultas. Nam, ut subjungit D. Chrysostomus, *solum voluisse sufficit, et ars perfecta evasit.* Itaque nullus ab oratione excusatur defectu copiæ et facultatis, neque adhuc ex defectu potentiæ et ætatis.

3. Cuncti namque adulti possunt esse *omnis salutis in promerendo Deo petitores.* (8) In quavis ætate qua homo ratione utitur potest orationi operam dare : eodem momento quo se agnovit miserum, egenum, et religioni christianæ adstrictum, potest postulare miseriæ suæ remedium, indigentiæ subsidium, et sua oratione honorare Deum. *Hæc in Ecclesia omnibus gradibus necessaria est* (1) ; doctis, indoctis ; divitibus, pauperibus ; nobilibus, plebeis ; regibus, subditis ; viris, feminis ; senibus, juvenibus. Senes, juvenes quoque, a jejunio dispensantur, quia non suppetunt eis vires ad jejunandum necessariæ, ab oratione tamen non excusantur, quia non deest illis orandi potestas. Quapropter *novitiolis*, ut fatur Tertullianus, imponendum est orationis studium, id est, a teneris annis in oratione exercitandi sunt pueri ; *qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant* (2), sunt in actibus religionis educandi, matutinis, serotinis horis, diurno quoque tempore ad orandum compellendi, ut ætate provecti indesinenter orationi vacent, et orandi facilitati adjungant orationis continuitatem.

III. PARS. *Omni momento oratio hominibus necessaria* (3), quia omni momento homo miseriæ subjacet, Dei gratia eget, tentationibus impugnatur. Itaque *rogo vos, Fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium.* (4) Fuerunt nonnulli hæretici, Euchytæ, id est, precatores nuncupati, qui Christiano laborem vetabant, neque quicquam agere quam semper orare permittebant (5) : quod impossibile videtur: tum quia homines nequeunt indesinenter contemplationi et meditationi vacare ; tum quia tenentur colere terram ut eis producat fructus ad vitæ sustentationem necessarios ; tum quia somno indigent: somni autem tempore non orant, oratio enim requirit mentis cognitionem et liberam voluntatis operationem ; neutram elicit dormiens, cujus sensus somno sopiti sunt. Quando autem Dominus ait : *Oportet semper orare, et nunquam deficere* (6), id exsequuntur Christiani : 1. In charitate et desiderio cœlestis beatitudinis perseverantes; 2. Bona opera sedulo patrantes; 3. Tempore debito orationi vacantes.

1. Charitate sufflammata *oratio commendabilior ascendit* (7), et Christiani in charitate existentes indesinenter orant : quomodo Gillibertus Abbas Apostolum elucidat dicen-

(1) Tert. Apol. 29. — (2) D. Chrysost. in Psal. 4. — (3) L. de Rethor. Div. cap. 1. — (4) D. Cypr. de Orat. Dom. — (5) Tert. Apol. 29. — (6) Guillel. ib. — (7) D. Cyp. ib. — (8) Tert. L. de Pœnit. 6.

(1) August. Tract. de Misericordia. — (2) D. Tert. L. Pœnit. 6. — (3) Tert. de Exhort. Cast. 10. — (4) D. Bern. Serm. 5. Quadrag. — (5) August. Hæres. 57. — (6) Luc. 18. — (7) Tert. L. de Orat. 14.

tem : *Sine intermissione orate* (1) « Continuam vult esse Apostolus orationem (2), sed quis illam ipso mentis habitu et affectu animi indefesso explere sufficiat, nisi cui dicere permissum est : Quis nos separabit a charitate Christi ? (3) Charitas ergo quadam dispensatione orationi se subducit, cujus tamen proprius est, et familiaris in ipsa usus. Omnia quæ agit charitas quamdam habent indefessæ orationis vicem et efficaciam. » Quo sensu dicit D. Hieronymus : *Sancti etiam ipse somnus est oratio.* (4) Eodem fere modo Apostolum interpretatur D. Augustinus, addens quod charitas, quæ indefessæ orationis supplet vicem, ad æternam felicitatem desiderium attollit. « Dicit Apostolus: Sine intermissione orate : nunquid sine intermissione genua flectimus, corpus prosternimus, aut manus levamus, ut dicat : Sine intermissione orate ? Hæc puto sine intermissione non possumus facere. Est alia interior sine intermissione, quæ est desiderium : Quidquid aliud agas, si desideras supernam requiem, non intermittis orare ; si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare ; continuum desiderium tuum, continua est vox tua ; tacebis si amare destiteris, sed si semper manet charitas, semper clamas ; si semper clamas, semper desideras ; si semper desideras, semper oras, » (5) quia sedulo bonis operibus vacas.

2. Nam *memoria præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum.* (6) Christiani Deum amantes et cœlestem patriam desiderantes, bonis student operibus, queis valeant desideratam assequi felicitatem ; et bene agendo indesinenter orant : ideoque Christianum sic alloquitur D. Augustinus : *Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis : quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum : in innocentia operum tuorum, præpara te ad laudandum Deum tota die.* (7) Nam, ut ratiocinatur doctus Cardin. de Cusa (8), visus per oculos, auditus per aures, intellectio per intellectum, amor per affectum fit, orare autem per ista omnia : nam audire verbum Dei est orare : diligere cœlestia, cantare officia divina, efficere bona opera, totum est orare. Apostolum adhuc versans Origenes ait : « Quomodo dormiens aliquis orare possit et humanum aliquod officium præstans, vel suum corpus curans ? Verum ad hoc respondemus : quod vir perfectus clamaverit ad Deum, ipsumque roget optima quæque concedi postulans, dum omnia facit secundum rationem, ita ut omnis ejus actio sit ratio. » (1) Hæc ultima verba sunt notatu dignissima. Omnis justi actio, ratione duce facta, est oratio ; quasi recta hominis ratio cum actionem recte dirigit sit precum officina et orationem excudat. Quod si actio a recta ratione facta, est oratio, quanto magis bonum opus a fide regulatum, a gratia sanctificante animatum, et a charitate in Deum ordinatum ? Ut enim ait Magnus Basilius, *qui bene semper agit, hic semper orat.* (2) Per omnem enim virtutem Deo conjungimur, quod est orationis officium. Oratio enim non est aliud quam mentis in Deum elevatio, seu mentis cum Deo conjunctio : inter omnes autem virtutes maxime nos Deo conjungit pura charitatis intentio, cunctos virtutum actus, omnia bona opera referens ad Dei honorem et gloriam.

3. Tandem semper orant Christiani qui debito tempore orant. *Quam temerarium est diem sine oratione transigere ?* (3) quomodo D. Augustinus elucidat Apostolum. *Quod ait Apostolus: Sine intermissione orate: sanctissime sic accipitur, ut nullatenus intermittantur certa tempora orandi.* (4) Sine intermissione orare est assidue orare quantum per alia negocia licet ; sine intermissione est orare tempore sive ab Ecclesia sive a propria devotione destinato ; qui enim horis et temporibus statutis non desistit orare, sine intermissione orat, et semper orat, et non deficit adimplens quod ait Salvator : *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Non intendit Christus quod nunquam interrumpatur actus orationis, sed quod non interrumpatur quasi nunquam reassumendus. Sine intermissione orare est sæpe sæpius *orationes brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas* (5) ad Deum mittere. De hoc orandi modo D. Bernardus Sanctum Malachiam commendat, *qui raptim quodammodo, et veluti jaculum emittebat orationem.* Sine intermissione et semper orare, est persæpe orare, præsertim quando ingens instat necessitas, aut gravis urget tentatio. Ut enim Sabinam in flore juventutis viduatam hortatur D. Hieronymus, *tam crebræ sint orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur.* Semper et sine intermissione orant homines collective sumpti. Nam, ut animadvertit D. Augustinus, « nullus dies, nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, quo non a Sanctis,

(1) 1. Thessal. 5. — (2) Serm. 10. in Cant. — (3) Rom. 8. — (4) De Cust. Virg. — (5) In Ps. 37. — (6) Tert. L. de Orat. 10. — (7) In Ps. 34. — (8) Lib. 3. Exercitat.

(1) In Cat. Pat. Græc. ad Ps. 1. — (2) Homil. in Julittam Mart. — (3) Tert. L. de Orat. 10. — (4) L. de Hærr Hær. 57. — (5) D. Aug. Epis. 121. ad Probam. c. 10.

orationes Deo ubique fundantur, ab aliis hic, ab aliis alibi : cum tamen ab orationibus nullum sit tempus immune, quandoquidem diebus et noctibus, cum alii cibo accepto reficiuntur, alii quodlibet aliud agunt, alii dormiunt, non utique desunt quos desiderium sanctum orare compellat. » (1) Tandem sine intermissione et semper orare est in oratione perseverare. Ut etenim ait Magnus Gregorius, *vult Deus rogari, vult cogi; vult quodammodo importunitate vinci; ideo dicit tibi: Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, ut regnum cœlorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cœlis: quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? bona violentia qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur; peccatum minuitur, non multiplicatur.* (2)

Magnum sane est discrimen inter præcepta negativa et affirmativa. Illa obligant semper et pro semper, ita ut nullum sit temporis momentum in quo liceat prohibitum facere malum : ista obligant semper quidem, sed non pro semper. Obligant semper, quia homines ad eorum observationem semper tenentur, non tamen obligant pro semper, quia non omni tempore obligant, sed aliquo duntaxat determinato tempore : orationis autem præceptum est affirmativum, et non negativum. Quodnam vero est illud tempus in quo homines orare tenentur? Ex auxilii divini necessitate et status qualitate colligendum est : quando enim auxilium divinum necessarium est, sive ad perseverandum in gratia, sive ad servanda divina præcepta, sive ad graves vincendas tentationes, tunc in oratione postulandum est. In morte quoque mortisque periculo orandum est : imo et in vita per intervalla, ita ut nemo sine oratione sinat elabi notabile temporis spatium. Aliter autem orandi incumbit negotium secularibus, laicis, ecclesiasticis, regularibus : seculares orare tenentur præsertim diebus festis et dominicis divino cultui dicatis. *Non est vir pius qui sibi statuta orandi tempora non præfigit.* (3) Ecclesiastici septies ad minus in die debent orare, ut septem breviarii horas persolvant *supremæ orationis munere* (4), ut fatur Tertullianus. Tandem Regulares ultra officium divinum quod est illis commune cum ecclesiasticis, habent speciales horas *solemniores in orationibus divinis* (5), quibus die noctuque vacant, itaque illis potissimum incumbit negotium *semper, et ubique, et omni tempore orandi* (1) : Christiane, vaca orationi frequenter, nullum absque oratione prætermittas diem : imitare Danielis exemplum, *ter die orantis* (2); ora matutinis, et serotinis horis, et in meridie. Assume ad orandum *tres illas horas, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant.* (3) Præbe aurem D. Bernardo sororem hortantem : « Moneo te, charissima, ut ores pro bonis hominibus, ut in bono perseverent. Rogo etiam te ut ores pro malis hominibus, ut de malo ad bonum convertantur. Ora pro amicis tuis, ora pro inimicis, ora etiam pro omnibus fidelibus vivis et defunctis. » Ora præsertim pro teipso, Christiane : si es in peccato, ora ut convertaris; si es justus, postula perseverantiam in bono; in quavis professione, conditione et qualitate sis, ora frequenter; deprecare Deum ut tibi largiatur gratiam in præsenti, gloriam in futuro.

(1) Lib. 2. Contr. Maxim. cap. 9. — (2) In Psalm. 6. Pun. — (3) D. Chrysost. — (4) Tert. L. de Jejun. 10. — (5) Tert. ibid.

(1) Tert. L. Jejun. 10. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. L. de Orat. 9. — (5) Serm. 25. de Divers. — (6) Chrysol. Serm. 132.

CONCIO SEXTA.

Dominus *prospector humanarum necessitatum, seorsum post traditam orandi disciplinam: petite, inquit, et accipietis.* (4) Ut autem animadvertit D. Bernardus, Christianus orationis studiosus, « cavere debet ne forte aut postulet non postulanda; aut minus postulet quæ a Deo sunt postulanda; aut ne tepide quærat quæ toto affectu et omni tempore sunt quærenda. » (5) Licet enim Christus Dominus indeterminate et universaliter pollicitus sit omnia obtinenda a Christianis, quæ in suo nomine postulaverint a cœlesti Patre, *salva tamen ea cautela et reverentia, ut a Deo quæ Deo digna sunt, postulentur* (6), ea quæ postulari possunt, ad tria genera reducenda sunt. Quædam ex sua natura adeo sunt mala ut nunquam possint esse bona : cujusmodi sunt peccata: quæ Deus vetat. Alia ex se sunt indifferentia, neque bona, neque mala moraliter; ex intentione autem et usu efficiuntur bona vel mala, ut fortunæ prospera, vel adversa. Tertia tandem sunt absolute et simpliciter bona, neque unquam de malitia culpantur, ut Dei amor, gratia et gloria : prima nequeunt postulari; secunda debent conditionate postulari; tertia debent debite

postulari. Scelerose Christiane, *ideo quandoque petis, et non accipis, quia perperam postulasti, vel leviter, vel infideliter, vel destitisti, vel non conferentia tibi*; (1) aut postremo, quia, 1. Mala postulas; 2. Indifferentia conditionate non postulas; 3. Bona debite et recte non postulas.

I. PARS. Docuit nos Christus postulare in oratione, non malum et peccatum, sed potius mali et peccati fugam et animadversionem: *sed devehe nos a malo.* (2) Plato quoque quasi evangelica edoctus fuerit principia, hunc statuit orandi modum: *Jupiter, da nobis bona, sive ea petamus, sive non; arce vero mala, etiamsi ea ex errore petamus.* (3) Nonne Gentilis ille philosophus plures condemnat Christianos qui, non solum ex ignorantia et errore, sed etiam ex malitia a Deo mala et peccata postulant: et, ut ait D. Bernardus, *tale est quod solent seculares homines mortem inimicorum in orationibus postulare, cæteraque similia quæ non oportet,* (4) quia hujusmodi petitiones, 1. Orationis honestatem devenustant; 2. Deum vituperant; 3. Postulantis peccata incrementant.

1. *Et sunt quæ petantur pro circumstantia cujusque, præmissa legitima et ordinaria oratione, quasi fundamento, accidentium jus est desideriorum, jus est superstruendi extrinsecus petitiones.* (5) Qui autem peccata et mala postulant, orationis honestatem devenustant: tum quia duntaxat, *hoc licet orare, quod licet desiderare* (6): non licet autem desiderare malum et peccatum, quod divinis prohibetur præceptis: tum quia oratio omne bonum complectitur, scilicet utile, delectabile et honestum; et ut fatur D. Bernardus, *quicquid accipere vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet* (7): peccatum autem non est utile, nec delectabile, nec honestum. Non utile, quia animam enecat, et merita quantumvis pretiosa mortificat; non delectabile, quia conscientiam cruciat; non honestum, quia rationem, quæ est nobilitas hominis, contenebrat, gratiam, quæ est christiani dignitas, annihilat, Deoque injuriam irrogat; tum quia *oratio est petitio decentium a Deo* (8); peccatum autem cum sit privatio rectitudinis debitæ, non decet, imo dedecet: unde qui illud a Deo postulat, Deum vituperat.

2. Auctor peccati nequit esse Deus, *qui omne nequam et prohibet et damnat.* (9) Qui autem a Deo peccatum postulat, verbi gratia inimici ultionem, alieni usurpationem, feminæ pudicæ corruptionem, sua petitione Deum vituperat. Tum quia *qui mala a Deo postulat, Deum mali judicat, et sentit auctorem.* (1) Tum quia, ut fatur Magnus Gregorius, *quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra Deum pugnat* (2); non bene de Dei bonitate sentiens, offendensque ejus sanctitatem, potestatem et æquitatem. Sanctitatem, quæ peccato opponitur; potestatem, quæ prohibet peccatum; æquitatem, quæ peccatum punit. Tum quia minus Deum, quam homines metuit et honorat, ab eo postulans in secreto quod publice et coram hominibus petere non auderet; quapropter amicum christiane hortatur Gentilis Philosophus: *Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta est dementia hominum! turpissima vota diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* (3) Belle quidem Philosophus Moralis, sed non minus lepide divinus Plato deprecatur Deum: *Deus Optimus Maximus optima quidem nobis voventibus et non voventibus tribue, mala autem poscentibus quoque abesse jube.* (4) Nonne Gentiles illi scelerosos condemnant Christianos qui mala postulantes, Deum velut scelerum auctorem existimant, et criminosa sua petitione, peccata sua incrementant?

3. Orationi studendum est *cum memoria tamen præceptorum Dei, ne quantum a præceptis, tantum ab auribus Dei longe simus.* (5) Præceptorum Dei memoriam non habet qui malum postulat quod divinis prohibetur mandatis; divinaque transgrediens mandata, a Dei auribus longe est. Tantum abest ut Deum exoret, quin imo mala petendo, peccata sua incrementat: *Unde et sub Judæ specie dicitur: Fiat oratio ejus in peccatum: oratio autem in peccatum est, illa petere quæ prohibet ille qui petitur.* (6) Quot sunt hac tempestate Judæ similes? Nam, ut docet D. Augustinus, *ipsa oratio eorum vertitur eis in peccatum* (7); non proprie et per se, sed per accidens, quia oratione quæ est Dei donum, abutentes, et perperam ad explendas suas concupiscentias et libidines, orantes, sua peccata augescunt, graviorem que sibi damnationem acquirunt; neque mala postulata a Deo percipiunt. *Petitis, et*

(1) D. Basil. Serm. de Orando Deum. — (2) Tert. L. de Orat. 9. — (3) 2. Alcib. — (4) Serm. 25. de divers. — (5) Tert. L. de Orat. 9. — (6) D. August. Ep. 121. — (7) Serm. 86. in Cant. — (8) D. Damasc. — (9) Tert. L. de Pat. 10.

(1) Chrysol. Serm. 132. — (2) Homil. 27. in Evang. — (3) Senec. Ep. 60. — (4) 2. Alcibiad. — (5) Tert. L. de Orat. 9. — (6) D. Greg. Hom. 27. in Evang. — (7) Serm. 28. de Temp.

non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis (1); ut iis abutamini contra Deum, ad vestram libidinem. Jacobum sic elucidat Venerabilis Beda: « Male petit a Deo, 1. Qui jussa Domini contemnens, a Domino beneficia superna desiderat; 2. Qui amisso amore supernorum, infirma tantum quærit bona percipere; 3. Et hæc non ad sustentationem humanæ fragilitatis, sed ad redundantiam liberæ voluptatis, quod est velle insumere in concupiscentiis. » Eis ergo qui talia petunt, aures plane obstruit Deus. Illa enim odit, quia turpia, ac proinde ea elargiri nequit. *Qui vilia et indigna precatur præstantis potestatem et potentiam degener petitor ignorat:* (2) neque Dei agnoscit naturam, qui cum sit sanctus et bonus per essentiam, non noxium et peccatum largitur, sed bonum et salutare, *non ergo impia, sed pia; non terrena, sed cœlestia; non illecebris, sed virtuti congrua; non digna odiis, sed apta concordiæ, a tali semper exoranda sunt largitore* (3); qui etiam temporalia bona largitur, modo nobis sint necessaria et conditionate postulentur.

II. PARS. *Sed quam eleganter divina Sapientia ordinem orationis instruxit? ut post cœlestia, id est, post Dei nomen, Dei voluntatem et Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus petitionis locum faceret? Nam et ediderat Dominus: Quærite prius regnum Dei, et tunc vobis etiam hæc adjicientur* (4): terrenorum autem postulatio debet esse conditionata, moderata et ordinata: conditionata et cum dependentia ad Dei voluntatem; moderata, necessaria duntaxat et non superflua desiderando; ordinata, omnia ad Deum referendo. Plerique mortales bona temporalia petunt, nec accipiunt: quia non postulant, 1. Conditionate; 2. Moderate; 3. Ordinate.

1. Quotidie postulamus in Oratione Dominica ut Dei voluntas fiat, non solum in cœlo, sed etiam in terra. Ex Tertulliano autem *sensus petitionis est ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri et in cœlis.* (5) In cœlo fit Dei voluntas; nam Angelorum et animarum sanctarum voluntates sunt totaliter divinæ voluntati conformes. *Hoc igitur oramus, ut hæc voluntas, sicut in cœlestibus, fiat etiam in terrenis; ut sicut Angelus, sic et homo adhærens Deo, unus cum eo spiritus sit* (6); neque quicquam velit nisi dependenter a Dei voluntate. Inter ea quæ postulamus, quædam sunt quibus bene vel male uti possumus: cujusmodi sunt divitiæ, honores temporales: *In quo genere sunt omnia, de quibus certum non habemus, quid expediat nobis; utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea, ut auferatur a te, sed non nimis obnixe; quoniam in talibus meminisse semper oportet apostolicæ* (1) *illius sententiæ: Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus; et Deo magis committere, quam temere apud nos aliquid definire.* (2) Bona temporalia sunt ex se indifferentia, possuntque esse nobis utilia aut inutilia, ideoque postulanda sunt a Deo tantum conditionate: si nobis profutura ad salutem Deus cognoscit. *Nunquid filio panem poscenti lapidem tradit? Ostendit enim quid a patre filii exspectent.* (3) Hac parabola docuit nos Salvator Deum erga nos agere personam et patris, et medici: pater non dat filio lapidem neque scorpionem, medicus non dat ægroto quod ei nociturum certo cognoscit: « secundum hoc intelligere debemus quia Deus, etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat: quod si enim hoc petieris, quod tibi obest, et medicus nolit quia obest tibi, non enim exaudivit medicus, quando forte tu frigidam aquam petis; et si prodest, statim dat; si non prodest, non dat; non exaudivit: an potius ad sanitatem exaudivit, quia voluntati contradicit? Sit ergo in vobis charitas, Fratres, sit in vobis, et securi estote: et quando non vobis datur quod petitis, exaudimini, sed non scitis: » (4) Quando igitur orans petit bona temporalia, quæ saluti suæ neque necessaria, neque contraria sunt, quandoque non exauditur. Nam, ut fatur S. Prosper in sententiis ex D. Augustino collectis, *fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer exauditur, et misericorditer non exauditur: quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam ægrotus.* (5) Misericorditer exauditur, si ea ad bonum usum postulat; misericorditer non exauditur, quia ad malum usum petit. Magno sano favore denegatur pugio frænetico, suspendium desperato, vinum febricitanti, argentum prodigo. Magna quoque Dei misericordia, denegantur lubrico divitiæ, superbo honores, tyranno dominationes, et cuivis homini ad quoddam vitium propenso, media et instrumenta ad vitiose

(1) Jacob. 4. — (2) Chrysol. Serm. 132. — (3) Chrysol. ibid. — (4) Tert. L. de Orat. 6. — (5) Tert. L. de Orat. 4. — (6) D. Bern. Serm. 4 Quadrag.

(1) Rom. 8. — (2) D. Bern. Serm. 25. de diversis. — (3) Tert. Lib. de Orat. 6. — (4) D. August. Tract. 6. in 1. Ep. Joan. — (5) Sent. 212.

vivendum : concessio est animadversionis indicium ; denegatio vero amoris et benevolentiæ testimonium : *Sæpe misericordiæ est subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ et indignationis misericordiam exhibere.* (1) Idipsum agit Deus. Interdum ex amore et misericordia negat quod postulatur : interdum ex odio et indignatione concedit quod petitur. Ut enim ait D. Augustinus, *nonnullis impatientibus Dominus Deus quod petebant, concessit iratus, sicut Satanæ fecit affligendi Job potestatem ; econtra Apostolo negavit propitius dicens : Sufficit tibi, gratia mea.* (2) Diabolus et Paulus postulant a Deo : diabolus postulat potestatem affligendi Job, Paulus petit liberari a stimulo carnis, quo vexabatur ; diabolum aversabatur Deus tanquam Angelum rebellem, apostatam, æternis suppliciis damnatum ; Paulum econtra diligebat velut Apostolum, vas electionis, Doctorem Gentium : diabolus tamen a Deo aversatus, obtinet a Deo quod postulat : *Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt.* Paulus vero tenere amatus, tribus vicibus Dominum deprecatur : *Ter Dominum rogavi ut discederet a me* (3) : nec tamen obtinuit quod postulabat. Plurima nobis videntur noxia et damnosa quæ saluti utilissima sunt ; ut adversitates, infirmitates, damna : ab his postulamus liberari, misericorditer Deus non exaudit : quædam econverso videntur bona, quæ damnosa et noxia sunt, ut honores, divitiæ, sanitas, prosperitas : hæc Deus misericorditer negat. *Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus* (4) : quapropter, Christiani, *discite rogare Deum, ut medico committatis, quod ipse novit, faciat : tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat.* (5) Itaque terrena conditionate, et adhuc moderate sunt postulanda.

2. *Panem enim peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est : cætera enim nationes requirunt.* (6) Necessaria ad vitæ sustentationem a Deo postulare potest Christianus : *Sufficientiam vitæ non indecenter vult, qui eam vult, et non amplius* (7), ait D. Augustinus. Cui consonat D. Bernardus, dicens: *At vero temporalia si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit ; sed non sunt nimium requirenda.* (8) Trina autem ratione, ut animadvertit Tertullianus, Christianos dimovet Christus a superflua et immoderata terrenorum postulatione : 1. Ut discriminentur a Gentilibus, qui necessario haud contenti superflua quærunt ; 2. Quia de crastino sollicitos non vult fideles. *Merito autem adjecit : Da nobis hodie, ut qui præmiserat : Nolite de crastino cogitare quid edatis.* (1) 3. Quia Christiani brevi tempore morituri, non debent immoderate temporalia quærere, *cui rei parabolam quoque accommodavit illius hominis, qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum et longæ securitatis spatia cogitavit, is ipsa nocte moritur.* (2)

Ab immoderata illa et superflua terrenorum postulatione, arcere fideles nititur Salvator, declarans pertinere *ad fidem et modestiam fidei* (3), si non agmine verborum adeundum putemus Dominum, *quem ultro suis prospicere certi sumus.* (4) Nam, ut animadvertit Gregorius Nyssenus expendens ista Salvatoris verba : *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt.* (5)« Videtur ergo mihi castigare inflationem atque tumorem mentis, eorumque qui sese vanis cupiditatibus immergunt reprimere atque compescere ambitionem, et idcirco peregrinam et novam hanc dictionem excogitasse ad arguendam amentiam eorum, qui vanarum pariter atque inutilium rerum cupiditatibus diffluunt. Nam cordatus et prudens sermo, proprie sermo dicitur. At quæ per inanem voluptatem cupiditatibus vanis quasi superfunditur oratio, non amplius sermo, sed battologia est, » (6) id est, linguæ volubilitas et vanus sermo, seu effervescentia atque effutitio. « A Gregorio Nysseno non dissentiens Theophylactus, ait : *Battologia est nugacitas, ut verbi gratia petere aliquid terrenum, gloriam, divitias, victoriam.* Inde Christianum alloquitur : *Tu igitur ne nugax et multiloquus sis.* Oratio terrena duntaxat expostulans nugax est, et battarismo comparatur. Ut autem subjungit Theophyl. *Battarismus inarticulata vox qualis est puerorum :* pueruli vocem non articulant, sed solummodo balbutientes, nihil exprimunt, nihil audientibus notificant. Qui temporalia postulat bona balbutit more puerorum, orationem mentitur et tantum specie tenus orat. Quod innuere videntur *Pythagoræi, cum jubent voce peccari ? Non quod existimarent Deum non exaudire eos qui tacite loquuntur, sed quod justas vellent esse preces, quas non vererentur quis fundere multis eas scientibus.* (7) Justæ autem preces

(1) D. Bern. Serm. contr. Vit. Ingrat. — (2) Epist. 121. — (3) 2. Cor. 12. — (4) D. August. Serm. 53. de Verb. Dom. — (5) D. August. Tract. 6. in 1. Joan. — (6) Tert. L. de Orat. 6. — (7) Lib. de Orando Deum. c. 6. — (8) Serm. 25. de diversis.

(1) Tert. L. de Orat. 6. — (2) Tert. L. de Orat. 6. — (3) Tert. L. de Orat. 1. — (4) Tert. ibid. — (5) Matth. 6. — (6) Orat. 1. de Orat. Dom. — (7) Clem. Alex. 4. Strom.

vitant battologiam, battarismum, superfluam et nugacem temporalium petitionem. *Ne attendas carni, neque ea quæ carnis bona videntur, studio impensiori secteris : id est, sanitatem corporis, decorem, cultum vultus, voluptatem carnis atque delicias, neque vitæ longioris vota suspires ; non divitias seculi, non ambitionis gloriam, non potentiam caducæ fragilitatis mireris, et nihil omnino quod ad præsentis vitæ ministerium pertinet, magnum æstimes ad petendum.* (1) Ab immoderata petitione immunis debet esse oratio, etiam Gentilis Philosophi suffragio. « Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum a Deo immortali arbitrabatur, quam ut bona tribueret : quoniam is demum sciret, quid unicuique esset utile, nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrare melius foret. Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentem errorem cæcas precationes suas spargit. Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt ; honores concupiscis, qui plures pessum dederunt ; regna tecum ipse volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur ; splendidis conjugiis injicis manus, et hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos evertunt. » (2) Hucusque Valerius Maximus refert mentem Socratis, cujus judicio temporalia, quæ ut plurimum postulant mortales, non solum sunt fugitiva, frivola, caduca, et ad beatam immortalitatem properantibus impedimenta, sed etiam noxia, perniciosa, exitiosa, quæ sectatores suos ad æternam ducunt infelicitatem. Quapropter *Deus cum male aliquid petitur, dando irascitur ; non dando, miseretur.* (3)

Cum noxia petimus, Deus suam ostentat misericordiam, dum illa negat : et ut fatur Sanctus Isidorus, *multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem.* (4) Quod Regius fatetur Vates, qui die noctuque Deum deprecans, non est exauditus : « Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi. » (5) Seu ut alii legunt, *ad mei amorem non exaudies.* At quem amorem ostendit Deus non exaudiendo preces Prophetæ tanta instantia supplicantis? Respondet D. Augustiuus : *Si Deus suos oratores non exaudit, hoc non facit ad eorum insipientiam vel odium, imo ad amorem : quia secum vult eos associatos ; dicit enim Propheta : Non ad insipientiam mihi non audis, sed ad amorem.* Inde Dei bonitatem commendat D. Augustinus noxia quæ postulamus denegantis, ut nobis utilia ad salutem largiatur. *Bonus Dominus qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod mallemus tribuat.* (1)

Uti autem Deus suum demonstrat amorem temporalia negando, ita suam ostentat indignationem terrena immoderate petita largiendo : quemadmodum parens ex amore cultrum denegat puerulo, ne eo lædatur, ex animadversione largitur, ut eo sese confodiat, aut saltem vulneret : *Sic majoris iracundiæ est, cum hoc tribuitur quod male desideratur, aque inde repentina ultio sequitur : nam quanto citius impleri malum votum permittitur, tanto celerius punitur.* (2) Ut Israëlitarum (3) comprobatur exemplo, qui concupiscentes carnes, carnes acceperunt, sed in pœnam pravi desiderii, morte mulctati sunt, et in perenne ultionis divinæ monumentum locus in quo tumulati sunt, nuncupatus est *sepulcrum concupiscentiæ. Sic agit omnis qui terrena quærit ultra necessitatem, qui mundialem gloriam sectatur, atque voluptatem.* (4) Hunc exaudit Deus, non ad misericordiam, sed ad justitiam, et ut fatur D. Augustinus, malo suo : « petit aliquis magnam pecuniam, accipit malo suo : quando illam non habebat, parum timebat ; habere illam cœpit, præda factus est potentiori : nonne malo suo exauditus est, qui voluit habere unde a latrone quæreretur, quem pauperem nemo quærebat? » (5) Et quod est lugendum magis, *multi dati sunt, sed malo suo, de quibus Apostolus : Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum.* (6) Inde concludit D. Augustinus : *Metuendum est ne quod non posset dare propitius, det iratus.* (7) Christiane, desiderasne Deum habere propitium, non iratum ? *Desine igitur post stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare* (8), superflua depone terrenorum desideria, et quando tibi necessaria petis, ordinate illa postula.

3. *Petitio vitæ in pane* (9), id est, eorum quæ nobis in seculo ad vitam temporalem necessaria sunt, debet esse moderata et ordinata : moderata, superflua non desiderans; ordinata, nihil exspostulans, nisi in ordine ad nostram salutem. Temporalia in ordine ad salutem æternam postulanda sunt. Ut

(1) S. Zeno Serm. 10. — (2) Valer. Max. L. 9. c. 2. — (3) D. August. — (4) Lib. 3. de summ. bon. 7. — (5) Psal. 21.

(1) Epist. 34. ad Paulin. — (2) D. Greg. Lib. 15. Moral. 12. — (3) Num. 11. — (4) D. Bern. Serm. 25. de diversis. — (5) Tract. 6. in 1. Joan. — (6) D. Aug. ibid. Rom. 1. — (7) Tract. 73. in Joan. — (8) Valer. Max. ibid. — (9) Tert. L. de Orat. 9.

enim ait Magnus Gregorius elucidans istud Dominicum : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo. » (1) *Nomen filii Jesus est; Jesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur : ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit , quod ad veram salutem pertinet.* Uti autem in nomine Salvatoris postulatur quod ad æternam conducit salutem , ita *non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* (2) Quisquis cœlestibus minime intentus , post terrena tantum anhelat , non petit in nomine Salvatoris , nec a Deo exaudiri meretur. *Nihil enim caducum vult a se, nihil vile, nihil temporale , æternitatis conditor implorari. Itaque magnificentiæ ejus ac munificentiæ maximam irrogabit injuriam , quisquis sempiternis petitionibus prætermissis transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare, et offensam potius quam propitiationem judicis sui vilitate orationis incurrit.* (3) Qui non postulant temporalia in ordine ad æterna, orationem depretiant, Deo injuriam irrogant , non ejus propitiationem obtinent , sed potius iracundiam provocant. Quod a Christianis recogitandum exoptat Magnus Gregor. *Pensate, quæso , petitiones vestras , videte si in nomine Jesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu , Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importuni pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem , alius petit villam , alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cum hæc desunt , ab omnipotenti Deo petenda sunt; sed meminisse debemus, quod ex mandato ejusdem nostri Redemptoris accipimus : Quærite primum regnum Dei.* (4) Neque temporalia nisi in ordine ad cœlestia postulate , quæ cum sint ex suo genere bona, simpliciter et absolute postulanda sunt.

III. PARS. *Hominis petitionem* (5) regulare volens Dominus , « quid petendum sit ipse misericors et benedictus Salvator ore suo sanctissimo in Evangelio Joannis evidenter docuit , dicens : Petite et accipietis , ut gaudium vestrum plenum sit. Similiter et sermone illo quo dixit : Primum quærite regnum Dei , et justitiam ejus : similiter et in oratione quam Apostolos ipsemet docuit, septem esse petenda. » (6) *Proinde apud Evangelistam Matthæum* (7), *septem petitiones continere dominica videtur oratio : quarum tribus æterna poscuntur ; in reliquis quatuor temporalia , quæ tamen propter æterna consequenda sunt* (1), tam temporalia , quam æterna possunt in oratione postulari. *Cum enim desiderium non sit nisi respectu alicujus boni , ideo non licet orare nisi pro bono.* (2) Non eodem autem modo postulanda sunt bona temporalia et æterna : illa non absolute , sed duntaxat conditionate : modo ad præsentis vitæ sustentationem sint necessaria , et sint media æternæ salutis acquirendæ. *Nos quid oremus , et sicut oportet nescimus ; duas ob res , et quod illud quod futurum speramus , et quo tendimus, nondum apparet : et in hac ipsa vita multa possunt nobis prospera videri, quæ adversa sunt , et adversa , quæ prospera* (3) : ideo postulanda est conditionate et dependenter ad Dei voluntatem , sive terrena prosperitas , sive adversitatis liberatio. Quia, ut subjungit D. Augustinus, *Deus novit quid in hac vita nobis expediat , et quid post hanc vitam daturus est* : æterna vero bona , quæ sunt simpliciter bona, absolute petenda sunt , et quia media quæ ad illa conducunt, noxia nequeunt esse, absolute etiam sunt postulanda : postulemus ergo absque ulla conditione : 1. Divinæ voluntatis adimpletionem ; 2. Regni cœlestis acquisitionem ; 3. Ipsiusmet Dei possesionem.

1. *Sed et legem Dei bonitas erogavit consulens hominis, quo Deo adhæreret* (4), et divinam adimpleret voluntatem sibi per legem denotatam. Et ob hanc causam postulamus in Oratione Dominica ut voluntas Dei fiat , sicut in cœlo , ita et in terra ; id est, ut homines ex terra compositi divinam adimpleant voluntatem, non secus ac Angeli , qui sunt intelligentiæ pure spirituales in cœlo degentes : illa legis observatio et divinæ voluntatis adimpletio, est medium adultis necessarium , ut cœlestem adipiscantur patriam, et simul cum Angelis divinam perfecte adimpleant voluntatem. Quapropter non sine mysterio hanc tertiam petitionem : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra , » hæc secunda præcedit : « Adveniat regnum tuum, » quia regnum cœleste est finis ad quem tendimus , adimpletio autem divinæ voluntatis est medium ad cœleste regnum consequendum : intentio autem finis præcedit electionem mediorum , et desiderium assequendi finis incitat ad adhibenda media ad illius assecutionem necessaria. *Vide autem consequentiam optimam. Quia enim concupiscere*

(1) Joan. 14. — (2) D. August. Tract. 102. in Joan. — (3) Cassian. Coll. 9. cap. 23. — (4) Ibid. — (5) Tert. Lib. de Orat. 1. — (6) Guilhel. Par. Lib. de Rhetor. Div. cap. 16. — (7) Matth. 6.

(1) D. Aug. in Enchir. cap. 115. — (2) D. August. Epist. 121. — (3) D. August. Expos. Epist. ad Rom. Propos. 54. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 4.

docuit cœlestia, per hoc quod dictum est: Adveniat regnum tuum, antequam ad cœlum perveniatur, ipsam terram jussit fieri cœlum, per hoc quod dixit: Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra (1); scilicet ut viatores adimplentes in terra Dei voluntatem, per legis observantiam, valeant illam adimplere in cœlo consortes æternæ felicitatis, qua fruuntur Angeli; et cujus assecutionem in suis orationibus postulant terrigenæ et mortales.

2. Et ob hanc causam in oratione dominica fit *commemoratio spei, in regno.* (2) Quadruplici utitur Christus ratione, ut Christianorum spem erigat, et ad postulandum regnum cœlorum inducat. Primo docet illos dicere: Pater noster qui es in cœlis (3), *ut ostendat sic orantes, jam non servos, sed filios esse, qui non mortalia cum Ismaele, sed immortalia cum Isaac percipere petunt.* (4) 2. Pollicetur impetraturos a cœlesti Patre: « Si quid petieritis in nomine meo; » (5) denotans his verbis, non tantum securitatem impetrandi quod postulaverint, sed etiam materiam orationis, seu id quod est in oratione postulandum, nempe *quid:* hoc est bona cœlestia et æterna, non caduca et terrena, *si divinam gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Quidquid autem aliud petitur nihil petitur* (6): qui temporalia duntaxat petit, non orat. Oratio est alicujus rei petitio, terrena autem sunt nihil. Quapropter, Fratres, *quando petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut si prosint, det; si scit obesse, non det: quid prosit, novit medicus, non ægrotus. Cum vero ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro seculo promittit, ab illo petitis; securi petite, et quantum potestis orationibus, ut sumatis.* (7) Dei dilectio, mandatorum observatio, virtutum operatio, cœlestis hæreditatis acquisitio, sunt materia orationis, et quid a a Deo postulandum. Christiane, *hæc sunt toto affectu et toto tempore postulanda; hæc sunt pro quibus incessanter et quam obnixe poterunt, ad Deum clament desideria tua, ut habeas gratiam ejus bonam, et placere possis in oculis pietatis ipsius, et in eo vivas, moriaris in ipso, ut gloriam ejus videre, et ipso frui in æternum merearis.* (8) 3. Regnum Dei primo postulantibus temporalia etiam promittit Salvator: idemque illis præstat Deus ac Salomoni sapientiam, non fortunæ bona postulanti: « Quia postulasti verbum hoc, et non petiisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum; sed postulasti sapientiam ad discernendum judicium: Ecce feci secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens, sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi, » (1) scilicet divitias, honores, et gloriam. *Salomoni, quia sapientiam petere elegisset, etiam cæteras opes quas non poposcerat, ob hoc ipsum, quia non desideraverat, contulit.* (2) Tandem, 4. Exoptat Dominus ut in oratione cœleste regnum et immortalem postulemus felicitatem: idcirco, Christiane, *ora beatam vitam: hanc enim habere omnes homines volunt. Nam et qui pessime et perdite vivunt, nullo modo ita viverent, nisi eodem modo se esse vel posse beatos putarent, quid igitur te aliud oportet orare, nisi id quod cupiunt mali et boni: sed ad quod perveniunt nonnisi boni?* (3) Gloria quæ est gratia consummata, non comparatur nisi a justis gratia sanctificante decoratis, neque meretur nisi per orationem a viro probo et justificato factam. *Hæc est uberior fervidiorque felicitas, non ventre gravescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere; non visceribus terram, sed cœlum orationibus parturire.* (4) Vides quomodo oratio de corde candido et puro ore procedens parturit cœlum, et uberiorem meretur felicitatem. Christiane, « delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (5): » ubi D. Aug. *Signanter accipe petitiones cordis tui: discerne petitiones cordis tui a petitionibus carnis.* Caro voluptabilia expetit, post honores suspirat, ad epulas hiat, ultionem exoptat, venereas delicias captat, in rebus caducis suam felicitatem collocat: at cor divina insignitum imagine, æternæ capax beatitudinis, ipsum Deum postulat, neque nisi Dei possessione satiari potest. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. « *Quare non dixit tuas, sed cordis tui? Quia lex carnis, legi mentis frequenter repugnat: quæ autem interioris sunt hominis, qui renovatus est in spiritu, illas petitiones pio donat affectu.* (6) Petitiones hominis carnalis non exaudit Deus, at homo interior et Spiritu Sancto renovatus et sanctificatus, obtinet petitiones cordis sui, præsertim cum in suis precibus ipsiusmet Dei possessionem postulat.

3. *Etiamsi præfinitum in oratione non*

(1) D. Chrysost. Hom. 20. in Matth. — (2) Tert. L. de Orat. 9. — (3) Matth. 6. — (4) Hug. Card. — (5) Joan. 16. — (6) V. Beda. — (7) D. Aug. Serm. 53. de Verb. Dom. — (8) D. Bern. Serm. 25. de Divers.

(1) Lib. 3. Reg. 31. — (2) S. Paulin Epist. 10. — (3) D. August. Epis. 121. ad Prob. cap. 4. — (4) D. August. Epist. 579. — (5) Psal. 36. — (6) D. Ambros.

esset, de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissemus, festinantes ad spei nostræ complexum. (1) Deus, qui est perfectum felicitatis objectum, est etiam terminus primarius spei nostræ, quæ ad Dei possessionem assurgit. Et quia quandiu homo peregrinatur in terra, et anima in corpore velut in ergastulo detinetur, nequit immortali frui beatitudine, neque possidere Deum, desideria sua extollit ad cœlum, ad quod spes nostras erigimus, quoties ut Dei regnum adveniat, oramus, et Pater noster qui es in cœlis, ore promimus. Hæc verba in oratione posita censet D. Cyprianus, *ut facilius audiamur* (2); seu, ut melius ad propositum D. Chrysostomus, *in cœlis ergo dicit; non illic Deum concludens, hoc ait, sed a terra abducens orantem, excelsis regionibus affigiens* (3), ubi animæ a corpore solutæ beantur, Deumque possident. Regius Vates probe sciens Deum esse verum felicitatis objectum, non terrena bona, sed ipsum Deum cunctorum bonorum fontem exquisivit et exauditus est. « Exquisivi Dominum, et exaudivit me. » (4) Non dixit: Inquisivi aurum a Domino, et exaudivit me; inquisivi hoc aut illud, et exaudivit me: aliud est aliquid inquirere a Domino, aliud est ipsum Dominum inquirere. Exquisivi, inquit, Dominum et exaudivit me. Ubi exaudivit Dominus? intus. Ubi dat? intus: ubi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris. Orasti intus, exauditus es, beatificatus es. » Christiane, illud orando pete, quod adeptum te beabit, et ibi ubi petis, nempe in corde beatificat; ideo, ut te hortatur D. August. (5), « noli aliquid a Domino extra quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicet: Ecce adsum. Quid est, ecce adsum? ecce præsens sum: quid vis? quid a me quæris? quicquid tibi dedero, vilius est quam ego. Meipsum dabo, me fruere, me amplectere. Nondum potes totum, ex fide contige me, et inhærebis mihi. » Quid suavius, quid opulentius, quid gloriosius quam terrenis et caducis rebus animose neglectis, Deum quærere, quæsitum invenire, inventum amplecti, illi adhærere, illo beari? Deum autem non quærunt, non inveniunt, non amplectuntur, Deo non adhærent, ideo non beantur, qui terrena Deo præponunt. neque Deum orant, nisi ut temporalibus fruantur bonis. Propheta Regius exauditus est, quia quæsivit Dominum. « Qui ergo non exaudiuntur, non Dominum quærunt: inquisivi, inquit, Dominum, et exaudivit me. Tu autem quando oras, et dicis: Occide illum inimicum meum, non Dominum inquiris, sed quasi facis te judicem super inimicum tuum, et facis quæstionarium Dominum tuum. » (1) Talem petitionis abusum merito exsecratur Magnus Gregor. *Sed adhuc quod est gravius, alius postulat mortem inimici, eumque quem gladio non potest persequi, persequitur oratione. Et vivit adhuc qui maledicitur, et tamen qui maledicit, jam de morte illius reus tenetur. Jubet Deus ut diligatur inimicus, et tamen rogatur Deus ut occidat inimicum.* (2) O exsecrabilem orationis abusum! *illa petere quæ prohibet ipse qui petitur.* (3) O nefandas eorum preces qui male petunt, qui mundialia et voluptibilia bona expetunt, ut sese voluptatibus ubertim impleant! Ut enim animadvertit D. Augustinus expendens Orationem Dominicam, *quisquis dicit quod ad evangelicam istam precem pertinere non possit, carnaliter orat.* (4) Carnalis est oratio, quæ voluptabilia petit, ut expleat libidinis concupiscentiam; carnalis est oratio, quæ temporalia sic petit ut ad cœlestia non dirigat: *immunda est oratio optando terrena* (5) cœlestibus relictis et despectis; luxuriat oratio, quæ res Dei postulat, et non Deum: *quisquis a Deo quærit præter Deum aliquid, non caste Deum quærit.* (6)

Quam pauci sunt hac ætate qui caste Deum quærant, quam rari sunt quorum oratio non sit carnalis et immunda! « Multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damnisque devitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate seculari, postremo etiam pro ipsa salute corporis, quæ patrimonium est pauperis. Pro his atque hujusmodi rebus, multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum. Facile quippe homini est quodlibet desiderare a Domino, et ipsum Dominum non desiderare, quasi vero suavius esse possit, quod dat, quam ipse qui dat. » (7) Talia sunt ut plurimum mortalium vota, qui a Deo non Deum, sed bona terrena quæ dat Deus, postulant. Talis est oratio superbi honores desiderantis, avari divitias optantis. Qui carnali hac oratione petunt, Deum quidem vocant, non tamen invocant, quia non intus vocant. « Invocas Deum, avare, ut det tibi lucrum: lucrum ergo invocas, non Deum. Quia hoc lucrum quod concupiscis, non potes habere per servum tuum, per colonum tuum, per clientem tuum, per

(1) Tert. L. de Orat. 5. — (2) De Orat. Dom. — (3) Homil. 20. in Matth. — (4) Ps. 33. — (5) D. August.

(1) D. August. — (2) Homil. 27. in Evang. — (3) D. Greg. — (4) Epist. 121. c. 12. — (5) D. August. in c. 16. Job. — (6) D. August. Serm. 49. de Verb. Dom. — (7) D. Aug. in Psal. 76.

amicum tuum, per satellitem tuum, invocas Deum : ministrum lucri tui facis Deum. Viluit tibi Deus. Vis invocare Deum ? gratis invoca. Avare, an parum est tibi, si te impleat ipse Deus ? Deus si ad te veniat sine auro et argento, non vis illum. Quid ergo tibi, de iis quæ fecit Deus, sufficit, cui Deus non sufficit? » (1) Eodem argumento quo avarum insequitur D. Augustinus, urgentur cuncti mortales mundo addicti : nam secularia duntaxat sectantes et quærentes, satiari nequeunt, beari non possunt, sed potius egent, infelicitantur, temporalia non Deum invocantes, ut docet D. Augustin. elucidans istud Davidicum (2): Deum invocaverunt. « Deus enim gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est, caste amari ; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat. Ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat, hoc invocat quod vult ad se venire. Quid enim est invocare nisi vocare in se? In se ergo vocare, hoc est invocare. Nam cum dicitur : Deus, da mihi divitias : non vis ut ipse Deus veniat ad te, sed vis ut divitiæ veniant ad te. Quod vis ut ad te veniat, hoc invocas. Si autem Deum invocares, ipse ad te veniret, ipse esset divitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam, et inanem conscientiam. Deus non implet domum, sed pectus. Quid tibi prosunt exteriores divitiæ, si te interior premit egestas ? Ergo isti qui propter secularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præsentem, et terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum. » Oratione namque abutentes ; de Deo quoque ludentes, dum mentito Dei nomine Deum invocare videntur, Deum non invocant, sed duntaxat divitias, dignitates, bonam valetudinem, vitam, felicitatem terrenam, aliaque ejusmodi invocant, quæ a Deo postulant, quem adjutorem cupiditatum suarum efficere desiderant. *Deum non invocaverunt, invocant, sed non Deum. Invocas quidquid amas, invocas quidquid in te vocas, invocas quidquid vis ut veniat ad te. Porro si Deum propterea invocas ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te secularis dignitas, illa invocas quæ vis ut veniant ad te : sed Deum tibi ponis adjutorem cupiditatum, non exauditorem desideriorum.* (1) O quam ludunt vota hominum perniciosa orationis nugacitate, et horrendo precum abusu ! O quanta est mortalium dementia et infelicitas, qui pro mundialibus bonis obtinendis duntaxat orantes, res noxie cupitas duntaxat invocant, non Deum quem solummodo advocant adjutorem et ministrum cupiditatum suarum ! Christiane, si terrena petis, dirige ad cœlestia, et cœlestia petisti : si res Dei postulas a Deo, propter Deum, et dependenter a Deo postula, et Deum invocasti. Alioquin *non recte oras, si orando præter verbum aliquid quæras; cum et in ipso sint omnia. Nam etsi et ista temporalia cum necesse est postulare videmur; si verbum in causa est (ut quidem dignum est), non utique illa, sed hoc potius quærimus, propter quod alia postulamus.* (2)

Ex his eliciendæ sunt duæ conclusiones: una ex Jacobo desumpta : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* (3) Male petunt qui adimplere peccata quæ Deus prohibet, petunt; male petunt qui ut faveant suis concupiscentiis et passionibus bona fortunæ petunt; male petunt qui Deo neglecto a Deo temporalia petunt. Altera ab ipsomet Christo deducta : *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite, et accipietis.* (4) Tres partes continet illud Salvatoris oraculum : 1. Jurejurando se adstringit nos recepturos si quid in suo nomine postulaverimus a Patre, id est, si petierimus non nihil, sed quid, in suo nomine; 2. Redarguit nos usquemodo non postulasse in suo nomine, nempe in statu gratiæ res quæ salutem spectant, postulasse; 3. Hortatur nos ad petendum, et pollicetur nos accepturos. Petamus, igitur, sed petamus gratiam ; postulemus gloriam, ipsumque Deum.

(1) August. in Psal. 30. — (2) Psal. 52.

(1) D. Aug. in Ps. 85. — (2) D. Bern. Serm. 5. 86. in Cant. — (3) Cap. 4. — (4) Joan. 16.

PAX.

SCHOLIUM.

Pax, 1. *Mala depretiatur;* 2. *Christiana commendatur;* 3. *Trina discriminatur;* 4. *A multiplici prototypo regulatur;* 5. *Dei dono nobilitatur;* 6. *Bonorum universalitate locupletatur.*

CONCIO PRIMA.

Diabolus est *Dei æmulus.* (1) Inde sapienter colligit Tertullianus : *Quod ab æmulo Dei conceptum est, utique non est amicum Dei rebus. Eadem discordia est rerum quæ et auctorum.* (2) Idcirco « inter Babylonem et Hierusalem nulla pax est, sed bellum continuum. Habet unaquæque civitas regem suum. Rex Hierusalem Christus Dominus est; rex Babylonis diabolus. Et cum alterum in justitia, alterum in malitia regnare delectet; » (3) inter illos nulla potest esse societas. Uterque rex suis subditis largitur pacem : Christus bonam et innocuam donat pacem, diabolus vero malam et scelerosam, eamque trinam offert pacem : scilicet, 1. Colligatam; 2. Simulatam; 3. Inordinatam.

I. PARS. Christiane, *pactus es renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus.* (4) Scelerosi Christiani post ejerationem in baptismate factam, non erubescunt *cum illo inire concordiam* (5); et quemadmodum probi Christiani uniuntur ad invicem *in vinculo pacis,* (6) seu, ut legit D. August. in conjunctione pacis, græca lectio habet in colligatione et concatenatione pacis; ita scelerosi uniuntur, conjunguntur, consociantur, confœderantur, concatenantur in vinculo pacis, non bonæ, sed malæ; non innocuæ, sed scelerosæ : nimirum ad, 1. Errorem inducendum; 2. Justum persequendum; 3. Crimen perpetrandum.

1. *Diabolus ad hoc se regnare putat, si Sanctos a religione Dei deturbat* (1); quod hæreticum et novatorum ministerio exequi nititur. Hæretici namque, ab Ecclesia, quæ est columna veritatis, sejuncti, *pacem passim cum omnibus miscent, nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent.* (2) Ut constat ex Pharisæis et Saducæis : « Pharisæi audientes quod Jesus imposuisset silentium Saducæis, convenerunt in unum. » (3) Ubi D. Hieronymus : *Pharisæi ergo et Saducæi, qui inter se contrarii sunt, ad tentandum Jesum pari mente consentiunt.* Constat adhuc ex Hollandia et Anglia, ubi omnes hæretici, cujusvis sint sectæ, libere, palam et publice suos profitentur errores : sola religio vera et catholica ab illis exsulat regionibus : *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non sedit, et in cathedra pestium non sedit.* (4) Beatus et multum beatus qui cum hæreticis et novatoribus non inivit societatem, nec pacem confœderavit, qui pestilente eorum doctrina non est infestatus. Fidelem salubriter admonet Ecclesiasticus : *Discede ab iniquo, et discedent mala abs te* (5) : quasi dicat : Discede ab homine iniquo, et discedes ab iniquitate et malitia; discede ab hæretico et novatore, et discedes ab errore et

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 6. — (2) Tert. L. de Pat. 5. — (3) D. Bern. Serm. de pugn. Spir. — (4) Tert. Lib. de An. 35. — (5) Tert. ibid. — (6) Ephes. 4.

(1) Tert. L. adv. Jud. 9. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 41. — (3) Matth. 22. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 42. — (5) Cap. 2.

hæresi, quam ipse suis venenosis afflat sermonibus. Arabicus legit : *Ne commiscearis iniquo, elongare ab eo, elongabitur a te.* Si vis cavere errorem et iniquitatem, cave malorum societatem, qui suis erroneis conversationibus et depravatis moribus, ad errorem et scelus inducunt. Ut propria experientia doctus fatetur D. Augustinus, qui ex societate cum Manichæis hæreticis, et juvenibus criminosissimis, effectus est hæreticus et sceleratissimus. *O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis! Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem.* (1) Deus ut Israëlitas in vera religione servaret, serio præcepit ne cum finitimis gentibus confœderarentur : et ut interpretatur D. Chrysostomus, *Deus interposuerat inimicias, ut per odium præstaret securitatem.* (2) Inhibuit familiaritatem, ut eos ab idololatria præstaret immunes ; quia tamen Deo non obtemperarunt, sed cum Gentilibus commixti sunt, ex eorum societate et amicitia in idololatriam prolapsi sunt, ut eis exprobrat Regius Vates : *Non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis. Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.* (3) Idem accidit pluribus catholicis qui ineunt amicitiam cum hæreticis, eorum contagie afficiuntur, errores combibunt, in hæresim cadunt, et tandem simul cum eis colligati simul in infernum detruduntur : juxta istud Matthæi, « colligite primum zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum. » (4) Ut autem animadvertit D. Augustinus, ait Evangelista *in fasciculos non in unum acervum, ut combustio sit in fine seculi* (5) : simile patientur supplicium qui ad persequendos justos confœderantur.

2. *Ita docent Acta Apostolorum, in illa exclamatione Ecclesiæ ad Deum. Convenerunt enim in ista civitate adversus sanctum filium tuum Jesum, quem unxisti : Herodes et Pilatus, cum nationibus.* (6) Quod a Regio Propheta (7) fuerat vaticinatum : nam, ut comprehenderent Jesum et cruciatibus ignominiis et opprobriis afficerent, convenerunt summi pontifices, sacerdotes, scribæ, pharisæi, magistratus populi, præsides, milites, reges : « Ipse Dominus in judicium venit cum presbyteris et archontibus populi, secundum Esaiam. Tumultuatæ sunt ibidem nationes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, et archontes congregati sunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Nationes, Romani qui cum Pilato fuerant. Populi, tribus Israëlis. Reges in Herode. Archontes in summis sacerdotibus. Nam et Herodi velut munus a Pilato missus, Osee vocibus fidem reddidit. De Christo enim prophetaverat : Et vinctum eum ducent xenium regi. » (1) Davidis vaticinium belle elucidat Tertullianus, fuseque dinumerat illos, qui ad inferendam Christo mortem consociati sunt, et pacis vinculo colligati, præsertim Pilatus et Herodes ; nam Evangelista teste, « et facti sunt amici Herodes et Pilatus, in ipsa die, nam antea inimici erant adinvicem. » (2) Ubi Theophylactus : *Vide quam discrepantia congreget diabolus, solum ut Christo mortem præparet : in unam enim conspirationem copulat, et conciliat inimicos.* Dissidebant ab invicem Pilatus et Herodes, quia cum vicini essent, unus super alterum usurpabat jurisdictionem. Diabolus probe sciens malignantium amicitiam esse medium optimum ad inferendam Christo mortem, Herodem et Pilatum reconciliavit, fuitque iniquæ amicitiæ illorum mediator et negotiator. Inde colligit Theophylactus : *Non confundimur igitur nos propter salutem nostram, neque amicos servamus in officio.* Quasi dicat : Ex diaboli malitia discamus bonitatem. Diabolus ad malum disjuncta et inimica conjungit, inimicos confœderat, ut ex eorum amicitia facilius necem inferat Christo ; et nos inimicantes conjungamus Christianos, non ut aliis noceant, sed ut amicitiæ fœdere suam consequantur salutem.

Redeat itaque Regius Vates, felicem prædicans eum qui cum iniquis adversus Christum non fuit pace et amicitia consociatus et colligatus : *Felix ille, inquit, qui non abiit in concilium impiorum, et in via peccatorum non stetit, nec in cathedra pestium sedit.* Amicitiam eorum qui ad malum inferendum confœderantur, nuncupat cathedram pestilentiæ, viam peccatorum, concilium impiorum, eumque felicem declarat, qui hac non fuit contagione toxicatus, qui in criminosa illa non ambulavit via, qui impiorum concilio non fuit ascitus. Ut autem animadvertit Tertullianus, *etsi justum illum videtur prædicasse, quod in concilio et in sessu Judæorum de necando Domino consultantium non communicavit, late tamen semper Scriptura divina loquitur*(3), justumque commendat qui cum impiis consociatus non est, ut pro-

(1) Lib. 3. Confes. 9. — (2) In Cat. Pat. Græc. — (3) Psal. 105. — (4) Matth. 13. — (5) Lib. Quæst. Evang. — (6) Tert. Lib. adv. Prax. 28. — (7) Psal. 2.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 42. — (2) Luc. 23. — (3) Tert. Lib. de Spect. 3.

ximo suo noceret. Tanto felicior, quanto rarior in hoc seculo, in quo homines maligni ineunt amicitiam ut bonos persequantur, ad instar Simeonis et Levi, qui in necem et excidium Sichimorum conspirarunt, quorum sævitiam et malignitatem ad memoriam revocans Jacobus (1) Patriarcha morti proximus, sic eos increpat: *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia.* At cur Jacobus hos duos conjungit et fratres nominat, dum sceleris arguit? Nonne etiam cæteri ejus filii erant fratres, cur carum et strictum fraternitatis vinculum, quod in aliis filiis tacetur, in Simeone duntaxat et Levi exprimitur? Respondet Cajetanus: *Simul istorum duorum causa agitur, propter eorum unanimitatem ad malum, non tam carne, quam concilio et animo.* Duplici vinculo conjuncti erant ad invicem Simeon et Levi: uno, in natura, altero in malitia fundato, et quia arctius erat vinculum malitiæ, quam naturæ, vocitantur fratres, non sanguinis cognatione, sed perversitatis necessitudine: unde alia versio legit: Simeon et Levi fratres, *vasa injuriæ cognatio eorum.* Quasi dicat, ait Lippomanus, *indoles eorum ad inferendas injurias et violentias aliis.* Sic concors malitia quantumvis discordes animos arcte connectit, et diabolus pacis vinculo colligat scelerosos, ut atrocissima quæque perpetret facinora.

3. *Porro cum Deus optimus, diabolus e contrario pessimus, ipsa sui diversitate testantur neutrum alteri facere, ut nobis non magis malo aliquid boni, quam a bono aliquid mali editum videri possit* (2); ut evidenter comprobatur ex pace quam Deus et diabolus largiuntur: pax enim Dei bona est, absque ulla commixtione mali; pax vero diaboli mala est, absque ulla mixtura boni; pax Dei bona est, quia a vitio dimovet, et ad virtutem inducit; pax diaboli mala est, tum quia *non docet bonam vitam, non suadet ad patientiam, non provocat ad justitiam, non hortatur ad misericordiam* (3); tum quia ad vitium inducit. Itaque *pax vera non est illa quam sibi invicem videntur adulteri præbere, et quam sibi præstare videntur raptores, ebriosi, adulteri, maledici, superbi* (4), aliique qui ad scelus patrandum consociantur et ineunt pacem. *Concordia ad faciendum bonum, ad sectandam justitiam, ad serviendum Deo, bona est; concordia vero ad faciendum peccatum mala est* (5); qualis est impiorum pax. Cujus binam rationem subministrat D. August. 1. Quia *pax illa, non de radice charitatis et justitiæ stirpe consurgit* (1), sed potius a diaboli odio oritur, et ab iniquitate sumit originem; 2. *Qui pacem veram habere desiderat, primum cum Deo habere contendat, quam non habere convincitur, qu non sic vivit, quomodo Deus præcipit esse vivendum.* Qui autem ad rapinam, furtum, impudicitiam, homicidium consociantur, cum Deo non habent pacem, neque vivunt secundum Deum, cujus mandata insolenter transgrediuntur. Scelerosæ illius pacis evidens habemus exemplum regnante Antiocho illustri, qui ab Scriptura sacra *radix peccati* (2) nuncupatur. Exierunt ex Israël filii iniqui, et suaserunt multis dicentes: Eamus et disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt. Et bonus visus est sermo in oculis eorum; missisque ad Antiochum legatis, cum eo inierunt amicitiam. Præfata autem verba sic interpretatur Lyranus: Disponamus testamentum, id est, *fœdus societatis: cum gentibus incircumcisis et idololatris, nos eis conformando.* Pulchre fœdus societatis, qua ex Israël filii iniqui amicitiam inierunt cum Antiocho, qui dicitur radix peccati, et cum gentibus incircumcisis et idololatris, non appellatur simpliciter pactum aut fœdus, quo se illis conformant, sed testamentum, quo æterna et irrevocabilis pacti societas et unanimitas designatur: quasi alteruter sit malitiæ hæres, et mutua in scelus conspiratio, sit ultima voluntate in ævum obsignata. Israëlitæ, etsi religione et ritibus a Gentibus disjuncti iniquitate tamen conjuncti, cum illis confœderantur et fœdus ineunt testamento obsignatum ad patranda crimina. Multi adhuc hac tempestate, etsi ingenio, indole, studio diversi, in malitia confœderantur, et simul ad patrandum scelus conspirant; et prophetæ evangelici zelum sufflammant: « Qui æmulatur in malignantibus, pacem peccatorum videns. » (3)

Duplicem invenio æmulationem: unam diaboli, adversus bonam Dei pacem; alteram Christi, adversus malam pacem diaboli. Diabolus, qui, ut fatur D. Augustinus, *odit justam pacem Dei, et amat iniquam pacem mundi* (4), duplici usus est medio ad destruendam justam Dei pacem et conservandam iniquam pacem mundi. Ad destruendam justam Dei pacem usus est discordia et divisione. *Diabolus posuit in cœlo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, in omni opere nostro zizania semi-*

(1) Genes. 49. — (2) Tert. Lib. de Pat. 5. — (3) D. August. L. 2. quæst. vet. et Nov. Test. quæst. 92. — (4) D. August. Serm. 8. in Commun. — (5) D. Bern de Mod. Ben. Viv. Serm. 41.

(1) Serm. 28. de Communib. — (2) Lib. de Machab. 1. — (3) Esa. 5. — (4) Lib. 19. Civ. 12.

navit. (1) Ad conservandam vero iniquam mundi pacem, usus est concordia et unione, socians et confœderans inter se iniquos ad faciendum malum : quia vero Dei Filius in hoc apparuit ut dissolvat opera diaboli, duplici etiam usus est medio ad destruendam iniquam diaboli discordiam, et evertendam scelerosam ejus pacem. Adversus discordiam quam procurare nititur dæmon, pacem et concordiam subministrat; adversus pacem et societatem quam inter iniquos stabilire satagit diabolus, discordiam et divisionem advocat : itaque iniquæ dæmonis discordiæ innocuam opponit pacem ; scelerosæ diaboli paci justum opponit bellum. Primum præstat medium apud dilectum Discipulum (2), secundum vero apud Evangelistam Matthæum præbet : ibi nobis largitur pacem : *Christus Dominus noster, pax est : vadens ad cœlum, vexillum demisit dicens : Pacem meam do vobis* (3), hic offert arma quibus adversus iniquam diaboli pacem generose pugnemus : « Nolite arbitrari quoniam pacem veni mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium. » Mirissimum sane est quod Christus, qui pacem dedit hominibus et discipulis præcepit, ut intrantes domum dicant: Pax huic domui, asseverat venisse, non ad mittendam pacem, sed gladium. *Qualiter ergo eis injunxit ut in quamcunque domum ingredientes pacem indicerent?* (4) Profecto Christus sibi repugnare videtur : nam si non venit pacem mittere, cur pacem annuntiat ? et si annuntiat pacem, quare publicat se non venisse pacem mittere, sed gladium ? Hoc dubium acute solvit D. Chrysostomus, dicens : *non ubique concordia bona est*, quod quadruplici comprobat exemplo : primum est de latronibus quorum mala est consonantia ; quapropter inter illos procuranda est discordia : *Quoniam maxime est pax, cum id quod ægrotat inciditur ; cum id quod litem infert, separatur.* Secundum exemplum est de medico partem corporis putridam resecante. Nam et *medicus ita reliquum conservat corpus, cum id quod insanabiliter se habet, abscindit.* Tertium est de turri Babylonica : ita quidem *in turri Babel gestum est : malam enim pacem bona dissonantia dissolvit.* Quartum tandem affert de Paulo. Etenim *Paulus eos qui adversus eum consonabant, divisit.* Ratio adhuc cur injicienda est inter malos discordia, mutuanda est a D. Bern. seu potius a Sancto Isidoro, a quo Bernardus illam mutuavit. Quia *concordia malorum contrarietas est bonorum : et sicut optamus ut boni pacem habeant, ita optare debemus ut concordia malorum rumpatur.* (1) Subjungit Isidorus : « In lege, Mare Rubrum, hoc est concordia malorum, dividitur, ut electorum via tendens ad beatitudinem non impediatur : impeditur enim iter bonorum, si malorum unitas non dividitur (2) : » adeo mala est a diabolo inventa pax impiorum colligata, et hypocritarum simulata.

(1) D. August. Serm. 4. in Comm. — (2) Joan. 14. — (3) D. Hieron. in Psal. 119 — (4) D. Chrysost. Homil. 56. in Matth.

II. PARS. *Sed ista ingenia de semine hypocritarum pullulare consueverunt, quorum individua cum diabolo amicitia est* (3), a quo didicerunt *pacem falsam, pacem fictam, pacem sophisticam, pacem palliatam* (4), 1. Sermonibus dolosis ; 2. Salutationibus insidiosis ; 3. Osculis venenosis.

Neque perversitas, neque fallacia Deo congruit. (5) Deum autem non imitantur qui dolosam et palliatam præ se ferunt pacem, quam blandis occultant sermonibus. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum* (6), qui exterius pacem mentiuntur, et malam voluntatem interius gerunt. *Hoc a fraudibus inimicitiæ differunt, quod fraudes pacatam sermonis prætendunt superficiem : inimicitiæ vero manifestam contrarietatis habent intentionem.* (7) Benevolæ amicitiæ pallio inimicum gerere, ingenium fallendi est. Verum « quærens a Deo pacem, si ipse sibi pacatus, ne aliud in professione oris, aliud sit in cordis arcano. Nihil enim prodest hoc esse in corde quod verum est, si hoc quod dicitur in ore et voce falsum est : quia veritas et credenda est et loquenda. » (8) Hispani aperto Marte non valentes debellare Batavos, se cum illis pacem inire simulaverunt, quorum sermonibus haud fidentes Batavi, cuderunt numisma in quo figurata erat pax, obsita manicis atque compedibus, his verbis in numismate circumactis : *pax patet insidiis.* (9) Profecto pertimescenda sunt mentita veri inimici verba. *Hæc sunt pacis ornamenta* (10), quibus falluntur et decipiuntur incauti. Ab inimico palam inimicante sibi cavetur, ab inimico vero clanculum inimicias agenti quis sibi cavebit? Sententiose ex Xenophonte, ait Clemens Alexandrinus : *Non aliter inimicos læserit quis, quam si videatur esse amicus* (11); quasi aperta inimicitia sit ad nocendum im-

(1) Tract. de Mod. Ben. Viv. Serm. 41. — (2) Lib. 3. de sum. Bon. 31. — (3) Tert. L. de Pœnit. 5. — (4) D. Bern. Serm. 10. in Cœn. Dom. — (5) Tert. L. adv. Prax. 11. — (6) Psal. 27. — (7) Rupert. L. 3. in Genes. 19. — (8) D. Aug. L. de Ver. Innoc. c. 185. — (9) Lukius L. Numiim. — (10) L. D. Bern. Epist. 4. — (11) L. 6. Strom.

becilla, quantumvis hostiliter ferociat, nisi specie amicitiæ ad sævitiam armetur. O quam aversanda est *infida et instabilis hujus mundi pax, quæ pro commodis quæritur, vel pro timore servatur* (1), vel pro inimicitia simulatur, et salutationibus insidiosis palliatur!

2. *Atenim humanissimus Deus, hypocrisim recusandam indicando* (2), demonstravit quam sit exsecranda hypocritarum amicitia, qui vel dolosis sermonibus, vel insidiosis salutationibus mentiuntur pacem : profecto nullus est qui non fastidiat et aversetur mentita veri inimici obsequia. Infestior est inimicitia amicitiæ specie tecta, mentita, falsata : *In hujus vitæ miseria, sæpe contingit ut credatur vel amicus qui inimicus est, vel inimicus qui amicus est* (3) : homines enim non percipientes quæ versantur in corde, sed ad exterius duntaxat attendentes amicos existimant infensissimos inimicos, suam inimicitiam blandis sermonibus, vel fraudulentis salutationibus occultantes. Inimicus, amici persona indutus et *amicitiæ larva loricatus* (4), infestior est hostis ; et ut fatur Anastasius Nycænus, eodem momento, quo adulatur, et majorem amicitiæ ostentat speciem, *cogitat perversa, et labiis suis definit omnia mala.* (5) Amicus simulatus amico ab amicitia securo et inermi, omnia mala infligere potest. Cujus illustre in Joab (6) habemus exemplum ; qui dolose loquens cum Abner, eique demonstrans amicitiam, percussit eum in inguine, et lethalem inflexit plagam, et adhuc salutans et osculans Amasa eum enecavit. « Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi frater ; et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, et mortuus est. » (7) O quam vere dixit Sapiens : *Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis* (8) amicitiæ specie occultatius dissimulata ; cujusmodi fuit osculum quod Joab præbuit Amasæ, et Judas Christo Domino, insidioso osculo proditionem occultans et pacem simulans.

3. *Debuit osculo tradi propheticus scilicet Christus, ut ejus scilicet Filius, qui labiis a populo diligebatur* (9) : Gentiles sibi invicem obviantes, sese invicem osculo in signum amicitiæ salutabant : hanc consuetudinem in vanum tollere conatus est Tiberius : idem fuit mos apud Judæos, ut patet ex osculo quod Joab Amasæ et Christo Judas præbuit. Hæc consuetudo viget adhuc apud Gallos (1), ubi viri urbanitatis et teneritudinis gratia osculantur feminas : *Quod scriptum est : osculatus est Jacob Rachel, consuetudinis quidem fuit, maxime in simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquas oscularentur, et hoc hodie fit in multis locis.* (2) Ut autem ait D. August. « Est osculum corporale, quod impressione fit labiorum, quod non est ostendendum nisi certis et honestis horis, ut in signum reconciliationis, quando fiunt amici qui fuerant inimici, in signum pacis, sicut communiter in Ecclesia interiorem pacem exteriori osculo demonstrant ; in signum dilectionis inter sponsum et sponsam fieri permittitur, vel sicut ab amicis post diuturnam absentiam et porrigitur et suscipitur ; in signum catholicæ unitatis, sicut fit cum hospes suscipitur. » (3)

Solemne fuit etiam primis Christianis, præsertim in sacris conventibus ante sacram synaxim, ut sese osculo seu amico salutarent amplexu, viri viros, feminæ feminas. Ad quod etiam Apostoli incitabantur hortamento : *Salutate invicem in osculo sancto* (4), id est, non gentili, non carnali, non ficto, sed christiano, religioso, casto, sincero. Illud autem osculum sanctum erat communicaturis, reconciliationis, ac injuriæ omnis remissæ testimonium, veræ charitatis monumentum, sinceræque amicitiæ et pacis symbolum. *Cum dicitur : Pax vobis, osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis : sic ostendunt labia fratris conscientiam, id est, quomodo labia tua ad labia fratris accedunt, sic cor tuum a corde tuo non recedat.* (5) Osculum illud *reconciliatorium* nuncupatur a D. Bern. (6) : tanti illud facit Tertullianus ut acriter invehat in nonnullos Christianos qui jejuniorum diebus orationi vacantes, pacis substrahebant osculum, quod vocitat signaculum orationis. *Alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit ? Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax ? quale sacrificium, a quo sine pace receditur ?* (7) Multus est Tertullianus, tum in increpando eos qui absque pacis os-

(1) D. Chrysol. Serm. 139. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 23. — (3) D. August. L. 19. Civ. 8. — (4) Basil. Sel. Orat. 15. — (5) Quæst. 73. — (6) Lib. 2. Reg. 3. — (7) L. 2. Reg. 20. — (8) Prov. 27. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 41.

(1) Xenoph. L. 1. Pædiæ Cir. Sueton. — (2) D. Aug. L. quæst. super Genes quæst. 88. — (3) L. de Amicit. c. 6. — (4) 2. Cor. 13. — (5) D. August. Serm. 83. de Divers. — (6) In Sent. — (7) Tert. L. de Orat. 14.

culo recedebant ab oratione ; tum in commendanda oratione pacis osculo obsignata. Hujusmodi osculum, etiam nunc in quibusdam ecclesiis ante sacram senaxim usurpant canonici. Verum quia olim fraus irrepsit, etenim viri licet locis a mulieribus distincti, furtim tamen irrepentes eas osculabantur, pro osculo oris adhibitum fuit osculum tabellæ, quam pacis vocant.

Hoc charitatis signo amicitiæ et pacis symbolo usus est Judas ut traderet Christum : *Judas non expletus fuit pauperum spoliis, ad plenitudinem criminum gravissimorum crimina serendo pervenit, pia miscens charitatis sacramenta flagitiis, cum diceret : Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* (1) Osculum est amoris et pacis pignus : Judas ad criminum pervenit plenitudinem, pia miscens charitatis sacramenta flagitiis, assumens osculum amicitiæ et pacis symbolum, in suæ perfidiæ et proditionis signum. Quapropter Christus, qui in sua acerbissima passione ad reliqua tormenta prope exstitit mutus, incestum Judæ osculum querelis excepit : « Juda osculo Filium hominis tradis? (2) » Quasi dicat, ut expendit D. Ambrosius : *Amoris pignore vulnus infligis ? charitatis officio sanguinem fundis ? pacis instrumento mortem irrogas ?* hostilitatem penicillo amicitiæ coloras ? Christiane, *ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.* (3) Turpe est enim amicitiæ fiduciam in hostilitatem perniciosius refingere, et inimicitiam pacis occultare pallio : ex D. Bernardo *est pax ficta, ut in Juda, est inordinata* (4), ut in peccatoribus obduratis nulla tentatione exagitatis.

III. PARS. *Bellatorem Christum Scripturæ designant, ob armorum quorumdam vocabula, et ejusmodi verba* (5) ipsiusmet Christi, qui sic fatur apud Lucam : *Putatis quia veni pacem dare in terram : non, dico vobis, sed separationem.* (6) Ubi Cyrillus Alexandrinus : « Quid dicis, Domine ? Non venisti pacem daturus, qui factus es nobis pax pacificans per crucem cœlestia et terrestria, qui dixisti : Pacem meam do vobis ? Sed manifestum est quod pax interdum sit damnosa, et separans ab amore divino, per quam scilicet consentitur his quæ a Deo dissident : et talem pacem Dominus non venit mittere, sed separare vel tollere ; pacem autem veram venit mittere » (7) Ex D. Bernardo *pax triformis : vera, quam Christus reliquit discipulis suis ; ficta, ut in Juda ; inordinata, ut in Adam et Eva* (1) : seu potius in homine sceleroso et mundano, qui trina inordinata fruitur pace, scilicet cum mundo, diabolo et seipso : quia, 1. Nulla mundi adversitate cruciatur ; 2. Nulla diaboli tentatione pulsatur ; 3. Nulla concupiscentiæ seu carnis rebellione exagitatur.

1. Mundi *felicitas prosperata* (2) pacatos efficit homines, qui cum nulla adversitate premantur, fere nunquam de cœlo cogitant, sed terræ totaliter addicti sunt, ubi quietam et tranquillam agunt vitam. Verum, ut ait D. Bernardus, « sanum est corpus, adversitates et tentationes quæ animum enervant, sedatæ sunt : quid superest nisi securitas ? Cave, væ huic securitati, væ paci huic, de qua dicit ipsa Veritas : Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Time ergo, dum omnia prospera sunt et tranquilla, ne ille fortis armatus Satanas sine resistentia possideat te. Noli dicere apud te quod dixit ille dives cujus ager uberes fructus attulit : Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare : quia cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, et non effugient. Tu vero, si vis pacem et securitatem veram habere, vide ne unquam securus sis, sciens pro certo nihil tibi tam timendum, sicut præsentem pacem quæ sine dubio æternum generat timorem. Neque enim omnibus Sanctis melior es tu, qui in tentationibus probati et perfecti sunt. Quanta passi sunt martyres tormenta, ut securi pervenirent ad palmam regni ? Qui fortes facti sunt in bello, non in prosperitate. » (3) Simile in omnibus timentibus Deum, qui adversitatibus gravati, Deo serviunt, virtuti student, econtra homines in prosperitate viventes Deum deserunt, vitiis mancipantur; ut Davidis comprobatur exemplo. « Adulterium simul et homicidium non fecit David, cum persecutorem Saul pateretur : quando David sanctus Saul inimicum suum patiebatur ; quando illius persecutionibus agitabatur; quando per diversa deserta fugiebat, ne in manus ejus incideret, non concupivit alienam ; non adulterata uxore, occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tanto in Domini misericordia intentior, quanto miserior videbatur. At ubi factus est securus, devictis hostibus, pressuris caruit, tumor excrevit ; » (4) lascive oculos in feminam injecit, cum illa adulterium commisit,

(1) S. Ambr. in Ps. 35. — (2) Luc 21. — (3) Prov. 3. — (4) In Sent. — (5) Tert. L. adv. Jud. 9. — (6) Cap. 12. — (7) Apud D. Tho.

(1) In Sent. — (2) Tert. Apol. 6. — (3) Tract. de Pass. Dom. cap. 22. — (4) D. August. in Titul. Ps. 50.

innocuum virum hostium manibus interemit : inde concludit D. Augustinus : *Valet ergo hoc exemplum ad id, ut timeamus felicitatem*, velut fecundam vitiorum parentem, et infaustam ad infelicitatem viam : et æstimemus adversitatem velut virtutis et pietatis incentivum, « Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi, » (1) et securum beatitudinis iter. Unde de impio prosperante et justo afflicto sic philosophatur D. Augustinus : *Prosperatur, sed in via sua; laborat, sed in via Dei. Illi prosperitas in via est, in perventione infelicitas: tibi labor in ira, in perventione felicitas. Has vias ambula quas novit Dominus ; et si ambulas in eis, non te fallunt. Via vero impiorum felicitas transitoria : finita via, peracta est felicitas* (2) : peracta est pax quam habent, tum cum mundo, ubi nulla adversitate cruciantur, tum cum diabolo, cujus nulla tentatione pulsantur.

2. *Christus a diabolo tentatus, præsidem et artificem tentationis demonstravit* (3), qui homines præsertim virtutis studiosos variis exagitat tentationibus : « quas nemo sentit, nisi qui voluerit vere esse Christianus. » (4) Quod aliorsum declarat D. Augustinus : « Videte, Fratres : quia posteaquam quisque de petra biberit, id est, Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere. Tandiu enim aliquis contra se pugnantem non sentiet diabolum quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui vero illum reliquerit, et de petra bibens Christum sequi elegerit, necesse est ut illum patiatur infestum, cui justo judicio voluit præponere Christum. » (5) Ex Guillel. Parisiensi (6) « astutia omnium periculosissima est ipsa pax, id est, cessatio a tentationibus ; quam pacem multi imperiti vehementissime concupiscunt, et instanter poscunt a Deo. Hæc autem adeo perniciosa est, ut de ea dicat omnis Ecclesia Sanctorum : Ecce in pace amaritudo mea amarissima. (7) Et viventes in tanto justitiæ bello, et tanta mala pacem appellant. Contra hoc. Omne gaudium existimate, Fratres, cum in varias tentationes incideritis. (8) Et secundum aliam litteram: Tentatio est vita hominis super terram. (9) Carentia autem vitæ suæ, sive privatio, mors est: quare privatio seu carentia tentationis mors est, et utique non vivit qui non tentatur. Ut autem manifestum fiat hoc, narrabimus tibi vulnera et alia mala quæ de ista pace proveniunt. Horum primum est securitas, quia timor Dei custos electorum vigilantissimus occiditur. Nisi constanter tenueris te in timore Domini, cito subvertetur domus tua. Imo quod plus est. Timor Domini, fons vitæ. (1) Arefacit ista pax in nobis fontem vitæ, quæ arefactio quanta impugnatio sit, quis non videat? Hæc autem securitas est, quæ nos facit seorsum a cura, et sollicitudine custodiendi nos, et propter hoc exponit nos hostibus : non enim idem est esse securum quod esse tutum, sicut testatur Seneca dicens : Hoc habet ignavia, ut interdum secura sit, tuta nunquam; tutum enim cui nullum imminet periculum: securum vero quod non curat periculum. Secundum malum est desidia, seu pigritia, qua etiam ad fugam, non solum, sed et ad pugnam tardi sumus; jaculis enim tentationum electi excitantur vel ad fugam, vel ad pugnam; qui vero in pace hujusmodi sunt, ipsa quiete non solum desides, sed etiam somnolenti efficiuntur. Est autem desidia dormitorium diabolicum, et moles qua hujusmodi homines comprimit, ne effugiant, vel exsurgant. Est et velut paralysis spiritualis, quæ nec membra corporis, nec vires mentis ad actus probitatis movere sinit. Est etiam velut rubigo quæ mentium fortissimarum vires ac virtutes incredibiliter consumit. Propter quod sicut ferro nihil magis inimicum aut noxium quam pax ex qua ei rubigo congignitur, sic mentibus humanis nihil perniciosius quam pax illa de qua loquimur. Et sicut ferro nihil utilius quam laboris asperitas et assiduitas, quæ ipsum elimat, et splendidat, et ad similitudinem argentei nitoris atque decoris producit, sic mentibus humanis assiduitate tentationum nihil salubrius, quibus velut quibusdam defricationibus asperis rubigo earum detergitur, et ad debitum candorem pariter et splendorem perducuntur. » Omitto plura alia mala, quæ ex periculosa illa pace colligit Parisiensis Antistes ut concludam cum D. Augustino : *Vita nostra in hac peregrinatione, non potest esse sine tentatione; quia profectus noster per tentationem nostram fit: nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi qui certaverit, nec potest certare nisi qui inimicum et tentationes habuerit.* (2) Non pugnant, autem, neque vincunt, neque coronantur, qui pacem habentes cum diabolo, nullo modo tentantur, et in seipsis pace inordinata gaudentes, nulla concupiscentiæ et carnis rebellione exagitantur.

3. *Facientes concupiscentias et voluptatum*

(1) Psal. 114. — (2) Serm. 1. in Psal. 36. — (3) Tert. L. de Orat. 8. — (4) D. August. Serm. de Pastor. cap. 5. — (5) Serm. 95. de Temp. — (6) De tentation. et resistentiis c. 3. — (7) Isaiæ 38. — (8) Jacob. 1. — (9) Job. 7.

(1) Prov. 14. — (2) In Psal. 60.

tes carnis. (1) Hunc locum ab Apostolo mutuatum immutat Tertullianus. Paulus enim legit : *facientes voluntatem carnis.* (2) Quasi dicat : Explentes appetitus et desideria concupiscentiæ, sive ea quæ carni, seu concupiscentiæ carnali, cogitationi et phantasiæ lubent, quæque concupiscentia vult et appetit : voluntas enim hic appetitum significat, non rationalem tantum, sed et sensualem, animalem, carnalem et brutalem : caro enim, id est, concupiscentia, residet, non solum in animali et sensitivo, scilicet concupiscibili et irascibili, sed etiam in rationali, nam sicut in concupiscibili excitat appetitum gulæ et veneris, in irascibili appetitum invidiæ, iræ, rixæ, ita in rationali, id est, ratione et voluntate suscitat appetitum excellentiæ, curiositatis, vanæ scientiæ : omnes enim potentiæ per originale peccatum sunt infectæ hoc concupiscentiæ fermento. Dicuntur autem caro seu appetitus carnalis per synecdochen, a potiori parte ; quia in homine hic est potissimus, creberrimus et vehementissimus appetitus, qui fere semper in eo carnales suscitat appetitus. Hinc opera carnis, id est, concupiscentiæ, vocat Apostolus (3), non tantum fornicationem, ebrietates, comessationes, quæ vere carnalia sunt opera appetitus sensitivi et carnalis, sed etiam idolorum cultum, inimicitias, contentiones, sectas, invidias, quæ sunt opera spiritualia, id est, mentalia, appetitus rationalis. Hæc, inquam, vocat opera carnis, id est, concupiscentiæ, quæ residet, non in appetitu sensitivo, sed rationali. Protoparens in sua productione *justitiam, qua regeretur accepit : adhuc autem et pacem qua foveretur et delectaretur addidit manus benignissima Creatoris : pacem utique duplicem, ut nec intus pugnæ, nec foris timores, id est, nec caro concupisceret adversus spiritum, nec esset ei creatura ulla formidini.* (4) At peccando utramque perdidit pacem, et ejus nepotes foris timores, intus patiuntur pugnas. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur.* (5) Hæc autem pugna in Sanctis tanto major quanto magis spiritualiter vivere et carni resistere nituntur. *Hanc pugnam non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum, debellatoresque vitiorum. Non expugnat concupiscentiæ malum nisi continentiæ bonum : sunt autem qui legem Dei omnino nescientes, malas concupiscentias nec in hostibus deputant, eisque miserabili cæcitate servientes, insuper etiam beatos se putant, satiando eas, potius quam domando.* (1) Quantum a vero aberrent demonstrat Apostolus, Christianos Christi milites ad hanc pugnam accendens : qui spiritum adversus carnem armant, non solum concupiscentiis non obtemperant, non solum illis resistunt, sed insuper eas debilitant et domant. Unde subjungit D. Augustinus : *Milites christianos apostolica tuba isto sonitu accendit in prælium ; non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Tunc autem regnare ostenditur, si desideriis ejus obeditur, quibus non est obediendum, ne obedientibus regnet. Cum hortatur Apostolus ut spiritu facta carnis mortificemus, tuba utique canit, bellum, in quo versamur ostendit, et ut acriter dimicemus, et hostes nostros mortificemus, ne ab eis mortificemur, accendit.*

Christiani, si desideratis pace potiri, sumite arma, inite bellum, generose pugnate. *Pacis intentione geruntur bella etiam ab his qui virtutem bellicam exercere student : unde pacem constat belli optabilem finem.* (2) Idcirco Christiani belligerantes præliando binam sibi comparant pacem, æternam unam in cœlis ; *non enim transit ad summam pacem, ubi summum silentium est, nisi qui magno strepitu prius cum suis vitiis belligeraverit* (3), alteram temporalem in semetipsis. Itaque *si pacis victoria placet, nequaquam displiceat mundi conflictus. Utrumque necessarium est. Arma ergo certaminis spiritualia arripite, et viriliter contra mundum et vitia prœliamini.* (4) Qui cum mundo paciscuntur, prosperitate florent, abundanter absque ulla adversitate, fortunæ bona possident, ut plurimum fortuna cæca excæcantur, et adversus Deum belligerant. At econverso qui adversitate gravantur, cum Deo ineunt pacem, ut ipsemet asseverat Salvator: *Ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis.* (5) Christus Dominus pacificos beatos (6) proclamat, non illos qui habent pacem cum mundo, neque eos qui cum diabolo consociantur, sed illos qui habent pacem Deo ; et, ut fatur Laurentius Justianus, *pacifici non incongrue censendi sunt illi qui semper gladium spiritus evaginatum tenentes, adversus aereas potestates, minime templum Dei maculare permittunt.* (7) Tandem, Christiane, ut æternam consequaris in cœlo quietem, et temporali cum Deo fruaris

(1) Tert. Lib. de Pudic. 17. — (2) Ephes. 2. — (3) Galat. 5. — (4) D. Bern. Serm. 1. Annunt. — (5) Gal. 5.

(1) D. Aug. L. de continentia. 2. — (2) D. Aug. L. 19. Civ. 12. — (3) D. Aug. in Psal. 9. — (4) Laurent. Just. in Fascic. Amor. cap. 16. — (5) Joan. 16. — (6) Matth. 5. — (7) Lib. de Humil. cap. 20.

pace, *indicitur tibi bellum, non solum adversus suggestiones diaboli, sed adversus teipsum* (1), adversus carnis desideria, adversus inordinatos concupiscentiæ motus, adversus perturbationes et impetus passionum, *et si spiritus concupiscit adversus carnem, et si modo rixa est in ista domo, maritus litigans, non perniciem, sed concordiam quærit* (2) quam habent cum Deo qui concupiscentiæ et carnis domant appetitus, et qua aliquando tum spiritus, tum caro fruentur in cœlo.

CONCIO SECUNDA.

Stetit *Jesus in medio discipulorum suorum et dixit eis : Pax vobis.* (3) Dei Filius, qui in Trinitate, inter Patrem et Spiritum existit medius, in præcipuis operibus quæ patravit medium semper elegit : humanatus est in medio temporum, ut ejus adventus cunctis proficeret seculis ; in medio duorum animalium natus est in stabulo, ut demonstraret summam dejectionem et inopiam ; in templo sedet in medio doctorum, tanquam magister eorum sapientissimus ; mortuus est in medio terræ, quia pro cunctis nationibus crucifixus est ; et post resurrectionem apparet in medio discipulorum, eisque largitur pacem velut laborum suorum fructum, et dolorum passionis pretium : unde Christus in medio discipulorum, mihi videtur velut sol in medio planetarum, rex in medio curiæ, dux in medio exercitus, paterfamilias in medio domus, et pastor in medio gregis. *Ut in Christo uniamur, multa monere nos debent, quia ipse pastor, nos oves ; ipse fundamentum, nos ædificium ; ipse caput, nos corpus* (4); ipse mediator, de cujus manu sumere debemus pacem, quæ, 1. In Christi doctrina fundatur; 2. Religione christiana solidatur ; 3. Charitate compaginatur.

I. PARS. Christus, hominum *arbiter et magister* (5), eos disciplinam salutis docuit, *et suo magisterio omnem pacem nostram salutari sermone breviavit.* (6) 4. Pax autem a Christo magistro edocta, sapit, 1. Humanitatem ; 2. Mititatem ; 3. Unitatem.

Ut Christianos *ad humanitatem temperaret,* (7) Christus ab eis iram et indignationem alienam esse voluit. *Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum.* (1) Ratio est differentia essentialis hominem in sua natura constituens, et a bellua discriminans, quem ideo alloquitur Tertullianus : *Habes et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, à rationali scilicet artifice factus.* (2) « Ubi sciendum quod hominem non vulgari loquendi forma, rationale animal vocat ; sed per excellentiam eum, qui vere suo respondet nomini, ejectis ex animo immansuetis, rabidis, ferinisque vitiorum affectibus. » (3) Uti enim qui agit secundum rationem est verus homo, ita qui passionum inordinatos sequitur motus, *non homo, sed potius bestia, humana forma prædita.* (4) Non homo, sed bellua est homo iratus, etsi speciem et larvam hominis præferat. Nam, ut recte philosophatur apud Stobæum philosophus : *Nonne vides quod ab omnibus, quæ per iram committuntur, ratio recedit?* (5) Ubi autem non est ratio, nec est homo qui per rationem a bellua distinguitur. Ut autem ait Magnus Basilius, *quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans, imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem qui rationis sit compos, esse sinit.* (6) Quapropter veteres volentes repræsentare hominem iratum, furibundum et vindictas spirantem, *ulciscendi studium per leonem telo confossum pingere studuerunt.* (7) Et ne sacris profana misceantur, animadvertit Theophylactus elucidans istud Lucæ: « Homo quidam fecit cœnam magnam (8): » *quando vindicativam Dei virtutem Scriptura significat, pantheram, ursum et pardum vocat ; quando autem misericordiam vult insinuare, hominem inducit, sicut et nunc* ab homine degenerat, et ferinam potius et brutalem quam humanam et rationalem sapit naturam, qui iræ agitatur furiis.

Quapropter Apostolus sic hortatur Ephesios : *Irascimini et nolite peccare : sol non occidat super iracundiam vestram : nolite locum dare diabolo.* (9) Circa hunc Pauli locum quatuor sunt observatu dignissima : dicit *irascimini*, id est, si contingat nos pro naturæ fragilitate et proclivitate subito irasci et ad iram concitari ; 2. *Nolite peccare*, id est, nolite iræ per rationem et voluntatem præbere consensum, ut illi inhæreatis et indulgeatis, vindictam machinando et perficiendo, sed quam citissime per rationis dominium perque Dei metum, iram abrumpite et compescite: ira, quæ rationem prævenit, non

(1) D. August. in Psal. 75. — (2) D. August. Serm. 6. de Verb. Apol. — (3) Luc. 24. — (4) D. Chrysol. Hom. 18. in 1. Cor. — (5) Tert. Apol. 21. — (6) D. Cyprian. de Orat. Dom. — (7) Tert. Apolog. 21.

(1) Tert. L. de Pat. 6. — (2) Tert. L. adv. Prax. 5. — (3) Philo. Jud. L. de Abraham. — (4) Phi. Jud. ibid. — (5) Serm. 26. — (6) Hom. de Ira. — (7) Pier. Valer. — (8) Cap. 14. — (9) Ephes. 4.

est peccatum, imo si ratione regatur comes est virtutis, data est enim homini, ut ardua aggrediatur et superet : cum vero post rationis advertentiam, voluntas iræ vindictam anhelanti consentit, tunc peccatum est. Subjungit 3. Paulus : *Sol non occidat super iracundiam vestram :* non quod permittat Apostolus ut quis toto die iræ indulgeat, et ultionem spiret modo sole occumbente, iram et ultionis desiderium deponat, sic enim per diem vindictam permitteret : sed est proverbium, significans iram mox ut fuerit concepta, esse comprimendam : primus igitur domandæ iræ gradus est, ut illam statim frenemus ne in animo hæreat, vel in verbum aut factum aliquod asperius erumpat; secundus vero gradus est, si hæserit, vel eruperit, ut ante solis occasum, id est, statim ut possumus, comprimatur, *ne obtenebretur dictamen rationis.* (1) Sol animæ est ratio, quæ per iram obscuratur, et tenebrosa nocte obvolvitur. Oratio enim, ut animadvertit Cassianus, « pro eo quod omnes cordis cogitationes, discretionesque perlustret, sol merito nuncupatur. Præcipit itaque Apostolus ne iræ vitio exstinguatur, ne eadem occidente perturbationum tenebræ universum cordis nostri occupent sensum, et tenebris iræ possessi, velut in nocte cæca, quod nos agere oporteat, ignoremus. » (2) Tertullianus hoc solis occasum proprie sumit : *Si tamen irascendum est, non ultra solis receptum, ut Apostolus admonet* (3), quasi dicat in justa, bona et honesta ira. *Jubemur itaque irasci salubriter* (4); quod tunc accidit vel cum superior delinquentibus irascitur subditis; vel cum justus adversus criminosos et scandalosos concitatur. Hujusmodi ira non debet esse diuturna, sed eodem die quo oritur deponenda est : tum ne noctu recurrat et quietem turbet : solent enim noctu diurnæ cogitationes, maxime tristes et molestæ, recurrere, hominemque exagitare, turbare et accendere ; tum *ne in via orationis constituti, ad Patrem cum ira incedamus* (5) : animus enim ira exagitatus, vel non vacat orationi, vel saltem non recte et debite orat. *Quam autem temerarium est, aut diem sine oratione transigere, aut orationem perseverante iracundia perdere ?* (6) Tum ne ira diuturna convertatur in odium: quare Apostolus vetans ne sol occidat super iracundiam nostram, « iræ mensuram dedit, mensuram diei; veretur enim ne noctu quiescens, cogitatio morbum augeat : ira enim diuturna atque inveterata fit odium. » (1) Nisi excutiatur ira ante solis occasum, etiam quies somni, et inania somniorum phantasmata, sic iratum inquietant, ut augeant iram, et in odium diuturnitate immutant. Ut enim ait D. Ambrosius, *ira enim passio est; plerumque accendit invitum, et volentem mitius vindicare, in furorem rapit, ut perimat, quem putaverat coercendum.* (2) Caveant qui bene et juste irascuntur in delinquentes et scelerosos, ne zeli transiliant metas, et unde delicta compescere cupiunt, gravius forte delinquant, et iram in animadversionem convertentes, præstent locum diabolo contra inhibitionem Apostoli: 4. *Nolite dare locum diabolo.* Ira maximum dat aditum et locum diabolo, tum quia sese iracundis cogitationibus facile insinuans eas, injuriam factam aggravando, magis suscitat, suaque suggestione quasi folle, ultionis sufflammat desiderium ; tum quia spiritus et sanguinem commovet, ut bilem accendat. Tum quia iram justa de causa suadet commotam : *ut iram nutriat, causas colorat ; ut pietatem violet, affectibus dat querelas.* (3) Hominis enim judicium ita pervertit, ut vindictam non vindictam, sed justitiam esse putet, ideoque in ultionem velut ex æquitate et justitia fertur. *Ratio utrique parti locum dat et tempus, ira festinat : ratio id judicari vult, quod æquum est, ira id æquum videri vult quod judicavit* (4) ; tum quia irati mentem et rationem ita contenebrat, ut *irarum scopulos* (5) non conspiciat, nec videat peccata et pericula in quæ se conjicit, sed quasi furens et amens in convitia, verbera et cædes feratur, nihilque tam immane sit quod non audeat et attentet, dum illi furor arma ministrat. Quare vocitatur a Sancto Zenone Veronensi, *acumen temeritatis* ; *auctor detestabilium pariter ac magistra malorum.* (6) Tertullianus sic patientiam commendat: *Vultus illi tranquillus et placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta.* (7) Impatientia econverso iracundiæ agitata furoribus, « quid est, nisi mens lubrica, perturbationibus crebris et rapidis sese expugnans : animus infidelis etiam sibi factus improvidus, instabilis, cæcus, incautus, inconstans, totus concitatus in ruinam ? » (8) Ut enim fatur Tertullianus, *Eva semine diaboli concepta, malitiæ fecunditate iram filium procreavit : editum suis artibus erudiit. Quod enim ipsum Adam et Evam morti immerserat,*

(1) D. Thom. — (2) Lib. 8. Constit. — (3) Tert. L. de Orat. 10. — (4) Cassian. L. 8. Constit. 8. — (6) Tert. de Orat. 10. — (6) Tert. ib.

(1) Theodor. — (2) In Ps. 36. — (3) Chrysolog. Serm. 16. — (4) Sen. L. 1. de Ira. c. 16. — (5) Chrysol. Serm. 161. — (6) Serm. de Patien. — (7) Tert. L. de Pat. 15. — (8) S. Zen. Serm. de Pat.

docuit et filium ab homicidio incipere. (1) Diabolus, qui protoparentes induxerat ad peccatum, quod eos morti reddidit obnoxios, Cainum ad iram, et consequenter ad inferendam fratri necem concitavit. Nam, ut subjungit Tertullianus, *cum ergo nec occidere potuerit nisi iratus, nec irasci nisi impatiens, demonstrat quod per iram gessit, ad eum referendum a quo ira suggesta est.* Tandem iræ consentiens locum dat diabolo: mente enim et oratione orbatus, a furore agitatus, dæmon incarnatus esse videtur. Multum est quod ira hominem irrationalem et amentem efficiat : majus quod humanitatem in rabiem et furorem convertat; maximum quod iratum velut energumenum reddat. *Neque ensis acies, neque ignis, neque horrendum aliquid, animum ira intumescentem ac furentem satis compescere valebit, non magis quam a dæmonibus detenti, a quibus irati nec forma, neque animi affectu differunt.* (2)

Christus, qui ab obsessis et possessis corporibus expellit dæmones, ut iram quæ tot infaustas operatur immutationes, arceat a Christianis, trina utitur ratione : 1. Iram et indignationem vetat : *Omnis ira et indignatio tollatur a vobis.* (3) 2. Hominem iratum divino Dei judicio subjectum declarat : nam *postquam supervenit, et gratiam fidei patientia composuit, jam nec verbo lacescere, nec fatue quidem dicere sine judicii periculo licet.* (4) Alludit Tertullianus ad dictum Salvatoris ; «Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, » (5) *non humano, sed divino.* Explicat Cajetanus : quali, quæso, mulctatur iratus supplicio ? Qui toto Dei reus est judicio, eamdemque meretur pœnam ac ille qui indigne ad sacram accedit synaxim : « qui enim manducat et bibit indigne, judicium manducat et bibit» (6), et qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Divinum judicium tremor est mortalium, et David singulariter expostulat : *Non intres in judicium cum servo tuo.* (7) Sollicitior est Propheta magisque tangitur timore divini judicii, quam pœna, magisque satagit, ut declinet judicium quam gehennæ supplicium. Et tamen homini irascenti intimat Christus quod *reus erit judicio*, ut ex acerbitate mulctæ discat malitiam culpæ. 3. Suiipsius proponit exemplum Christus. *Non illi saltem civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus est, cum etiam discipuli, tam contumelioso oppido, cœlestes imbres repræsentari voluerint* (1) ; tantum abest ut discipulorum annuerit votis quin imo eos acriter redarguit dicens : *Nescitis cujus spiritus estis*, spiritus enim meus et eorum qui meam profitentur doctrinam, non est iræ et furoris, sed humanitatis et tranquillitatis ; non vindictæ et severitatis, sed mansuetudinis et mititatis.

2. *Beati mites* (2) a Domino prædicantur. Nec immerito, nam *mansuetudo est adjutrix obedientiæ, dux religiosæ societatis, furentium frænum, irascentium expultrix, magistra gaudii, initiatrix Christi, cœlitum proprietas, scutum adversus amaritudinem seu animi acerbitatem.* (3) Pluribus mansuetudinem et mititatem commendat Climacus encomiis. *Hoc quidem vocabulo impatientes non licet omnino censeri* (4) : quanto magis eos qui amaro sunt animo, et ulciscendi æstuant desiderio ! Nam, ut subjungit Climacus, *in cordibus mansuetorum requiescit Dominus ; anima autem turbulenta nidus est diaboli : mites hæreditabunt terram, vel potius dominabuntur terris ; furiosi autem exterminabuntur a terris suis.* Quantum vero mites et benigni distent a malignis et inimicantibus, declarat dubius Augustinus : « Vir mitis et benignus, si patiatur malum, pro nihilo ducit : iniquus autem etiam parvum malum audiens a proximo suo, contumeliari arbitratur : qui charitate plenus est, tranquillo et serenissimo vultu procedit : vir odio plenus ambulat iracundias. » (5) Quales vero sint mansueti et mites, ab indubitato discamus Augustino: «Mites sunt qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, et dimicent pro temporalibus et terrenis rebus : beati autem mites quoniam ipsi hæreditabunt terram, de qua pelli non possunt. » (6) Quantumvis afficiantur injuriis, lacescentur opprobriis, nunquam a mansuetudine et tranquillitate recedunt. *Vir bonus quanto melior, tanto mitior.* (7) Nam, ut fatur supra laudatus Climacus, *mansuetudo est animi incommutabilis status, æque in honoribus se et ignominiis habens.* Mitis semper est pacatus, tranquillus, imperturbatus et quasi impatibilis. Non turbatur potestatis impatientia, nec honorum potentia superbe tumescit ; injuriis non lacescitur, offensis non læditur, neque tangitur ignominiis. Christus Dominus justitiæ et perfec-

(1) Tert. L. de Pat. 3. — (2) D. Basil. Hom. de Ira. — (3) Ephes. 4. — (4) Tert. L. de Pat. 6. — (5) Matth. 5. — (6) 1. Cor. 11. — (7) Ps. 114.

(1) Tert. L. de Pat. 3. — (2) Tert. L. de Pat. 11. — (3) Climacus Grad. 24. — (4) Tert. ib. — (5) L. de salut. Docum. c. 22. — (6) L. 1. de Serm. Dom. in Mont. c. 3. — (6) D. Aug. Epist. 54. ad Macedo.

tionis magister suos mititatem docere volens, tria præstitit : 1. Inimicitias, injurias et ultiones inhibuit : *Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare, de quoquam ex æquo vetamur.* (1) 2. Vetavit ne Christiani malum pro malo redderent, neque de acceptis injuriis ultionem exposcerent : *Malum pro malo nemini retribueritis : et malitiæ fratris vestri ne memineritis : nec vosmetipsos ulciscentes.* (2) Tantum abest ut Christianis permittat vindictam, quin imo eos ad mititatem et inimicorum dilectionem obligat : in quo lex gratiæ a veteri lege multum discriminatur. *Nam vetus lex ultione gladii se vindicabat, et oculum pro oculo eruebat, et vindictam injuriæ retribuebat. Nova autem lex clementiam designabat, et belli pristina in æmulos legis et hostis exsecutionem, in pacificos actus arandæ et colendæ terræ reformabat.* (3) 3. Semetipsum in mansuetudinis et mititatis proponit exemplum. « Discite a me quia mitis sum. » (5) Mitis fuit Christus et mansuetus toto tempore vitæ suæ, sed præsertim tempore passionis. Nam cum *traditur, cum adducitur ut pecus ad victimam; sic enim non magis aperit os quam agnus sub tondentis potestate.* (6) Et quasi parum sit pertulisse absque querela tot cruciatus et ignominias, agni adhuc mititatem ostentat, dum *in spiritu mansuetudinis Christus caput inclinat* (6), licet spinis coronatum. In spiritu iracundiæ a Judæis Christi caput exasperatur, exacerbatur, cruentatur; at Christus caput suum spinis coronatum in spiritu mansuetudinis reclinat. *Intelligamus, Fratres, admirabilem mansuetudinem in Domino fuisse. Adverterunt Judæi eum nimium esse mitem, nimium esse mansuetum : attulit veritatem ut doctor, mansuetudinem ut liberator. Cum loquebatur, veritas agnoscebatur, cum adversus inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur* (7) : et tam verbo quam exemplo discipulos suos docuit mititatem, pacem et unitatem.

« 3. Christus ampliandæ adimplendæque legi adjutricem suam patientiam præfecit : quod ea sola ad justitiæ doctrinam retro defuisset. Nam olim, et oculum pro oculo, et dentem pro dente repetebant, et malum malo fœnerabant; nondum enim patientia in terris; quia nec fides : scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur. Facile erat, absente patientiæ magistro, qui postquam supervenit, et gratiam fidei patientia composuit, plus quam amisit, lex invenit : dicente Christo: Diligite inimicos vestros; et maledicentibus : Benedicite et orate pro persecutoribus vestris. » (1) Neque contentus verbo docere dilectionem inimicorum, quo magis discipulorum cordibus radicaretur : *Pax alumna fidei, columna justitiæ* (2) : semetipsum eis proponit in exemplum, Patrem æternum deprecans ut sint unum inter se, quemadmodum personæ divinæ sunt unum in Trinitate. Sed quia hoc argumentum fuit aliorsum (3) fuse tractatum, idcirco *hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini nostri Jesu Christi non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur et incorrupta atque individua tunica possidetur.* (4) Tunica Christi inconsutilis Christianorum denotat unitatem; tunica non fuit in partes scissa, et fidelium unitas non debet separari. Qui pacem et unitatem scindunt, sunt ipsis militibus crudeliores qui Christi tunicam diviserunt. Quod obplorat D. Augustinus : *A militibus non est divisa vestis pendentis in cruce, et a nobis dilaceratur sacramentum sedentis in cœlo.* (5) Qui sunt hujusmodi imitantur Arii impietatem, qui Ecclesiæ dividere voluit unitatem : quod testatus est ipsemet Salvator Petro Alexandrino apparens scissa veste coopertus, quem cum interrosgasset Petrus: Domine, quis circumcidit et dilaceravit vestem? respondit Salvator: Arius pacem et unitatem Ecclesiæ dividens.

Fratres, *amate pacem, ut Ecclesia Dei in pacis unitate fundata, perfectam in Christo teneat disciplinam.* (6) Amate pacem, ut ostendatis vos Christi discipulos, ut in ejus schola eruditos. Etenim *pax fratrum, voluntas est Dei, jucunditas Christi, perfectio est sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina.* (7) Sectamini pacem, humanitatem præbete, mititatem et mansuetudinem erga fratres vestros ostendite, si humana desideratis nobilitate gaudere; nam, ut subjungit Chrysologus, *pax est, charissimi, quæ spoliat hominem servitute, dat nomen ingenuum, mutat apud Deum cum conditione personam; ex famulo filium liberum facit ex servo.* Tandem fugite discordiam et divisionem, vivite in concordia et unitate fraterna. Nam, ut concludit Ra-

(1) Tert. Apol. 36. — (2) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 14. — (3) Tert. L. adv. Judæ. 3. — (4) Matth. 11. — (5) Tert. L. de Pat. 3. — (6) S. Nilus Orat. 4. — (7) D. August. Tract. 33. in Joan.

(1) Tert. L. de Pat. 6. — (2) Chrysolog. Serm. 138. — (3) Tert. Præd. tom. 1. Tract. de Amor. Prox. Concio. 2. — (4) D. Cypr. Lib. de Unit. Eccl. — (5) Tract. 105. in Joan. — (6) Chrysol. Serm. 53. — (7) Chrysolog.

vennas antistes, *merita christianæ virtutis virescunt in eo, qui unanimitatem christianæ habet pacis, nec pervenitur ad nomen filii Dei, nisi per nomen pacifici :* quod in Christi doctrina fundatur, et Christiani religione solidatur.

II. PARS. *Corpus sumus de conscientia religionis, et disciplinæ unitate, et spei fœdere.* (1) Religio quam profitentur Christiani, et spem æternæ felicitatis, in quam anhelant, sunt duo pacis et unitatis incentiva. Ad quam eos adhuc hortatur Apostolus : *Solliciti servate unitatem Spiritus in vinculo pacis.* (2) Ut autem ad hanc unitatem mentis et animi fortius eos stimulet Paulus, trina utitur ratione : 1. Eis qui religionem sectantur, proponit unitatem ejusdem Christi. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* 2. Eorum oculis objicit unitatem cœlestis Patris, de cujus filiatione gloriantur : *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Tandem sursum mentes extollit ad cœlestem felicitatem quam sperant: *Sicut vocati estis, in una spe vocationis vestræ.* Hæ tres rationes ex christiana religione desumptæ, a Christianis pacem et unitatem expostulant : scilicet quia, 1. Eumdem Deum venerantur ; 2. Ab eodem Patre cœlesti in filios adoptantur; 3. In ejusdem beatitudinis spe confœderantur.

1. Cum omnibus Christianis per concordiam et pacem uniti nos esse debemus : quia *una nobis et illis fides, unus Deus, idem Christus, eadem lavacri sacramenta.* (3) Quam diversa est christiana religio ab idololatria ! Gentiles enim non unum colunt Deum, sed plures eosque fictitios agnoscunt, quos ad libitum multiplicant, neque iidem apud omnes Gentiles venerantur. *Atque ideo et Ægyptiis permissa est tam vanæ superstitionis potestas, avibus et bestiis consecrandis, et capite damnandis qui aliquem hujusmodi deum occiderint. Unicuique etiam provinciæ et civitati suus deus est* (4) : ut ab enumeratione demonstrat ibidem Tertullianus fuse recensens deorum nomina cujuslibet nationis et civitatis ; et quia Romani omnium gentilium erant superstitiosissimi, cunctarum gentium falsos sibi arrogabant deos, solo vero duntaxat excepto Deo, quem colentes Christiani irreligiosi habebantur. Ut enim subjungit Tertullianus in Christianorum persona loquens : *Sed nos soli arcemur a religionis proprietate, lædimus Romanos, nec Romani habemur, quia non Romanorum Deum colimus. Bene quod omnium Deus est, cujus velimus, aut nolimus omnes sumus ; sed apud vos quodvis colere jus est, præter Deum verum : quasi non hic magis omnium sit, cujus omnes sumus* : hunc colimus per Christum, qui est christianæ disciplinæ institutor : *Filius Dei, illuminator atque deductor generis humani* (1), qui nos docere dignatus est ritum colendi Deum : et *quoniam unus Deus, et unum baptisma, et una Ecclesia in cœlis* (2), unus Deus, cui omnes servimus ; unus Christus, quo redempti sumus; unum baptisma, quo Christiani facti sumus ; una fides, qua religionis mysteria credimus ; eadem sacramenta, ad quæ accedimus ; uno verbo una religio easdem habens leges, iisdemque utens ritibus. Tot religionis vincula quibus sumus colligati et uniti, a nobis pacem, concordiam et spiritus unitatem efflagitant; præsertim cum ab eodem Patre cœlesti adoptemur in filios.

2. Ineunda nobis est pax cum Christianis, *cum quibus scilicet communicamus jus pacis et nomen fraternitatis.* (3) Inter Christianos trina reperitur fraternitas : una in natura fundata, altera in disciplina stabilita ; tertia ex gratia desumpta. Prima communis est omnibus hominibus, qui fratres sunt, quia sunt ejusdem speciei, et in eadem natura humana conveniunt : quomodo Gentilium etiam fratres sunt Christiani : *Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris unius.* (4) Secunda propria est Christianorum qui eamdem profitentur religionem, et in eadem disciplina sociantur. Quapropter Gentiles ægre ferebant quod primiceri Christiani fratrum nomine conserentur. *Sed et quod fratrum appellatione consemur, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum. est.* (5) Tertia ad solos Christianos justificatos et gratia sanctificante decoratos pertinet, quos in filios cœlestis Pater adoptat. *At quanto dignius Fratres et dicuntur, et habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis?* (6) Fraternitas in natura fundata cunctos homines ad amorem mutuam concordiam et pacem inducit, quia essentiæ unitas et similitudo est dilectionis, societatis et pacis fundamentum. Hujus fraternitatis consideratione utitur Abraham, ut cum nepote suo Loth conservet concordiam et pacem. *Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, inter pas-*

(1) Tert. Apol. 39. — (2) Ephes 4. — (3) Tert. L. de Veland. Virg. 2. — (4) Tert. Apol. 24.

(1) Tert. Apol. 21. — (2) Tert. L. de Bapt. 15. — (3) Tert. L. de Vel. Virg. 2. — (4) Tert. Apol. 39. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. ib.

tores meos et pastores tuos : fratres enim sumus. (1) Septuaginta legunt : *Quia homines fratres sumus.* Quasi dicat : Inter nos et pastores discordiæ et contentiones non debent esse, quia non sumus belluæ ad odium et rixam pronæ, sed homines ad humanitatem, mansuetudinem et mutuum amorem naturaliter propensi. *Causas concordiæ sapiens adhibet, unde præmisi, homines enim sumus.* (2) Fraternitas in religione et disciplina stabilita, magis adhuc Christianos ad concordiam et pacem stimulat : hanc fidelibus proponit Tertullianus : *Dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.* (3) Contesseratio a tessera desumpta significat conjunctionem singulariorem et familiariorem quæ fiat per signum. Tessera enim apud veteres erat signum hospitale, cujus ostensione si quem obiisse contigisset, statim agnoscebatur ; cunctis autem Christianis erat communicatio pacis, appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quia eamdem profitebantur disciplinam, et in eisdem religionis ritibus conveniebant. At fraternitas ex gratia desumpta, est omnium potentissima ad ineundam et conservandam pacem et concordiam inter Dei filios : quo honore eos nobilitat Christus *cum pacificos eodem titulo felicitatis notat, et filios Dei nuncupat.* (4) Animadvertit autem Gregorius Nazianz. (5) quod nulli beatitudini titulus filiationis divinæ assignatur, nisi illi in qua de pacificis agitur. Idipsum observat D. Chrysostomus : *Filii Dei vocantur qui pacem efficiunt : nam Filius Dei ad hæc venit in terram.* (3)

Verum *nunquid impatientes pacis affines?* (7) Tantum abest ut sint pacifici, quinimo *arcendos ab omni communicatione fraternitatis* (8) vult illos Tertullianus : sua namque discordia a trina illa fraternitate degenerant. Nam, 1. Humanitatem deponentes a fraternitate naturæ deviant : quod Gentilibus Christianorum persecutoribus exprobrant fideles, *etsi vos parum homines, quia mali fratres.* (9) 2. Fraternitatem religionis non ostentant Christiani, alieni a pace quæ *dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum.* (10) Tandem tertiam fraternitatem violant, quia non sunt filii Dei: nam, ut subjungit Chrysologus, *scitis autem quia secundum Apostolum, charitas ex Deo est: sine Deo ergo est, qui non habet charitatem.* (1) Dei adoptio in gratia sanctificante fundatur ; gratia autem sanctificans est inseparabilis a charitate, non secus a charitate pax. Subjungit Chrysologus : *Videtis ergo, Fratres dilectissimi, quare pax amanda, et diligenda concordia : istæ sunt enim quæ generant et nutriunt charitatem.* Qui pacem non amant, nec diligunt concordiam, charitatem et sanctitatem non habent, ex Deo non sunt. *Nam sicut amor fraternitatis ex Deo est, ita odium ex diabolo* (2) : et quemadmodum pacifici sunt filii Dei, ita ait D. Chrysostomus, *qui dissidia faciunt, filii sunt diaboli.*

Deus et diabolus sibi adinvicem contriarantur, ut Chrysologi antithesibus constat, 1. *Plantare pacem radicitus est Dei; evellere penitus inimici.* 2. Pacificos Deus in filios adoptat, contentiosos et rixantes servituti suæ diabolus mancipat. 3. *Custodienda præ omnibus virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est.* Fugienda est contentio, quæ Deum a corde fugat et diabolo hospitium parat. *Locum non demus inimico ne in tritici segete valeat seminare zizania, et securo jam rustico, et spe longi laboris effuso, exspectatos fructus ipsa messis maturitate perdat, aut vinum vetustate suave, in liquorem perfidiæ demutatum, infusa fæcis permixtione conturbet, aut inter dulcia mella, felle venena amariora confundat.* 4. Qui fruuntur pace, charitate æstuant, sanctitate fulgent, æterna præmia consequuntur. *Dilectio omnibus desideriis amplectanda est, quæ tot bona potest habere, quot præmia.* Qui dissensiones, inimicitias et vindictas spirant, æternum sibi comparant supplicium. *Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur, parcat unusquisque animæ suæ, ne in supplicium suum vincula sibi mortis annectat.* Christiani, serio consideremus ex una parte mala et damna, quæ comitantur dissensiones et discordias ; ex altera parte, bona et præmia quæ sequuntur pacem et concordiam : et ut tot damna valeamus vitare, et possimus tot assequi bona, *servemus Fratres, mandata quæ vitæ sunt : teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas, et salutari vinculo charitatis mutua se dilectio contingat,* ut adipiscamini æternam beatitudinem in cujus spe consociati et confœderati estis.

3. Christiana disciplina edocti sumus *in pace nos vocari ad Dominum Deum* (3), ut ejus

(1) Genes. 13. — (2) D. Ambr. L. 1. de Abrah. c. 6. — (3) Tert. L. de Præsc. Hær. 20. — (4) Tert. L. de Pat. 11. — (5) Orat. 54. de Pace. — (6) Hom. 3. in Ep. ad Colos. — (7) Tert. L. de Pat. 11. — (8) Tert. L. 1. Uxor. 2. — (9) Tert. Apol. 39. — (10) Chrysol. Serm. 53.

(1) 1. Joan. 4. — (2) Chrysol. — (3) Tert. L. 2. ad Uxor. 2.

possessione simus in cœlo Beati. Deus enim est objectum beatitudinis, et pax est medium ad beatitudinem consequendam ; et ut fatur Chrysologus, *pax futuræ spei pignus idoneum.* (1) Mox fuit veterum ut seniores in porta consisterent, et causas introeuntium judicarent. Hujus rationem præbet Nicetas : scilicet *ut civitatis populus esset pacificus, in quam discordes ingredi non possent* (2), postquam Regius Vates de cœlesti locutus est Hierusalem: « Lauda, Hierusalem, Dominum (3), » congregationem omnium Sanctorum ad laudandum Deum provocans protinus addidit : « Qui posuit fines tuos pacem; » inde concludit D. Augustinus : « Ergo illius cœlestis Hierusalem murus de pace constructus est : qui ergo talem pacem et talem charitatem habet ut omnes diligat, cœlestis Hierusalem portas apertas merebitur invenire: qui autem econtrario fuerit, ex omni parte portas clausas reperiet. Unde nimis dolendum est, cum legamus apostolicos viros terribilia mundi mala a Christi charitate non potuisse separare, et nos interim otiosis fabulis separemur : et nonnunquam propter parvissimum convitium, et cujuscunque miseri hominis detractionem ita derelinquimus charitatem, ut cum eo, non solum multis diebus, sed etiam mensibus, fortasse et annis non loquamur : etiam attendimus, quia dum nos invicem odio habemus, muros civitatis sanctæ Hierusalem sic contra nos claudimus, ut nullus nobis remaneat aditus per quem intrare possimus. De qua dicitur : Quoniam confortavit seras portarum tuarum. Clausis portis et confirmatis seris, nunquam inde exiet amicus vel intrabit inimicus : quia quomodo justus nunquam erit exiturus a gloria, ita peccator nunquam poterit liberari a pœna. » (4) Multus est D. August. ut ostendat portas cœlestis Hierusalem apertas esse pacificis, clausas vero rixantibus. Et profecto quamadmodum pax et concordia est signum prædestinationis, ira discordia et animadversio signum est reprobationis, ut refert Scriptura sacra de gigantibus inimicitiæ et bello deditis. *Non hos elegit Dominus, propterea perierunt.* (5) At cur hos non elegit Dominus ? Audi rationom : *Gigantes ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum.* Ubi D. Ambrosius : *Et merito non elegit, quia prælium, non pacem sciebant.* (6) Inde concludit Mediolanensis antistes : *Et ideo tu pacem disce, ut eligaris a Deo.* Magnus sane ad concordiam et unionem stimulus, est spes æternæ felicitatis quam daturus est eis qui charitate compaginantur.

(1) Serm. 138. — (2) Nicetas in c. 29. Job. — (3) Ps. 147. — (4) D. Aug. Serm. 8. in Comm. — (5) Baruch. 4. — (6) Lib. de Cain et Abel. c. 5.

III. PARS. *Dilectio summum fidei sacramentum, christiani nominis thesaurus.* (1) Christiani qui hoc ditantur thesauro, qui sacro illo fidei notantur signo, cum suis proximis paciscuntur. Nam, ut ait D. August. *ubi præceptio charitatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta.* (2) Charitas est virtus regia, et charitatis mandata sunt mandata regalia : quare *pax præceptis regalibus conservanda est* (3); id est, quæ charitatis observantiam mandant : qui enim dilectionis servant mandatum, pacem absque dubio custodiunt. Tria sunt potissimum quæ destruunt pacem. nimirum superbia, avaritia et invidia. *Pax charitatis fecundis nutritur uberibus* (4) : quia scilicet charitas non est, 1. Tumida ; 2. Cupida ; 3. Invida.

1. *Merito itaque totam Creatoris disciplinam principali præcepto ejus conclusit : Diliges proximum tanquam te.* (5) Dei notitiam investigant Theologi via affirmationis, tribuendo illi omnes perfectiones simplices ; via adhuc negationis removendo ab eo imperfectiones quibus in creaturis præfatæ perfectiones permixtæ sunt. His duabus viis utitur Tertullianus, ut dilectionis fraternæ commendat dignitatem. *Dilectio magnanimis est, non protervum sapit, non inflatur, non proterit.* (6) Hunc loquendi modum mutuatus est Tertullianus ab Apostolo (7) sic de charitate disserente : « Charitas patiens est, benigna est ; charitas non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa : » superbiam enim, tumorem, ambitionem et procacitatem excludit, a quibus oriuntur ut plurimum dissensiones, contentiones, rixæ. Quemadmodum humilitas est mater pacis, sic tumor et superbia est divisionis et dissensionis origo. Humiles jugiter in pace et concordia vivunt, at *inter superbos semper jurgia sunt* (8), ut experientia quotidie comprobatur. Quapropter Apostolus rixas, discordias et jurgia arcere volens a Christianis, eosque in concordia et pace custodire, ad modestiam et humilitatem hortatur. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, begnitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobis metipsis si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos : super omnia autem charitatem habete, quod*

(1) Tert. L. de Pat. 12. — (2) Lib. de Gestis cum Emerito. — (3) Chrysol. Serm. 53. — (4) Serm. 138. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 14. — (6) Tert. de Pat. 12. — (7) 1. Cor. 13. — (8) Prov. 13.

est vinculum perfectionis (1), Christianos cum Deo uniens, fideles inter se conjungens; nam, ut fatur D. Augustinus, *charitas est tunica inconsutilis Christi, quæ ad unum pervenit, et in unum omnes colligit.* (2) Et quia non vitium, sed virtus ad Deum adducit, et Christianos inter se connectit charitas, omnia vitia rejicit, cunctas virtutes complectitur, præsertim pacem. Unde postquam Apostolus fideles hortatus est ad misericordiam, benignitatem, humilitatem, charitatem, concludit: *Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua vocati estis in uno corpore.* Alludit Apostolus ad agones et certamina in quibus Agonotheta quasi judex, arbiter et moderator præsidebat, et victori palmam et bravium dabat; vultque ut pax Christi quasi Agonotheta imperet, regat, moderetur omnes animi motus, et tanquam præses certaminis, omni liti et pugnæ finem imponat, donans victori palmam et bravium. V. g. ait Theophylactus, cum sumus injuria affecti, geminæ in nobis certant cogitationes, altera ad vindictam, altera ad pacem nos incitans: tunc in animis nostris sedeat agonotheta omnia regens et moderans, non quidem ira, non superbia, non cupido, non quævis alia passio, ad lites, discordias, rixas jurgia sufflammans; sed pax, quæ quasi regina omnes animi affectus in officio continuat, et passionum impetus reprimat, ut et nobiscum, et cum proximis in concordia vivamus, et unanimes Christo serviamus: hujusmodi pacis dominium et regimen belle declarat D. Augustnus: *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles armat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida: nescit extolli, nescit inflari, non quærit alienum, nihil deputat suum* (3), quia bonorum temporalium non est cupida.

2. Dilectio *nec sua requirit, si offert sua dum alteri prosit.* (4) Plato idæam perfectæ reipublicæ describens, desiderat ut in ea omnia sint communia, etiam uxores, ad perfectam civium unionem et concordiam: Verum etsi approbanda sit Plat. (5) sententia, dum admittit temporalium communitatem ad conservandam inter homines concordiam. reprobanda est, dum admittit uxorum communitatem, velut repugnantem legi naturæ, quæ sanxit unam cum uno copulandam, ad prolis certitudinem et debitam ejus educationem. Primiceri Christiani temporalium admittentes communitatem, uxorum rejiciebant communitatem: ideo sic fantur apud Tertullianum. *Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores. In isto solo consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent.* (1) Christiani castitatis et concordiæ studiosi, uxorum damnabant communitatem, velut castitati et matrimoniali pudicitiæ contrariam; rei vero familiaris admittebant communitatem, tanquam perutilem ad pacem et concordiam conservandam. « Nihil potest esse proprium ubi communis est animus, charitas enim non quærit quæ sua sunt, quia non habet suum, sed commune. » (2) Hujusmodi erant primi Christiani, apud quos bina vigebat communitas: una animi et cordis; nam, ut refertur in Actis Apostolorum, *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (3): non quidem physice, quasi fuerit una anima omnibus communis, « velut idæa platonica singulis sese communicans individuis: » sed moraliter, quasi dicat sacer textus: Ita animis et sensibus erant concordes, ac si omnes unum habuissent cor et unam animam. Altera communitas erat temporalium bonorum, *et habebant omnia communia* (4), æmulantes vitam Adami et Evæ in paradiso terrestri, imo et beatorum in cœlo. Ut enim subjungit Scriptura: *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* (5) Hoc modo perfecta fruebantur pace, et omne discordiæ tollebant incentivum: *Ad retinendam concordiam necessarium est ut omnes divitiarum, et cujuslibet rei terrenæ cupiditates eliminentur* (6): et ob hanc causam præcepit Deus Abrahæ ut sibi offerret in sacrificium « vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam. » (7) Patriarcha Deo obtemperans, pecora « divisit per medium, aves autem non divisit. » Pecora terram aspicientia denotant homines terrenis bonis addictos, aves vero, homines in cœlum oculos attollentes significant. Pecora dividuntur, quia temporalia bona dividunt homines mundanos: aves vero non dividuntur, quia terrena bona non dividunt homines cœlum conspicientes. *Animalia dividuntur, quia inter malos semper sunt jurgia et discordiæ, quia ubi quilibet quærit quod suum est, non potest esse*

(1) Colos. 3. — (2) Tract. 105. in Joan. — (3) Serm. 57. de Verb. Dom. — (4) Tert. Lib. de Pat. 12. — (5) De Rep. Dialog. 5.

(1) Tert. Apol. 39. — (2) Marsil. Ficin. L. 5. Epist. 2. — (3) Cap. 4. — (4) Act. 2. — (5) Act. 4. — (6) Cassian. Coll. 66. c. 6. — (7) Genes. 15.

unitas : aves autem non dividuntur, quia boni semper servant unitatem pacis.(1) Christus etiam Dominus mittens discipulos suos, ut inter eos unionem et pacem conservaret, dixit eis : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. » (2) *Ut incentiva litis, et instrumenta eriperet ultionis.* (3) Ob eamdem rationem « Christus postulatus a quodam ut inter illum et fratrem ipsius de dividenda hæreditate componeret operam suam, et quidem tam probæ causæ denegavit : fratrum paci studens, injuriæ occurrens. » (4) « Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem meam. » (5) Ubi Chrysologus : *Audistis, Fratres hodie quid a Domino hæres petierit mundanorum.* (6) Magister, inquit, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem, *præceps cupiditas et incauta, mundanæ litis arbitrum credidit ipsum seculi cognitorem, et eum voluit fieri divisionis auctorem, qui ad restituendam venerat humani generis unitatem.* Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. *Hic non magister quæstus est, sed amoris.* Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem meam. *Quæ major hæreditas, quæ melior hæreditas, quam divinæ vinculum charitatis ?* Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem : *Cum dicit, Dic fratri meo, præmisit quod charitatem moveat, quod interpellet naturam, quod pulset affectum.* Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem meam. *Non potest dicere fratri, Divide, qui per Prophetam docuit : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* (7) Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem meam. *Hæreditas mundana ante posteris infert jurgia, quam conferat censum: antequam dividat facultates, scindit hæredes : antequam debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat et mittit in partes : proinde non est hæreditas ista, sed pugna ; et hæc noverca filiorum est, non facultas : ille ditat filios qui relinquit filiis plenissimam charitatem.* Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem meam. *Tu quisquis ille es, qui Dominum tali petitione compellas, Dominum provocas, Dominum producis ad litem ; cum quo tibi Apostolus hæreditatem docet, et ostendit esse communem.* Multus est Chrysologus in expendenda cupidi illius petitione. Sed quid responderit Dominus audiamus : « Homo, inquit, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? *Quia correpturus venerat, non damnaturus reum, præcepto removet fomitem jurgiorum dicendo :* Videte, cavete ab avaritia : *hoc est dicere : Abjiciatur avaritia, et non erit in hæreditate contentio. Avaritia, Fratres, parentes negat, germanos dividit, separat socios : hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit.* Ab hac avaritia immunes primiceri Christiani, perfecta fraternitate erant conjuncti, ut ipsimet testantur apud Tertullianum : *Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem.* (1) Gentiles pulsant, qui terrenorum æstuantes cupiditate, scindebant sanguinis et naturæ fraternitatem, ut fortunæ sibi compararent bona ; *Sive enim quis inimicitiis, sive prædæ gratia id scelus conficit, prius est ut aut odii, aut avaritiæ fiat impatiens.* (2) Quam pauci sunt hac ætate qui primorum Christianorum æmulentur fraternitatem ! Quam multi econtra qui Gentilium imitantur cupiditatem et discordiam, nec attendunt quod *melior est fraternitate sanguinis, Christi fraternitas ; quoniam illa interdum sibi inimica est ; Christi autem fraternitas, sine intermissione pacifica est ; illa inter se communia cum æmulatione dividit ; hæc etiam cum gratulatione communicat.* (3) Nec mirum, quia sufflammatur ardore charitatis, quæ non est cupida, neque invida.

3. *Dilectio non æmulatur, id quidem patientiæ proprium est.* (4) Quasi dicat : Charitas non invidet, quia pacifica et patiens bonam parit voluntatem. Ut autem ratiocinatur Magnus Gregorius, *voluntas bona est, sic adversa alterius sicut nostra pertimescere : sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari, aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare.* (5) Hujus ratio est, quia charitas non respicit meum et tuum, sed quæ Dei sunt : qui autem charitate sunt denudati, nec bonam habent voluntatem, tantum abest ut proximi bona vel mala sua existiment : quin imo, de illius malis lætantur, et de illius bonis tristantur : et quo magis terrena bona, id est, facultates, delicias et honores concupiscunt, eo major invidia tabescunt erga illos, qui hujusmodi bona possident, quibus ipsi orbantur : nam, ut subjungit D. Gregorius, *quidquid in hoc mundo concupiscimus, hoc primum invidemus.* Videtur enim nobis decedere, quod alteri accedit : *et quando invidus non avarus ?*

(1) Hug. Car. — (2) Luc. 10. — (3) D. Ambr. Lib. de Joseph. c. 23. — (4) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 28. — (5) Luc. 12. — (6) Serm. 162. — (7) Ps. 132.

(1) Tert. Apol. 39. — (2) Tert. L. de Pat. 5. — (3) D. August. Serm. 29. de Verb. Apost. — (4) Tert. L. de Pat. 12. — (5) Hom. 5. in Evang.

quando quidquid habet alter, se computat perdidisse? (1) Idcirco charitas friget ubi cupiditas viget : sicut econverso quando fraterna regnat charitas, tunc exsulat cupiditas : et *quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur.* Nam, ut fatur D. Augustin. *sicut error scientia, sic livor charitate pellitur.* (2) Aliorsum (3) fuse demonstratum est quam scelerosa sit invidia : nunc sufficiat dicere inimicitias, discordias et jurgia sæpe sæpius ducere originem a livore. *Porro et ubi æmulatio, ibi et furor, et bilis, et ira et dolor* (4) quod multis exemplis declarat eloquenter Chrysologus. *Nam invidia de cœlo abjecit Angelum, de paradiso exclusit hominum ; ipsa primum contaminavit terram germano sanguine, ipsa germanos compulit venundare germanum ; ipsa Moysem fugavit, Aaron in fratris excitavit injuriam ; Mariam maculavit livore germani ; ac ne multis, quod pavet mens, quod visus tremit, auditus non capit, ipsum Christi attendit et pervenit ad sanguinem.* (5) Unde ortum est magnum illud prælium factum in cœlo, in quo Michael et Angeli ejus pugnabant cum dracone, nisi ex invidia Luciferi, quod divinum Verbum humanam potius quam angelicam assumpturum esset naturam? *Quid primum fuerit ille Angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quærere : palmam cum sit impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam : deinde inter se conspirasse, et individuas in uno patris sinu adolevisse.* (6) Qui protoparentes ad peccandum induxit, nisi invidia diaboli! *At enim quam primus senserat, per quam delinquere intraverat, de suo experimento quid ad peccandum adjutaret instructus, eamdem impingendo in crimen homini advocavit.* (7) Quid Abelis innocui effudit sanguinem, nisi invidia Caïn impatienter ferentis quod Deus, non ad sua, sed ad Abelis respexisset munera? Nam, ut subjungit Tertulilanus, *quod enim ipsum Adam et Evam morti immerserat, docuit filium ab homicidio incipere. Frustra istud impatientiæ adscripserim, si Caïn ille primus homicida, et primus fratricida, oblationes suas a Domino recusatas æquanimiter nec impatienter tulit.* Nonne invidia filiorum Jacob Josephum Ismaelitis vendidit eo quod pater eum præ cæteris diligeret ? Nonne Pharisæorum invidia Christum Dominum cruci damnavit?

(1) Chrysol. Serm. 4. — (2) D. August. L. 3. de Doct. Chr. cap. 10. — (3) Tert. Præd. tom. 3. Tract. de Hypocrita, Conc. 6. — (4) Tert. L. de Spect. 15. — (5) Serm. 48. — (6) Tert. L. de Pat. 5. — (7) Tert. ibid.

Christiani, ut pacis et concordiæ sitis sectatores, fugite invidiam, avaritiam et superbiam, quæ pariunt inimicitias, contentiones, dissensiones et rixas. Sit in vobis *dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono: honore invicem prævenientes, charitate fraternitatis invicem diligentes.* (1) Hoc est, charitate fraterna, qua sese diligunt fratres, eadem et nos Christiani, tanquam Filii Dei in Christo, et quasi invicem fratres diligamus; eoque magis quo spiritualis fraternitas, est carnali perfectior. Tertullianus græcam versionem secutus legit, *Amore fraternitatis, invicem affectuosi.* (2) In græco enim denotatur naturalis et ingens affectus pietatis, quo feruntur parentes in filios. Exoptat itaque Apostolus ut tam ardentes et dulces affectus sentiant et gerant Christiani ad invicem quales gerunt parentes ergo suos filios. *Quam dilectionem Apostolus totis viribus Sancti Spiritus commendat* (3); sic ad Philippenses scribens : *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes.* (4) Quot verbis, quanta energia, quanto affectu, Christianos Philippenses ad concordiam et charitatem fraternam incitat Apostolus ! *Si qua ergo consolatio in Christo :* si ego Apostolus vinctus in Domino aliquam possim sperare et exspectare consolationem a vobis qui estis in Christo, id est, qui estis Christiani, uniti in doctrina, disciplina et dilectione Christi; *si quod solatium charitatis :* si charitas vestra mihi aliquod desiderat afferre solatium ; *si qua societas spiritus :* si qua vobis est mecum spiritus Christi communio et societas ; *si qua viscera miserationis :* si erga miseros estis viscerali misericordia præditi, et erga me vestram ostentare vultis commiserationem ; *implete gaudium meum :* complete, cumulate gaudium meum, et satagite, *ut idem sapiatis*, ut tam intellectu quam voluntate, tam in fide et dogmatibus quam in amore et affectu, sitis perfecte concordes. *Eamdem charitatem habentes ;* mutua vos charitate diligentes, quasi una et eadem charitate animati et viventes ; tandem *unanimes, concordes, ipsum sentientes*, ut sit nobis velut eadem anima, eadem mens, eadem sententia, eadem voluntas, et in omnibus eadem consensio, et individua societas. Videte quam impense Philippensibus

(1) Rom. 12. — (2) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 14. — (3) Tert. Lib. de Pat. 12. — (4) Cap. 2.

Apostolus commendet concordiam, in quibus cunctos universaliter Christianos ad charitatem, unanimitatem et pacem stimulat. *Deus pacis qui cœlestibus terrena conjunxit, concedat nobis eadem sapere in alterutrum, et plena unanimitate gaudere* (1) cum Sanctis in cœlo regnantibus.

●●●

ama et justitiam : si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Bona res est pax, sed fac justitiam, quia justitia et pax osculatæ sunt. » Pax enim cum Deo per opera justitiæ et mandatorum observantiam conservatur.

3. Christiani *pacem in vobis habere, et fovere, et custodire debetis.* (1) Quo modo autem pacem cum Deo custodire poteritis, declarat D. Augustinus: *Pax præceptis regalibus conservanda est.* (2) Dicuntur autem præcepta regalia, vel quia a Rege regum imposita sunt; vel quia in charitate quæ est regia virtus continentur. Per horum autem mandatorum observantiam custoditur pax. Ut enim docet D. Augustinus : *Pax hominis mortalis et Dei immortalis, est ordinata in fide sub æterna lege obedientia.* (3) Absque illa dependentia a Deo, non reperitur ordo, et absque ordine nequit esse pax. Qui Dei transgrediuntur mandata, non habent ordinatam sub lege Dei obedientiam, neque consequenter cum Deo pacem : nam ut fatur D. Augustinus, *contumaciæ crimen est, quod jubetur contemnere, quod præcipitur nosse, quod imperatum est declinare.* (4)

Pax cum Deo per pœnitentiam recuperatur; per justitiam et sanctitatem confœderatur, et per bona opera et divinæ legis observantiam, conservatur. Homines sunt in triplici differentia : quidam non accedunt ad pœnitentiam, neque pacem Deo inquirunt. In nativitate Domini, annuntiata est ab Angelis in terra pax hominibus. *Quibus? magnæ scientiæ, magnæ nobilitatis? Non; sed bonæ voluntatis. Et ubi pax, ibi Deus : quia in pace factus est locus ejus : unde patet quod sedes ejus bona voluntas est.* (5) Bonam autem voluntatem non habent, qui Deum non timent et de suis sceleribus non pœnitent, Pacem cum Deo non habent, de quibus Regius Vates : *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt ; non est timor Dei ante oculos eorum.* (6) Vatablus legit : *Non est justitia cum illis.* Nonnulli pœnitentiam agunt, cum Deo pacem faciunt, simul cum gratia sanctificante illum in suis cordibus recipiunt; verum, denuo peccantes, justitiam amittunt, et *non Deum, sed diabolum habent inhabitantem.* (7) Quod malis pastoribus exprobrat ibidem D. Bernardus, « Palpatis dæmones, quia facitis eos in vobis similes Altissimo. Ponam, inquit, sedem meam ad Aquilonem (8), et similis ero Altissimo : et ipse qui est rex super omnes filios superbiæ, frigore iniquitatis suæ congelavit interiora vestra, et ut fortis armatus custodiens atrium suum, in pace obtinet cathedram voluntatis vestræ, in qua deberet Altissimus residere. » (1) Tertii tandem pacem cum Deo initam, peccatum fugientes et operibus justitiæ vacantes, conservare nituntur. « Scriptum est enim : Declina a malo et fac bonum; inquire pacem, et persequere eam. Noli esse salute contentus : quære pacem, ne tibi sit in periculo etiam salus ipsa. Audi ergo Angelum, nato eo qui factus est pax nostra, exsultantem atque canentem : Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Quæ autem bona, nisi ordinata voluntas? quænam est illa? profecto quæ rationi consentanea est, » quæ hominem paciscit cum seipso.

(1) Tert. L. ad Mart. 1. — (2) Serm. 169. de Temp. — (3) Lib. 19. Civ 13. — (4) Serm. 57. de Verb. Dom. — (5) D. Bern. Serm. ad Past. congr. in Synod. — (6) Psal. 13. — (7) D. Bern. — (8) Esa. 14.

II. PARS. Magnum sane est discrimen inter comprehensores et viatores. Beati et comprehensores *constabiliti sunt, et in requiem ex veritate compositi* (2) : perfecta in cœlo fruuntur pace. *Pax tunc erit perfecta in nobis, quando natura nostra Creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis* (3): viatores vero etsi justitia decorati cum Deo pacem habeant, multis tamen molestiis, cupiditatibus, perturbationibus, sunt agitati. Inde exclamat D. Augustinus : *Qualis est ista pax, quam hic habent homines, tantis resistantibus molestiis, cupiditatibus, indigentiis, lassitudinibus? Non est ista vera, non est ista perfecta pax : sed perfecta erit, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem* (4) : Verum licet pax qua homo fruitur in seipso, non accedat ad perfectionem pacis surpernæ Hierusalem quæ nullis est obnoxia tentationibus, nullis æstuat cupiditatibus, nullis agitatur adversitatibus : attamen justi in seculo gaudent pace in seipsis, qua non potiuntur scelerosi. Ut autem in quo consistat, dignoscatur, animadvertit D. Bernardus, elucidans istud Davidicum : Convertere anima in requiem tuam. (5) « Laborat et requiescit anima in conscientia, quia conscientia alia bona, et non tranquilla ; alia tranquilla, et non bona; alia nec tranquilla, nec bona ; alia bona et tranquilla. Tranquilla et non bona eorum est, qui in spe peccant, et dicunt in corde suo, quod Deus non requiret, et ista est maxime adolescentium. Bona et non tranquilla eorum est, qui jam conversi

(1) D. Bern. Serm. 1. S. Andreæ. Psal. 36. — (2) Tert. L. adv. Valent. 12. — (3) D. August. L. de Cont. cap. 7. — (4) In Psal. 84. — (5) Psal. 114.

ad Dominum, recogitant annos suos in amaritudine. Nec bona, nec tranquilla, eorum qui multitudine peccatorum desperant. » Bona et tranquilla, eorum (1) qui, 1. Peccatorum tyrranidi resistunt; 2. Passiones rationi subjiciunt; 3. Hujus vitæ molestias patienter perferunt.

1. *Ne ergo regnaverit in corpore vestro mortali delinquentia ad obaudiendum illi, et ad exhibendum membra vestra arma injustitiæ delinquentiæ.* (2) Hunc locum ab Apostolo mutuatum, tantisper mutavit Tertullianus : Paulus hortatur Romanos: « Et vos existimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. (3) » Quis sit mortuus peccato, belle declarat S. Prosper : « Quid est mori peccato, nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire ? ut sicut qui mortuus est carne, nulli jam detrahit, nulli jam aversatur, nullum despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, aut opprimit, non invidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis inservit, non violentiæ deditus in se bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit, non odiorum facibus inardescit, non compendia injusta sectatur, non potentibus aut divitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum injuriis fatigatur ; non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter jactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat, non dissensio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium turpitudinis amor inclinat, non rabies insani furoris exagitat, non sumptuosarum deliciarum studium mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat. » (4) Fuse denotat Christianum vitiis et peccatis velut mortuum, « quem non facit impudentem audacia, iniquum injustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, infidelem perfidia, levem facilitas, sævum crudelitas, manducatorem turpis edacitas, impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, vagum spiritualis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, injuriosum malignitas ; qui remotus est prorsus a secularibus illecebris, remotus ab immunditiis et inimicitiis, remotus ab insidiis alienis, remotus a rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus a mendaciis sive perjuriis, postremo remotus ab omni genere flagitiorum ac facinorum, quibus carnaliter viventes Deum offendunt. Sicut inquam, carne mortuus non potest ea facere quæ dixi, nec pati, ita nec his et talibus vitiis omnino non vivunt, qui, viventes Deo, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. » Inde concludit Apostolus : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Nonnulli volunt Apostolum loqui de peccato proprie; alii vero de concupiscentia. Non dicit autem Paulus, non tyrannizet, quasi invitis nobis, peccatum; quia peccatum in nobis regnare non potest, nisi nobis volentibus, illudque sponte acceptantibus. Ut enim animadvertit Theodoretus ; « regnum in hoc differt a tyrannide, quod existat quidem tyrannis invitis subjectis; regnum autem iis volentibus quibus imperatur. Suadet ergo ne peccati potestati amplius assentiantur. Non dicit, ne tyrannidem exerceat peccatum, sed ne regnet. Illud enim est illius proprium, hoc vero nostræ mentis. Perturbationum enim motus, et vexatio, inest nobis natura : eorum autem quæ sunt prohibita actio a nostra mente dependet. » Quasi dicat Apostolus : Carnis rebellionem, concupiscentiæ subsultus, iracundiæ furorem, et reliquas passionum perturbationes, quasi trucem tyrannidem patimini, non sponte tanquam regnum : sit vobis appetitus velut tyrannus, non tanquam rex, cui ultro pareatis : tyranno generose resistendum est, ne ingenuis civibus tollat libertatem. Christianus, ne peccati subdatur tyrannidi debet concupiscentiæ resistere, et passiones rationi subjicere.

2. *Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit; nihil non ratione tractari intelligique voluit.* (1) Deus, formans hominem ad imaginem suam, dedit ei *rationis frænum* (2), quo indomitos coerceret passionum impetus, et actiones suas, secundum rectitudinem rationis regularet. Quemadmodum qui inordinatos passionum sequitur motus, in semetipso non fruitur pace, quia *nihil stultitia pacatum habet* (3); ita qui passiones frænat, et actionem regulat, fruitur pace. Nam, ut docet D. Augustinus *pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actionisque consensio* (4), et ut aliorsum ratiocinatur : « Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus

(1) In Parvis sermonibus. Serm. 16. — (2) Tert. L. de Res. Car. 47. — (3) Cap. 6. — (4) L. de Vit. Contemp. c. 21.

(1) Tert. L. de Pœnit. 1. — (2) Clem. Alex. 7. Strom. — (3) Senec. Epist. 60. — (4) Lib. 3. Civ. cap. 13. —

componentes, et subjicientes rationi, id est menti et spiritui, carnales concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, ut quod est in homine præcipuum et excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia. Atque idipsum quod excellit in homine, id est mens et ratio subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas unigenitus Dei Filius. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se subjiciat. Et hæc est pax quæ datur hominibus bonæ voluntatis; hæc vita consummati perfectique sapientis est (1): » qui peccati jugo ultro non se subjicit, concupiscentiis generose resistit, passiones rationi subjicit, et adversa hujus mundi æqualiter et patienter tolerat.

3. *Patientia pacem gubernat* (2): ex D. autem August. *patientia hominis quæ recta est atque laudabilis, et vocabulo digna virtutis, ea perhibetur, quæ mala æquo animo toleramus.* (3) Patientia quæ pacem gubernat, duobus commendatur: 1. In hoc mundo nihil appetit, nihil inordinate desiderat, *quid quietius, quam in hoc mundo nihil appetere? quid laboriosius quam terrenis rebus, et desideriis æstuare?* (4) Nulla afflictione, damno et jactura turbatur. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* (5) Justus qui prospera perverse non exoptat et adversa patienter tolerat, in semetipso fruitur pace, nam *pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis* (6), et hanc habens mentis serenitatem, et animi tranquillitatem possidens est Spiritus Sancti habitaculum. Unde Tertullianus de patientia, quæ pacem gubernat, sic fatur: *Sedet enim in throno Spiritus ejus mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet; sed est teneræ serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias.* (7)

Quam felix sit anima internam in semetipsa possidens pacem, belle declarat D. Bernardus. « Beata illa anima, quæ in pace Christi fundata est, et in Dei amore solidata: quæ cum exterius bella patitur, pax interius non turbatur. In qua quæcunque molestiæ foris perstrepant, usque ad silentium intentæ quietis non irrumpunt, quorum gustu internæ dulcedinis tacta, intus est per desiderium collecta: nec jam foris enormiter incarnales voluntates dissolvitur, quia totum intus possidet in quo delectatur, atque in semetipsa pacificata, dum nihil est quo foris appetit, tota per amorem intus requiescit. Talem animam frequenter visitant Angeli atque Archangeli, et honorificant, utpote Dei templum, et Spiritus Sancti habitaculum. » (1) Sex autem potissimum gradibus ad felicem illum internæ pacis statum, ascendit anima: 1. Habenda est pax cum Deo, in semetipsa etenim pacem nequit habere nisi cum Deo per sanctitatem et gratiam paciscatur: *Pax est perfectio sanctitatis.* (2) 2. In bonis operibus est exercenda: *fructus autem justitiæ in pace seminatur.* (3) 3. Rejicienda est superflua terrenorum sollicitudo: uti pulvis in oculos injectus, impedit visum, ita inordinatus temporalium amor mentem obtenebrat, et animum pluribus curis inutilibus et vanis exagitat: sane homini mundo addicto, potest dici idem quod Marthæ: *sollicita es et turbaris erga plurima.* (4) 4. Debellanda sunt vitia, domandæ concupiscentiæ, frænandæ passiones; siquidem *conjunctio cœlestis est in ista separatione terrestri.* (5) 5. Invocanda est in oratione, divina gratia, ut ejus auxilio, in pugna cum vitiis, concupiscentiis, et passionibus, reportet victoriam: « Quia enim Deo quidem subdita, in hac tamen conditione mortali, et corpore corruptibili, quod aggravat animam, non perfecte vitiis imperat ratio: ideo necessaria est justis oratio. (6) » Nam profecto quanquam imperetur, nequaquam sine conflictu vitiis imperatur. Et utique subrepit aliquid infirmitatis in hoc loco etiam bene confligenti sive hostibus talibus victis, subditisque nominanti: unde si non facili operatione, certe facili locutione aut volatili cogitatione peccetur. Et ideo quandiu vitiis imperatur, plena pax non est; quia et illa, quæ resistunt, periculoso debellantur prælio; et illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio. Quapropter implorandum est Divinum auxilium, ut *ratio vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo, vel resistendo.* (7) 6. Et quoniam homo, « quandiu est in isto mortali corpore, peregrinatur a Domino, per fidem ambulat, non per speciem: ac per hoc omnem pacem, vel corporis, vel animæ, vel simul corporis et animæ, ad illam pacem refert » quam habiturus est in cœlo. *Pax plena et æterna erit, cum absorpta fuerit mors in victoriam* (8), scilicet *in pace illa finali, quo referenda est, et cujus adipiscendæ causa habenda est jus-*

(1) Lib. 1. de Serm. Dom. in monte c. 8. — (2) Tert. Lib. de Pat. 15. — (3) Lib. de Pat. cap. 2. — (4) D. Greg. — (5) Prov. 12. — (6) D. August. Serm. 57. de Verb. Dom. — (7) Tert. L. de Pat. 15.

(1) Lib. de Inter. Dom. cap. 3. — (2) Chrysolog. Serm. 53. — (3) Jacob. 3. — (4) Luc. 10. — (5) D. Chrysost. Hom. 15. in Joan. — (6) D. August. L. 19. Civit. 27. — (7) D. August. 19. Civ. 4. — (8) D. Aug. in Ps. 84.

titia ista (1) : quoniam sanata immortalitate, atque incorruptione, natura vitia non habebit, nec cuiquam nostrum vel ab alio, vel a seipso quicquam repugnabit. Non opus erit, ut ratio vitiis, quæ nulla erunt, imperet : tantaque obediendi ibi erit suavitas et facilitas quanta regnandi vivendique felicitas. « Hæ sunt viæ, quibus ad pacem conscientiæ pervenitur. » *Hic est lectus animæ: in hoc requiem capit anima, sed nondum perfectam. Oportet autem ut perfectam possit præstare requiem, non solum bona et tranquilla sit conscientia, sed etiam secura.* (2) Bona autem et tranquilla conscientia est medium ad securam adipiscendam conscientiam. *Intelligendum est id nunc agentibus pacificis, domando concupiscentias carnis, ut ad istam pacem plenissimam quandoque veniatur.* (3) Quærenda est igitur plenissima cœli pax, ut quandoque habeatur. Ut enim ait D. Augustinus, *quisquis illam cum hic est, non quæsierit, illam non habebit, cum venerit* (4) : quomodo autem quærenda est perfecta cœli pax, nisi per pacem cum Deo, cum semetipso, et cum proximo?

III. PARS. *Pacem cum omnibus hominibus habetote.* (5) Sic loquitur Apostolus apud Tertullianum. « Et quia sociale animal sumus, ex his, quæ in nobis sunt, ad ea quæ circa nos sunt, transeamus, ut si fieri potest, quod ex nobis est, pacem habeamus cum omnibus hominibus.(6) » Cuncti homines ad tres ordines reducendi sunt : nimirum ad domesticos, extraneos, et inimicos. Sectanda est pax cum : 1. Domesticis; 2. Extraneis; 3. Inimicis.

1. Inter domesticos unius domus, ejusdemque familiæ, *ordinis ratio est.* (7) In hujusmodi autem ordine consistit pax domestica. Ex D. namque Augustino : *Pax domus ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium.* (8) Domus, ut plurimum componitur ex viro et muliere, ex filiis et domesticis. Vir caput est domus et paterfamilias, cui non solum domestici, id est servi et ancillæ, non solum filii et filiæ obtemperare tenentur, sed etiam ipsa mulier, *mulieres subjectas esse oportet*, filii et filiæ, habentes *imperatam in parentes secundam a Deo religionem* (9), ipsis obsequium præstare tenentur. Tandem domestici id est servi et ancillæ ultimum in familia tenentes gradum *in omnibus eadem conditione subjiciuntur.* (1) Quomodo autem omnes eamdem domum cohabitantes gerere se debeant ad invicem, habes aliorsum declaratum (2) : in præsentiarum commendanda est pax illius domus in qua inter virum et mulierem est *nulla spiritus, carnisve discretio* (3), in qua filii parentibus obsequuntur, in qua domestici cunctis subjiciuntur. Hujus pacis domesticæ illustre nobis exemplum Roma suppeditat. Cornelius Nepos refert quod Pomponius Atticus in funere matris quam extulit nonagenariam et ipse natus annis sexaginta quinque, gloriatus est quod nunquam cum matre in gratiam rediisset, eo quod nunquam eam offenderat, quod numquam cum sorore fere sibi coætanea fuisset in simultate.

Verum si felix est domus in qua pax domestica viget, infelix est profecto in qua regnat discordia inter virum et mulierem, inter filios et parentes, inter fratres ad invicem; *levius est contra concupiscentiam præliari, et contra seipsum, quam contra mulierem malam.*(4) Difficile est equidem bellum adversus concupiscentiam, et carnis desiderium ! mitius tamen et levius existimat D. Chrysostomus prælium contra rabidum concupiscentiæ appetitum, quam cum muliere mala præliari. *Ex eo itaque itur in furias et animos et discordias, et quidquid non licet sacerdotibus pacis : inde maledicta, convitia, sine justitia odii.* (5) Belle declarat Tertullianus mala quæ ex dissensione viri et mulieris sequuntur, cui ansam præbet persæpe mulier, sæpe sæpius ipsemet vir; nam, ut moralis fatur philosophus : *is qui nullius non uxorem concupiscit, et satis justas causas putat amandi, quod aliena est, idem uxorem suam aspici non vult; et fidei acerrimus exactor, est perfidus.* (6) Filii qui parentibus debent honorem, multoties eis inferunt bellum, ut Absalonis constat exemplo, qui festinata conjuratione, patrem invadere properat, ut ambitum immaturæ regnum parentis sanguine quantocius possideat. Impii filii furorem pertimescens David « ait servis suis qui erant cum eo in Jerusalem. Surgite, fugiamus : neque enim erit nobis effugium a facie Absalon. Festinate egredi ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam » (6) Ubi D. Chrysostomus: *Absaloni properanti ad nefas, tarda sunt cuncta : festinantem ad facinus videntur remorari disposita. Cupit parricidium ante implere, quam gerat : festinat patrem ante*

(1) D. August. L. 19. Civ. 27. — (2) D. Bern. Serm. 16. de parvis. — (3) D. August. L. 1. Retract. 19. — (4) In Psal. 33. — (5) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 15.— Rom. 12. — (6) D. Bern. Serm. de tripl. gen. boni. — (7) Tert. Lib. de Pat. 10. — (8) Lib. 19. Civ. 15. — (9) Tert. L. de Pud. 5.

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 7. — (2) Tert. Præd. tom. 4. Tract. de lege. — (3) Tert. Lib. 2. ad Ux. 8. — (4) D. Chrys. Homil. 65. in Matth. — (5) Tert. L. de Spect. 16. — (6) Lib. 2. de Isa. 28. — (7) Lib. 2. Reg. 15.

intercipere quam occidat. Sitit sanguinem patris; cruorem appetit genitoris. Timet differre vel modicum, ne aut ira remorata deficiat, aut furia dilata languescat. (1) Multi sunt hac ætate filii, qui si Absalonis furorem non æmulantur, imitantur tamen ambitum; si parentum non fundunt cruente sanguinem, eorum tamen desiderant mortem, et pro hæreditate cum fratribus pugnant: *unde in proverbio dicitur: Fratrum contentiones et iræ sunt acerbissimæ et qui se nimium amant, hi se nimium oderunt.* (2) Sic loquitur philosophus, denotans nullam majorem esse inimicitiam quam fraternam: nihilque gravius simultatibus et dissidiis fratrum: neque major reperitur pax inter domesticos, et patrem et matrem familias: hujusmodi dissensio oritur interdum ex domesticorum desidia, contumacia, perfidia, interdum ex dominorum sævitia et injustitia, qui domesticos non remunerant, aut injuriose tractant: Inde irascuntur et exagitantur domestici *et hoc non sine ratione contingit. A quibus enim deberi sibi beneficium exspectant, ab eisdem non solum privari beneficio, sed insuper lædi se putant.* (3) Hæc sunt quæ perturbant domum, quæ impediunt pacem domesticam, quam etiam a feris ediscendam vult D. Augustinus « ipsæ sævissimæ feræ genus proprium quadam pace custodiunt, coeundo, gignendo, pariendo, fœtus fovendo atque nutriendo, cum sint pleræque insociabiles et solivagæ: non scilicet ut oves, cervi, columbæ, sturni, apes; sed ut leones, vulpes, aquilæ, noctuæ. Quæ enim tigris non filiis suis mutis immurmurat, et pacata feritate blanditur? Quis milvus, quantumlibet solitarius rapinis circumvolans non conjugium copulat, nidum congerit, ova confovet, pullos alit, et quasi cum sua matrefamilias societatem domesticam quanta potest pace conservat? Quanto magis homo fertur quodammodo naturæ suæ legibus, ad ineundam societatem pacemque cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam? » (4)

2. *Utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus jus pacis, et nomen fraternitatis.* (5) Cum omnibus hominibus in universum communicant Christiani jus pacis, et nomen fraternitatis, quia cum eis in eadem specie et natura confœderantur. Ad mutuam illam et fraternam concordiam suo mandato fideles adstringit Christus Dominus, præcipiens: *Diliges proximum tuum, id est omnem hominem* (1), explicat D. Augustinus. Nam, ut fatur aliorsum Hipponensis Antistes, *proximus non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in quo socii sunt omnes homines.* (2) Inde Christiane, concludit D. Bernardus, *sicut ergo debemus sanitatem corpori, puritatem cordi, sic et fratri pacem.* Declara autem Mellifluus Doctor, in quo consistat fraterna pax et humana societas, *hæc enim est lex naturalis societatis, ut omnia quæcunque nobis fieri nolumus, aliis non faciamus; et quæ nobis fieri volumus, aliis impendere studeamus.* (3) Duæ autem illæ societatis regulæ in natura fundatæ, exacte custodiuntur, *ubi vinculum charitatis, ubi pax unitatis, ubi concordia fraternitatis, ubi amor socialis.* (4) Naturæ similitudo ad amorem socialem incitat, unio ejusdem religionis charitatem sufflammat et charitas pacem stimulat: *siquidem benigna est, pacem diligit, congaudet unitati, sola quippe est quæ illam generat, colligat, solidat, et conservat* (5): tum cum extraneis, tum etiam cum inimicis.

3. *Christianus nullius est hostis* (6), quia Christiana religio charitate constat et solidatur. Neque amicos duntaxat diligit, sed ad inimicos etiam extenditur: *Ita enim disciplina jubemur inimicos diligere, ut hæc sit perfecta et propria bonitas nostra, non communis; Amicos enim diligere omnium est; inimicos vero solorum Christianorum.* (7) Ex hac inimicorum dilectione, præsertim disciplina Christiana commendatur, cum hostibus etiam, et sectatoribus suis injungens pacem: « Laudandi sunt qui amant pacem: qui autem oderunt melius interim sunt tacendo placandi, quam vituperando provocandi. Verus pacis amator inimicorum ejus est miserator. Quemadmodum enim si lucem istam amares, cæcis non irascereris, sed eos doleres (quale enim bonum tu caperes, nosses; et ideo quanto bono illi fraudarentur, conspiceres.) Misericordia tibi digni viderentur, et si opes haberes, si artem, si medicamentum, potius ad eos sanandos currères quam damnandos: ita si pacis es amator, misereare ejus qui non amat quod amas: qui non habet quod habes: » (8) Nam, ut belle ad propositum ait D. Augustinus: *Christianæ perfectionis est pacatum esse etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu ma-*

(1) Homel. de Absalone perseq. David. — (2) Lib. 7. Polit. 7. — (3) Arist. ibid. — (4) Tert. L. 9. Civ. 12. — (5) Tert. L. de Veland. Virg. 2.

(1) Serm. 26. de diversis. — (2) Epist. 52. ad Macedon. — (3) Serm. 1. de Trip. Gen. Bon. — (4) D. Bern. Serm. 17. de Contentione. — (5) D. Bern. Ep. 7. — (6) Tert. L. ad Scap. 2. — (7) Tert. Lib. ad Scap. 1. — (8) D. Aug. Serm. 35. ex additis per patrem Syrmundum.

lignitatis : ut si nec exemplum, nec exhortationem dilectionis sequuntur, causas tamen non habeant, quibus nos odisse debeant. (1)

Pacem Christianam discipulis suis dedit, et reliquit Christus : illam cunctis fidelibus concionatores annuntiant, quam quidam amant, quidam oderunt; nonnulli recipiunt, alii repellunt : « Ad dilectores pacis nos conferamus : eorum alii dicuntur recipientes pacem ; alii retinentes pacem ; alii facientes pacem : possunt et aliis nominibus vocari, scilicet pacati, patientes, pacifici. (2) Et hæc nomina sortiuntur secundum diversos status pacis in quibus proficiunt. Nam pacati, per hanc pacem possident terram corporis sui, quia mites sunt. Patientes possident animam suam, quibus dicitur : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pacifici possident non solum suam, sed etiam aliorum in quibus faciunt pacem : unde merito filii Dei vocantur. (3) Pacati ergo dicuntur, qui pacem recipiunt, de quibus scriptum est, si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sed quia pusilli sunt, scandalis exagitati, cito pacem quam receperant perdunt : Patientes autem sunt qui receptam retinent, nec quavis injuria exasperati, eam amittunt. Istis tanquam robustioribus præcipitur, pacem diligite et sanctimoniam, sine qua nemo videt Deum. (4) Pacifici vero, qui non solum in se et in aliis eam faciunt, sed etiam volentes auferre diligunt, sicut scriptum est : Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. » (5) Hucusque D. Bernard. qui aliorsum exclamat : *Felix conscientia in qua justitia et pax osculatæ sunt. Osculum justitiæ, est inimicos diligere, illatam injuriam patienter ferre : Osculum pacis est odientes invitare ad pacem, discordantes ad concordiam revocare, adversarios pacifice sustinere, et cum omnibus pacem habere.* (6) Ad hanc pacem cum omnibus sectandam, Christianos hortatur D. Augustinus : *Pacem sectemini, ipsam desiderate, ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in uxoribus, ipsam in filiis, ipsam in servis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite* (7), ut plenissimam in cœlo assequi valeatis pacem.

(1) Lib. de vex. Innoc. c. 29. — (2) D. Bern. L. Sentent. — (3) Matth. 10. — (4) Hebr. 12. — (5) Psal. 119. — (6) De Inter. Dom. c. 2. — (7) In Psal. 145 — (8) Tert. L. de Orat. 4.

CONCIO QUARTA.

Plura sunt *ad quæ nunc nos velut ad exemplaria provocamur* (8), ut ad invicem pacem habeamus. Ad id nos stimulant supernæ Hierusalem cives, perpetua pace et concordia fruentes. Verum his prætermissis, trinus in præsentiarum nobis objicitur imitandus mundus, quorum unum habemus supra nos, alium circa nos, tertium intra nos. Supra nos, mundum archetypum seu divinum mundum. Circa nos, universum seu magnum mundum. Intra nos microcosmum, seu parvum mundum. Ad pacem igitur provocamur a trino mundo velut trino exemplari : scilicet, 1. Archetypo; 2. Universo; 3. Microcosmo.

I. PARS. *Si te adhuc numerus scandalizat Trinitatis, quasi non connexæ in unitate simplici, interrogo quomodo unicus et singularis pluraliter loquitur : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; cum debuerit dixisse: Faciam hominem ad imaginem et similitudinem meam, utpote unicus et singularis.* (1) Pungit Tertullianus Praxeam negantem Personarum Trinitatem velut divinæ unitati contrariam. Hunc hæreticum multis confutat rationibus Tertullian. fortiter ostendens Trinitatem bene intellectam, non repugnare in divinis : imo necessario esse adstruendam, ut etiam declarat ex modo loquendi divinarum personarum, dum de productione hominis velut consultant. Divinum illud exemplar debet imitari Christianus, ad cujus imaginem et similitudinem formatus est : præsertim quia *Christianismus est vitæ divinæ imitatio :* Gregorio Nysseno annuens frater ejus magnus Basilius ait : *Christianismus quid est? assimilatio Dei, quatenus eam assequi potest humanæ fragilitas naturæ. Votine reus es te Christianum fore? ne cunctere Deo fieri similis* (2) : imitare Trinitatem, in qua est, 1. Unitas sine confusione ; 2. Distinctio sine divisione ; 3. Concordia sine dissensione.

1. Tres divinæ personæ identificantur ad invicem *per substantiæ scilicet unitatem.* (3) Unde *in Trinitate unitas maxime commendatur.* (4) Ut Christiani Trinitatis imitentur unitatem, adeo exoptat Christus Dominus, ut æternum sic deprecetur Patrem : *Pro eis rogo, ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus.* (5) Quasi dicat : Ut ipsi per animorum consensum imitentur unitatem, quam nos per eamdem numero essentiam habemus, et sicut nos unum sumus natura divinitatis, ita ipsi sint unum conjunctione charitatis. Hac unitate compaginati erant ad invicem primi Christiani. Nam,

(1) Tert. Lib. adv. Prax. 12. — (2) Hom. 10. in Hexam. — (3) Tert. L. adv. Prax. 2. — (4) D. Bern. Ep. 7. — (5) Joan. 17.

ut refertur in Actis Apostolorum : « multitudinis credentium erat cor unum et anima una. » (1) Non physice, quia unusquisque suum habebat cor, suamque animam, sed moraliter. Quare merito miratur Magnus Basilius: *Homines ex diversis nationibus et regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus esse videatur, vicissimque plura corpora, unius animi instrumenta.* (2) Hanc mentis et voluntatis unitatem inter Christianos operatur Spiritus Sanctus, ut acute animadvertit et declarat Cardinalis Damianus. « Sancta Ecclesia licet personarum sit multiplicitate diversa, in unum tamen est Sancti Spiritus igne conflata : atque ideo etiamsi per corporalem situm, partibus videatur dividi, unitatis tamen intimæ sacramentum nullatenus a sua valet integritate corrumpi. Iste itaque spiritus, qui est procul dubio unus et multiplex, unus in majestatis essentia, multiplex per diversa charismatum dona, dat Ecclesiæ sanctæ quam replet, ut et in universitate sit una et in suis partibus tota : » (3) Subjungit Cardinalis : « Quia nimirum neque hic pluribus verbis unius personæ solitudo præjudicat, neque illic multitudo fidelium a singularitate discordat : quia per unitatem Sancti Spiritus, qui et singulis inest, et omnes replet, et hic solitudo pluralis, et illic multitudo intelligitur singularis. » Mentis unitatem quam habent inter se fideles, denotatam vult Magnus Gregorius per mala punica in veste summi sacerdotis apposita : *Hinc in sacerdotis veste juxta divinam vocem tintinnabulis mala punica conjunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur ? Nam sicut in malo punico uno exterius cortice multa interius grana uniuntur ; sic innumeros Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet* (4), ni potius dicamus quod granum punicum in quo multa coadunantur grana, denotat charitatem qua Christiani habent unum cor. Inde a posteriori colligit D. Augustinus : *Si charitas de tot animabus facit animam unam, et de tot cordibus facit cor unum, quanta est charitas inter patrem et filium.* (5) D. quoque Athanasius ex ordinata divini prototypi unitate concludit : *Sicut unitas Trinitatis non confundit ordinem, sic unio charitatis non confundit ordinem* (6); ut alibi (7) ex professo demonstratum est, quod ibi videndum remitto, ut considerem in Trinitate distinctionem personarum absque divisione.

(1) Cap. 4. — (2) Lib. Constit. Monast. c. 19. — (3) Opusc. 15. cap. 6. — (4) 2. Part Pastor. cap. 4. — (5) Tract. 14. in Joan. — (6) Serm. 4. Cont. Arr. — (7) Tert. Præd. Tom. 1. Tract. de Amor. Prox. Conc. 2.

1. *OEconomiæ sacramentum unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum* (1) ; Tres autem illæ divinæ Personæ realiter distinguuntur, quia realiter referuntur. Pater refertur ad Filium, et Filius vicissim refertur ad Patrem ; Pater et Filius tanquam duo spirantes et unus spirator referuntur ad Spiritum Sanctum ; Spiritus quoque sanctus ad Patrem et Filium refertur. Relatio autem realis nequit esse nisi inter extrema realiter distincta : verum tres illæ divinæ Personæ realiter distinctæ *numerum sine divisione patiuntur.* (2) Tum quia sunt eædem essentialiter licet distinguantur personaliter ; quomodo etiam in Trinitate verificatur istud axioma philosophicum « quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, » eo scilicet modo quo sunt eadem uni tertio, Personæ divinæ sunt eædem uni essentiæ. Non sunt autem eædem in personis : ergo sunt eædem inter se non personaliter, sed essentialiter. Tum quia divinæ Personæ ob essentiæ unitatem nunquam separantur; sed per circumincessionem mutuo sibi inexistunt : Pater est in Filio, Filius in Patre ; Pater et Filius in Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in Patre et Filio. Tum quia Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto qui est nexus amborum eos indissolubiliter uniens. Charitas merito vinculum nuncupatur, quia unionem quidem, non divisionem facit. *Nam seipsam non potest negare; nec enim in se divisa est : novit potius in se divisa conjungere, conjuncta dividere nescit.* (3) Christiani charitate conjuncti, Trinitatem æmulantes, etsi individualiter distincti, sunt tamen corde et amore conjuncti. Tum quia sicut personæ divinæ sunt eædem essentialiter, ita *multitudinis credentium erat illis anima una, et cor unum in Deum.* (4) Quia scilicet Deus erat medium illos charitate connectens ; charitas enim amat Deum propter semetipsum et proximum propter Deum : *Omnes justi unum sapiunt, unum sentiunt, unum Deum venerantur, unum Dominum Jesum Christum confitentur : uno spiritu Dei replentur : unde merito et ipsi omnes, unum dicuntur.* (5) Tum quia sibi mutuo per dilectionem inexistunt : anima enim magis est præsens ubi amat, quam ubi animat. *Nihil est concordiæ comparadum : unus enim quasi multiplicatur. Si concordes*

(1) Tert. Lib. adv. Prax. 2. — (2) Tert. ibid. — (3) D. Bern. Ep. 7. — (5) D. August. Tract. 14. in Joan. — (4) Orig. Hom. de Elcana.

fuerint duo, aut decem, sed illorum quisque duplex redditur, inveniesque in decem unum, atque in uno decem. (1) Et quod est stupendum magis, in iis qui per charitatem sibi præsentes sunt, habitat et inexistit ipsemet Deus : *Talia Christus videns et audiens gaudet : his pacem suam mittit ; ubi duo, ibi et ipse ; ubi et ipse, ibi malus non est.* (2) Tum quia quemadmodum in divinis Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto, qui est amborum nexus, ita Christiani diligunt se Spiritu Sancto, id est amore supernaturali, qui de Spiritu Sancto procedit, et quem personalis amor infundit cordibus. Quapropter postquam Christus deprecatus est Patrem, pro unione discipulorum, sic orationem suam concludit : *Ut dilectio qua dilexisti me in eis sit.* (3) Hujusmodi autem dilectio est Spiritus Sanctus. Etenim Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto qui charitatem fidelibus largitur, imo et semetipsum dat, ut sese mutuo diligant: *Conciliatrix amicitiæ est virtus, medium uniens Deus* (4) : scilicet Christianos ad invicem connectens ut divinam æmulentur Trinitatem, in qua inter personas divinas est mutua concordia absque ulla discordia et dissensione.

3. Ex identitate naturæ inter divinas personas, individua oritur concordia ; *ut merito unum sit Pater et Filius, per concordiam.* Hanc voluntatis unitatem et concordiam inter divinas personas agnoscit etiam Gregor. Nazianzenus : *Quoniam Trinitas unus est Deus et esse creditur, non minus propter concordiam, quam substantiæ identitatem.* (5) Christiani charitate compaginati, sanctissimæ Trinitatis æmulantur concordiam : uti enim tres divinæ personæ unam habent mentem, unam voluntatem, unam concordiam, eumdem in omnibus absque ulla dissensione sensum et consensum, ita inter perfectos Christianos est mutua absque ulla discordia consensio. Unde sic fantur apud Gregorium Nazianzenum : *Non minus quam ipsa secum divinitas (nisi hoc nimis magnifice dictum videatur), inter nos consentimus, concordesque sumus, labiumque unum et vox una existimus, animo atque ore Patrem et Filium et Spiritum Sanctum celebramus ; idque de nobis prædicitur, quod vere in nobis sit Deus, eos a quibus unitur, uniens* (6), et inter se concordes efficiens : *Non est enim Deus dissensionis, sed pacis*, qui in semetipso summa fruens pace, illam in Christianis desiderat, ut cum Deo valeant esse concordes ; quia *non potest concordiam habere cum Christo, qui discordiam voluerit habere cum Christiano.* (1) Quare Christianum sic urget D. Augustinus : *Quid tibi commune cum discordia, Christiane, quæ auctori pacis placere non potuit ?* (2) Quid simultates amas quæ a diabolo sumunt originem ? *Discordiam in corde tuo diabolus seminat, ipse plantavit, ipse inhabitavit. Nonne ille est semper discordiarum seminator, dissensionis auctor et origo rixarum ?* (3) Dissensiones inter Angelos posuit in cœlo ; dissensiones posuit in paradiso inter Deum et protoparentes ; ab exordio mundi dissensionem posuit inter germanos ; et nunc quoque inter pravos Christianos discordiam seminat. Quem sic loquentem inducit Tertullianus : *In meo sunt, tentabo illos vilibus scidiis, affectionibus, aut inter se dissensionibus.* (4) Quod perverse exsequitur, nam pacem cordis exstinguit, christianam concordiam rumpit, faces odiorum accendit, lites parit, rixas gignit, jurgia seminat, ad discordias, inimicitias, et vindictas stimulat. Christiani, ne in tot malorum barathrum vos injiciat diabolus, *inveniat vos pace munitos, concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi.* (5) Uti qui sunt concordes inter se cum Deo paciscuntur et diabolum debellant, ita qui rixantur ad invicem, cum diabolo confœderantur, et adversus Deum pugnant : *Quare aut Christi charitatem amplectere Christiane aut discordiæ auctori, de similitudine operum parem te esse cognosce.* (6) Noli associari cum diabolo, neque per discordiam, ejus imitare malitiam ; sed potius cum Deo habe concordiam, et per charitatem fraternam imitare mundum archetypum a quo mutuatur pacis altitudo et sublimitas, sicut a mundo universo pacis pulchritudo et venustas.

II. PARS. *Mundo et apud græcos ornamenti et cultus nomen est.* (7) Multa sunt quæ mundi ornatum et venustatem ostendunt : 1. Rerum quæ illum componunt universalitas. *Unde et græci nomen mundo Kosmon accommodaverunt* (8) ; 2. Creaturarum, quæ in illo continentur diversitas : *Quippe si mundus ex diversis substantiis officiisque constabit.* (9) Tandem, 3. Admirabilis ordo, quo cuncta disponuntur : etenim *nihil est ordinatum, quod non sit pulchrum* (10) : Mundialis autem ordinis pulchritudo appa-

(1) S. Max. Serm. 6. de Frat. Amor. — (2) Tert. Lib. 2. ad Uxor. 8. — (3) Opuscul. 61. cap. 9. — (4) Tert. L. de Trin. 22. — (5) Orat. 1. de Pace. — (6) Orat. de Pace.

(1) D. Bern. Serm. 3. in Fest. Omn. Sanct. — (2) D. August. Serm. 57. de Verb. Dom. — (3) D. August. in Serm. Com. Serm. 10. — (4) Tert. Lib. ad Mart. 1. — (5) Tert. ibid. — (6) D. August. Serm. 57. de Verb. Dom. — (7) Tert. L. 1. adv. Marc. 12. — (8) Tert. Apol. 17. — (9) Tert. L. de Pall. 2. — (10) D. August. L. de Ver. Relig. c. 41.

ret in præcipuis universi partibus, scilicet, 1. Elementis; 2. Cœlis; 3. Angelis.

1. *In principio fecit Deus cœlum et terram : Adoro Scripturæ plenitudinem, qua mihi, et factorem manifestat et facta.* (1) Circa præfatum locum ex Scriptura sacra desumptum quatuor sunt observatu dignissima : 1. *Principium sive initium, inceptionis est verbum, non alicujus substantiæ nomen.* (2) Confutat Tertullianus Hermogenem, qui materiam, Deo coævam admittebat, asserens Deum ex præfata materia, non ex nihilo produxisse mundum. Hunc hæreticum redarguit auctoritate Scripturæ sacræ testantis Deum primum fecisse cœlum et terram; *quæ priora sunt facta, merito sic præfatur Scriptura : In principio fecit Deus cœlum et terram.* (3) 2. Deum non omnia simul creasse, sed successive sex dierum spatio, ut refert Moyses sacer historicus : cujus rationem subministrat Philo Judæus : « Nam si omnia simul et semel fecisset condigna, minus ordinis fuisset in rebus tam pulchre conditis. Nec enim est quicquam pulchri in confuso ordine. Ordo vero est consequentia seriesque rerum præcedentium et sequentium. » (4) Scriptura namque referens quid singulis diebus factum est : *Atquin singillatim definiens, nihil confusum, nec in confusione incertum æstimare facit tam divisa relatio certorum et distinctorum elementorum.* (5) 3. Cum dicitur, *creavit Deus*, hebraice habetur *Elohim :* quod nomen judicem sonat, quasi Deus judex mundum condiderit : *A primordio creator tam bonus, quam et justus, pariter et utrumque processit* (6) : Deus tanquam judex creasse dicitur mundum, ne putetur mundi opificium, secundum rerum essentia duntaxat conditum, et confusa inordinatione inconcinnum exstitisse. Ad hunc tollendum errorem inducitur Deux judex secundum justitiam distributivam velut operans, juxta diversas cujusque naturas, sedem, gradum ac ordinem unicuique tribuens ; idcirco *cum situs proprios eis adscribit, negavit confusionem substantiarum, quarum demonstrando dispositionem, demonstravit etiam distinctionem* (7) : et tum per distinctionem, tum per ordinatam illam dispositionem, sapientis judicis peregit officium. Ut enim ait D. Augustinus ; *summo Deo cuncta administrante quæ fecit, nihil inordinatum, nihil injustus in seculo est* (8): Quasi ordo creaturarum, sit opus justitiæ quæ potissimum elucet in ordine et dispositione elementorum: *Omnia ut bonitas concepit, ita justitia distinxit. Totum hoc judicato dispositum et ordinatum est. Omnis situs, habitus elementorum, effectus, motus, status, ortus, occasus singulorum, judicia sunt Creatoris.* (1) Etenim si temere ac sine ordine omnia confusa fuissent, creatura quævis quantumvis pulchra, ipsa ordinis confusione devenustaretur, nihilque in mundi opificio pulcrum apparuisset. Quare, 4. Deus mundum apte concinnans, miram ei contulit pulchritudinem : *Siquidem omnia opera sua Deus ordine consummavit, incultis primo elementis depalans quodammodo mundum, dehinc exornatis velut dedicans.* (2) Exinde consummata mundi fabrica, post præmissum rerum omnium examen, valde bona et pulchra aspectabilia divinis oculis cuncta apparuerunt. Peracto sex diebus mundi opificio, inducitur Deus omnium creaturarum egregius encomiastes : « Vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona. » (3) Quælibet creatura in suo gradu spectata, et secundum se considerata, *bona* duntaxat dicitur : at universitas ex singulis conflata, *valde bona* prædicatur. Unde autem novam hanc excellentiam et pulchritudinem mutuatæ sint singulæ creaturæ ex associatione cum aliis, belle declarat D. Augustinus : nimirum ex venusto ordine quo omnes sunt dispositæ; *Simul vero universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. In qua illud etiam quod est bene ordinatum, et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant, et laudabiliora sint.* (4) Ordo rerum quæ intra elementa continentur, bonitatem et pulchritudinem commendat : nam, ut philosophatur D.August. *Omnia quanto magis moderata et speciosa, ordinata sunt* (5), ut constat ex cœlis quorum venustas et pulchritudo ex ordinatione potissimum mutuanda est.

2. *Bonitas creatoris operata est mundum, justitia modulata est.* (6) Hujusmodi autem concentus, seu harmonia, ex convenienti consensione procedens, apparet non solum in universo mundo, ut vult Philo Judæus : *Continua quædam, et quasi modulata partium mundi consensio, harmoniam efficit* (7) ; sed etiam in cœlis, ut somniavit Pythagoras, licet ignoraverit *qua dispositione regantur cœli, quomodo ibi unus quidem hym-*

(1) Tert. L. adv. Hermog. 22. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 19. — (3) Tert. ibid. — (4) Lib. de Opif. Mund. — (5) Tert. L. adv. Hermog. 30. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (7) Tert. Lib. adv. Hermog. 30. — (8) Lib. 83. quæst. qu. 27.

(1) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 12. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 29. — (3) Gen. 1. — (4) In Enchir. cap. 11. — (5) Tert. L. de Nat. Bon. cap. 3. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (7) Lib. de Opif. Mund. cap. 5.

nus indeficiens concinens ab omnibus prædicet Deum. (1) Cunctæ creaturæ quæ in mundi ambitu continentur Deum prædicant, *qui totam molem istam de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ.* (2) Verum specialiter *cœlum sideribus coronatum* (3) splendidius Dei decantat gloriam. Nam si præstantia effectus causæ demonstrat excellentiam, nonne cœli venustas nos inducit ad inferendum Dei decorem? *Pulchrum est cœlum, sed pulchrior est fabricator cœli.* (4) Causa namque æquivoca est pulchrior suo effectu; Deus autem fabricator est cœlorum, qui, tanquam effectus primæ causæ, ejus decantant gloriam, juxta istud Davidicum: *Cœli enarrant gloriam Dei* (5): tum ob vastam eorum immensitate molem; tum ob celerrimam motus velocitatem; tum ob fulgidum siderum splendorem; tum ob invariabilem in dierum ac noctium successione constantiam. Sed præcipue, ut vult quidam anonymus in Catena Patrum græcorum, apud Corderium, ob admirabilem pulchritudinem quæ in eorum ordine conspicitur. Symmachus autem hæc magis dilucide transtulit: Cœli enarrant gloriam Dei: non verbis aut sermonibus, quorum audiantur voces; sed in omnem terram exivit sonus eorum. *Nam neque sermonem, neque vocem emittentes, sed proprium ordinem ostendentes, omnem terram et mare, ad laudis canticum invitant.* Sileat perennis diei ac noctis successio, taceat immensa cœlorum vastitas, incomprehensibilis motus velocitas, rutilans siderum splendor, stupendus orbium cœlestium ordo, Dei magnificentiam præclarius loquitur, et loquacius evulgat: præcipuæ cœlorum dotes cedunt rato opificis ordini, quasi ordo census sit rerum, et ex eo potissimum, tum eorum pulchritudo, tum Dei gloriam censeatur. Verum licet *cœlum sit opus pulcherrimum, omnis tamen invisibilis creatura, excedit etiam pulchritudinem cœli.* (6) Loquitur de Angelis D. Augustinus, qui pulchrescunt tum ob spiritualem eorum naturam, tum ob mirum ordinem quo dispositi sunt.

3. *Monarchia divina per tot legiones et exercitus Angelorum administratur, sicut scriptum est: Millia millium assistebant ei, et millies centena millia apparebant ei.* (7) Verum supremus omnium opifex et Dominus, in tot Angelorum myriades *non solum potestativum, sed et ordinativum capit principatum.* (1) Existimat tamen Rupertus Abbas ante prælium factum in cœlo a Joanne Evangelista relatum (2), in quo Angeli rebelles debellati sunt, innumeram Angelorum multitudinem, necdum in novem choros fuisse distributam: atque adeo ex omnibus et singulis Angelorum ordinibus, tunc permixtis aliquos infeliciter cecidisse. *Ergo non antequam caderent apostatæ Angeli, jam erant ordines distincti: sed illis cadentibus, isti qui permanserunt, in ea qua firmati sunt remuneratione, sunt et ordinati, novemque ordinibus distincti.* (3) Verum non est verisimile quod Deus *creator et ordinator omnium rerum naturalium* (4), tantam Angelorum multitudinem confusam, indistinctam et inordinatam produxerit: et si ut ratiocinatur D. Augustinus, *quanto minus moderata, minus speciosa; minus ordinata sunt, minus bona sunt* (5): cum Angeli superent in bonitate et pulchritudine elementa, cœlos, cunctaque creata, quæ venustantur *quasi ordinis nomine* (6), rationabiliter non potest Angelis denegari ordo. Ut autem animadvertit Photius, apud OEcumenium, in istud « Nescitis quoniam Angelos judicabimus? » (7) rebelles et apostatæ Angeli *propriæ mentis pravitate ab ordine suo exciderunt.* Non quod prima hierarchia degeneravit in secundam, aut tertiam, aut quod superior unius hierarchiæ ordo in inferiorem sit immutatus, v. g. Seraphim in Archangelum; Archangelus in Angelum. Peccatum conscientiam depravat, naturalia non mutat; sed ideo dicuntur a suo ordine excidisse, quia exciderunt vel a dependentia Dei, adversus quem sua pravitate rebellarunt; vel a gratia quam peccato amiserunt; vel a jamjam sibi futura beata cœli gloria, si fideles permansissent; vel a pace qua fruuntur in Empireo beati Angeli, juxta cujusque naturam in novem ordines consultissime distributi: ita ut alii aliis ordinatissime præsint subsintque ordinatissime distinctione pacati. Quia ut fatur Richardus a Sancto Laurentio, *inter Angelos major non opprimit minorem, sed semper in summa pace et quiete consistunt.* (8)

Christiani, attollite oculos *ad ordinationem operum* (9) Dei; considerate situm elementorum, cœlorum dispositionem, et varios Angelorum ordines, ut sitis pacis studiosi. *Est autem pax tranquillitas ordinis, ordo autem est parium dispariumque sua loca*

(1) D. August. in Psal. 32. — (2) Tert. Apol. 17. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 13. — (4) D. August. in Psal. 85. — (5) Psal. 18. — (6) D. August. Lib. 1. de Gen. contra Manich. 11. — (7) Tert. L. adv. Prax. 3.

(1) Tert. Lib. adv. Hermog. 19. — (2) Apoc. 12. — (3) Lib. 2. in Gen. c. 15. — (4) D. August. L. 1. Conf. 10. — (5) Lib. de Nat. Bon. cap. 3. — (6) Tert. Lib. adv. Hermog. 10. — (7) 1. Cor. 6. — (8) Lib. de Laud. B. Virg. — (9) Tert. Lib. adv. Hermog. 19.

tribuens dispositio. (1) Pulchra sane pacis definitio, et magni Augustini ingenio digna. Profecto si pax est tranquillitas ordinis, et ordo est parium dispariumque sua loca tribuens dispositio, frustra pax et concordia speratur in domo, in civitate, in republica, in militia, in foro, in Ecclesia : ubi æqualium inæqualiumque est indistincta et inordinata commixtio. Domus, seu respublica, ubi nullum est parium dispariumque discrimen, de confusa inordinatione æmulatur infernum, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* (2) « Non quod supplicia quæ ex lance divinæ justitiæ prodeunt, sint inordinata : Deus enim plagarum modum decernit juxta criminum mensuram : » (3) sed quia omnes præsciti incertis sedibus vagentur et impares cum imparibus versentur, ut omnes sint pares cum imparibus in unum fasciculum colligati; atque quasi una omnes catena colligati futuri sint, ita nullo inter illos dignitatis ordine servato crucientur, sicut plures racemi confusa inordinatione permixti in eodem torculari calcantur : est enim infernus *torcular iræ Dei.*(4) Christiani, non inferni sed cœli sitis æmulatores, et si inter supernæ Hierusalem cives desideratis annumerari, pacem amate ; et si pacem amatis, ordinem consulte statuite, sancte servate, strenue zelate, et ut vos hortatur Apostolus : « omnia honeste et secundum ordinem fiant (5): » seu, ut Syrus legit, *omne cum decore, et cum ordine sit* ; quasi pulchritudo sit ab ordine inseparabilis, ut constat ex mundo universo a cujus ordine mutuatur pacis pulchritudo et venustas, sicut a microcosmo pacis teneritudo et societas.

III. PARS. Homo microcosmus seu parvus mundus nuncupatur, quia omne quod est in universo seu magno mundo, *in ipso significatur, quia in ipso continetur.* (6) Quomodo istud Dominicum intelligit magnus Gregorius : « Prædicate Evangelium omni creaturæ; » scilicet homini : nam *omnis creaturæ nomine intelligitur homo;* habens esse cum elementis, vitam cum arboribus, sensum cum animantibus; intellectum cum Angelis : idcirco, *parvus mundus est homo; et essentiæ omnis tum in aspectum cadentis, tum oculorum aciem fugientis, nodum ac vinculum in seipso fert.* (7) Parvus autem ille mundus anima et corpore adunatur. In præsentiarum non est consideranda unio animæ et corporis quæ sunt partes physicæ ex quibus essentialiter constat, sed unio membrorum quibus integratur corpus, et a quibus imitanda est pacis teneritudo et societas, quia omnia membra in uno et eodem corpore, 1. Adunantur; 2. Adjuvantur; 3. Conservantur.

1. *Corpus sumus de conscientia religionis* (1) ; de quo eodem modo disserendum est, ac de corpore naturali et animali hominis : *sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus* (2) unum corpus habet, nempe Ecclesiam, ex cunctis fidelibus aggregatam. *Semel dixerim, una Ecclesia sumus.*(3) 1. In corpore naturali sunt varia membra diversis officiis destinata; « nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. » In corpore etiam Ecclesiæ sunt plura membra, in varios gradus distributa, et diversis officiis accommodata. « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum : numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? » 2. Membra corporis naturalis, quamtumvis inter se diversa, et variis officiis destinata, sunt tamen de corpore, ad cujus integritatem pertinent; « nam et corpus non est unum membrum, sed multa : si dixerit pes : Quoniam non sum manus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris : Quoniam non sum oculus, non sum de corpore; num ideo non est de corpore? sit totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? » (4) Omnes etiam fideles, licet natione diversi, ordinibus et officiis distincti, sive boni sint sive mali, sunt de corpore Christi, et ad mysticum Ecclesiæ corpus pertinent, cui per baptismum inserti sunt. « Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi. » 3. Nobiliora corporis naturalis membra, non contemnunt ignobiliora. Caput quod est rationis sedes, non despicit cæteras corporis partes, licet non adeo nobilibus operationibus occupatas. « Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis,

(1) D. August. Lib. 19. Civit. 13. — (2) Job. 10. — (3) D. Greg. — (4) Apoc. 19. — (5) 1. Cor. 14. — (6) Tert. L. de Vel. Virg. 4. — (7) S. Joan. Dam. Orat. de Transfig. Dom.

(1) Tert. Apol. 39. — (2) 1. Cor. 12. — (3) Tert. L. de Vel. Virg. 2. — (4) 1. Cor. 12.

his honorem abundantiorem circumdamus.» Membra ignobiliora sunt pedes, quos milites, nobiles, feminæ diligentius vestiunt, calceant; elegantibus crepidis, calceis, ocreis ornant et muniunt, ne in saxa impingant; ne incedendo lædantur; en nimio frigore vel humore noxiam aliquam intemperiem contrahant, quæ in stomachum et caput redundet. Qui in corpore Ecclesiæ mystico, aliis antistant, vel generis nobilitate, vel honoris dignitate, vel ingenii, scientiæ, aut virtutis sublimitate, sibi inferiores non despiciant: et, ut fatur Apostolus, *nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes* (1): id est per humilitatem quisque alium se superiorem et præstantiorem arbitretur et existimet. Considerans enim ea quæ habet a seipso, et ea quæ proximus habet a Deo, merito hunc sibi præfert: quia dona quæ proximus habet a Deo majora sunt iis, quæ habet a seipso. Hoc enim ingenium est humilitatis, intueri seipsum, et ea quæ habet a se, nimirum proprios defectus; considerare vero in aliis, bona et dona, quæ habent a Deo: sicut econverso superbiæ proprium est, intueri sua bona, et aliorum mala. « Sed inter hæc sciendum est, quia sicut electi quique hoc semper in aliis attendunt, quod a Deo melius acceperunt quam ipsi, ut eos sibi in cogitatione præferant, seque illis, in humilitate substernant: ita reproborum mens nunquam considerat quid alter boni amplius quam ipse, sed quid boni ipse amplius quam alter habeat: neque enim pensat quæ bona spiritus alter acceperit, et ipsi desint: sed quæ bona ipsi, et quæ mala alteri adsint. » (2) Experientia constat, Deum ita sua dona distribuisse, ut neminem præterierit, sed cuique etiam plebeio dotem aliquam contulit, in qua præcellat alios. Sic videmus in naturalibus, hos ingenio, illos judicio, alios praxi excellere; hos in eloquentia, illos in philosophia, alios in jurisprudentia; hos in fabrili, illos in pictura, alios in pistoria, imo in una et eadem arte, v. g. sculptoria, hunc in isto sculpturæ genere, alium in alio præstare: adeoque si quis solerter singula consideret, neminem tam vilem inveniet, qui non a natura habeat indolem, habilitatem, et dexteritatem aliquam in qua eminere possit, si illi sese addicat, in eaque se exerceat. Idem est in iis quæ mores, virtutes, et Christianam spectant disciplinam. *Rarus est, qui non insigni aliqua gratia, præter alios donatus inveniatur, qua maxime et Ecclesiam juvare possit, et ministrare Christo.* (1) Itaque si illud in proximo consideremus, in quo eminet, absque dubio illum nobis superiorem arbitrabimur: et licet dotes ejus exterius non appareant, existimare debemus esse aliquam in illo occultam gratiam, qua nobis antistat, etiamsi bonum nostrum, quo illo superiores videmur, non sit occultum. 4. Ignobiliora membra corporis naturalis, nobilioribus non invident: pedes in luto incedentes, non dolent quod oculi in capite sint collocati, neque quod adeo sollicite non sint custoditi, ac cor. « Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum congaudent omnia membra. » Si quis enim percutiat pedem, percussionem pedi factam sibi appropriat os, dicens: Cur me cædis? et si manus aliquam accipit liberalitatem, hanc sibi arrogat lingua gratias agens: membra etiam corporis Ecclesiæ nulla debent invidia tabescere, sed fratrum prosperitate lætari, de eorum adversitate dolere. *Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere, condoleat universum, et ad remedium conlaboret necesse est.* (2) Etenim charitas non invidet, charitatis etiam generosa soboles, nempe *voluntas bona est sic adversa alterius, sicut nostra pertimescere: sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari: aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra reputare.* (3) 5. Dum aliquod membrum corporis naturalis, casu et fortuito, alteri membro affert damnum, istud de alio non sumit vindictam. Caput ex lapsu pedis contusum, pedi non indignatur; manus cui altera manus abscidit digitos, non sumit cultrum ut eam similiter feriat: ultio illatum non sanaret vulnus, sed potius augeret malum et dolorem. Non dissimiliter in Ecclesia, *non sit schisma in corpore, sed ipsum pro invicem sollicita sint membra.* (4) Tandem, 6 Membra corporis naturalis summa fruuntur pace et concordia, unumquodque suo gradu contentum, non ambit aliud, neque invidet nobiliori, sed cum aliis unitur, totum integrat corpus, et omnia eadem anima informantur et vivunt. Idipsum a Christianis expostulat Apostolus, tanquam a membris corpus Ecclesiæ componentibus: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.* Anima autem corporis Ecclesiæ est fides, quam habent omnes fideles, etiamsi improbe vivant. Ecclesia est quasi homo civilis et politicus, suam habens ani-

(1) Philip. 2.—(2) D. Greg. Hom. 10. in Ezech.

(1) Lippom. in cap. 36. Exod. Lect. 1. — (2) Tert. L. de Pœn. 10. — (3) Greg. Magn. Homil. 5. in Evang. — (4) 1. Cor. 12.

mam, suumque corpus; corpus Ecclesiæ sunt fideles, qui exterius et visibiliter eamdem Christi profitentur fidem, quique inter se cum eodem capite visibili, scilicet summo Pontifice, Christi in terris vicario, communicant in eadem lege, eadem doctrina, eodem sacrificio, iisdem sacramentis, eodem cultu : hæc enim est exterior forma Ecclesiæ, prout est respublica visibilis. Sicut autem embryo prius vivit anima sensitiva, diciturque vivens et sentiens, quam vivat anima rationali ; ita fidelis per fidem prius vivit, vereque est vivens pars Ecclesiæ : etiamsi nedum habeat charitatem, ea tamen habita, longe nobiliori anima et vita vivit. Quantum enim anima rationalis excedit sensitivam, tantum charitas excedit fidem. De hac secunda et nobiliori forma loquitur Apostolus, quando solos justos charitate præditos vocat corpus et Ecclesiam Christi : non quidem excludere volens fideles qui in peccato sunt, sed denotare intendens Sanctos charitate pollentes, esse perfectiori modo corpus Ecclesiæ, perfectioremque habere Ecclesiæ formam, vivereque non solum anima fidei, qua vivunt etiam fideles in peccato existentes, sed etiam vita gratiæ et charitatis quæ est perfectissima Ecclesiæ forma, anima et vita, ratione cujus Ecclesia dicitur sancta, quia nobilissima ejus pars quæ est justorum, sancta est. Adde ex Tertulliano : *Ecclesia vero Christus* (1), Christus enim non tantum est caput Ecclesiæ, sed corpus : quia omnia membra Ecclesiæ sustentat, et in omnibus operatur. Per doctorem docet, per ministrum baptizat, per fidelem credit, per pœnitentem pœnitet. Sicque Christus non localiter, sed mystice et virtualiter, sive operative, et per efficientiam, est corpus, hypostasis, anima, et Spiritus totius Ecclesiæ ; et sicut Ecclesia est corpus Christi quasi capitis ; sic vicissim Christus est corpus Ecclesiæ, quasi in omnia Ecclesiæ membra, se per gratiam et operationem transfundens. Quomodo sæpe ait Apostolus nos unum esse in Christo, nos per baptismum incorporari et complantari Christo. Quomodo adhuc Christus ait ad Saulum : « *Quid me persequeris ?* (2) id est Christianos qui sunt membra mea. *In membris suis Christus est, non enim Christus in capite, et non in corpore ; sed totus Christus; in capite, et in corpore : quod enim membra ejus, hoc ipse.* (3) Trina hac unione in fide, in charitate, et in Christo, perfecti confœderantur Christiani, æmulantes unionem et concordiam membrorum corporis naturalis quæ ad invicem adunantur et adjuvantur.

2. *Cæterum inter fratres atque conservos, ibi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis Spiritus, de communi Domino et Patre; quid tu hos aliud, quam te opinaris ?* (1) Unde illis tua debes impendere officia, non secus ac membra corporis naturalis, quæ non solum per se, sed etiam pro aliis membris sua exsequuntur ministeria. *Non potest oculus dicere manui: Opera tua non indigeo ; aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii.* (2) Pes ambulat pro oculo, pro ore, pro ventre : et vicissim pro pede oculus videt, auris audit, venter concoquit. Quod si nolit pro pede videre oculus, auris audire, venter concoquere, non tantum pedem sed seipsum lædet oculus, aut venter : perinde, ait D. Chrysostomus, ac si una manus aliam amputet, seipsam debilitat ; robustior enim est si ab alia manu habeat auxilium. Subjungit aureum eloquentiæ flumen : « Si patiatur oculus, omnia dolebunt, omnia cessabunt ; non pedes ibunt, non manus operabuntur, non frui jam consuetis cibis ventri lubebit, oculorum licet sit dolor. Quid ventrem ocule mordes? quid pedes remoraris? quid manus vincis ? quia innexa natura sunt omnia, modoque ineffabili compatiuntur. Huc advocare lubet apologum ventris a membris deserti, quo ingeniose usus est Menenius Agrippa, ut populum Romanum a senatu segregatum, redintegraret : « Tempore illo quo in homine, non ut nunc, omnia in unum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat ; ferunt indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio, ventri omnia quæri ; ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui : conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent ; ne os acciperet datum; nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse : inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum, confecto cibo, sanguinem. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexit Menenius mentes hominum. » (3) Apostolus etiam colligit quantum venter humano corpori sit necessarius : *Sed multo*

(1) Tert. Lib. de Pœn. 10. — (2) Act. 9. — (3) D. Aug. Tract. 28. in Joan.

(1) Tert. L. de Pœn. 10. — (2) 1. Cor. 12. — (3) Tit. Liv. 1. L. 2. Decad. 1.

magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt. Quemadmodum igitur pro toto corpore vident oculi, brachia laborant, manus alimenta suscipiunt, stomachus concoquit et digerit cibos, jecur sanguinem mittit ad omnes venas; ita cuncta Ecclesiæ membra singulis membris debent præstare auxilium, et ad imitationem corporis naturalis, cujus membra, per mutuum auxilium conservantur.

3. *Ita nostrum est, quodcunque nostrorum.* (1) Sic loquuntur fideles qui sunt membra corporis Ecclesiæ, quibuscum sunt non solum fide, sed etiam charitate conjuncti, sine qua quælibet virtus sensim perit et moritur. Verum prius membra corporis naturalis consideremus, ut ex illorum conservatione et devenustate, ruina et deformitate, inferamus membrorum corporis Ecclesiæ vel vitam et decorem, vel mortem et horrorem. *Habent quidem singula membra proprium sui munus officii, quod tamen tunc implere poterunt, si connexa sibi et compaginata, perfecti corporis perveniant ad decorem* (2): Quod si ab aliis dividantur membris, suum ministerium exercere nequeunt, proprium decorem amittunt, tandemque corrumpuntur et pereunt. Oculi exemplum proponit Chrysologus: *Est membrorum commercio pretiosus oculus, sed si perseverat in corpore. Alioquin ubi corpori defuerit, sibi non aderit: debent illi membra omnia suæ lucis obsequium, sed et ipse oculus sentit corpori se debere, quod lux est. Qui utique cum omnibus membris ministratum membrorum provideat, evulsus a corpore nec sibi videt.* Dum est in corpore oculus, est in fastigio hominis, corporis splendor et decus. At a dissidio et separatione e corpore, sic vilescit et squallet, ut divisionis squallore infuscetur, tenebrescat, sibique reddatur sordidus, qui totum nobilitabat hominem, dum corpori individuus erat. Subjungit Chrysologus: *Homo quid aliud te docuit in tuo corpore, aut sit divisa conjunctio, aut tam conjuncta divisa, nisi ut ex multis unus, et unus in multis viveres?* Per fidei unitatem, pacis concordiam, charitatis vinculum, qui cæteris Ecclesiæ membris sunt conjuncti, splendent et venustantur: qui vero discordia et odio sunt disjuncti, dedecorantur. *Hoc interest inter congregationis plenitudinem gloriosam, et separationis præsumptam de ignorantia, aut negligentia vanitatem; quod in salute et honore integri corporis, species est unitas membrorum: et in separatione viscerum est fœda, læthalis et horrenda pernicies.* (1) Speciem et decorem integri corporis non habent, imo potius devenustantur, *qui corpus Christi dissipant, membra dispergunt: nec ad decorem suum patiuntur formam dominici habitus pervenire: quam Propheta cum vidisset, in spiritu canebat: Speciosus forma præ filiis hominum.* (2) Nec mirum si decorem non habent cum sint mortui gratiæ et charitati, a qua animarum mutuatur pulchritudo, ut exemplo oculi a capite separati, demonstrat Chrysologus. *Quisquis ille est, qui se putat esse aliquid, talis instructus exemplo maneat in Ecclesia, ut sit aliquid, alioquin ubi defuerit illi, sibi esse mox desinit.* Uti fidelis a fide deficiens desinit esse membrum Ecclesiæ, quia non amplius animatur a fide quæ est vita fidelis: ita qui charitatem non habet, est quidem Ecclesiæ membrum, sed mortuum, quia non animatur a gratia, quæ est vita justorum. Quapropter justos sic hortatur Apostolus: *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* (3) Nulla virtus sola per se subsistere potest: sed ad sui conservationem aliarum indiget auxilio: modestia opus habet patientia, ut in injuriis et contumeliis ferendis modeste se gerat; patientia opus habet humilitate, nisi enim sit humilis, superbos sibi insultantes æquo animo non tolerabit. *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:* cum enim sit nexus et vinculum cunctarum virtutum, sequitur nec eas simul, nec quamlibet seorsim posse diu consistere, sine charitate. *Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, sicut vocati estis in uno corpore.* In Græco habetur: palmam ferat pax, ut quæcunque opinionum, rerum, factorum diversitas, vel adversitas accidat, pax conservetur; primum studium sit pacis conservandæ, ut potius a nostra sententia recedamus, imo bona nostra amittamus quam pacem, quæ cæterarum rerum etiam dispendio conservanda est, ne unio membrorum corporis Ecclesiæ rumpatur. Etenim si natura inter membra corporis humani et naturalis, tantam concordiam curat et servat, nec sinit inter illa ullam discordiam aut dissensionem, quanto magis fides, charitas, et Christi spiritus et gratia, debet operari concordiam et pacem inter membra corporis Ecclesiæ?

(1) Tert. Lib. de Veland. Virg. 2. — (2) Chrysolog. Serm. 132.

(1) Chrysolog. — (2) Chrysolog. — Psal. 44. — (3) Colos. 3.

Belle ad propositum Moralis Philosophus: « Fac nos singulos: quid sumus? præda animalium et victimæ. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est: quæcunque vaga nascentur, et actura vitam segregem, armata sunt. Hominem imbecillitas cingit, non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum et inermem societas munit. Duas res dedit quæ illum obnoxium cæteris, validissimum facerent, rationem et societatem. Itaque qui esse nulli posset, si solus existeret, societas illi dominium omnium animalium dedit. Societas terris genitum, in alienæ naturæ transmisit imperium, et dominari etiam in mari jussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. *Hanc societatem tolle: et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.* Quemadmodum homo solus absque aliorum societate, ferarum obnoxius foret crudelitati, neque vitam posset conservare naturalem; ita et Christianus a fratrum societate per discordiam divisus, diaboli est expositus malitiæ, neque vitam supernaturalem valet conservare. At quemadmodum societas inermi et imbecillo homini dedit ferarum imperium, et providit auxilia et remedia ad naturalem vitam conservandam; ita Christianorum societas et concordia dæmones debellat, et vitam supernaturalem conservat: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem junctura subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem in charitate.* (2) Fideles debita Christianitatis officia exsequentes, per charitatem, et charitatis opera crescunt in Christo, qui tanquam caput influit gratiam et vim crescendi et augescendi in singula membra totius corporis Ecclesiæ. Animadvertit autem D. Chrysostomus per charitatem fieri triplex augmentum: unum singulorum membrorum corporis Ecclesiæ; aliud totius corporis Ecclesiæ; tertium ipsiusmet Christi capitis Ecclesiæ: 1. Singula membra, id est singuli fideles juxta suam naturam, statum, et conditionem suscipiunt incrementum a Christo, qui instar capitis influit spiritum, gratiam, vegetationem et vim crescendi; 2. Singulis membris crescentibus, dum singulis operatur Christi Spiritus et gratia juxta cujusque membri modum et exigentiam, totum corpus Ecclesiæ crescit, ædificatur, perficitur; 3. Christus tanquam caput, crescit in Ecclesia velut in suo corpore: dum enim Ecclesia crescit, crescit quasi Christus, id est Christi influxus, fides, gratia, operatio, gloria, regnum. Christus autem tanquam caput nostrum, motum, sensum, et vitam spiritualem influit per juncturas, id est per mutuam unionem qua unum membrum alteri, id est unus fidelis alteri jungitur et subordinatur; tum per externam unionem, communionem, et communicationem, in iisdem dogmatibus, sacramentis, sacrificiis, orationibus, concionibus, lectionibus, conventibus; tum per internam unionem animorum, dilectionem, pacem, concordiam. Ad externam unionem pertinet omnis proximorum societas, instructio, ædificatio, quibus in spiritu et pietate, promoventur fideles, mutuis exemplis, exhortationibus, instructionibus, consiliis, orationibus. Internam unionem operatur charitas, animans corpus Ecclesiæ, cujus caput est Christus, membra singuli fideles, junctura mutua fidelium unio et communicatio, anima fides et charitas, spiritus vitales et animales gratiæ prævenientes et excitantes, quæ a cerebro, id est Christo descendunt, et singulis membris, id est fidelibus, communicantur, quos charitas tanquam anima facit crescere in Christo. Singulis autem in fide et charitate crescentibus, crescit quoque totum Ecclesiæ corpus: magnitudo enim profectus, incrementum, et perfectio cujusque fidelis, ac consequenter totius Ecclesiæ, sita est in profectu, incremento, et perfectione fidei et charitatis, et consequenter aliarum virtutum: ita ut quantum in actibus fidei et charitatis, ac consequenter in earumdem habitibus quisque fidelis proficit, tantum crescat spiritualis ejus magnitudo, et quantum in iisdem crescunt omnes fideles, tantum crescat et perficiatur totius Ecclesiæ magnitudo. Quapropter, fratres, mutuam unionem, concordiam et pacem amate et servate, ut per eam Spiritus Christi et Ecclesiæ participes effecti, crescatis in fide et charitate, et mereamini accipere in cœlo charitatis consummationem.

(1) Lib. 4. de Benef. 18. — (2) Ephes. 4.

CONCIO QUINTA.

Ipse *autem Deus pacis sanctificet vos totos,* (1) Tertullian. Apostolum æmulatur, Deum,

(1) Tert. L. de Res. 47.

Deum pacis nuncupantem : *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* (1) Poterat a Paulo vocari Deus cœli et terræ, Deus hominum et Angelorum ; Deus potentiæ et majestatis; Deus exercituum et prœliorum ; Deus justitiæ et ultionum : tot tamen honoris et gloriæ titulis prætermissis, appellatur duntaxat Deus pacis, pacis auctor, donator et largitor : « Quoniam loquitur pacem in plebem suam : » *Vox ergo Dei pax est, ad pacem vocat.* (2) Plura sunt quæ nos ad recipiendam pacem stimulant : præsertim, quia, 1. A Deo donatur ; 2. Sanguine Dei comparatur ; 3. Corpore et sanguine Dei conservatur.

I. PARS. *Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate, a Stoicis venerat.* (3) Marcion Stoicorum errorem sequutus, Deum otiosum et a cura et severitate alienum volebat. Verum omisso illo hæresiarcha, *tranquillus Deus, tranquillat omnia* (4), pacem largiens hominibus. Falso existimarunt Gentiles, fictitios quos colebant deos, esse pacis auctores. *Pax et venia a diis immortalibus impetrata.* Sic fatur Servius apud Livium : Romanæ quoque eloquentiæ princeps, a diis immortalibus propriorum facinorum veniam, et totius Reipublicæ pacem expostulat : verum quomodo largiri poterant pacem, quam nunquam possederant ? Jupiter namque, Mars, Neptunus, fuerant continuis bellis exagitati ; et quomodo valebant concedere criminum veniam, cum fuerint sceleribus contaminati ? Deus verus quem colimus, utrumque largitur ut asseverat Apostolus : *Gratia vobis et pax a Deo.* (5) His verbis denotat Paulus Deum esse tum gratiæ, tum pacis causam efficientem : et quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, pax ex æquo a tribus personis procedit, quæ sunt unus Deus, et una et eadem potentia operantur. Ex D. namque Chrysostomo (6) præpositio *a* est communis Patri, Filio, et Spiritui Sancto, cum pax ab eorum bonitate et potentia procedat, quæ sunt perfectiones essentiales toti Trinitati communes. D. quoque Augustinus acute animadvertit, quod *pax est una dictio ex tribus litteris constans, ad significandum Trinitatem et unitatem in Deo, a quo pax ipsa procedit.* Addit S. Antonius, Archiepiscopus Florentinus primam litteram, scilicet *p* significare patrem, quæ est prima Trinitatis persona, *a* quæ est secunda littera, denotare Filium qui tenet medium inter Patrem et Spiritum Sanctum; litteram vero *x* ex duabus lineis conjunctis formatam repræsentare Spiritum Sanctum qui a Patre Filioque procedit, estque illorum nexus. Attamen licet pax sit a tribus personis proprie et efficienter ; appropriate tamen loquendo pacem, 1. Pater cogitat; 2. Filius tractat ; 3. Spiritus Sanctus donat.

(1) 2. Cor. 13. — (2) D. August. in Psal. 84. — (3) Tert. L. de Præsc. Hær. 7. — (4) D. Bern. Serm. 23. in Cant. L. 1. — (5) Philipp. 1. — (6) Hom. 2.

Dei Filius *dictus est magni consilii Angelus : magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus seculo erat.* (1) Quinam autem fuerit magnus ille Patris cogitatus quem Dei Filius tanquam magni consilii Angelus, annuntiaturus erat super hominis restitutione, declarat ipsemet Pater, aiens apud Hieremiam : *Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis.* (2) Hæc autem cogitatio pacis nihil aliud est, quam æternum Dei beneplacitum liberale, et gratuitum Dei consilium et decretum, quo proposuit, statuit, decrevit Deus ab æterno ex mera sua bonitate, clementia, misericordia, hominem peccato perditum, absque ullo suo merito redimere per Christum. Quomodo intelligendum est istud : *Pax hominibus bonæ voluntatis.* (3) In Græco habetur, beneplaciti et benevolentiæ divinæ : ubi ly *bonæ voluntatis*, non est particula limitans ly *hominibus ;* ita ut sensus sit : Pax sit hominibus, non omnibus, sed iis tantum qui sunt bonæ voluntatis, uti passim explicant auctores : sed est particula causalis, dans causam cur nato Christo pax optanda et danda sit hominibus, quia scilicet Deus suam bonam voluntatem, benevolentiam, beneplacitum, reconciliationem, amicitiam, et ut fatur Paulus *propositum* (4), hominibus jam per Christum exhibere destinavit et decrevit : sic Theophylactus, Euthymius, et plures alii præfata Lucæ verba intelligunt.

D. Bernardus expendens istud Davidicum: « Ut inhabitet gloria in terra nostra, misericordia et veritas obviaverunt, justitia et pax osculatæ sunt, » sex acute meditatur (5): 1. Primo homini in suæ productionis exordio quatuor datas a Deo fuisse virtutes quibus tanquam vestimento salutis induebatur. « Acceperat ergo homo misericordiam, custodem scilicet atque pedissequam, ut ipsa præveniret, ipsa et sequeretur eum, ipsaque protegeret et conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit parvulo suo Deus, qualem dedit pedissequam homini recens nato. Sed erat illi necessarius etiam eruditor tanquam ingenuæ et rationali creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. Cui sane

(1) Tert. L. de Car. Chr. 14. — (2) Cap. 29. — (3) Luc. 2. — (4) Rom. 4. — (5) Serm. 2. de Annunt.

magisterio nemo poterat aptior inveniri, quam veritas ipsa, quæ eum in agnitione summæ perduceret aliquando veritatis. Interim vero ne sapiens inveniretur ut malum faceret, essetque peccatum ei tanquam scienti bonum, et minime facienti, justitiam quoque qua regeretur accepit. Adhuc autem et pacem, qua foveretur et delectaretur, addidit manus benignissima creatoris. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat? » 2. Hominem peccantem fuisse his quatuor virtutibus, quibus induebatur, exutum. « Sed heu! homo iste ad multam perniciem et insipientiam sibi, descendit de Hierusalem in Hiericho. Siquidem incidit in latrones, a quibus et ante omnia legitur despoliatus. » 3. Nudatum et despoliatum criminosum hominem non posse revestiri, nisi nudaretur Christus, suaque amitteret indumenta. « Nec vero poterat revestiri, vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua: sicut enim vivificari in anima nisi interveniente corporali morte Christi non potuit, ita nec revestiri sine ejus despoliatione. » 4. Ob casum et peccatum hominis, gravissimam fuisse ortam contentionem inter veritatem et justitiam ex una parte, et misericordiam et pacem ex altera parte. « Gravis quædam inter virtutes videtur orta contentio. Siquidem veritas et justitia miserum affligebant, pax et misericordia zeli hujus expertes, judicabant magis esse parcendum: sunt etenim collactaneæ hæ duæ sibi sicut priores. » 5. Justitiam et pacem, ad tribunal æterni Patris causam et litem detulisse, et coram illo unamquamque, jus suum multis propugnasse rationibus. « Unde et factum est ut perseverantibus illis in ultione, et prævaricatorem hinc inde cædentibus, et præsentes molestias futuri cumulantibus comminatione supplicii, illæ secederent in cor Patris, redeuntes ad Dominum qui illas dedit. Solus siquidem ipse cogitabat cogitationes pacis, cum afflictionis plena omnia viderentur. Siquidem non cessabat pax, non ei misericordia dabat silentium, sed pio quodam susurro paterna pulsantes viscera loquebantur: Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Nunquid obliviscetur misereri Deus? Et quamvis diu multumque visus sit dissimulare Pater miserationum, ut interim satisfaceret zelo justitiæ et veritatis: non tamen fuit infructuosa supplicantium importunitas, sed exaudita est in tempore opportuno. Forte enim interpellantibus tale dicitur dedisse responsum? Usquequo preces vestræ? Debitor sum et sororibus vestris, quas accinctas videtis ad faciendam vindictam in nationibus. Justitia et veritas vocentur et veniant, et super hoc verbo pariter conferamus. Sane ex deliberatione communi ascendit veritas ad constitutam diem, sed ascendit usque ad nubes, nedum plane lucida; sed subobscura, et obnubilata adhuc zelo indignationis. Medius autem Pater luminum residebat, et utraque pro parte sua utilius quod habebat, loquebatur. Summa controversiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione creatura rationalis, ait misericordia, quoniam misera facta est, et miserabilis valde. Venit tempus miserendi ejus, quia jam præteriit tempus. E contra veritas: Oportet inquit, impleri sermonem quem locutus es Domine: Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, qua die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo, ait misericordia, ut quid me genuisti Pater citius perituram? scit enim veritas ipsa, quoniam misericordia tua periit, et nulla est si non aliquando miserearis. Similiter autem econtrario et illa loquebatur; quis enim nesciat quod si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, periit, nec permanebit jam in æternum veritas tua Domine? » Ad terminandam hanc contentionem et litem, veritatem et pacem missas fuisse ad Filium Dei, cui datum est omne judicium, in cujus conspectu misericordia et veritas obviaverunt sibi, eadem verba querimoniæ repetentes: at Dei Filius illam terminavit litem, admirandum adinveniens conciliandi modum. « Porro judex inclinans se, digito scribebat in terra: erant autem verba Scripturæ, quæ pax ipsa legit in auribus omnium. Hæc dicit. Perii, si Adam non moriatur; illa dicit: Perii, nisi misericordiam consequatur: Fiat mors bona, et habet utraque quod petit. Obstupuere omnes in verbo sapientiæ, et forma compositionis pariter atque judicii. Siquidem manifestum fuit, nullam eis querimoniæ occasionem relinqui, si fieri posset quod utraque petebat, ut et moreretur, et misericordiam consequeretur. Sed id quomodo fiet? inquiunt. Mors crudelissima et amarissima est, mors terribilis et ipso horrenda auditu. Bona fieri quænam ratione poterit? At ille: Mors, inquit, peccatorum pessima, sed pretiosa fieri poterit mors sanctorum. An non pretiosa erit, si fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Pretiosa inquiunt; sed quomodo fiet istud? fieri ait, potest, si ex

charitate moriatur quis, utique qui nihilominus debeat mori. Neque enim detinere poterit mors innoxium, sed destruetur paries medius, solveturque chaos magnum, quod inter mortem vitamque firmatum est. Bonus visus est sermo, utpote fidelis, et omni acceptione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit, non ex debito, sed ex voluntate, non ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Circuit veritas orbem terræ, et nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Sed et misericordia cœlum omne perlustrat, et in Angelis quoque, ne dixerim pravitatem, minorem tamen invenit charitatem. Redeunt ad constitutam diem veritas et misericordia, anxiæ plurimum, non invento quod desiderabant. Tunc vero seorsum pax consolans eas : Vos, inquit, nescitis quicquam nec cogitatis. Non est qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Intellexit rex quid loqueretur, et ait: Pœnitet me fecisse hominem. Pœna, inquit, me tenet ; mihi incumbit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Tunc ergo dixit : Ecce venio. Non enim potest hic calix transire nisi bibam illum. Et accersito Gabriele: Vade, inquit, dic filiæ Sion, Ecce rex tuus venit. Festinavit ille, et ait : Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem. Porro venturum regem misericordia et veritas prævenerunt ; justitia thronum præparat. Pax cum rege venit. Inde est quod nato Domino Angelorum chorus canebat: Pax hominibus bonæ voluntatis ; sed et tunc justitia et pax osculatæ sunt, » humanato Dei filio ut justitiæ satisfaceret, et pacem inter Deum et hominem tractaret.

2. *Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa ; scilicet ad restituendum quod perierat : homo perierat, hominem restitui oportuerat* (1), unio enim hypostatica ad restaurandam aliquam naturam, in eadem natura debet fieri, idcirco Dei Filius humanatus est, ut inter Deum et hominem tractaret pacem. *Filius a Patre processit, et venit in mundum, ut qui prius erat cogitatio Patris in corde Patris, fieret et ipse pax in sinu matris : voluitque sibi ab Isaia Propheta, principis pacis gloriosum titulum acclamari.* (2) Ideo pax inter Deum et homines inita nuncupatur ab Apostolo *pax Christi* (3), quia hanc pacem Christus de cœlo in terram detulit : unde Angeli nato Christo, annuntiarunt pacem hominibus, quam sanxit et præcepit ipsemet Dominus, dicens discipulis : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (1); voluitque ut Christianismus et Evangelium esset lex, schola et professio pacis.

(1) Tert. L. de Carn. Chr. 14. — (2) D. Bern. Serm. de S. Benedicto. — (3) Coloss. 3.

At cur Dei filius Angelicam non assumpsit naturam, et *medio pacis* (2), rebelles angelos non reconciliavit cum Deo? Quando enim in aliquo regno a rege desciscunt principes et populi, rex prius paciscitur cum principibus quam cum populis. Homines et Angeli inierunt bellum adversus Deum, et tamen nunquam rebelles Angelos in gratiam recepit : homines vero scelerosos ad reconciliationem admittit : *Gestaret Christus nihil tale de causa.* (3) Varias autem Patres afferunt rationes quibus demonstrare nituntur conveniens fuisse ut Dei Filius humanam, non Angelicam, repararet et Deo reconciliaret naturam, e quibus unam duntaxat selegi a Tertulliano et D. Augustino mutuatam. Quia scilicet Angelus *a Deo in bonum conditus : postea vero a semetipso translatus in malum, læsit hominem ejectum a Dei obsequio : et ex illo deliquit ex quo delictum seminavit : atque ita exinde negotiationis, id est, malitiæ suæ multitudinem exercuit, delictorum scilicet.* (4) Peccavit Angelus, peccavit homo; Angelus propria malitia, homo diaboli astutia et nequitia : Angelus absque ullo mediatore criminis qui illum ad peccatum induceret ; homo negotiatione mediatoris iniqui qui illum decepit, et ad peccandum induxit. Quapropter conspiciens Deus Angelum *ab institutionis forma, libidine propria conceptæ ultro malitiæ exorbitasse* (5), non dedit illi mediatorem reconciliationis; quia vero homo habuerat mediatorem dissensionis a Deo, æternus Pater, misericordia motus super eum, Filium suum misit in mundum, mediatorem pacis, et, ut fatur Tert. *Dei et hominum sequestrem.* (6) Tertulliano arridens D. Augustinus sic ad propositum philosophatur : 1. Dei Filium inter Patrem et Spiritum Sanctum, non esse illorum mediatorem. *Mediator inter Deum et Deum esse non posset, quia unus est Deus; mediator autem unius non est, quia inter aliquos medius est.* (7) Tres autem Trinitatis personæ sunt unus Deus. 2. Angelos fideles, non indiguisse mediatore reconciliationis, cum nunquam a Deo descierint : *Angeli porro, qui non lapsi sunt a conspectu Dei, mediatore opus non habent, per quem reconcilientur.* 3. Angelos rebelles qui absque mediatore divisionis, separati sunt a Deo,

(1) Joan. 14. — (2) Tert. L. 1. ad Nat. 18. — (3) Tert. de Carn. Chr. 14. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. L. adv. Prax. 27. — (7) Expos. in cap. 3. Ep. ad Galat.

nullum habere reconciliationis mediatorem. *Angeli qui nullo suadente, spontanea prævaricatione sic lapsi sunt, per mediatorem non reconciliantur.* 4. Hominem qui per mediatorem criminis diabolum deliquit, per mediatorem Christum veniam accepisse. *Restat ergo ut qui mediatore superbo diabolo, superbia persuadente, dejectus est, mediatore humili Christo, humilitate persuadente, erigatur : nam si Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec se exinaniret, formam servi accipiens, non esset mediator Dei et hominum; quia ipsa Trinitas unus Deus est, eadem in tribus Patre, Filio, et Spiritu Sancto divinitatis æternitate et æqualitate constante.* 5. Hominem rectum quandiu in innocentia permansit, non indiguisse mediatore, sed tantum postquam justitiam originalem amisit, et a diabolo superatus fuit. *Cum factus est Adam homo scilicet rectus, mediatore non opus erat. Cum vero genus humanum longe peccata separaverunt a Deo, per mediatorem qui solus sine peccato est, vixit et occisus est : reconciliari nos oportebat Deo, ut et humana superbia per humilitatem Dei argueretur et sanaretur : et per eamdem naturam quam se decepisse lætabatur diabolus, vinceretur.* (1) 6. Christum esse Deum et hominem. Est *homo etsi Deus: Adam novissimus, etsi sermo primarius.* (2) Non esse autem mediatorem præcise qua Deum, nec etiam præcise qua hominem, sed qua Deum simul et hominem : *Inde est mediator Dei et hominum, quia Deus cum Patre ; quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter Deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator. Divinitas sine humanitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam, et humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas, et divina humanitas Christi.* (3) Mediator medius inter duas partes inter se dissidentes, neutrius causam in alterius damnum sumere debet, sed æqualiter erga alterutram se habere, et ob hanc causam antiquitus mediatores duobus erant induti coloribus, et in suis indumentis utriusque partis habitus referebant, ad innuendum se uni parti potius quam alteri non esse addictos. *Mediator inter Deum et homines mortales, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus : ne si in utroque hominibus similis, longe esset a Deo ; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset.* (4) Quare Dei Filius, ut mediatoris officium exsequi posset, inter æternum Patrem et hominem humanatus est, et remanens non solum similis, sed idem Deus cum Patre, et assumens non solum similitudinem hominis, sed ipsam humanitatem ad unionem hypostaticam : reconciliatio facta est *per fidelissimum sequestrem Dei et hominum, Jesum Christum, qui utrumque jam in semetipso fœderavit* (1) : et in quantum Deus æterni Patris zelatus est justitiam, et in quantum homo, humanam sustinuit causam, inveniens modum quo et æterno Patri satisfaceret, et hominis miseriæ subveniret. *Quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur. Ab æterna justitia temporalis iniquitas nos alienabat; opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas temporalis esset de imis mixta et summis, atque ita se nec abrumpens a summis, et contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei et hominum dictus est inter Deum immortalem, et hominem mortalem ; Deus et homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat.* (2) Si Christus fuisset duntaxat Deus et non homo, non potuisset satisfacere justitiæ Patris, nec ei nos reconciliare : si fuisset homo tantum et non Deus, non perfecte adhuc satisfecisset justitiæ Patris ; sed quia simul est Deus et homo, ex rigore satisfecit offensæ Deo ab homine peccatore factæ : effectus est verus mediator, fallacemque diaboli destruxit mediationem. *Fallax ille mediator unum cum hominibus habet, id est peccatum, aliud videri vult habere cum Deo : ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostentet : sed quia stipendium peccati mors, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnentur in mortem. Verax autem Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, inter mortales peccatores et immortalem justum apparuit : mortalis cum hominibus ; justus cum Deo : ut quoniam stipendium justitiæ vita et pax est, per justitiam conjunctam cum Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem* (3), et per mortem quam ultro suscepit, nobis comparavit pacem. Itaque *per mediatorem reconciliamur Deo, et accipimus Spiritum Sanctum* (4), qui comparatam a Christo mediatore pacem nobis donat.

3. *Quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim, mundi, pa-*

(1) L. 1. de Consens. Evang. — (2) Tert. L. de Res. 51. — (3) D. Aug. L. de Ovid. c. 12. — (4) D. August. L. 10. Confes. 42.

(1) Tert. L. de Res. Carn. 63. — (2) D. August. L. de Consens. Evang. cap. 35 — (3) D. August. L. 7. Conf. 42. — (4) D. August. Enchir. 33.

cem cœlestis iræ, præco columba terris annuntiavit, dimissa ex arca, et cum olea reversa : quod signum etiam apud nationes paci prætenditur; eadem dispositione spiritalis effectus, terræ, id est carni nostræ, emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens, emissa de cœlis. (1) Columba est figura Spiritus Sancti, oliva est hieroglyphicum pacis. Divinam illam columbam Pater et Filius mittunt de cœlis super terram, ut justificatis largiatur pacem, quam Apostolus inter fructus Spiritus Sancti dinumerat : *Fructus autem Spiritus Sancti, est charitas, gaudium, pax.*(2) Et D. Bernardus postquam accommodavit Patri fontem, quia est scaturigo divinorum processionum. Filio lucem, quia procedit a Patre, ut lumen de lumine, Spiritui Sancto *pacem assignat qui nimirum super humilem et quietum requiescit.*(3) Plus audet D. Cyrillus Alexandrinus existimans, quod dum Christus discipulis suis dixit: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, » per pacem quam dat Dominus denotatur Spiritus Sanctus : » Nunc vero pacem non simpliciter, neque quamlibet, sed meam do vobis. Id autem nihil aliud est quam Spiritum eis dare, et per eum in eis habitare : Pax enim Christi Spiritus ejus est. » (4) Et ob hanc causam, baptizato Domino, Spiritus Sanctus apparet in specie columbæ potius quam aquilæ, vel alterius volucris : quia columba caret felle, estque verum symbolum pacis : *Columbæ figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus Sancti declararetur per animal simplicitatis et innocentiæ; quod etiam corporaliter ipso felle careat columba.* (5) Hinc rationem a Tertulliano mutuatus Paschasius, de apparitione Spiritus Sancti, in columbæ specie sic fatur : « Apparuit in columba Spiritus, quia columba fel non habet, patenter insinuat quod in felle amaritudinis esse non debet, quisquis ad hanc gratiam venire optat, siquidem columba tantæ benignitatis a natura fertur, ut omnium avium pullos, quasi proprios dicatur suscipere, atque suis laboribus enutrire. (6) » Deponat igitur fel amaritudinis qui pacem Christi, id est Spiritum Sanctum inhabitantem habere desiderat, « Spiritus enim humanus sicut nunquam vivificabit membra nisi fuerint unita, sic Spiritus Sanctus nunquam nos vivificat, nisi in pace uniti fuerimus. » (7)

Elias profugus, Jezabelis declinans iras, in vasto speleo latitat, sed vindictæ uritur zelo. Cui dixit Dominus : Egredere et sta in monte coram Domino : et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio. Non in commotione Dominus; et post commotionem ignis. Non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenuis.(1) Hoc modo Prophetam docere voluit Deus, Spiritum Sanctum non immorari in animabus discordia et vindicta exagitatis, sed in cordibus tranquillis et pacatis: patientia namque *sedet in throno Spiritus ejus mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias : nam ubi Deus, ibidem et alumna ejus, patientia scilicet.* (2) Itaque in sibilo auræ tenuis adest Spiritus Sanctus, qui est in semetipso tranquillus et pacatus, et tranquillat eos in quibus inhabitat. Nam, ut belle ad propositum ait D. Bernardus, *quietum aspicere quietum est.* (3) Quietum aspexit Elias, et quievit : et nos attendentes ad quietum et pacatum Spiritum Sanctum, ab ira et ultione quiescamus, et in pace et tranquillitate vivamus. Nam, ut profunde ait Tertullianus : *Deus præcepit Spiritum Sanctum utpote pro naturæ suæ bono tenerum et delicatum, tranquillitate, et lenitate, et quiete, et pace, tractare : non furore, non ira, non dolore inquietare.* (4) Si Christianorum discordia quodammodo inquietat Spiritum Sanctum, quot sunt hac ætate qui illum inquietant? Tot scilicet quot inimicitias fovent, rixas concitant, ultiones spirant. Pax præambula est Spiritus Sancti, qui solas mentes inhabitat; in quibus pax et charitas regnat. Quod sapienter innuit Salomon, ostiola templi conficiens de ligno olivarum, quia oliva est symbolum pacis, neque columba cœlestis advolat, et requiescit, nisi super pacificos. (5) Quantum Spiritus Sanctus amet pacatos, discordesque aversetur, constat ex Belgicis Annalibus. (6) Belgæ a Comite suo defecerunt, et adversus illum instruxerunt aciem : Comes perduelles retundere non valens, implorat auxilium Caroli sexti Galliarum regis : Adest Gallus copioso agmine stipatus, infidos homines ad sanam mentem reducturus : Belgæ explicant exercitum suum, occurruntque Regi ancipitem belli exitum tentaturi : coram adstantitibus castris, columba nive candidior desuper volitans, æmulos lustrat exercitus, veluti

(1) Tert. L. de Bapt. 8. — (2) Galat. 5. — (3) Serm. 4. in Virg. Nat. Dom. — (4) Lib. 10. in Joan. 9. — (5) Tert. L. de Bapt. 8. — (6) Lib. 2. Sup. Matth. — (7) D. August. Serm. 2. ad Frat.

(1) Lib. 3. Reg. 19. — (2) Tert. Lib. de Pat. 15. — (3) Serm. 23. — (4) Tert. Lib. de Spect. 15. — (5) Lib. 3. Reg. 6. — (6) Ann. 1.

dubia quibusnam labaris insideret. Tandem a rebellium castris recedens, divertit ad Francum, qui animo pacifico componere venerat subditos perduelles cum suo principe. Conspicientes autem Galli columbam regio incubantem vexillo, fausto omine, prospero Marte, Belgas aggressi, eorum pertinaciam multo sanguine diluerunt. Hanc columbam plerique arbitrati esse Spiritum Sanctum, pie collegerunt Deum amoris et pacis detestari rixantes et jurgia concitantes; diligere vero concordes et pacatos, custodientes tranquillitatem et pacem, quam Deus suo acquisivit sanguine.

II. PARS. *Christum columba demonstrare solita est, serpens vero tentare : illa et a primordio divinæ pacis præco : iste a primordio divinæ imaginis prædo.* (1) Alludit Tertullianus tum ad lapsum Adami, qui astutia et malitia serpentis corruit : tum ad liberationem generis humani tempore diluvii media arca factam. Diabolus dissidium et bellum concitarat inter hominem et Deum, inter hominem et Angelum, inter hominem et hominem ; sed Dei Filius venit in mundum dissolvere opera diaboli, suum fudit in cruce sanguinem, ut hominem reconciliaret cum Deo, cum Angelo, et cum proximo. Ut enim ait D. Bernardus, de Dei Filio loquens : *Cogitabat cogitationes pacis et ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ? At clavus reserans, clavus penetrans, factus est mihi ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen ? Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi.* (2) Et quemadmodum post aquæ diluvium columba fuit a primordio divinæ pacis præco, rediens ad Noe, qui eam dimiserat ex arca, *portans ramum olivæ, virentibus foliis in ore suo* (3) ; ita Christus Dominus, post diluvium non aquæ sed sanguinis, quem copiosissime effudit in cruce, venit ad discipulos, *ostendit manus et pedes, et dixit eis : Pax vobis.* (4) Quasi dicat ; videte vulnera, de quibus fluxit sanguis, qui hominem 1. Cum Deo conciliat ; 2. Cum Angelo confœderat ; 3. Cum homine concordat.

1. *Justitia in Domino inventa est arbitratrix operum ejus* (5), cunctas creaturas in suo ordine, situ et loco juxta cujusvis naturam et gradum disponens, et fides Christum, *ut auctorem et arbitrum norit.* (6) Si autem quæramus a D. Augustino : *Arbiter quis est ?* (1) Respondebit : *Medius ad componendam causam.* Ut quis perfecte arbitri fungatur officio, tria requiruntur : 1. Ut auctoritate et potentia polleat : 2. Ut eruditione et sapientia splendeat ; 3. Ut æquitate et justitia sit præditus. Auctoritas et potentia illi necessaria est ad ferendam sententiam; eruditio et sapientia, ad inveniendum modum componendi litem ; æquitas et justitia, ad servandum jus cujusvis partis. Auctoritatem et potentiam habet a partibus litigantibus, quæ per compromissum illum eligunt in judicem : « Sequester est qui certantibus medius intervenit, apud quem pignora deponi solent. » (2) Sapientiam et intelligentiam vel a Deo mutuatus est, vel studio et propria industria comparavit : justitiam et æquitatem in jamdiu datis judiciis demonstravit : Dei Filius tribus illis perfectionibus est commendatus. *Hic sequester Dei atque hominum appellatus est, ex utriusque partis deposito* (3) ; ut homines adversus Deum bellantes revocaret ad pacem, et Deum ab hominibus offensum, ad unionem et pacem induceret : constat itaque *gratiam et pacem ejus esse qui fuerit offensus : nec gratia enim esset, nisi offensæ ; nec pax nisi belli. Omne autem hominum genus per disciplinæ transgressionem, et naturæ dissimulationem, et deliquerat, et rebellaverat adversus Creatorem.* (4)

Insignis profecto Dei amor qui ad prælium ab ingrato et inobsequenti homine provocatus, perduellem tamen subditum de pace requirit, et ad concordiam provocat ! *Inter nos et Deum peccando discordiam fecimus, et tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, ut nos ipsi, qui peccavimus, ad Dei gratiam rogati veniamus.* (5) Ad hoc Noe misit qui fabricavit arcam, ut in ea, *a cataclismo orbis devoratore* (6), humanum servaret genus; ad hoc misit Moysem, cui tot patrandi miracula dedit potestatem, ut Israëlitas educeret de Ægypto ; ad hoc tot misit Patriarchas et Prophetas, tanquam legatos suos, ut pacis ineundæ cum hominibus præludia velut proponerent ; ad hoc tandem *Verbum misit Deus, annuntians pacem per Jesum Christum* (7), ut eam tanquam mediator et arbiter perfectus tractaret et consummaret : quod exsequutus est sapienter, adinveniens stupendum conciliandi partes modum. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus, *ad hoc homo factus est, ut Deus homo*

(1) Tert. L. adv. Valent. 2. — (2) Serm. 61. in Cant. — (3) Gen. 8. — (4) Luc. 24. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (6) Tert. Lib. de Car. Chr. 12.

(1) Serm. 4. in Psal. 103. — (2) S. Isid. L. 20. Ethim. — (3) Tert. L. de Res. Carn. 51. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (5) D. Greg. in 1. Cor. 55. — (6) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 3. — (7) Act. 10.

mediator esset inter homines et Deum, et reconciliaret longe positos, et conjungeret separatos, et revocaret alienos, et reduceret peregrinos.(1) Ad satisfaciendum Deo offenso, necessaria erat satisfactio infinita, quia debebat esse proportio inter satisfactionem et offensam : purus homo offenderat quidem, ob infinitam Dei offensi majestatem : at infinite satisfacere non poterat, ob naturæ et personæ finitatem : et ob hanc causam unigenitus Dei Filius humanatus est ; ut perfecte æterno satisfaceret Patri, elevans actiones et passiones humanitatis assumptæ et divinæ Verbi personæ unitæ, ad meritum et valorem infinitum, et ratione unionis hypostaticæ, destruxit peccatum, quod hominem a Deo dividebat. *Unigeniti hoc præcipue opus fuit, distantia copulare, conciliare pugnantia.* (2) Inter Deum et hominem erat velut distantia infinita: at duo extrema hujusmodi tantopere distantia in sua persona univit Dei Filius, ut hominem Deo conciliaret, et inter illos pacem iniret velut arbiter et mediator. *Non quia Deus æqualis Patri, sed quia homo : si æqualis Patri non mediator. Ut autem sit mediator, descendat a superiore ad inferiorem; ab æqualitate Patris, formam servi accipiat ; fundat sanguinem suum ; deleat chirographum nostrum ; componat pacem inter nos et Deum, nostram voluntatem erigens ad justitiam, illius flectens sententiam ad misericordiam.* (3) Mire elucet arbitri et mediatoris Christi sapientia, in modo quem adinvenit uniendi infinite dissitos, sed ejus justitia multum splendet, servando suum jus utrique parti. Deus hominis punitionem expostulat, homo divinitatem ambit et desiderat ; mediator noster hominem pœna mulctat, in semetipso sustinens pœnam peccato hominis debitam, et hominem ad divinitatem per unionem hypostaticam sublevat : *Quia unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : per communionem sui generis ad pacem pervenit deitatis.* (4)

Quantum ab aliis arbitris et mediatoribus distat Christus Dominus ! Cæteri arbitri et mediatores, in componendis litibus, tantum abest ut aliquod patiantur damnum, quia imo sæpe sæpius lucrum et emolumentum reportant : at Christus Dominus ut hominem Deo reconciliet, nullum reportat lucrum, sed post multos exantlatos labores, suum fundit abunde sanguinem. *Unigenitus Dei Filius, Deus Verbum, redemptio nostra, pax nostra, in cujus sanguine reconciliati Deo sumus.*(1) Antiquitus sigillabatur pax sanguine hostiæ in sacrificio immolatæ; Christus est victima pacis, quæ sanguine immaculati illius Agni signatur. Reatum pœnæ æternæ in Adamo contraximus, et hanc obligationem propriis sceleribus auximus, et subsignavimus. *Unusquisque etenim nostrum, in his quæ delinquit, efficitur debitor, et peccati sui litteras scribit.* (2) Primum quidem debitum in protoparente Adamo contraximus, cui cum solvendo non essemus, in immensum auctum est fœnus, et per quotidiana peccata velut infinite incrementatum. *Venit Christus et invenit nostrum paternum chirographum, quod conscripsit Adam : ille initium contraxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis* (3) : infinitum enim debitum sive per originale delictum, sive per propria scelera contraximus, et diabolo chirographum nostrum tradidimus. Nullus autem valens tantum solvere debitum, omnes homines peccato originali erant obnoxii, personalibus sceleribus contaminati, et perpetuis carceribus mancipandi, nisi Christus Dominus mediator vitæ, suo sanguine mundasset maculas peccati quas per mediatorem mortis contraxeramus. *Hæc est vera pax et cum Creatore nostro nobis firma connexio, purgatis et reconciliatis per mediatorem vitæ, sicut maculati et alienati ab eo recesseramus per mediatorem mortis.* (4)

Syngraphæ, soluto debito, ad nihil amplius valentes, lacerantur aut pertunduntur, et stylo uncoque affiguntur. Quapropter Adrianus imperator, ad colligendam populi benevolentiam, viginti septem milliones aureorum, qui fisco debebantur, privatis remisit debitoribus, eorumque syngraphas in foro Trajani disrupit.(5) Quanto majus est debitum quo homines Deo erant debitores, tanto major est Christi liberalitas et benignitas, *delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci* (6) : tum tantum debitum pro nobis solvens : tum syngrapham nostram diabolo erigens. *Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, et suo cruore delevit.* (7) Tum peccatorum nostrorum maculas suo sanguine mundans. *Ascendit illud patibulum Dominus noster Jesus Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, et totius orbis peccatum suo sanguine mundavit.* (8)

(1) S. Aug. in Psal. 100. — (2) D. Chrysost. Hom. 11. in Matth. — (3) D. Aug Serm. 4. in Psal. 105. — (4) S. Leo Serm. 12. de Pass.

(1) D. Hilar. Enarr. in Ps. 129. — (2) Orig. Hom. 13. in Gen. — (3) D. Chrysost. Hom. 7. — (4) D. August. 4. de Trinit. 10. — (5) Spartian. in Adrian. — (6) Coloss. 2. — (7) Chrysost. — (8) D. Ambr. in Psal. 118.

Tum quia in cruce debita nostra solvit, pro nobis pœnam peccati subiit, et syngraphas quibus eramus justitiæ divinæ obnoxii, dilaceravit. *Quantum potuerit studium, ut deleretur chirographum : utpote eramus omnes obnoxii peccato et pœnæ : ipse penitus solvit, et peccatum, et pœnam : punitus autem fuit in cruce : illic ergo ipsum affixit tanquam qui haberet potestatem, ipsum disrupit.* (1) D. Bernardus præfata pulchre declarat, quomodo homo peccator solvendo non erat debitum; quomodo Christus Dominus Deo pro peccato satisfecerit; quomodo innocuus pro sceleroso pœnam sustinuerit, et quomodo per suum sanguinem hominem Deo reconciliaverit (2) : « Quis noster Salomon nisi Jesus Christus? Ipse est pax nostra, ipse qui fecit utraque unum ; ipse pacificans sanguine suo, non modo quæ in terris, sed quæ in cœlis sunt : disciplina pacis nostræ super eum. Disciplinam debitæ nobis pœnæ sustinuit, ut nobis justitiæ pacem refunderet. Ipse punitus, tu repropitiatus, et tu punitus; sed pœna tua tibi parturire non potuit. Hostia immunda mundare non poterat non modo alios, sed ne seipsam quidem. Disciplina ergo super nos, sed non erat illa nobis ad pacem disciplina. Erat in nos mortalitatis et afflictionis lata sententia, sed non erat injustitia revocata. Tu quidem judiciaria sententia ligatus, sed tuus non eras solutus reatus; et pœna erat, et pax non erat. O miseria et gravis disciplina super filios Adam ! conteris, et non protegis; punis, et non purgas ; consumis, sed carnis substantiam, non culpam. Quid tibi et paci? Quando pacem conferes, cui est cum peccato commercium? Quando conferes gratiam, quæ non aufers culpam? Disciplina pacis nostræ super eum qui nobis attulit fructus justitiæ. Dictus est ille solus Salomon noster verus pacificus, quod in diebus ejus orta sit nobis justitia et abundantia pacis. Abundans vero pax quæ non modo præterita sufficerit repropitiare delicta, sed omne etiam abundet in seculum. Abundat enim donec auferatur luna, donec auferatur labor mutabilitatis nostræ, labor mortalitatis nostræ, alterantium labor defectuum. Vere abundans pax, quæ non est data ad mensuranda debita. Non enim meritum invenit, sed contulit. Quomodo non abundaret pax, quæ et remisit offensam, et priorem cumulavit gratiam? Erat homini primo in paradiso pax, ut non posset invitus abduci, sed non erat virtus per quam vellet reduci. Erat gratia ut posset non exire, sed non erat ut posset cum vellet redire. Modo pax uberior in gratia Christi, quæ post iteratos excessus ultro offertur, et pœnitentes non repudiat. Bene pax abundans quæ nulla potest exhauriri injuria, paratior ad veniam quam ad vindictam. Pax hæc a remissione peccatorum incipiens, usque ad divinæ participium abundavit naturæ. Vides quanta repropitiationis abundantia, ut non jam pax cum Deo, sed magis unitas dici possit. »

(1) D. Chrysost. — (2) Serm. 16. Cant.

Et quasi parum sit unisse Deum et hominem in persona Verbi, post factam hypostaticam unionem, quo firmior esset pax inter Deum et hominem, Christus sanguinem suum fudit et initum reconciliationis pactum in cruce confirmavit : 1. Manu, extendens eam ad crucem ; 2. Osculo, nam inclinato capite, quasi in osculum pacis tradidit spiritum ; 3. Sanguinis sacramento, proprio cruore factam reconciliationem subsignans. Hujusmodi fœdus præfiguratum mihi videtur arcu fœderis, qui apparet in cœlo, et quem dedit Deus Noe post universale diluvium in signum fœderis inter ipsum et terram, quod amplius non esset missurus diluvium : toties enim Deus illud fœderis signum nominat, ut vix ab ejus commendatione cesset. « Apparebit arcus meus in nubibus, ponam arcum meum in nubibus, erit arcus meus in nubibus ; erit signum fœderis mei, erit signum fœderis sempiterni. » (1) Arcus ille fœderis iris nuncupatur, et est duntaxat simplex illusio visus, non veros, sed apparentes solummodo demonstrans colores : idcirco non est tanti momenti, ut mereatur toties nominari ab Spiritu Sancto, et tam variis modis commendari : verum signum tantopere commendat Deus, ut ad rem significatam erigamus mentis oculos, ut alium consideremus fœderis arcum per iridem præfiguratum ; scilicet ut contemplemur Christum crucifixum brachia ad modum arcus habentem extensa : cujus sacra humanitas, radiis divinæ justitiæ percussa, effudit pluviam sanguinis, quæ Dei iracundiam mitigavit, hominem cum Deo conciliavit, et etiam cum Angelo confœderavit.

2. Marcion ut Christo veram et natam denegaret carnem, adducit exemplum Angelorum, qui velut homines apparuerunt, non in vera et nata carne, sed in phantastica duntaxat et apparente. Verum, ut bene animadvertit Tertullianus, hujusmodi exemplum non est ad propositum, quia non ob eumdem finem Angeli et Christus proces-

(1) Genes. 9.

serunt in carnem. *Igitur qui carnem Christi ad exemplum proponunt Angelorum, non natam dicentes, licet carnem, comparent velim, et causas tam Christi quam Angelorum, ob quas in carnem processerint. Nullus unquam Angelus ideo descendit, ut crucifigeretur, ut mortem experiretur* (1), ut sua morte homines cum Deo reconciliaret, et cum Angelis confœderaret. *Si nunquam ejusmodi fuit causa Angelorum corporandorum, habes causam cur non nascendo acceperint carnem. Non venerant mori, ideo nec nasci.* Christus autem longe diversa ratione processit in carnem, scilicet ut vere moreretur, non potuit autem mori nisi veram et natam habuerit carnem. *At vero Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit, ut mori possit*, et sua morte reconciliare homines cum Deo, confœderare cum Angelis, et, ut fatur Apostolus de Deo loquens, *ut notum faceret sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt.* (2) Scilicet cum dispensata, expensa, evoluta, completa fuerint tempora, quæ ex Dei ordinatione præcurrere debebant humanationem Verbi, proposuit Deus, peracta incarnatione, omnes homines et Angelos ad invicem disjunctos et inimicos unire, et ad unum caput Christum revocare et conjungere. Et ob hanc causam Angeli qui ante Verbi incarnationem exhibitam ab hominibus acceptabant venerationem, post incarnationem eam recusant, et homines, non ut extraneos, sed ut domesticos et fratres considerant. *Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei.* (3) Quasi dicat Apostolus: Christus nos ad societatem revocavit Angelorum, ut simus eorum fratres, et cives cœlestes in eadem domo, id est, in eadem Ecclesia, sub uno et eodem duce et capite, quod est ipsemet Christus. *In Christo instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur.* (4) Itaque Christus instaurat ea quæ in cœlis sunt, cum sedes gloriæ dæmonum lapsu vacuas, et numerum Angelorum illo lapsu imminutum, per homines restaurat et implet; cum *illuc humiliati homines redeunt, unde apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt.* (1) Dissociata et divisa erat per Adæ peccatum hominum et Angelorum societas, a qua collapsi erant homines, in jugum et societatem dæmonum; at Dei Filius humanam carnem assumens, homines a jugo dæmonum liberavit, Angelis associavit, sicque homines et Angelos ad unam domum, scilicet Ecclesiam, et ad unum corpus revocavit, ut quemadmodum ante Adami lapsum, etiam nunc sit una ex utrisque integra et perfecta domus, Christo tanquam capiti, et lapidi angulari devincta, adstricta et unita. Hujusmodi autem unionem et societatem, media cruce factam existimat D. Athan. *Crux Domini Angelos hominibus consociavit, et interpres conciliatrixque eorum amicitiæ fuit.* (2) Sanguis quem in cruce fudit Salvator, Angelos et homines consociavit et confœderavit. *Pacificans per sanguinem crucis sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* (3); scilicet homines qui degunt in terra, et Angelos qui habitant in cœlo: quos tunc associatos vult D. Anselmus, quando de percusso latere Christi exivit sanguis et aqua. *Qua hora sanguis redemptionis exivit de latere Domini in cruce pendentis; tunc patuit hominibus introitus in regno cœlorum.* (4) Licet enim regnum cœlorum non sint ingressi homines ante Christi ascensum, attamen quando exivit sanguis de latere Domini, tunc illis apertum est cœlum. Tunc declarati sunt hæredes regni cœlestis, tunc admissi sunt ad Angelorum consortium, quia in illa hora *pacificata sunt cœlestia et terrestria.* Quandiu prævaluit bellum, tandiu occlusum fuit cœlum: tunc vero patuit hominibus regnum cœlorum, cum *pacificata sunt cœlestia et terrestria*, cum Christus suo sanguine homines et Angelos consociavit et homines pacificavit.

3. Per Adæ peccatum *soluta compago est* (5) qua homines erant adinvicem uniti et compaginati: *At nunc tranquillitas pacis et ingenia mitiora, et mentes hominum etiam in extraneos* (6): at unde orta est illa tranquillitas pacis, a Christo Domino qui nascens *pannis involvitur, ut scissam humani corporis unitatem, suo redimeret in corpore.* (7) Vix nascitur Verbum infans, Deus homo, cum arcte fasciis stringitur, ut scissam humanæ naturæ unitatem præmature suo redimeret in corpore. Sic sollicite Christus festinat scissam inter homines reparare concordiam, discordiam redimere; ut scissurarum redemp-

(1) Tert. Lib. de Carn. Chr. 6. — (2) Ephes. 1. — (3) Ephes. 2. — (4) D. August. in Enchir. cap. 62.

(1) D. Greg. L. 36. Moral. 35. — (2) De Passione et Cruce. — (3) Coloss. 1. — (4) Anselm. — (5) Tert. L. adv. Hermog. 26. — (6) Tert. L. 1. ad Nat. 18. — (7) Theophylus Antioch. L. 1. Allegor. in Evang.

tio, peccatorum redemptionem quodammodo præcurrat. In nativitate sua Christus homines ad pacem revocare molitus est, quos per suam mortem congregaturus erat in unum, ut dilectus asseverat Discipulus : *Jesus moriturus erat, ut filios Dei, qui dispersi fuerant, congregaret in unum.* (1) Hanc hominum unitatem sibi proposuit Salvator dum mortem subiit, et in cruce sanguinem fudit. *Occisus propositus Christus est, et cur occisus est, videamus : ut cœlestia pacificet, ut in terra reconciliet universa.* Reconciliationem et pacem inter homines velut finem passionis Christi considerat D. Chrysostomus : quapropter Apostolus Christum pacem nostram vocitat : *Ipse est pax nostra* (2) ; non quidem formaliter, sed causaliter, quia scilicet inter nos facit pacem. *Qui fecit utraque unum*, id est, utrumque populum, Judaicum et Gentilem, conciliavit et in sua Ecclesia univit. *Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua.* Medius paries divellens Judæos a Gentibus, erant mutuæ inimicitiæ, mutuus contemptus, et odium quo Judæi gentes omnes quasi idololatras et præputiatos contemnebant et aversabantur. Gentes pariter Judæos, quasi a communi gentium lege, ritu et vita abhorrentes oderant. Hæc odia, has inimicitias dissolvit Christus in carne sua, moriens pro utrisque, et utrisque afflans communem charitatis legem et spiritum, tollensque occasionem inimicitiarum, ambos in eadem disciplina et religione confœderans. *Itaque ipse est pax nostra, qui fecit duo unum : judaicum scilicet populum, et gentilem : quod prope et quod longe, soluto medio pariete inimicitiæ, in carne sua.* (3) Judæi et Gentiles erant longe positi; tum ob religionis diversitatem, tum ob dissidium et animadversionem. *Memores vos aliquando in carne fuisse, appellabimini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, quod essetis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israëlis, et peregrini testamentorum et promissionis eorum, spem non habentes, et sine Deo in mundo. Sine quo autem Deo fuerunt nationes, et sine quo Christo? Utique eo cujus erat conversatio Israëlis, et testamenta, et promissio. At nunc in Christo vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine ejus.* (4) Etenim Christus suum fudit sanguinem « ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem: et reconciliet ambos in uno corpore, » (5) scilicet Ecclesiæ, *Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* (1) Judæorum et Gentilium pacem et concordiam Christi sanguine factam, denotatam vult D. Ambrosius per reconciliationem Herodis et Pilati : *In typo Herodis atque Pilati, qui amici ex inimicis per Jesum Christum facti sunt, plebis Israël, et populi gentium figura servatur, quod per Domini passionem utriusque futura sit concordia.* (2) Si Ethnicos et Judæos Christi sanguis confœderavit ; si Herodes et Pilatus in Christi passione ex inimicis amici facti sunt ; quanto magis Christiani debent inimicitias et odia deponere et adinvicem reconciliari? Barnagasias, dux exercitus regis Abyssinorum, iniens pacem cum prorege regis Portugalliæ, flexis genibus, cruceque in manibus assumpta, sic locutus est : « Quam, inquit, pacem Christus generis humani Redemptor discipulis reliquit, eamdem inter nos esse oportet, qui ejusdem profitemur cultum et fidem. » (3) Neque minus admiranda Ludovici duodecimi pietas, qui sub Carolo octavo multa perpessus, ad thronum regium sublimatus, cum eum ex aulicis nonnemo ad ultionem stimularet, generose respondit Francorum regem nequaquam ulcisci debere injurias duci Aurelianensi factas. Et cum parasitus ille importune ejus auribus insusurraret vindictam, petiit hostium scripta sibi deferri nomina, quæ ipse propria manu cruce signavit, quod audientes Ludovici persecutores, se hac nota morti damnatos consectantes, ut saluti suæ consulerent accersitis equis fugam extra regnum meditati sunt. Quod ubi subintellexit benignus rex, sistere omnes præcepit, et bono animo esse hortatus est; asseverans crucem qua eorum nomina notata fuerant non esse signum ultionis et inimicitiæ, sed potius arrham remissionis et benevolentiæ. Crux enim qua Christus homines adinvicem reconciliarat nequaquam debebat esse vindictæ nota, sed potius pacis et concordiæ indicium. (4)

Mandat Deus Moysi : *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, et quiescant querelæ eorum a me.* (5) At cur servatur in tabernaculo arca, et non thuribulum? Ut cessarent Israëlitarum querelæ, controversiæ et contentiones, et ejus aspectu confunderentur et redarguerentur contentiosi, discordes et inimicantes. Scilicet, ait D. Augustinus, quia arca erat figura crucis Christi, *hæc floruit, et omnes hos credentium populorum attulit fructus.* (6) Quod si figura

(1) Joan. 11. — (2) Ephes. 2. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. ibid.

(1) Ephes. 2. — (2) L. 10. in Luc. — (3) Maffeius L. 7. Hist. Indor. — (4) Caussin. cur. Sanct. in Iracundiæ notis. — (5) Num. 17 — (6) Serm. 99. de Temp.

crucis, et typus passionis Christi dissipavit querelas, controversias, et seditiones, et frondes et fructus pacis attulit, quantum a fortiori, Christi crux et passio discordias destruere debet, et afferre reconciliationem et pacem, quæ est fructus effusi in cruce sanguinis? Quod innuere videtur ipsemet Salvator, de satellitibus qui ejus manus crucifixerunt aiens : « Foderunt manus meas et pedes meos. » (1) Ut autem acute animadvertit Hugo Cardinalis, *non dixit : Transfixerunt, sed, foderunt, ut notet fructum qui inde secutus est.* Agricolæ fodiunt terram, ut abunde ferat fructus, et satellites pedes et manus Domini foderunt ut abundantem afferrent fructum. Quisnam vero fuerit ille fructus ex defossis in cruce pedibus et manibus declarat adhuc Christus, apparens discipulis et dicens, Pax vobis, ostendit eis manus et pedes, velut fontem a quo pax dimanat, et terram quæ produxit pacem : quam perfecte in uva demonstratam docet Imperfectus : *Uva mysterium in se Christi habet : sicut enim botrus multa in se grana, ligno mediante suspendit, sic Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adjunctos.* (2) Et ob hanc causam Christus Dominus voluit ut vinum ex multis uvis confectum esset materia calicis, quia corpus et sanguinem suum in Eucharistia fidelibus subministrat, ut eorum concordiam et pacem conservet.

III. PARS. Christiani *omnis malitiæ ingenia convertent in studia pacis* (3), si serio recogitent quod Christus a quo suum mutuantur nomen, appellatur a D. Cypriano *Doctor pacis et unitatis magister* : nuncupatur a Gregorio Nysseno *Rex justitiæ et pacis :* tandem vocitatur ab Apostolo *Deus pacis.* Doctor ille pacis, et unitatis Magister pacem et concordiam docet : *Verbum Domini exiet ex Jerusalem, et judicabit inter gentes, et concident gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces, et non accipiet gens super gentem gladium, et jam non discent prœliari* (4), sed potius pacisci. Quare Christus a discipulis suis pacem et concordiam efflagitat. *Etenim a concordia discipulorum ego Doctor pacis comprobabor.* (5) Rex ille pacis a suo regno abdicavit discordiam, et data lege imperavit concordiam. *Christus, qui est Rex pacis, cum sua pace procedens, fugavit omne dissidium, dissensiones depulit, discordiam perturbavit, et sicut cœlum splendor solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat* (1) : ideoque Cyrillus Alexandrinus pacem nominat *Ecclesiæ legem* (2), et in pacis observantia, legem gratiæ a veteri lege discriminat Tertullianus : *Nam ut vetus lex ultione gladii se vindicabat, et oculum pro oculo eruebat, et vindictam injuriæ retribuebat, nova autem lex clementiam designabat, et belli pristina in æmulos legis et hostis exsecutionem in pacificos actus arandæ et colendæ terræ reformabat. Igitur sicut vetus lex cessatura pronuntiata est, ita et novæ legis observantia, in pacis obsequia eluxit.* (3) Tandem Deus ille pacis, corpus suum et sanguinem in Eucharistia donat Christianis, qui *de societate sacramenti confœderantur.* (4)

Satis non fuit illi Deo pacis nasci toto orbe terrarum in pace composito ; satis non fuit per os Angelorum evangelizasse pacem hominibus bonæ voluntatis ; satis non fuit præcepisse suis Apostolis ut donarent pacem cunctis domibus in quas ingressuri erant; satis illi non fuit ter proprio ore dedisse pacem, *ut firmetur auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (5) ; satis illi non fuit suo sanguine reconciliasse homines adinvicem. *Hanc pacem illis reliquit, cum corpus illud sacratissimum, quod de intemerata Virgine sumptum, in tam horrendo climate crucis posuit, confusione contempta.* (6) Sed ut a Christianis omnem amoveret discordiam, et pacem firmius et durabilius solidaret, instituit sacrosanctum altaris sacramentum, cujus participatio, 1. Reconciliationem prærequirit et expostulat ; 2. Unitatem et communionem significat ; 3. Pacem et dilectionem conservat.

1. *Et prœlio operabitur filius pacis* (7), accessurus ad sacram synaxim. Qui eucharisticæ mensæ particeps esse desiderat, arma non amet, non pugnas, non dissidia. Qui odio scandescit, et post vindictam anhelat, sese indignum existimet, qui Christum recipiat : pugnis enim et bello addictus cum pacis auctore et amatore non bene cohæret. Centurionem sic loquentem Origenes inducit: « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, alienigena sum, gentilis miles, gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prœlium exiens, et ob id non sum dignus ut intres sub tectum meum. » (8) A sanguinis fusu alienus esse debet, qui Christi sanguinem sumere in Eucharistiæ calice cogitat : a

(1) Psal. 21. — (2) Homil. 19. in Matth. — (3) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 21. — (4) Tert. Lib. adv. Jud. 3. — (5) Theophylact. in cap. 17. Joan.

(1) Chrysol. Serm. 149. — (2) L. 12. in Joan. 25. — (3) Tert. L. adv. Jud. 3. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 5. — (5) D. Bonav. Serm. 10. in Octav. Pasch. — (6) D. Bern. Serm. 10. in Cant. — (7) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (8) Homil. 5. in Diversos.

discordiarum litigiorumque tumultibus sit liber, qui eucharisticæ mensæ in Dei templo assidet. David licet alioquin sanctus et innocens, inhibitus est templum Deo erigere, quia sanguinem fuderat : ut hoc exemplo, in Dei templo oraturi, a cæde avocarentur. « Domum orationis construere Deus Davidi non permisit, docens humanitatem omnes quotquot in hoc loco Deum erant invocaturi. Nam qui vident Prophetam non concedere Davidi propter cædes, quantumvis justas, ut Deo ædificet, puras manus a sanguine habere docentur (1), » quanto magis a rixis, discordiis, cædibusque alienus esse debet, qui ad eucharisticas accedit epulas ? Michael Balbus ab imperatore Leone Armenio, morti damnatus, cum ad supplicium duceretur, Theodosia imperatrix Cæsari dixit : Memor esto, imperator, te crastina die fore participem corporis Christi ; ob amorem regis pacifici, esto et tu pacificus. (2) Inter præcipuas Eucharistiæ figuras manna dinumeratur, constat autem *manna escatilem pluviam* (3) cecidisse, non intra castra, sed per circulum extra exercitum, extra tumultus, extra bellicos apparatus, quo denotatur bella, dissidia, pugnarum loca, armaque fugienda, Eucharistiam manducaturis : « de castris igitur illis exeundum sibi est, quicunque hoc minutum, quod detulit ros iste, colligere contendit. (4) » *Melchisedech quoque summi Dei sacerdos Abrahæ revertenti de prælio panem et vinum obtulit.* (5) Per Melchisedech Dei sacerdotem præfiguratur *Christus Dei Patris summus sacerdos.* (6) Melchisedech rex Salem dicitur ; Salem autem pax interpretatur, Christus quoque est rex pacis. Melchisedech in pane et vino sacrificabat; panis etiam et vinum est materia sacrificii altaris. Melchisedech Abrahæ occurrit, quando fraterno amore ductus, Loth ab hostibus captum liberavit, non tamen quando inter illos, eorumque pastores fuit dissidium et rixa, quantumvis parvi momenti : non accedat ad Eucharistiam, quæ est ministerium pacis, contentiosus, discors et inimicitias spirans : *Indignus his epulis est, qui pacem odit, discordiarum sator est.* (7)

Nemo convulsus animum in fratrem suum, munus apud altare perficiet, nisi prius reconciliando fratri, reversus ad patientiam fuerit. (8) Alludit Tertul. ad Christum dicentem apud Matthæum (9) : « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. » Apud omnes gentes magnum habebatur piaculum relinquere sacrificium imperfectum, et tamen Christus adeo discordiam a suis discipulis alienam existimat, ut velit sacrificium sibi oblatum interrumpi, et Christianum obligat ad satisfaciendum et postulandam veniam ab eo quem offendit injuste. Quod interpretantur D. Chrysost. (1) et Theophylactus, non solum quando proximum offendimus, sed etiam quando ab eo offensi sumus : aptius tamen D. Augustinus et Paschasius expendunt, Habet aliquid adversum te ; habet justam querelam contra te, eo quod a te injuriam acceperit : ideoque non dixit Christus : Si tu habes aliquid adversus fratrem, sed, si frater habet aliquid adversum te. (2) Quando a fratre passi sumus injuriam, reconciliari cum eo est consilium; quando fratri intulimus injuriam, est præceptum affirmativum : illud est perfectionis et non obligationis, istud vero obligationis, obligans quoad exsecutionem, prout ratio prudentiæ et temporis dictat : fieri enim potest, ut frater sit nimis distans, illud tamen præceptum animum ad reconciliationem paratum desiderat. Ex præfato Matthæi loco colligit D. Hieronymus : *Si munera nostra absque pace offerre non possumus, quanto minus et Christi corpus accipere.* (3)

Inter omnes oblationes quas Deo exhibet Christianus, præcipue adhortatur ut prius ad reconciliationem fratris procedat, quam ad oblationem altari faciendam. Multa sunt opera quæ persæpe Deo offeruntur in loco ab altari distanti, ut eleemosynæ, jejunia, gratiarum actiones, aliaque pia opera : in quibus non tam specialiter et distincte ad reconciliationem monentur Christiani. Ratio autem cur adeo stricte et vehementer exigatur ab eis reconciliatio dum ad altare accedunt, est quia Eucharistia est *pacis sacramentum* (4) : nullos inter se dissidentes admittens, sed excludens et repellens. Olim vindemiæ et messis tempore, causarum litigia actitari prohibebantur. Cum legibus cautum sit ut tempore messium, vel vindemiarum, nequaquam causarum litigia ventilentur, ne forensia negotia dirimantur, et temporum ratio fecit, ut quidquid tunc in tribunalibus judicio definitur, irritum censeatur. (5) Si antiquitus litigia inhibebantur, ne a colligendo

(1) Procop. in Lib. 2. Reg. 7. — (2) Cedren. in Michaele Balbo. — (3) Tert. Lib. de Pat. 5. — (4) Rupert. Lib. 3. in Exod. cap. 15. — (5) Tert. Lib. adv. Jud. 5. — (6) Tert. L. adv. Jud. 14. — (7) Theodoret. quæst. 24. in Exod. — (8) Tert. Lib. de Pat. 12. — (9) Cap. 5.

(1) Hom. 16. — (2) Lib. 50. Hom. Hom. 40. — L. 3. in Matth. — (3) Epist. 62. ad Theophyl. — (4) D. Chrysost. Hom. 51. in Matth. — (5) Petr. Dam. Opusc. 41. c. 2.

frumento et vino avocarentur homines, quanto a fortiori inhibentur lites, contentiones, dissensiones, discordiæ, iis qui desiderant comedere frumentum electorum, et bibere vinum germinans virgines?

Antiquitus a sacra arcebantur mensa illi qui violata pace atque concordia, in gratiam redire nolebant, fratribusque offensis reconciliari, aut concepta odia deponere recusabant. « Quos si injuriarum memores sensisset, congressum illorum, et impetum ille, qui proximas ab abbate partes administrabat, significabat, et ante solis occasum illos inter se componebat. Quod si duriores medicinam non admitterent, ne reconciliari se paterentur, ab mensa tantisper arcebantur, quoad positis odiis, medicinam redintegrarent; aut omnino, e contubernio sodalitatis eliminabantur. » (1) Jure merito ab eucharistica arcendi sunt mensa, qui odia et rixas excitant, et ortas discordias et inimicitias non tollunt. Unde D. Hieron. *Ignoramus sine pace communionem.* Profecto ad sacram synaxim non sunt admittendi qui fratrem suum aversantur, aut cum eo rixantur. *Audiant hi qui sacris certe mysteriis initiati, cum inimicitiis, ad communionem altaris accedunt.* (2) Audiant etiam laici qui cum animo irato et infenso corpus Christi comedere, et sanguinem ejus bibere præsumunt: audiat unusquisque, cujusvis conditionis et status, Eucharistiam cum odio fraterno suscipiens: *Animam suam pro te Dominus dedit, et tu inimicus conservo perduras, et cum hoc animo ad mensam pacis accedis? Ille ne mori quidem pro tua utilitate recusavit, et tu nec iram tuam conservo, pro tua liberatione concedis?* (3)

Scipio Africanus et Sempronius Gracchus (4) in tantam animadversionem exarserant ut communes eorum amici, nunquam eos conciliare potuerint; occurrente autem tempore sacri convivii quod in Capitolio celebrandum erat, sibi mutuo amicitiæ dederunt manus, indignum arbitrantes sacræ mensæ cum odio assidere. Nonne hi Gentiles condemnant scelerosum Christianum, qui vel abstinet ab Eucharistia ut in animadversione perseveret, vel cum odio accedit *ad pacis mysterium?* (5) Criminosum illum sic redarguit D. Chrysostomus: *Talis mensæ fuisti particeps, et cum omnibus debeas esse mitior, fuisti omnium crudelissimus: gustavisti sanguinem Dominicum, et ne sic quidem fratrem agnoscis* (1): sed in animadversione et discordia persistis. Non immerito D. Cyprianus sanguini Abel præponit Christi sanguinem. Sanguis Abel de terra clamat justitiam: Christi vero sanguis tum in Calvario, tum in altaris sacramento clamat reconciliationem et pacem. *Christi sanguis de cruce clamat, pacem loquitur et reconciliationem: quia idem sanguis, quoniam a nobis bibitur, si modo digne bibitur, clamat in nobis verba pacifica*, et ad pacem et concordiam nos stimulat. *Legite apud Herodotum defusum brachiis sanguinem, ex alterutro degustatum, nationes quasdam fœderi comparasse.* (2) Sanguinis humani haustu nationes infensæ, sunt adinvicem conciliatæ, et hausto sanguine Dei, Christiani hostilem non deponent animum? Romani qui cum Catilina adversum rempublicam conspiraverant, haustu humani sanguinis suam confirmarunt conjurationem. Nam, ut subjungit Tertullianus, *nescio quid et tale sub Catilina degustatum est:* et potatus Christi sanguis inimicantes et dissidentes non pacabit Christianos?

Quantum distant a D. Bernardo qui hostili animo sacrorum mysteriorum sunt participes, mellifluus Doctor de seipso sic fatur: « Nunquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium; cum ira et disceptatione contingere sacramentum, in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi: certe non respicitur munus quodcunque meum quod offero ad altare, nisi ante placato fratre, quem nec forte læsisse meminero, quanto minus si meipsum non placavero prius? » (3) Qui sunt hac ætate, qui D. Bernardi imitentur exemplum, qui sibi factam remittant, vel illatam reparent injuriam? Nec attendunt miseri quod: 1. Dei propitiationem non obtinent; 2. Munus Deo acceptabile non offerunt; 3. Divinum transgrediuntur mandatum; 4. De salute sua periclitantur; 5. Sequi dedignantur Christum. Tandem, 6. Judæorum instar dissentiunt: 1. Dei propitiationem non obtinent. *Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace; ad remissionem debitorum cum retentione?* (4) Quapropter, « studeamus, fratres, ad remittendum his qui offenderunt nos faciles inveniri, quia non solum mutuæ inter nos pacis conservatio constat in his duobus: sed ne ipsa quoque divina sine his propitiatio poterit obtineri: quod nec munus ab eo recipiat, qui non prius ierit ut fratri recon-

(1) Climac. Grad. 4. — (2) D. Chrysost. Homil. 16. in Matth. — (3) D. Chrysost. Hom. de Prodit. Jud. — (4) Valer. Max. Lib. 4. c. 2. — (5) D. Chrysost. Homil. 60. ad Pop.

(1) Homil. 27. in Matth. — (2) Tert. Apol. 9. — (3) De Præcepto et dispensato. — (4) Tert. Liv. de Orat. 10.

cilietur et dimissum etiam ab eo delictum strictius exigat qui conservo suo debitum non remittit. » (1) 2. Munus Deo acceptabile non offerunt : etenim *quale sacrificium est a quo sine pace disceditur ?* (2) 3. Divinis non obsequuntur mandatis, *quorum præcipuum est, ne prius ascendamus ad Dei altare, quam si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus : quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace ?* (3) 4. De salute sua periclitantur. Nam, ut subjungit Tertullianus, *sol super iracundiam si occiderit, periclitamur.* (4) 5. Sequi dedignantur Christum, qui discipulis suis dans pacem, ostendit eis manus et latus, quia pacem annuntiabat ore, corde et manibus largiebatur ; et quasi parum fuerit, quod cor, lingua et manus, verbum, affectus et opus in largienda pace simul convenerint, distulit humanæ redemptionis sacrificium ut pro suis crucifixoribus oraret, erga infensissimos suos hostes idem præstans quod erga dilectissimam Matrem. *Salutem publicam differt, ne Matrem inhonoratam relinquat.* (5) Salutem quoque publicam differt, ut ab æterno Patre inimicorum postulet veniam : suntne Christo similes qui inimicitias fovent, contentiose rixantur, suscitant lites, calumnias et detractiones machinnatur, aliudque hujusmodi? *Ex eo itaque itur in furias, et animos, et discordias, et quidquid non licet sacerdotibus pacis.* (6) Christianos sacerdotes nuncupat Tertullianus, principem Apostolorum æmulatus. *Certe sacerdotes sumus a Christo vocati.* (7) Addit sacerdotes pacis, quia sunt sacerdotes Christi, qui pax nominatur a Chrysologo. *Et quid dignum possumus de pace proloqui ? Pax nomen est ipsius Christi, sicut et Apostolus dicit : Quia Christus est pax nostra qui fecit utraque unum : quæ non sententiis, neque fide, sed invidia diaboli dissidebant.* (8) At, proh dolor ! quantumvis pax sit *religionis christianæ stabile fundamentum, et altaris dominici cœlestis ornatus* (9), rarissimi sunt sacerdotes pacis, et licet, ut fatur D. Bernardus in Christiani persona loquens, *hoc mihi necessarium, reconciliari mihi, reconciliari tibi* (10); multi tamen Christiani tantopere necessariam fugiunt et oderunt reconciliationem, imitantes, 6. Judæos. *Litigabant Judæi, quia panem concordiæ non intelligebant, neque sumere volebant.* (11) Belle Eucharistia appellatur panis

(1) D. Bern. Serm. 1. de Ver. Apost. — (2) Tert. L. de Orat. 14. — (3) Tert. L. de Orat. 10. — (4) Tert. ibid. — (5) D. Ambr. L. de Inst. Virg. c. 7. — (6) Tert. L. de Spect. 16. — (7) Tert. L. de Mon. 7. — (8) Serm. 149. — (9) Chrysol. — (10) Serm. 13. in Cant. — (11) D. August. Tract. 26. in Joan.

concordiæ, quia concordiam requirit, concordiam exigit, concordiam fovet. Qui discordias serit, serit rixas, suo damno panem concordiæ manducat, imitans Judam proditorem, qui *indigne accipiendo, ad judicium accepit, quia non pacatus accepit.* (1) Deponat odia, deponat simultates, qui panem concordiæ edere desiderat. « Litigabant ergo Judæi, quia panem concordiæ non intelligebant, ideo invicem litigabant, qui autem manducant talem panem, non litigant ad invicem, sed per hunc Deus facit unanimes in domo. » (2) Cum de altaris sacramento verba fecisset Christus, litigabant Judæi, quia panem concordiæ non intelligebant : Christiani panem concordiæ intelligentes et probe sumentes, non litigant, sed firmiorem inter se pacem ineunt, sacræ Eucharistiæ nexu et vinculo; per quam Deus facit unanimes in domo. Sanctissimum illud sacramentum unanimes reddit, quos digne pascit, quia unitatem et dilectionem significat.

2. Dei Filius carnem assumpsit *in unum novum hominem faciens pacem : novum autem et nove natum ex Virgine, Dei spiritu ; ut duos conderet in semetipso, et reconciliaret ambos Deo ; quem utrumque genus offenderat, et Judaicum et Gentile.* (3) Judæos et Gentiles tanquam mediator pacis Christus reconciliavit cum Deo quem offenderant, ipsosque inter se confœderavit ; utrosque in uno corpore Ecclesiæ consocians. Quare Christo *annuntiante pacem iis qui prope et iis qui longe, accessum consecuti simul ad Patrem : jam non sumus peregrini, aut advenæ, sed concives Sanctorum, sed domestici Dei* (4), sed membra Ecclesiæ quam Sanctus Maximus nuncupat *asylum et templum pacis*, et quam adhuc D. Athanasius vocitat *gremium rei sacræ*, nimirum pacis quæ sacra est, utpote Christi sanguine acquisita et sigillata ; *cum interfecisset inimicitiam in corpore, per crucem.* Antiquitus in victimis reconciliationis miscebatur aqua cum sanguine : Christus fuit victima reconciliationis inter Deum et homines, et inter homines ad invicem. *Cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum, atque inde sanguis et aqua profluxit : quæ sacramenta esse novimus, quibus ædificatur Ecclesia* (5), templum pacis, et gremium reconciliationis factæ sanguine Christi. Et uti in mundi exordio formavit Deus Evam de latere Adami dormientis, ut inter virum et feminam, unam et eamdem carnem haben-

(1) D. August. Tract. 6. in Joan. — (2) D. Thom. in Cat. ad c. 6. Joan. — (3) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 17. — (4) Tert. ibid. — (5) D. August. L. 22. Civit. 19.

tes, major et firmior esset pax, sic de suo latere Christus eduxit Ecclesiam et sacramenta : *Dominus cum dormiret in cruce, latus ejus lancea percussum est, et sacramenta profluxerunt, unde facta est Ecclesia : Ecclesia enim conjux Domini facta est de latere, quomodo Eva illa facta est de latere.* (1) Quo solidius firmaretur pax inter Christianos, considerantes se esse ejusdem domus domesticos, ejusdem corporis membra, ejusdemque matris filios : Christus Dominus *venerat per aquam et sanguinem sicut Joannes scripsit.* (2) Cujus quadruplicem subministrat Tertullianus explanationem : 1. Ut ipsemet Christus *aqua tingeretur, sanguine glorificaretur* : suscepit enim de facto baptismum aquæ in Jordane, a Joanne præcursore ; et moriens in cruce, a Centurione proclamatus est verus Dei Filius : 2. Ut *nos faceret aqua vocatos, sanguine electos :* per baptismum enim aquæ introitum habemus ad christianam religionem, et per Christi sanguinem eligimur ad gratiam et gloriam : gratia enim quæ est principium meriti a sanguine Christi dimanat ; 3. *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum sanguinis scilicet.* Duo sunt baptismi, unus aquæ quo tinguuntur renati, alter sanguinis quo regenerantur martyres : *Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit ;* quia baptismi aqua duos habet effectus, remittens culpam et largiens gratiam. *Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit.* Baptismum quidem aquæ, per aquam denotatum, baptismum etiam sanguinis, per sanguinem repræsentatum. Tandem, 4. Per sanguinem significatur sanguis quem baptizatis propinat Christus in Eucharistiæ sacramento. *Quatenus qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur ; qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent.* Sacramentum baptismi præcedit Eucharistiæ sacramentum, et homo lavacro indiget ut Christi sanguinem bibat qui e perfosso Christi latere manavit, ut Eucharistiæ fiat particeps.

« Sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vitæ, ita Eucharistia dicitur sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis. » (3) Inde exclamat D. Augustinus : *O sacramentum pietatis ! o signum unitatis ! o vinculum perfectionis !* (4) Et ob hanc causam, ut animadvertit ibidem Hipponensis Antistes, *Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquod rediguntur :* panis enim ex multis granis constat, et vinum ex multis uvis conficitur. « In tantam namque unionem grana contrita, conspersa atque confracta conveniunt, et ita unum omnia fiunt, ut granum a grano discernere nequeas, et quid cujus fuerit, non visus, non tactus, non gustus indicio deprehendere valeas. Asperitate enim paleæ cribri judicio discussa ita in eamdem speciem, in eumdem saporem, atque in eamdem omnia transeunt lenitatem, ut nihil in specie appareat dissimile, nihil in gustu sibi sapiat contrarium, nihil in tactu a seipso sentiatur diversum. » (1) Multa grana quibus panis conficitur, animorum denotant concordiam, quæ inter eucharisticæ mensæ convivas esse debet. Porro grana contrita adeo inter se uniuntur, ut unum ab alio discriminari non possit : quo monentur fideles tantam inter illos debere reperiri dilectionem, ut multorum sit cor unum et anima una : *Quibus unus est panis, unum est corpus, et omnium unum cor, et anima una, uni Christo adhærens.* (2)

Hodie istic Bellonæ sacratos, sanguis de femore proscisso, in palmulam exceptus, esui datus, signat. (3) Bellona, Syriæ Dea, sibi servientes, suoque cultui addictos, haustu humani cruoris consecrabat et denotabat, et Christus ut fideles sibi conjungat, et adinvicem concordet, sanguinem Dei humanati bibendum eis subministrat : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* (4) Quasi dicat : Potus calicis a sacerdote benedicti et consecrati, et consequenter ipse calix continens hunc potum benedictum et consecratum, nonne ipsum nobis Christi communicat sanguinem? « Non dixit participatio, sed communicatio, ut aliquid excellentius indicet, puta summam unionem. Quod autem dixit hujusmodi est, hoc quod in calice est, illud est quod effluxit de latere Christi, et ex eo accipientes communicamus, id est, unimur Christo. » (5) Neque solum unimur Christo per communicationem divini sanguinis, sed adhuc fidelibus conjungimur. *Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (6), sicuti ex multis granis fit unus panis, ita ex multis fidelibus, fit unus panis sacer et vivus, puta unum corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, non tantum generaliter et mystice, sed pro-

(1) D. August. in Psal. 126. — (2) Tert. L. de Bapt. 16. — (3) D. Thom. 3. p. q. 73. a. 3. ad 3. — (4) Tract. 26. in Joan.

(1) Franco Abbas Tom. 10. de Gratia Dei. — (2) D. Cyprian. de Cœn. Dom. — (3) Tert. Apol. 9. — (4) 1. Cor. 10. — (5) Theophylact. — (6) 1. Cor. 10.

prie et corporaliter, quia omnes realiter uniuntur corpori Christi, cum eoque fiunt unum in Eucharistia, sicut cibus fit unum cum comedente.

Ideoque Eucharistia appellatur *communicatio* (1), id est, *communio*, seu *communis unio* : trina potissimum de causa : 1. Quia ipsa est mensa communis, cui assident et communicant omnes fideles. Unde etiam infantibus post baptismum, olim dabatur Eucharistia ; 2. Quia in Eucharistia communicamus eidem plane et individuo cibo, nimirum corpori Christi, quod non fit in aliis cœnis, ubi unus hanc cibi partem, alius aliam sumit et manducat : et hac de causa asseverat Isidorus Pelusiota « communionem vocari, propter conjunctionem cum Deo : » (2) *In sacra communione, sumus non tantum Christiferi, sed et concorporei et consanguinei Christi* (3); quia in ea et Christus nobis, et nos carni Christi, et consequenter ejus personæ et divinitati realiter conjungimur; 3. Quia Eucharistia est communis omnium fidelium unio ; omnes enim unit eidem corpori Christi, ac consequenter omnes unit inter se : quæ etenim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se : et hac ratione Eucharistia nominatur a D. Dionysio *Synaxis*, id est, congregatio : eo quod solerent in Ecclesia congregari fideles ad Eucharistiam sumendam. Quo sensu nonnulli apud Tertullianum : *Stationum diebus, non putant sacrificiorum orationibus interveniendum ; quod statio solvenda sit accepto corpore Domini.* (4) Scrupulum non approbans Tertullianus colligit : *Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit ; an magis obligat ? Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris, accepto corpore Domini*, quod te Christo et Christianis unit ? Cum enim sit *signum unitatis, vinculum charitatis, pacis et concordiæ symbolum* (5), charitatem sufflammat, ad concordiam incitat, unitatem præstat, *divinissima unius ejusdemque panis atque potus communis pacificaque communicatio, divinam illis velut convictoribus morum conjunctionem sanxit.* (6) Christiani, debemus ad invicem esse charitate compaginati, concordes, pacifici, quia *lactis et mellis concordiam prægustamus, Eucharistiæ sacramentum.* (7) Præsertim,

Quia *proximi facti sumus in Christo* (8) : 1. In incarnatione, ubi suæ nos effecit participes divinitatis; 2. In passione, in qua suum fudit sanguinem, ut nos ad invicem compaginaret, tanquam ejusdem Ecclesiæ membra; 3. In altaris sacramento, in quo suum nobis corpus præbet manducandum, suum porrigit sanguinem bibendum, ut cum fratribus conciliet et charitate conjungat. *Hæc ergo cum intelligamus, dilectissimi, velimus quoque invicem unitatem servare ; ad hoc enim inducit sacrificium illud formidandum et admirabile, quod jubet nobis, ut concordia et charitate maxima ad se accedamus.* (1) Symbolum pacis concordiam expostulat, sacramentum charitatis charitatem desiderat ; signum unitatis unanimes efflagitat. Sit unitatis amator qui ad sacrosanctam accedit Eucharistiam ; concordes et unicordes divina illa mensa requirit : *Secum et inter nos, unum nos corpus effecit : nam si omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur : dividi enim atque sejungi Christus non patitur* (2) ; præsertim cum nobis donet suum corpus et sanguinem ad concordiam et pacem conservandam.

3. Christianus ad sacram accedens synaxim, *fidem Spiritu Sancto vestit, Eucharistia pascit.* (3) Spiritus Sanctus est symbolum charitatis et pacis, utraque est ejus fructus, ut supra dictum est cum Apostolo : *Fructus Spiritus Sancti, pax, charitas.* (4) Charitate, pace, imo et Spiritu Sancto indutus esse debet, qui ad altaris accedit sacramentum. Servabatur olim Eucharistia in columba aurea, ut de Magno Basilio testatur Amphilochius. Aurum est symbolum charitatis ; nam sicut aurum est cunctis metallis pretiosius, ita charitas inter virtutes primum tenet nobilitatis locum. Per columbam repræsentatur Spiritus Sanctus : *Columba figura delapsus in Dominum.* (5) Denotatur adhuc pax : *Columba a primordio divinæ pacis præco.* (6) Olim Eucharistia servabatur in columba ex auro confecta, quia charitatem et pacem conservat, cujus obsidem se fecit Christus in altaris mysterio. Christus Dominus, per ipsam quidem humanam carnem pacis se Dei et hominum fecit auctorem. *Hujus autem pacis se obsidem fecit, cum se in hoc præbuit sacramento; propterea ait : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* (7) Quod innuit ipsemet Salvator pascha celebraturus, Jerusalem elegit, ut vel civitatis nomine, quod pacem significat, de-

(1) Act. 2. — (2) Lib. 1. Epist. 228. — (3) Cyr. Hieros. Catech. 2. — (4) Tert. de Orat. 14. — (5) Conc. Trid. Sess. 13. c. 8. — (6) D. Dionys. de Eccles. Hier. c. 3. — (7) Tert. Lib. de Cor. Mil. 3. — (8) Tert. L. 5. adv. Marc. 17.

(1) D. Chrysost. Hom. 24. in 1. Cor. 10. — (2) Cyril. Alex. L. 1. in Joan. 26. — (3) Tert. L. de Præsc. Hær. 56. — (4) Galat. 5. — (5) Tert. L. de Bapt. 8. — (6) Tert. Lib. adv. Valent. 2. — (7) Lib. de Cast. Connub. cap. 24.

monstraret se instuere pacis mysterium, pacemque suis convivis commendare.

Habenda est pax ante communionem, tempore communionis et post communionem. Ante communionem : quod innuit Regius Vates, pacem et frumentum conjungens: *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.* (1) Prius pacem posuit, deinde adipem frumenti, quia prius paranda est pax, quam quis frumento electorum saginetur. *Sanctum osculum teneamus, quod animas sociat, reconciliat mentes, ut sic divinæ mensæ possimus fructibus sociari.* (2) Tempore communionis habenda est pax : *Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit?* (3) Nunquam autem magis commendabilis est oratio quam communionis tempore; tunc enim communicantes majori cum fervore orant; qui teste Regio Propheta sunt sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ eucharisticæ : « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. » Oliva autem est symbolum pacis; idcirco *post aquas diluvii, pacem præco columba terris annuntiavit, demissa ex arca, et cum olea reversa : quod signum etiam apud nationes paci prætenditur.* (4) Tandem post communionem sollicite servanda est pax, ad instar primorum Christianorum, qui post acceptam Eucharistiam, commune celebrabant convivium, quod ob symbolum concordiæ et charitatis, nuncupabant *Agapem* : quia in illo eumdem frangebant et manducabant panem. Priscis religionis christianæ temporibus, solebant ditiores post sanctam communionem, cœnam instruere in Ecclesia omnibus tam divitibus quam pauperibus, in charitatis symbolum, quæ *Agape* vocabatur; quasi dicas, charitas; de qua sic disserit Tertullianus : *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi : sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium* (5); Verum quia refrigescente charitate et crescente fidelium multitudine, res abiit in abusum : divites enim privatim suam cœnam præoccupabant et instruebant sumptuossime etiam ad ebrietatem, pauperibus vel exclusis, vel non exspectatis, multo minus invitatis; hac de causa concilium Laodicense (1) agapes in Ecclesia fieri vetuit, et ut communicatio ejusdem panis Christianos in pace et charitate custodiat, in missæ sacrificio particulam ejusdem panis benedicti fidelibus præbet sive divitibus, sive pauperibus, sive viris, sive feminis. Quia *pax Christianis omnibus data, quam rem Dei constat, cum dixit meam; cum autem dixit : Do vobis, non solum suam esse voluit, sed et universorum in se credentium.* (2)

(1) Ps. 147. — (2) D. Chrysost. Hom. de prod. Jud. — (3) Tert. L. de Orat. 14. — (4) Tert. L. de Bapt. 8. — (5) Apol. 39.

Quare, fratres dilectissimi, super omnia satagite, *et pacem amissam quærere, et turbatam componere, et repertam tenere.* (3) Ad pacis custodiam plures nos stimulant rationes : 1. Quia dona a magnatibus erogata sollicite sunt custodienda, pax autem nobis donata est, non ab homine, non ab Angelo, non ab aliqua creatura, sed ab ipsomet Deo, *ipso Domino Christo dicente : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; quod est dicere : In pace vos dimisi, in pace vos inveniam : proficiscens voluit dare quod desiderabat rediens in omnibus invenire. Cœleste mandatum est, servare quod dedit : una vox est, inveniam quod dimisi.* (4) 2. Quia Christus, rex pacis et unitatis magister, nobis dedit pacem, tanquam suorum insigne subditorum, suorum notam discipulorum, suorumque militum tesseram, et militare vexillum. *Christus Dominus noster pax est; vadens ad cœlum, nobis vexillum dimisit dicens : Pacem meam do vobis.* (5) 3. Quo majori pretio res aliqua comparatur, eo majori studio est conservanda, Christus autem pretioso suo sanguine comparavit pacem, et quasi parum sit suum in cruce fudisse sanguinem, illum nobis bibendum in Eucharistia subministrat, ut cum ipso et inter nos concordiam et unionem custodiat. Quare *sicut procedente rege, et plateæ mundantur, et omnis civitas diversis floribus et ornatibus coronatur, ut nihil sit quod minus dignum vultui regis appareat : ita et nunc procedente Christo rege pacis, fugiat discordia, resplendeat concordia. Et sicut frequenter fieri vidimus, ubi regum, vel fratrum tabulæ depinguntur, ut inter utrosque unanimitatis declarentur insignia, artifex pictor femineo habitu post tergum utriusque concordiam statuit, quæ brachiis suis utrumque complectens indicet, quod hi videntur corporibus separati, sententiis et voluntate conveniant; ita nunc pax Domini media assistens, et utrumque nostrum gremio palpante connectens, discreta*

(1) Can. 28. — (2) Optat. Milev. Lib. 1. ad Parmen. — (3) D. Hilar. — (4) Chrysol. Serm. 53. — (5) D. Hier. in Psal. 75.

corpora in unum convenire animum, ulnis jungentibus docet. (1) 4. Hæreditas a parentibus data, a filiis est magnifacienda, et magna sollicitudine conservanda, præsertim si sit opulenta et pretiosa. Christus, qui nos inter Calvariæ dolores parturivit, *hanc suis hæreditatem dedit: dona omnia suæ pollicitationis, et præmia, in pacis conversatione promisit: atque ideo, fratres, si hæredes Christi esse volumus, in ejus pace esse et manere debemus.* (2) 5. Dona quæ amici suis amicis, vel parentes suis filiis in morte tradunt, sunt conservanda, velut teneritudinis, et amoris ultimum morientium monumentum, qui donant iis quos magis diligunt, pretiosissima quæque munera. *Pax est Encœnium Christi, et pretiosius inter omnia jocalia; cujus causa est, quia istud pretiosum jocale legavit Christus Apostolis in morte; amici namque amicis dant, et legant magis pretiosa in fine.* (3) 6. Deposita sunt fideliter custodienda ut reddi possint quoties ille ad quem pertinent illa postulaverit. Christus Dominus pacem dedit velut depositum, sibi aliquando reddendum. Idcirco *proficiscens voluit dare quæ desiderabat in omnibus invenire.* (4) 7. Media æternæ felicitatis consequendæ magno sunt studio custodienda: pax autem a Christo donata, est medium ad immortalem beatitudinem et pacem adipiscendam. *Pacem nobis relinquit Christus iturus: pacem suam nobis dabit in fine venturus: pacem nobis relinquit in hoc seculo, pacem suam nobis dabit in futuro seculo.* (5) Hoc est quod Propheta dicit, pacem super pacem. (6) Christus, ait D. Bernardus, *pax est in hoc seculo, in qua manentes, hostem vincimus, nos invicem diligimus: pax erit in futuro cum sine hoste regnabimus, ubi alter ab altero non poterit dissentire, ubi omnia et aperta, et laus unicuique a Deo, cum viderimus eum sicuti est* (7), æterna fruentes felicitate.

CONCIO SEXTA.

Christus Dominus donans *pacem, et bona omnia* (8) dedit. In hoc mundo rarissime, utile, jucundum, et honestum simul reperiuntur. Utile persæpe est sordidum, et ita nequit esse honestum; quod est jucundum, ut plurimum nocet, et consequenter utile non potest esse: quod est honestum, est laboriosum, quapropter non est jucundum: verum si pacem attente consideremus, in ea inveniemus trinam speciem boni. Ut enim ait D. Augustinus, *tantum est pacis bonum etiam in rebus terrenis atque mortalibus, ut nihil gratius soleat audiri; nihil desiderabilius concupisci; nihil postremo melius inveniri* (1), et ob hanc causam, ut animadvertit Glossa, Christus Dominus, *qui pacem dedit, uno verbo omnia bona dedit* (2), scilicet bonum, 1. Utile; 2. Delectabile; 3. Honorabile.

I. PARS. Inducit Apostolum Tertullianus *evangelizantem pacem: evangelizantem bona.* (3) Bonum enim est pacis fructus: pax præsertim defert secum bonum utile. *Quid enim melius invenire potestis quam pacem?* (4) Quapropter Job nos ad pacem fructuosam et utilem stimulat. *Habeto pacem, et habebis fructus optimos.* (5) Utiles, 1. Ecclesiæ, ad fidei propagationem; 2. Familiæ, civitati, seu reipublicæ, ad fortunæ augmentationem; 3. Cuivis homini ad divinæ benevolentiæ acquisitionem.

Quam maturi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! (6) Belle evangelizantes pacem bona, evangelizant, quia fidei dilatatio quæ est magnum bonum ab evangelizantium unitate et concordia ut plurimum procedit, ut ex veteri et novo Testamento comprobatur. In veteri Testamento, *egressi sunt filii Israël ad pugnandum mente pacifica.* (7) Homines qui castra sequuntur non animo pacifico, sed potius hostili ad pugnam et prælium procedunt, filii Israël econverso mente pacifica ad pugnandum egressi sunt, paceque et concordia armati, inimicos gloriose debellarunt, ut ex urbe Hiericho comprobatur, cujus muri, velut inexpugnabiles, corruerunt, non arietum percussione, non bellicorum tormentorum vi, sed Israëlitarum pace et concordia. «Igitur omni populo vociferante,» (8) seu, ut legit alia versio, «jubilante» illico muri Hiericho corruerunt. Quod si quæramus ab Origene quænam fuerit illa jubilatio, respondet: *Mihi videtur jubilatio indicare, quemdam concordiæ et unanimitatis affectum.*

Eadem veritas constat adhuc ex novo Testamento, Christus enim, qui discipulos suos ad debellandam idololatriam, et propagandam fidem per universum mundum, elegerat, ad arduum illud exsequendum negotium illis duntaxat pacem largitur, ut animadvertit D. Cyprianus. Quod demonstrat

(1) Chrysolog. Serm. 149. — (2) D. Aug. Serm. 166. de Temp. — (3) D. Bonavent. Diet. Sal. Tit. 7. cap. 61. — (4) D. August. Serm. 166. de Temp. — (5) D. Aug. Tract. 76. in Joan. — (6) Esa. 26. — (7) Serm. 10. in Cant. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 13.

(1) S. Aug. L. 19. Civ. 11. — (2) In c. 24. Luc. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 13. — (4) D. Aug. in Ps. 84. — (5) Cap. 22. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (7) Lib. 2. Paral. 12. — (8) Jos. 6.

D. Chrysostomus ex hoc Regii Vatis textu, *Ascendit Deus in jubilatione et Dominus in voce tubæ.* (1) Non dicit Propheta Regius in tuba, sed in voce tubæ, *significans eorum concordiam et animi confessionem*, qua superarunt philosophorum sapientiam, oratorum eloquentiam, imperatorum potentiam, dæmonum astutiam. *Fidei namque extensio atque victoria plus debebatur discipulorum confessioni et unioni quam concioni.* Multum equidem ad hujusmodi victoriam contulit Apostolorum prædicatio signis et miraculis confirmata, virtutibus exemplaribus auctorata; sed illorum pax unio et concordia, illam penitus reportavit. Quapropter Christus discipulos missurus in mundum ad prædicandum Evangelium, Patrem pro eorum concordia unanimitate et pace deprecatur: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos : » *Ut intelligamus extensionem fidei non tam fieri prædicatione, quam virtute unitatis Christianorum.* (2)

Pax quæ multum utilis fuit Apostolis ad debellandam idololatriam et stabiliendam religionem christianam, Christianis servire debet, ad fidei conservationem. Pace namque muniti omnes spiritalis nequitiæ prosternent acies. Ut enim ait D. Augustinus, *Christianorum arma pax est* (3) qua diabolo resistunt, imo et vincunt. Quapropter incarceratos martyres hortatur Tertullianus : *Inveniat vos diabolus pace munitos et armatos, quia pax vestra bellum est illi* (4); neque unquam magis illum detriumphabitis, quam dum pace et concordia fueritis loricati. Ecclesia dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata.* (5) Ecclesia nihil aliud est quam congregatio fidelium, qui sua concordia inferunt diabolo bellum, ejusque copias expugnant. Ut enim ait Magnus Gregorius, *electorum multitudinem eo magis maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam munitos contra se et conglobato aspiciunt.* (6)

Verum uti fides Christianorum pace et concordia dilatatur, ita eorum divisione et discordia contrahitur. Ex pacis namque scissura, fidei facile scinditur unitas, ut Corinthiis exprobrat Apostolus. *Audio scissuras esse inter nos, et ex parte credo.* (7) Absente Paulo inter Corinthios fuere scissuræ et divisiones, quæ cum delatæ fuissent ad Apostolum, eas credidit. Rationem autem qua persuasus fuit, statim subjungit: *Quia oportet hæreses esse.* Verum hæc ratio Apostolo indigna videtur, scissura enim Corinthiorum erant duntaxat discordiæ : discordiæ autem, etsi pacem turbent, hæresim tamen non faciunt ; si enim discordia et dissensio faceret hæresim, nulla esset civitas, nulla etiam familia quæ non esset hæretica, quia fere nulla est in qua non reperiatur discordia et dissensio. Tertullianus hanc difficultatem mire illustrat, quatuor notatu dignissima animadvertens : 1. *Cum ideo credidisse se dicat de schismatibus et dissensionibus, quia sciret etiam hæreses oportere esse. Ostendit enim gravioris mali profectu de levioribus se facile credidisse.* (1) Prævidens Apostolus futuras hæreses, quæ majus malum sunt quam dissensiones, ex hæresum futurarum prævisione, facile credidit dissensiones quæ ortæ fuerant inter Corinthios ; 2. Cum ait Apostolus: Oportet et hæreses esse, *non quia hæreses bonæ essent*, neque quod eas approbaret quas damnat velut Ecclesiæ unitatem scindentes. *Si totum capitulum ad unitatem continendam, et separationes coercendas sapit : hæreses vero non minus ab unitate divellunt, quam schismata et dissensiones, sine dubio hæreses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata et dissensiones.* 3. His verbis Apostolus hæreses non approbat, neque auctoritatem præstat iis qui a fide in hæresim prolapsi sunt, *ac per hoc non eos probabiles facit, qui in hæreses diverterint, cum maxime diversi ab ejusmodi objurget, edocens unum omnes loqui, et idipsum sapere, quod etiam hæreses non sinunt.* 4. Dissensiones redarguit Apostolus, non solum quia in se malæ sunt, sed etiam quia ad hæresim, quæ majus malum est, conducunt. *Porro si dissensiones et schismata increpat, quæ sine dubio mala sunt, et in continenti hæreses subjungit, quod malis adjungat, malum utique profitetur, et quidem majus.* Turbata igitur per schismata et dissensiones pax, est hæresum occasio et velut inchoata hæresis. In primitiva Ecclesia, tam enorme crimen habebatur discordia, ut hæreseos nomine censeretur, quasi in fide erraret, qui a fratribus dissensione scindebatur. Ex D. autem Anselmo hæresis est in Ecclesia *maximum omnium malorum* ut tot dirutæ aræ, tot eversa templa testantur.

Non vacat mysterio, quod Deus præceperit Noe ut ex animantibus mundis septenarium numerum (2), ex immundis binarium dun-

(1) D. Unit. Eccl. in Psal. 46. — (2) Cajet. in c. 7. Joan. — (3) In Psal. 119. — (4) Tert. L. ad Mart. 1. — (5) Cant. 6. — (6) Hom. 10. in Ezech. — (7) 1. Cor. 11.

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 5. — (2) Gen. 7.

taxat secum adduceret in arcam. Respondet D. Hieronymus : « Animalia quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt : impar numerus est mundus : » (1) et hoc ideo quia Deus sibi complacet in unitate: *Numero Deus impare gaudet.* Quid sacramenti in illa numerorum parilitate et imparilitate delitescat, declarat adhuc Sanctus Isidorus expendens istud Geneseos : « Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam : de animantibus vero immundis duo, et duo masculum et feminam. » Non quod plures sint boni quam mali, sed quia bonos impari numero significat, qui insectilis est, *servant unitatem spiritus in vinculo pacis : mali vero in binario continentur, tanquam divisibiles, et ad schismata faciles.* Imparem numerum utpote insectibilem eligit Deus ; binarium tanquam immundum et rejectaneum improbat, utpote expromptum ad divisionem, et ad schismata facilem. Fugiendum est itaque pacis et unitatis divortium, velut immunditiæ notaculum, malitiæ character, et hæresis conceptaculum. At proh dolor ! *Nunc sunt hæreses doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes* (2) : et quod est lugendum magis, *plerique Ecclesiæ pacem mentiuntur* (3), qui in Ecclesiæ unitate videntur, et Ecclesiam dividunt, qui sub catholicorum specie hæreticam doctrinam sapiunt, qui membra a capite separare nituntur : nec advertunt quod « ubi sine fœdere pacis, sine observantia legis, sine disciplina et regimine, acephala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur. Non est civitas, sed confusio : Babylonem exhibet, Hierusalem habet nihil. » (4) Fallaces illos Christianos et catholicos prævidens : *Instruit Dominus multos esse venturos, sub pellibus ovium rapaces lupos. Quænam istæ sunt pelles ovium, nisi nominis christiani extrinsecus superficies ? Qui lupi rapaces, nisi sensus et spiritus diaboli, ad infestandum gregem Christi extrinsecus delitescentes ?* (5) Verum uti Deus ab exordio mundi divisit lucem a tenebris, quia *nihil communionis est lumini et tenebris* (6), ita Galliarum Antistites in comitiis generalibus congregati ad discriminandos veros a falsis catholicis, sapienter decreverunt ut fideles Ecclesiæ determinatas subsignarent veritates ; et hujusmodi decretum est conforme sanctionibus pontificiis, et voluntati Regis, probe scientis pacem necessariam esse Ecclesiæ ad incrementanda et conservanda fortunæ bona.

(1) Adv. Jovin. — (2) Tert. L. de Præsc. Hær. 4. — (3) D. Aug. in Ps. 67. — (4) D. Bern. Serm. 5. in Dedic. Eccl. — (5) Tert. L. de Præsc. Hær. 4. — (6) Tert. L. de Idol. 15.

2. Regnis et rebuspublicis in concordia et pace viventibus *ab imperio et a cœlo bene est.* (1) Tertulliano arridens D. Chrysostomus, audacter pronuntiat : *Ubi pax, ibi omnia prosperabuntur* (2) : ideo a Xenophonte *hæ dicuntur beatissimæ respublicæ, quæ plurimo tempore in pace vixerunt.* (3) Quod probe sciens rex ille Scytharum, docere volens filios suos modum quo imperium servare possent, objicit illis fasciculum virgarum, quæ unitæ adinvicem difficillime rumpuntur. (4) Abundantes divitiæ, immensi thesauri, pretiosa supellectilia, aliaque hujusmodi quibus abunde locupletantur regna, sunt *pacis hæc et annonæ otia.* (5) Respublicæ et regna lapidi tyrreno assimilantur, qui integer in procellosum injectus mare, supernatat aquis, divisus vero statim mergitur et descendit in profundum. (6) Quod romanæ reipublicæ comprobatur exemplo, quæ quandiu viguit civium concordia, tandiu ejus imperium adauctum est : civium vero discordia universi orbis amisit imperium. Idipsum accidit Judaico populo : *quem mare sustinuit adunatum, non potest terra bajulare dispersum.* (7) Hebræus populus concordia et pace adunatus, supra salum non secus ac supra solum gradiebatur, fluctibus statione solida mire concordiam stipantibus : at nunc a terra ponderum molibus assueta non sustinetur *populus a se separatus et per omnes provincias dispersus.*

Eodem modo ratiocinandum est de civitate ac de republica, seu regno. Ut enim ait divine Plato, *nihil perniciosius civitati quam divisio ; nihil melius quam unio.* (8) Hujus memorabile habemus in Numantia exemplum, quæ seculis integris restitit Romanis, dum ejus cives fuerunt inter se concordes ; at discordia inter cives grassante, brevissimo tempore expugnata fuit. Quod Tiresius Numantiæ princeps Scipioni expugnatori sincere confessus est : *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit ;* idipsum quotidie familiis et domibus evenit, quæ concordia prosperantur, discordia evertuntur. Marcus Agrippa, vir ingentis animi, dicere solebat se multum huic debere sententiæ : *Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Hac se aiebat, et fratrem et amicum factum.* (9) Annon experientia constat ditissimas domos fratrum dissensione, litibus et jurgiis ad extremam egesta-

(1) Tert. L. de Pall. 1. — (2) De Compunct. — (3) De Vectigal. — (4) Plutarch. in Apoph. — (5) Tert. de Pall. 1. — (6) Plin. L. 2. c. 106. — (7) S. Zen. Serm. 11. de Exod. — (8) De Repub. — (9) Senec. Ep. 95.

tem redactas; domos vero pauperrimas, pace et concordia fuisse opulenter ditatas? Christiani, fugite discordiam, ni velitis depauperari; servate concordiam quæ utilis est ad fortunam incrementandam, et Dei benevolentiam comparandam.

3. *Tam enim justitia quam et pax creatoris in Christo annuntiabatur.* (1) Justitia nos Deo gratos fecit, et pax est necessaria ad comparandam justitiam. Unde D. Bernardus: « nunquid tamen vel ipsa sanctimonia sufficit? Pax quoque necessaria est, Apostolo teste; pacem sectamini cum omnibus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum: hæc est quæ facit unius moris habitare fratres in unum, novam utique regi vero pacifico ædificans civitatem, quæ et ipsa Hierusalem nominatur, quæ est visio pacis. » (2) Justitia et pax sibi mutuo præstant auxilium, *virtus in pace acquiritur*, et vicissim ut aliorsum docet mellifluus Doctor: *Per semitas justitiæ pax invenitur* (3); pax et justitia sunt comites inseparabiles quæ nullatenus dividi possunt. *Percontare ab homine: Vis pacem? uno ore respondebit tibi genus humanum: Opto, cupio, amo, volo.* (4) Si voti compos esse desideras, *fac justitiam, et habebis pacem: quia osculantur se, ut qui fecerit justitiam, inveniet pacem osculantem justitiam.* Multi tamen volunt pacem, et nolunt justitiam: et tam pace quam justitia denudati sunt, et existentes sine pace sunt orbati justitia et Deo placere non possunt. Deus tantopere existimat pacem, ut opera pietatis non acceptet nisi a pacato procedant animo. Erogate eleemosynas, vacate orationi, mortificate carnem, servate jejunium, *infensa vobis charitate honorabili matre unitatis et pacis, quo pacto, quæso, vestrum quodcunque sacrificium Deo fore acceptum præsumitis, cum absque illa nec martyrium quidem aliquid putet esse Apostolus?* (5) Quare inter multa documenta quæ Christiano præbet D. Bernardus ad perfectionis studium, istud non est minoris momenti: « Hoc multum debes cavere, ne charitas alicujus erga te vel quemcunque alium corrumpatur, vel etiam diminuatur: quia non est majus spolium vel damnum, quam in oblatione vel diminutione charitatis. Omnia namque quamvis utilia, quamvis necessaria videantur, spernenda tamen sunt ut perturbatio devitetur, et omnia quæ adversa sunt vel putantur sustinenda sunt, ut pacis dilectionisque tranquillitas servetur: quia nihil perniciosius ira, nec charitate quicquam utilius est credendum, nec tranquillitati animi pretiosius? » quæ secum adducit bonum tot modis utile et insuper jucundum et delectabile.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (2) Serm. 5. in Dedic. Eccl. — (3) D. Bern. Epist. 126. — (4) D. August. Ps. 84. — (5) D. Bern. Ep. 7.

II. PARS. *Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debemus* (1): sic loquuntur perfecti Christiani pace fruentes et gaudentes. Ut autem dignoscatur quale gaudium secum afferat pax, animadvertendum est cum D. August. (2) in mundo quasdam esse res bonas, et non jucundas; nonnullas jucundas, sed non bonas; alias neque bonas neque jucundas; alias tandem simul bonas et jucundas. Remedia, ustiones, cauteria bona sunt, quia sunt media sanitatis acquirendæ; non sunt tamen jucunda, quia inferunt dolorem, vel amaritudine permixta sunt. Ebrietates, venereæ voluptates, jucundæ sunt, quia sunt carnis oblectamenta; sed non sunt bonæ, quia divinæ legi et animæ saluti adversantur. Inimicitiæ, invidiæ, zelotypiæ, neque bonæ sunt, neque jucundæ: non bonæ, quia a cœlo avocant et ducunt ad damnationem; non jucundæ, quia animam perturbant et inquietant. Pax vero est simul et semel bona, et jucunda: bona, quia affert utilitatem; jucunda, quia præstat oblectamentum. Itaque *magnum beneficium veri Dei est pax* (3): 1. Multiplicata; 2. Dilatata; 3. Liberata.

1. *Quid enim jucundius quam Dei Patris et Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam tantorum retro criminum venia?* (4) Magnum profecto gaudium justorum, qui ut vaticinatus est Regius Vates, *delectabuntur in multitudine pacis* (5): quia de trina pace delectantur: de pace cum Deo, de pace cum seipsis, de pace cum proximo. Pax cum Deo jucunda est, ut asseverat ipsemet Deus: *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* (6) Et aliorsum, ut denotet quantum sit illud gaudium, flumen dulcedinis servantibus mandata sua pollicetur: *Utinam attendisses ad mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua.* (7) Regius Vates symbolo fluminis declarat beatorum jucunditatem: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (8), et Deus etiam utitur flumine, ad demonstrandam lætitiam eorum qui habentes pacem cum Deo, pacifici sunt in semetipsis, ut ipsimet fatentur apud Regium Prophetam: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde

(1) Tert. L. de Spect. 28. — (2) In Psal. 132. — (3) D. August. Lib. 3. Civ. 9. — (4) Tert. L. de Spect. 29. — (5) Psal. 36. — (6) Esai. 32. — (7) Esai. 48. — (8) Psal. 45.

meo : » (1) seu, ut legit D. Hieron. *ortum est lumen tuum nobis, et facta est pax lætificans in corde meo.* Quasi dicat : Ex quo suspicatus sum exortum esse in anima mea lumen veritatis et gratiæ, statim in corde meo persensi pacem, qua abunde consolatus sum. Hanc pacem et lætitiam fidelibus exoptat Apostolus : *Pax Dei exsultet in cordibus vestris.* (2) Animadvertit acute D. Anselmus expendens istud Dominicum : « Pacem relinquo vobis, » (3) in hoc seculo pax habetur velut *reliquia*, « quia pax plenissima non potest haberi nisi in futuro, sed tamen aliquæ reliquiæ dantur in præsenti ; quod potest videri in illis, qui ita habent sedatos illicitos motus corporis, quod nullum civile bellum patiuntur in se, sed habet anima requiem suam, nec etiam conturbari posset quolibet modo, vel quantumcunque verberetur, sed etiam quieti sunt. » Itaque licet pax terræ, cœlesti comparata paci, possit imperfecta dici quia interius et exterius patitur bellum, qui tamen sunt Deo reconciliati, sunt pacati in semetipsis, cum proximis sunt charitate compaginati, fruunturque tanta lætitia, quod illam Regius Vates nonnisi cum stupore et admiratione contemplatur : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* (4) Ubi Agellius « tantum bonum esse fratrum concordiam putat, ut admiretur, et ut cum qua re conferat rem tam præclaram, vix inveniat. » Stupenda prorsus lætitia quæ ex pace multiplicata procedit juxta Esaiæ vaticinium : *Sedebit populus in pulchritudine pacis* (5), quæque ex pace dilatata dimanat.

2. *Quæ major voluptas quam conscientia integra?* (6) Conscientia integra, est concientia sanctitate ornata. *Evangelizator enim bonorum, id est, gratiæ Dei, paci eam præferendam sciebat.* (7) Nec immerito, quia pax conscientiæ ab integritate procedit, et qui integram habent conscientiam, pacem in semetipsis habent : quod probe sciens D. Augustinus exclamat : *O conscientia sancta! in terra adhuc es, et in cœlis habitas. Gaude, o anima sancta, conscientia decorata, gaude cœlesti et æterna gloria* quam præmature delibas. *Præcavenda est idololatriæ latitudo* (8), quæ non solum opere perficitur, sed adhuc animo concipitur : econtra sectanda est pacis latitudo, qua conscientia sancta perfruitur. Justi enim in vita, in morte et post mortem pacati sunt, gaudioque potiuntur ; porro *fructus Spiritus Sancti, gaudium, pax.* (1) Hos percipiunt in vita fructus, experientes in semetipsis istud Ecclesiastici : *Quoniam nihil melius est quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini.* (2) In morte etiam pacis habent latitudinem, quæ eos *adversus diaboli latitudinem munit* (3), et sicut olor nunquam suavius quam in morte canit, sic justi suscepto in Eucharistia Domino cum Simeone sene decantant : *Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (4) ; magnaque cum fiducia eorum animæ a corpore separatæ, judicio assistunt particulari, dicentes apud Prophetam Evangelicum : *Ignis hostes tuos devoret. Domine, dabis pacem* (5) : cujus latitudo ad empireas usque glorias extenditur. Quod his verbis innuit Regius Propheta : *Exsultabunt Sancti in gloria.* (6) Hunc versiculum in sensu mystico anagogico intelligit D. Hieronymus de futura Sanctorum in cœlis beata exsultatione ; solis enim Sanctis patet aditus ad cœlestem gloriam, lætitiam, quietem, ubi cessantes ab hujus vitæ laboribus, certaminibus, discriminibus, in pace in idipsum dormiunt et requiescunt. Subjungit Propheta : *Lætabuntur in cubilibus suis.* Quodnam sit autem hoc Sanctorum cubile, quod ultra beatam cœli gloriam, adhuc beat : illud cubilis gaudium, quod supra summum gaudium, novam adhuc addat lætitiam, belle declarat Hugo Carensis : *Lætabuntur in cubilibus suis, scilicet in conscientia : quia habent tam bonum Dominum, qui dat peccantibus gratiam*, licet in cœlesti patria Sancti beatis ubertim abundent gaudiis ; attamen de bona conscientia sibi gratulantur : quod malæ conscientiæ anxietates et molestias effugerint in gloriæ asylo, feliciter gaudent, velut accidentalis beatitudinis incremento. *Lætabuntur in cubilibus suis, scilicet in conscientia.* Inter tot cœli gaudia, quæ Sanctos feliciter beant, nunquam ab eorum memoria obliteratur, se malæ conscientiæ vitasse aculeos, et bonæ conscientiæ deliciis in æternum felicitandos.

Verum si nihil est jucundius integra conscientia, nihil est molestius scelerosa conscientia. *Bona conscientia turbam advocat ; mala autem in solitudine anxia atque sollicita est* (7), et si justi præpropere beatis cœli gaudiis felicitantur, peccatores, prævento infernalium carnificum officio, pœnalissima gehennæ patiuntur cruciamenta *infernus quidem, et carcer animæ rea conscientia.* (8)

(1) Psal. 4. — (2) Coloss. 3. — (3) Joan. 14. — (4) Ps. 130. — (5) Cap. 32. — (6) Tert. L. de Spect. 29. — (7) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (8) Tert. L. de Idol. 2.

(1) Galat. 5. — (2) Cap. 23. — (3) Tert. L. de Idol. 2. — (4) Luc. 2. — (5) Esai. 26. — (6) Psal. 149. — (7) Senec. Ep. 96. — (8) D. Bern. Serm. 4. de Assumpt.

O quam vere pronuntiavit æternæ veritatis oraculum ! *Non est pax impiis, dicit Dominus.* (1) Septuaginta vertunt : *Non est gaudere, dicit Dominus* ; quasi pace frui et gaudere synonyma sint : ni dicatur, quod pax est veri gaudii mater, ideoque gaudium necessario exsulat a quo exsulat pax : ab impiis autem exsulat pax, in vita, in morte et post mortem : in vita, *contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt.* (2) In morte torquebuntur, rerum quas carius dilexerunt, amissione ; peccatorum quæ commiserunt, recordatione ; tormentorum quæ passuri sunt, formidine. *In tempore illo non erit pax egredienti.* (3) Post mortem comparebunt ante Christi tribunal, non tanquam electi in cœlo æterna felicitate beandi, sed tanquam reprobi in inferno interminabili supplicio puniendi. O quam misera est impiorum conditio quibus non est pax ! O quam fausta est justorum sors, qui gaudent pace multiplicata, dilatata et liberata !

3. *Quæ major voluptas quam vera libertas ?* (4) Veram autem libertatem pax subministrat : pacis enim tempore, libere vacatur agriculturæ, artibus, scientiis, justitiæ, divino cultui, et quemadmodum sub regno pacifici Salomonis *Judæa et Hierusalem habitabat a Dan usque Betsabee absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, sub ficu sua* (5) ; ita tempore pacis, divites absque ulla formidine conservant sua bona, feminæ suum honorem, patresfamilias domus, supellectilia, domesticos, et unusquisque liberam, securam et jucundam ducit vitam : *Eradicato omni aconito hostilitatis, et cacto, et rubo subdolæ familiaritatis, concultus et amœnus super Alcinoi pometum, et Midæ rosetum.* (6) Neque Midæ regis rosarium in insula Creta ; neque Alcinoi regis pomarium in Corcyra insula tanta amœninate et jucunditate commendantur; ac regni pacifici *cultissimum rus* (7), in quo pax regnat, et a quo hostilitas seu bellum exsulat : *Quis enim ense operabitur, et non contraria lenitati et justitiæ exercet ? id est, dolum, et asperitatem, et injustitiam ; propria scilicet negotia prœliorum.* (8) Quantæ vero tempore belli committantur fraudes, asperitates, iniquitates, justitiæ tranquillitati, et humanæ libertati contrariæ, nemo non videt, præsertim hac tempestate, in qua bellum in Europa grassatur, universas provincias depopulatur. Ita ut de Christianis inter se omni animadversione belligerantibus idipsum dici possit, quod alias de Romanis idolatriæ deditis fatus est Tertullianus : *Omne regnum, vel imperium, bellis quæritur et victoriis propagatur : porro bella et victoriæ, captis et eversis plurimum urbibus constant : id negotium sine deorum injuria non est : eædem strages mœnium et templorum : pares cædes civium et sacerdotum ; nec dissimiles rapinæ ; sacrarum divitiarum et profanarum* (1) latrocinia, furta, incendia, stupra, adulteria, homicidia, sacrilegia quæ bella sequuntur, multum profecto commendant pacis tranquillitatem, quæ ab innumeris liberat malis : tantamque affert jucunditatem, quantam bellum tristitiam et afflictionem : *quid est enim hominibus, ex iis rebus quibus frui atque potiri student, vita pacifica dulcius* (2) cum absque illa res etiam in seipsis jucundæ nullam afferant lætitiam ; et per quam rebus jucunditatem afferentibus libere, secure et jucunde fruuntur homines ? Inde concludit Gregorius Nyssenus : *Ergo ipsa pax fruentibus jucunda est, cum omnia quæcunque in vita coluntur, appetuntur, et in pretio sunt, dulcia efficiat et jucunda.* Neque pax est duntaxat bonum jucundum et delectabile, sed etiam bonum honestum et honorabile.

III. PARS. Salutem *et hodie Judæi in pacis nomine appellant ; et retro sic in Scripturis salutabant.* (3) Apud Hebræos salus et pax synonyma sunt ; unde quoties sibi pacem, toties sibi salutem exoptant. Ideo D. Chrysostomus loco verborum istorum, *profecti sunt in pace,* legit, *abierunt cum salute.* Salus autem per pacem a Judæis abeuntibus desiderata et a D. Chrysostomo intellecta, non est tantum corporalis, sed etiam spiritualis. Quod innuit Apostolus, qui *non utique salutem præscribit eis quibus scribit, sed gratiam et pacem;* sed pacem a Domino, 1. Honoratam ; 2. Beatificatam ; 3. Remuneratam.

1. Quam honorati sint pacifici ostentat ipsemet Christus, dum eos *filios Dei nuncupat.* (4) Multum est filios effici, majus filios Dei nominantur, et filii Dei appellari, maximum filios Dei existimari. Pacifici, in filios Dei adoptantur : filii Dei nominantur, et filii Dei existimantur. Non vacat mysterio quod Elias qui dum conversatur in terra etiam, a filiis prophetarum Elisæi Dominus dicitur, cum ascendit in cœlum : ab ipsomet Elisæo, non jam Dominus, sed pater appellatur. (5) Opportune ad propositum Galfridus apud Tilmannum : *Liquet quia jam ab eo suus ille Do-*

(1) Esai. 48. — (2) Psal. 13. — (3) Lib. 2. Paral. 15. — (4) Tert. Lib. de Spect. 29. — (5) Lib. 3. Reg. 4. — (6) Tert. L. de Pall. 2. — (7) Tert. ibid. — (8) Tert. L. adv. Jud. 9.

(1) Tert. Apol. 25. — (2) Greg. Niss. Homil. 7. de Vita pacific. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (4) Tert. L. de Pat. 11. — (5). Lib. 4. Reg. 2.

minus, in Patrem tollitur et attollitur : liquet quod e servo in filium adoptatur. Quandiu homo est in statu peccati, est duntaxat Dei servus, et Deus illius est Dominus; at dum gratia sanctificatur, de servo in filium adoptatur, et qui antea Dominus, in Patrem tollitur et attollitur. *Jam enim filius, novum patris nomen est.* (2) Filius refertur ad patrem, et vicissim pater refertur ad filium : homo in mortali peccato existens refertur quidem ad Deum tanquam ad supremum Dominum, sed non tanquam ad patrem; et econverso Deus refertur ad illum tanquam ad servum, sed non tanquam ad filium. At *pax est, charissimi, quæ spoliat hominem servitute, dat nomen ingenuum, mutat apud Deum cum conditione personam : ex famulo filium, liberum facit ex servo.* (2) Vocabulum Domini ac servi utriusque conditionem et statum discriminat, longe diversa est utriusque conditio; uniuscujusque gradus magno ab altero distat intervallo : filii vero nomen, paternam imaginem repræsentat, et cum naturæ identitate, similem conditionem, et parem velut gradum importat : quanta pacifici dignitas, qui in Dei filium adoptatur, Deusque efficitur, non per naturam, quia hoc repugnat, sed per altissimam quamdam divinæ gratiæ participationem. Profecto « maximam dignitatem habent pacifici, sicut qui filius regis dicitur, in domo regia summus est. » (3) Talem ac tantam dignitatem eleganter commendat Gregorius Nyssenus : *Quibus verbis hoc inseparabile beneficium celebretur? Excedit homo suam ipsius naturam, Deus ex homine evadens : nam cum dignus habitus sit, qui filius Dei fiat, dignitatem patris in se prorsus habebit* (4), filiusque Dei nominabitur, *nec pervenitur ad vocabulum filii Dei, nisi per nomen pacifici.* (5) At cur pacifici peculiariter filii Dei nominantur, cum omnes justi sint etiam filii Dei per adoptionem? Hujus trinam accipe rationem. Primam a Chrysologo, quia sunt summe dilecti, Deoque gratissimi, in quibus tanquam pater in filiis delectatur; *pax est voluntas Dei, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis.* Secundam ab Haimone, quia filium Dei naturalem imitantes, merito societatem nominis ejus sortiuntur, et filii Dei appellantur. Christus autem filius Dei naturalis, fuit maxime pacificus, ideoque *qui filium Dei specialiter in pacis observatione imitantur, recte filii ejus vocantur.* Tertiam a D. Bernardo, quia Dei repræsentant imaginem; pacis studium et amor Deum exprimit; *non est enim Deus dissensionis, sed pacis : ideoque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari* (1), quia patrem exhibent, et ut filii ejus sese gerunt. Homines parentum suorum similitudinem referunt, pacifici Deo assimilantur, quapropter merito filii Dei nominantur, et ut tales existimantur : non modo augusta Dei filiatione decorantur, non modo filii Dei vocitantur, sed omnium oculis filii Dei apparent, et omnium ore et plausu, quasi generosa Dei soboles celebrantur. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei* (2); et quemadmodum Christus Dominus honoratus fuit Centurionis confessione, ita pacifici, dum communi omnium ore celebrantur, gloriose felicitantur.

2. Christus Dominus *pacificos titulo felicitatis notat* (3) cujus beatitudini aliquod speciale præmium promittit Salvator; mundis corde, Dei visionem; possessionem terræ mitibus; regnum cœlorum pauperibus spiritu; esurientibus et sitientibus, satietatem; consolationem lugentibus; misericordibus misericordiam; pacificis vero honorandam filii Dei dignitatem : pauperibus, mitibus, misericordibus, esurientibus, mundis corde, unum aut alterum promittitur bonum; at pacificis tanquam Dei filiis *Christus omnia dona suæ pollicitationis, et præmia, in pacis conservatione promittit. Si hæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus; si filii Dei sumus, pacifici esse debemus* (4), et nobis omnia bona paterna in pollicitatione donantur.

Veteres sibi finxerunt seculum aureum, in quo homines deferebant cor super labia; torques veræ amicitiæ habebant in manibus; pax et concordia sub specie virginis speciosissimæ in solio regio sedens; pacificis omnium bonorum pollicebatur abundantiam. Gregorius quoque XIII, Summus Pontifex, quanta bona adveniant pacificis demonstravit, justitiam et pacem cum cornucopia in icone depingens, cum hoc lemmate : *Justitia pacem, pax copiam attulit* (6) : quod innuere Romani, Jani templum pacis tempore obserantes, asseverantesque hunc Deum quieto tempore pacis texere coronas, ad pacificos beandos et coronandos : pacis tempore quo Romæ reseratum erat Jani templum nascitur Christus et pacem mediis Angelis annuntiat hominibus. Inde exclamat D. Bern. (6): *Pacem volo, pacem desidero, et nihil amplius, cui non sufficit pax, non sufficis tu : es*

(1) Tert. L. de Orat. 3. — (2) Chrysol. Serm. 53. — (3) Gloss. in c. 5. Matth. — (4) Orat. 7. de Beatit. (5) Chrysol. Serm. 53.

(1) Serm. 1. in Fest. omn. Sanct. — (2) Sap. 5. — (3) Tert. L. de Pat. 11. — (4) D. Cypr. L. de Unit. Eccl. — (5) Typot. L. 1. Symb. — (6) D. Bern. Serm. 12. in Cant.

enim pax, qui fecisti utraque unum, in Calvario moriens, et tuo sanguine nos æterno Patri reconcilians : *O beatum confinium, ubi sublatus est inimicitiarum paries medius ! Beatum quidem confinium, sed nondum tutum. Est nobis in Christo pax cum Deo patre, sed nondum pax ab hoste communi.* (1) Tandem Christus suscitatur a mortuis, *quo salvo, salva pax est* (2), quam post resurrectionem nobis donavit. De qua sic fatur D. Bernardus : « Hanc pacem nobis moriendo reliquit : aliam pacem nobis resurgendo donavit. Prima nos liberat a peccato, secunda nos reconciliat Domino. Prima nobis peccata dimittit, secunda nos ad gaudia paradisi perducit. Primam nobis dedit moriturus in cruce, secundam nobis dabit in æternitate regnans cum patre. Prima fuit in luctu et dolore, secunda erit in gaudio et exsultatione. Prima lacrymosa, secunda gloriosa. Prima est in miseria, secunda erit in gloria. In prima sumus flentes cum Christo; in secunda erimus gaudentes cum Christo (3), » abunde fruentes pace remunerata.

3. *Pax a Domino nostro Jesu Christo redundet* (4), in cœlo scilicet, « ubi tam *multiplex omnium delectabilium copia, ubi copiarum omnium plenitudo. Ubi erit mons pacis, pax super pacem, pax quæ exsuperat omnem sensum. Pax mons magnus, pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab ipsis dæmonibus, pax cum Deo, et pacis non erit finis.* (5) Ut autem animadvertit Guillelmus Parisiensis, « dicitur et pax propter elongationem a bellis tam spiritualibus, quam temporalibus, et omnimodam immixtionem ejus ad illa. Ipsa enim pax temporalis et in medio bellorum posita est, et bellis immixta. Dicitur et requies, quoniam finis est omnium laborum, commotionum nostrarum, et concussionum. Dicitur et libertas, quoniam elongatio est ab omni oppressione, et exactione et angustiatione. Nominatur beatitudo, lux et claritas, quia omnis ignorantia, omnis dubitatio, omnis error, omnis opinio tunc cessabit, eritque visio omnium electis, quæ videre eos decebit, et delectabit. » (6) His titulis insignitur pax illa cœlestis, quæ Apostolo teste exsuperat omnem sensum (7): quod quomodo intelligendum sit, declarat Antistes Parisiensis : « Intelligimus autem exsuperationem sensuum, videlicet incomprehensibilitatem suam, ut nullus sensus immensitatem ejus prout est, et quanta est, comprehendere possit. Vel exsuperat omnem sensum suavitate sua, quemadmodum lux solaris omnem sensum luminositate sua. Quemadmodum nullus visus, totam luminositatem solis capere sufficit, imo radiolo ejus modico impletur, sic nullus sensus capere sufficit, hoc est sentire immensitatem suavitatis pacis Dei », qua præmiantur in cœlo beati, *ipse Deus erit in pace præmium.* (1) Ut autem docet aliorsum D. Augustinus, *pacem illam ultimam, et beatam non habebit in fine, qui pace temporali non bene utitur ante finem* (2) : meritum debet præcedere præmium, pax æterna, nonnisi pace temporali potest mereri; nam, ut belle ad propositum ait D. Bernardus, *unitas Sanctorum alia est quæ justificat, alia quæ glorificat* (3) : una meritum, altera præmium. Unitas, quæ in hac vita habetur, est meritum ; unitas, quæ in cœlo possidetur, est præmium. Quod innuit Apostolus, aiens : *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* (4) Non quod unus solus salvetur et percipiat coronam gloriæ, sed quia illi duntaxat qui sunt concordes, pacifici et unanimes, reportant cœleste præmium. *Omnes quidem Christiani, et boni, et mali, pro modo suo currunt ad bravium ; sed unus qui legitime currit, id est, unitas electorum percipit illud.* (5) Quod docuit ipsemet Salvator suis discipulis relinquens pacem, ut per pacem viæ patriæ sibi compararent pacem, ut bene animadvertit D. Bernardus : *Sed fides, non species ; promissio, non exhibitio pacis. Et quidem pax nunc est hominibus bonæ voluntatis ; sed quid est pax ista ad illius plenitudinem et supereminentiam pacis ? Unde et ipse Dominus ait : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, meam scilicet quæ exsuperat omnem sensum, id est, pax super pacem : necdum capaces estis ; propterea do vobis patriam pacis et relinquo interim viæ pacem.* (6) Christus donat nobis et relinquit pacem, donat pacem patriæ cujus capaces non sumus in seculo ; relinquit pacem viæ, ut per eam ad pacem patriæ perveniamus. Et quemadmodum nullus ad terminum viæ pervenire potest, nisi prius per viam progressus fuerit, ita nemo patriæ pacem quam donat Christus potest assequi, nisi incedat per pacem viæ quam discipulis reliquit. Quod hac ratiocinatione declarat D. Augustinus : *Leges ha-*

(1) D. Bern. Serm. 16. in Cant. — (2) Tert. Lib. de Bapt. 17. — (3) Serm. 20. in Cen. Dom. — (4) Tert. L. de Vel. Virg. 17. — (5) D. Bern. in Psal. 23. Quis ascendet in montem Dom. — (6) De Retributionibus Sanct. cap. unico. — (7) Philip. 4.

(1) D. Aug. L. 7. Civit. 12. — (2) Serm. 121. de Diversis. c. 26. — (3) Serm. 5. de Assumpt. Virg. — (4) 1. Cor. 9. — (5) D. Anselm. — (6) Serm. 4. in Vigil. Nat. Dom.

bent ut testatoris voluntati in omnibus pareatur. Si quis contra voluntatem testatoris facere voluerit, careat hæreditate. Christus fuit testator; testamentum profero, verba testamenti recito. (1) Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. *Hæredes quibus divisit fuerunt homines bonæ voluntatis, unde qui hanc hæreditatem voluerit dividere, non poterit hæreditatem possidere : non poterit possidere pacem, qui voluerit dividere pacem.* Quare, Fratres, si Christi hæredes esse volumus, voluntati ejus in omnibus pareamus; si in cœlo desideramus frui pace, quandiu sumus in seculo, servemus pacem. « Pacem et unitatem a nobis exigunt Angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his quæ formam quamdam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Hierusalem novam in terra? Dico autem ut quomodo civitatis illius participatio est in idipsum : sic et nos idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, sed magis omnes simul unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, » (1) ut possimus cœlestem adipisci Hierusalem, et cum beatis Angelis interminabili frui pace. *Est enim Hierusalem visio pacis cujus fines Dominus posuit, non initium sane, nec medium. Si ergo pacem non habetis, imo quia perfectam in hoc seculo habere non potestis, saltem videte eam, intueamini, considerate et desiderate eam. Illuc sint oculi cordis vestri, ad pacem sese dirigat intentio vestra, ut omnia quæcunque facitis, hujus pacis, quæ exsuperat omnem sensum, desiderio faciatis : in omnibus hoc intendatis, ut reconciliati pacem habeatis ad Deum* (2) in tempore et in æternitate.

(1) Lib. 1. de Hæres. cap. 6.

(1) D. Bern. Serm. 1. in Nat. Virg. — (2) D. Bern. 2. in Vig. Nat. Dom.

PECCATOR.

SCHOLIUM.

Peccator : 1. Depretiatus ; 2. Mancipatus ; 3. De relapsu culpatus ; 4. Consuetudine inveteratus ; 5. Excæcatus; 6. Induratus.

CONCIO PRIMA.

Nemo *major nisi Christianus* (1), qui potest considerari secundum naturam, disciplinam et gratiam ; secundum naturam, ratione nobilitatur ; secundum disciplinam, fide commendatur; per gratiam vero sanctificantem, a Deo adoptatur; ratione a bellua secernitur ; fide ab idololatria distinguitur ; gratia et sanctitate a filiis diaboli discriminatur : Christianus autem peccando vilescit, depretiatur, et a trina illa dignitate deturbatur : scilicet a, 1. Ratione ; 2. Religione ; 3. Divina filiatione.

(1) Tert. L. de Præs. Hær. 3.

I. PARS. Hominis dignitatem ex proximitate cum Deo commendat Tertullianus. *Quid enim super hominem credas Deo proximum ?* (1) Cum enim Deus sit ens infinite perfectum, causa et mensura finitæ bonitatis creaturarum, quæ sunt effectus supremæ et primæ causæ, quo creaturæ Deo sunt proximiores eo majorem ab illo mutuantur perfectionem. Inde taxanda est hominis dignitas, qui non solum est opus et vestigium Dei, quemadmodum entia inanimata, vegetantia, et animalia irrationalia : sed etiam (non secus) ac Angelus, est *res et opus, et imago, et similitudo.* (2) Hæc autem Dei imago in ho-

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 6. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 6.

mine, potissimum in ratione, libertate et dominatione sita est. At proh dolor! *Ipse homo omnium flagitiorum auctor, non solum opus Dei, verum etiam imago est; et tamen corpore et spiritu desciit a suo institutore* (1): peccando depretiatus est, et a sublimi illa dignitate quodammodo deturbatus, degenerans a perfecta 1. Mentis ratione; 2. Arbitrii libertate; 3. Imperii dominatione.

Rationalis etiam Deus, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. (2) Ut rationalis, est principium rationis: ratio autem usurpatur in divinis vel personaliter pro Verbo ab æterno producto, quod apud Græcos Λόγος vocitatur: quapropter de ratione divina personaliter sumpta sic fatur Tertullianus. *Hanc Græci Λόγος dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus.* Duplex in nobis est sermo. Externus unus, ore et voce prolatus; internus alter, in mente conceptus et existens. *Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeas in se etiam tacendo rationem, et in ratione sermonem* (3), Hic autem sermo divinus non est alius nisi Verbum a Patre productum. Nam, ut subjungit ibidem Tertullianus, *possum itaque non temere præstruxisse, et tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse; habentem in semetipso proinde rationem, et in ratione sermonem, quem secundum a se faceret agitando intra se. Hæc vis et hæc divini sensus dispositio, apud Scripturas etiam in nomine Sophiæ ostenditur. Quid enim sapientius ratione Dei, sive sermone? itaque Sophiam quoque exaudi, ut secundam personam conditam.* Ne autem termini quibus utitur Tertullianus, infirmo præbeant offendiculum, per sapientiam conditam intelligit sapientiam genitam. Dum autem ait Patrem æternum, sermonem a se facere secundum, agitando intra se, ly *facere* sumit large, prout idem est ac producere. Pater enim per dictionem ab æterno producit intra semetipsum. Verbum quod est sapientia genita, sermo primarius, ratio personalis, et secunda sanctissimæ Trinitatis persona. Ratio adhuc in divinis sumitur essentialiter pro operatione intellectus tribus personis communi: quomodo intelligendus est Tertullianus: *Quippe res Dei ratio. Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione providit, disposuit, præordinavit* (4): *nihil non ratione tractari intelligique voluit:* scilicet ab homine, qui cum sit Dei imago, utpote rationalis, omnia cum ratione tractare operarique debet: quem ideo alloquitur Tertullianus: *Idque quo facilius intelligas ex teipso ante recognosce, ut ex imagine et similitudine Dei, quam habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali artifice factus.* (1) Hominis naturam declarat Tertullianus: ejus quoque denotat operationem. Natura est animal rationale. Animal est genus per quod cum cæteris animantibus convenit; rationale vero est differentia essentialis, qua in sua natura constituitur et a bestiis distinguitur, Deumque velut exemplar cujus est imago imitatur. Quod si ex Morali Philosopho *id in quoque optimum est cui nascitur, quo censetur* (2); naturalis hominis dignitas præsertim in rationalitate consistit. Per hanc multum supra cætera animantia sublimatur, Deoque, cujus imaginem defert, approximatur. Nam, ut subjungit præfatus Philosophus, *in homine optimum quid est ratio: hac antecedit animalia, Deumque sequitur.* Inde sapienter concludit: *Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus communia sunt.* Sumit ibi Seneca rationem pro rationalitate, quæ est essentiale constitutivum et distinctivum hominis. Ratio autem pro operatione usurpata, est etiam propria hominis, neque ullo modo bestiis competit, quæ cum sint ex sua natura irrationales, nequeunt rationabiliter operari.

Homines autem per peccatum a naturali perfectione degenerant. Licet enim rationalitatem non amittant, rationabiliter tamen non operantur, et operando contra rationem, Deum perverse imitantes, ad ipsum non approximant, sed potius ab illo elongantur. *Cæterum a ratione tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore.* (3) Ut autem appareat *quam irrationaliter diversentur* peccatores, audiatur Regius Vates de semetipso aiens: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* (4) Caput est præcipua humani corporis pars, rationis, sapientiæ et prudentiæ sedes: iniquitates autem Prophetæ supergressæ sunt caput ejus, *ita ut obruant rationem, quæ topice caput nuncupatur.* Sic Patres græci expendunt præfatum Davidis locum in Catena apud Corderium. Quibus annuens Origenes caput vocat, *vim rationalem,* cujus operatio peccati impeditur pravitate, adeo iniquitas hominem dejicit a mente, ab intelligentia et a ratione. *Sua quemque fraus, suum scelus,*

(1) Tert. L. de Spect. 2. — (2) Tert. L. adv. Prax. 5. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. L. de Pœnit. 1.

(1) Tert. Lib. adv. Prax. 5. — (2) Epist. 77. — (3) Tert. Lib. de Pœnit. 1. — (4) Psal. 37.

sua audacia, de sanitate ac mente deturbat, ut dixit olim Orator Romanus.

Neque duntaxat peccatorem scelus a ratione deturbat, sed eum adhuc stultum et amentem efficit, ut asseverat ipsemet Deus apud Jeremiam: *Quia stultus est populus meus.* (1) Quod sincere de semetipso fatetur Propheta: *Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (2); nimirum a facie peccati quod insipientiam vocat, quia ab insipientia procedit. Uti in Verbo divino ratio est semper cum sapientia conjuncta, ita peccator ratione destitutus, sapientia orbatur et insipientia laborat. Unde Magnus Basilius elucidans psalmistam, ait: *Omne peccatum per stultitiam fit: nec sapit, nec mentem habet qui peccat:* quia peccatum quod est rectæ rationi et sapientiæ contrarium, peccatoribus intellectum quodammodo tollit: *Et ideo quia deseruerant rationis auctorem, merito primi intellectus perdiderant libertatem.* (3) Dum ratio peccando obruitur, primus intellectus amitti dicitur, quasi alius peccatori succedat intellectus, brutorum sapiens naturam, a peccatis irrationabilibus haud dissonans, ad cœlestia cæcutiens, ad terrena aciem figens, a spiritualibus peregrinans, post sensuales voluptates inhians. Quare animam rationalem et spiritualem, sensuum blanditiis et voluptatibus pene immersam sensualem nuncupat Tertullianus: *Opinor sensualis est animæ natura: et ut impressius dixerim, animæ anima sensus est.* (4) Adeo peccatum contrariatur rationi, ut anima peccatoris, etsi ex sua natura spiritualis et rationalis, velut sensualis et animalis existimetur, et ita homo scelerosus ab intellectu et sapientia degenerat, ut non rationalis, sed carnalis vocitetur. *Caro quippe homo efficitur, quando sensui carnis ratio subjugatur.* (5) Tunc enim non rationaliter, sed carnaliter operatur, neque intellectu et sapientia in suis actionibus dirigitur, sed sensu et concupiscentia ad agendum movetur: sicque a naturali dignitate degenerat. Nam, ut belle ad propositum fatur Hesychius, *quando aliquis peccatorum felicitate deceptus ad eorum imitationem fuerit incitatus, illico depravatur, a propria dignitate decidens.* (6) Frater, si rationalem cupis conservare perfectionem noli imitari peccatores, qui te suis sceleribus depravant, sed attolle mentis oculos ad Deum, qui est *immutabilis ratio, creans mentes ad se participandum.* (1) Deum autem participant per rationem, a qua deturbantur per peccatum, quod hominem ex rationali efficit irrationalem.

(1) Cap. 4. — (2) Psal. 37. — (3) Euseb. Emiss. Homil. 11. de Pasch. — (4) Lib. de Car. Chr. 12. — (5) D. Greg. in L. 1. Reg. 15. — (6) In Caten. Pat. Græc.

Tertullianus diabolum Deo opponit. Deus homini rationem contulit, diabolus hominis rationem pervertit; Deus homini largitus est rationalitatem ut rationaliter operetur, diabolus hominem ad peccatum inducit, ut irrationaliter agat. *Sed etenim a diabolo immissio delicti: irrationale autem omne delictum; igitur a diabolo irrationale, a quo et delictum, extraneum a Deo, a quo est irrationale alienum. Proinde diversitas horum ex distantia auctorum.* (2) Quadruplici argumento utitur Tertullianus ut hominem ab irrationalitate dimoveat: 1. Quia delictum est irrationale; 2. Quia delictum, et consequenter irrationale a diabolo sumpsit exordium; 3. Quia irrationale est posterius rationali, et extraneum naturæ hominis. *Irrationale autem posterius intelligendum est, ut quod acciderit ex serpentis instinctu ipsum illud transgressionis admissum; atque exinde inoleverit, et coadoleverit in anima, ad instar jam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit.* 4. Quia irrationale est alienum a Deo qui est rationalis, et homini contulit veluti suæ imagini dignitatem rationalem, quem insuper liberi arbitrii perfectione donavit.

2. *Dedimus animæ libertatem arbitrii.* (3) Ut autem docet D. Bernardus, « triplex nobis proposita est libertas. A peccato, a miseria et necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura; in prima restauramur a gratia; media nobis reservatur in patria. Prima dicatur libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Primo nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis a Deo creatura. Secundo reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura. Tertio sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima libertas habet multum honoris; secunda plurimum etiam virtutis; novissima cumulum jucunditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus; in secunda carnem per tertiam mortem subjicimus. » (4) In præsentiarum non est sermo de libertate gratiæ, qua pollent in via justi, neque de libertate gloriæ, quam habent in patria Beati, sed de libertate a necessitate seu libero voluntatis arbitrio quod est naturale cuilibet rationali creaturæ. Aliorsum

(1) D. Bern. Lib. 5. de Consider. — (2) Tert. L. de An. 16. — (3) Tert. L. de An. 22. — (4) Tract. de Orat. et Lib. Arb.

libertatem indifferentiæ adversum hæreticos propugnavimus (1), quæ nullo modo tollitur per gratiam, duodecimque adhuc rationes subministravimus queis probatur convenientissimum fuisse ut Deus homini illam largiretur liberi arbitrii indifferentiam. (2) Nunc autem dicendum est cum Tertulliano imaginem Dei in homine potissimum in libero voluntatis arbitrio sitam esse : *Liberum et sui arbitrii, et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animadvertens quam ejusmodi status formam. Neque enim facie et corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est; sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animæ, ad formam Dei respondentis, et arbitrii sui libertate et potestate signatus est.* (3) Tertulliano assentitur D. Bernardus, qui postquam varios exquisivit modos quibus anima rationalis divino Verbo potest assimilari, et hanc similitudinem in ejus simplicitate, immortalitate et beatitudinis capacitate constituit, illico subjungit : « Nec enim minus insignem, similemque minus Verbo, animam facit, et forte etiam plus, arbitrii libertas. Hæc est plane divinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. » (4)

Verum *rationalitatem, intellectualitatem, arbitrii libertatem; quæ omnia nativitus animæ conlata, idem qui in primordio invidit, nunc quoque obumbrat, atque depravat, quominus aut ultro prospiciantur, aut qua oportet administrentur.* (5) Quod operatur duobus potissimum modis. Primo imaginationi objiciendo irritabiles formas, ex quibus homo commoveatur, et ad peccatum inducatur. Secundo commovendo appetitum sensitivum, eumque concitando ad aliquam passionem, ex qua sequatur peccatum. Licet autem diabolus suadeat peccatum et ad illud inducat, sive repræsentando phantasiæ formas imaginarias, sive commovendo appetitum ad aliquam passionem, principaliter tamen et directe non est causa peccati, quia, ut docet D. Augustinus, *voluntas est qua peccatur, et qua recte vivitur.* (6) Et ut aliorsum fatur Hipponensis antistes, *peccatum est adeo voluntarium, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* (7) Voluntas autem non subjicitur diabolo, neque ab illo moveri potest, cum ipse non sit voluntatis causa : et quantumvis diabolus voluntatem instiget ad peccandum, nullam tamen infert peccandi necessitatem quia quandiu libera manet voluntas, resistere potest peccato : neque peccat nisi quia libera est ad resistendum, et non resistit. Voluntas autem ratione illustrata, libera semper manet : nam, ut philosophatur dubius Augustinus, « arbitrium ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat, quidve recuset, puto quod nomen accepit : Vel ideo dictum liberum quod in sua sit potestate positum, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis et rationalis animæ motus (1) : » inde concludit verus Augustinus : *Voluntate ergo peccator.* (2)

Ad majorem præfatorum intelligentiam, trina distinguenda est peccati causa. Persuasiva, inclinativa et effectiva. Persuasiva est diabolus, qui per modum inducentis, et interius instigantis concurrit duntaxat ad peccatum. Inclinativa, est appetitus inferior seu sensitivus, qui mediis passionibus rationem obnubilat, et voluntatem ad peccatum inclinat. Ut autem animadvertit D. Augustinus, « motus appetitus ante peccatum in paradiso vitiosi non erant : non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur ; unde necesse esset eos ratione tanquam frænis regentibus abstinere. » (3) Post peccatum vero et in statu naturæ corruptæ, passionum motus adeo sunt effrænes et inordinati, ut nisi ratione frænentur et regantur, a bono operando avocant, et ad malum faciendum sollicitant, ut experimento doctus fatetur Paulus : *Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* (4) Tandem causa effectiva et completiva peccati, est depravata voluntas libere consentiens motui inordinato rationi contrario, ad quem movetur ex inclinatione appetitus inferioris seu sensitivi. Uti enim voluntas est recta, bene ordinata, et consequenter principium actus meritorii, quando movetur secundum rationem, ita est depravata, mala et inordinata, quando movetur contra rationem; quia *nec peccatum, nec recte factum imputari cuiquam recte potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur et peccatum et recte factum, in libero voluntatis arbitrio* (5), quam ad peccandum non cogunt, vel necessitant inordinati passionum motus.

(1) Tert. Præd. Tom. 3. Tract. de Gratia Conc. 4 — (2) Tert. Præd. Tom. 1. Tract. de An. Ration. Conc. 1. — (3) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 5. — (4) Serm. 81. in Cant. — (5) Tert. L. de An. 38. — (6) L. 1. Retract. 9. — (7) Lib. de Ver. Relig. 14.

(1) D. Aug. L. 1. Hypognost. — (2) L. de Ver. Relig. cap. 14. — (3) L. 4. Civ. 19. — (4) Rom. 7. — (5) D. Aug. L. 83. Quæst. qu. 24.

Verum licet concupiscentia et appetitus inferior subdatur voluntatis imperio, juxta istud Geneseos : « Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius (1): » hoc est, ut expendit Glossa, in potestate tua erit appetitus tuus sensitivus, quia liberi es arbitrii : ideoque non peccatum tibi, sed tu dominari debes peccato : vel, sub te erit appetitus tuus, ne illi præbeas consensum ; et tu dominaberis illius, nullo modo procedendo ad actum, sed internum etiam animi motum rejiciendo. Attamen tanta violentia inordinati concupiscentiæ motus voluntatem pulsant, ut ejus alliciant consensum, et libero arbitrio aliquam peccandi velut necessitatem imponant. *Per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem.* (2) Necessitatem liberam, et libertatem quasi violentam agnoscit D. Augustinus, et incompossibilia velut componit, dum in peccatore inevitabile liberum, spontaneum, violentum, arbitrium coactum, et indifferens necessarium agnoscit. Liberum oritur ab hominis voluntate, necessarium vero vel ab objectis sensibilibus, vel a concupiscentiæ æstibus, vel ab inveteratis sceleribus : 1. Objecta sensibilia quæ externis sensibus delectabilia apparent, phantasiam concitant ; excitata phantasia voluntatem ad consensum sollicitat ; præstigiata voluntas objectorum blanditiis, sensuum fallaciis, concupiscentiæ stimulis, peccato liberum præbet assensum, cum eo consuetudinem facit, illique quadam velut necessitate adhæret : *Ita nescio quo pravo et miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem : nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam premendo blandiens, et blandiendo premens : unde sese rea voluntas ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat.* (3) 2. Voluntaria illa necessitas a concupiscentiæ procedit illecebris. Quod eloquenter declarat Chrysologus elucidans Apostoli verba : « Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis. (4) » Hujusmodi autem lex repugnans rationi et voluntatem captivam ducens ad peccatum, est concupiscentia : *Quam beatus Apostolus anhelare in humanis visceribus sic deplorat. Fragilitas certe quæ dum serpit in carne, in venis æstuat, intrat ossa, conditur in medullis, fervet in sanguine, in vitiorum frenesim sic erumpit. Fragilitas febris naturæ, languorum mater, genitrix passionum : quæ nobis jus necessitatis imponit et ubi necessitas, non voluntas : ubi extat de conditione captivitas, judicium de potestate non constat. Fragilitas per quam vadit homo, non quo invitat voluntas, sed quo necessitas ducit. Audi Apostolum dicentem, non quod volo, hoc ago.* (1) Fuse describit Chrysologus quantum inflammet corda et corpora nostra concupiscentiæ ignis ; et quanta velut necessitate ad se alliciat voluntatem. *Ita anima, miro quodam et malo modo sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate, et ancilla tenetur et libera : ancilla, propter necessitatem : libera, propter voluntatem ; et quod magis mirum, magisque miserum est ; eo rea, quo libera : eoque ancilla, quo rea : ac per hoc eo ancilla, quo libera* (2), libere, et non coacte, sese subjiciens concupiscentiæ imperio, et peccatorum tyrrannidi, quæ : 3. Ob inveteratam consuetudinem, quamdam necessitatis speciem imponunt voluntati, ut ex publica illa et passim obvia D. Augustini confessione comprobatur : *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate : velle meum tenebat inimicus, et de eo mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas ; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstructum dira servitus* (3), quæ peccatorem, tum a libertate, tum a dominatione deturbat.

3. *Dedimus animæ dominationem* (4) quam constituit Deus *molitionis suæ reginam* (5); hominemque ex corpore et anima compositum, animalium effecit dominum, ejus imperio subjiciens volucres cœli, pisces maris et animantia terræ, ut refertur in primo Geneseos capite, et in hac dominatione nonnulli imaginem Dei constituunt : hoc autem dominium plenum et perfectum erat in homine innocuo : tum quia mira pollebat solertia ad bestias edomandas et cicurandas, tum quia ex peculiari Dei providentia belluæ et bruta ei ad nutum parebant, sicut modo domestica et mansueta animalia. Ideoque quandiu homo innocentiæ servavit statum, tandiu belluæ etiam ferocissimæ ejus agnoverunt domi-

(1) Cap. 4. — (2) Lib. de perf. Just. — (3) D. Bern. Serm. 81. in Cant. — (4) Rom. 7.

(1) Chrysol. Serm. 41. — (2) D. Bern. Serm. 81. in Cant. — (3) Lib. 8. Conf. cap. 5. — (4) Tert. L. de An. 22. — (5) Tert. L. de Res. Carn. 9.

nium, eique blande famulatæ sunt. At mox ut Deo inobsequens exstitit, servitutis suæ excusserunt jugum, neque homini nisi coactæ et per vim obtemperant et ministrant : *Quod autem nunc terrori nobis sunt bestiæ, et timeamus, et dominio exciderimus, hoc fecit peccatum : nam ab initio res non ita se habebat, sed timebant, et tremebant bestiæ, et suspiciebant dominum* (1) : nunc autem tantum abest ut homini sceleroso et Deo inobsequenti obtemperent, quin imo illum oderunt, persequuntur, impugnant, et expugnatum crudeliter dilacerant. *In reos majestatis et publicos hostes omnis homō miles est.* (2) Adversus hominem Deo rebellem armantur belluæ, cum eoque prœliantur tanquam milites Dei vivi, persequentes peccatorem reum, non regiæ, sed divinæ majestatis, merito deturbatum a dignitate, quam habebat tum a natura, tum a disciplina.

II. PARS. *Religionis christianæ sacramentum* (3) tria potissimum a fidelibus desiderat, queis ab idololatris discriminantur. Nam verum Deum colunt, christianas veritates credunt, idololatriam rejiciunt. At peccatores idololatræ, 1. Verum Deum non agnoscunt; 2. Christianas veritates non credunt; 3. Idololatriam admittunt.

1. Christiani vaticinati sunt a prophetis *Deum agnituri et omni officio religionis prosecuturi.* (4) Duplici modo Christiani verum Deum agnoscunt, et naturaliter, et supernaturaliter : naturaliter, per rationis discursum; supernaturaliter, per fidei lumen. Cuncta quæ in mundo produxit Deus, rationem ducunt ad notitiam Dei, qui *tantis operibus notitiam sui armavit.* (5) Quot sunt in mundo creaturæ, tot sunt voces alte Dei existentiam decantantes : non sine testimonio semetipsum reliquit. *Habet Deus testimonia totum hoc quod sumus, et in quo sumus* (6) ; nimirum cuncta entia creata, quæ in universo continentur ; et insuper ipsemet homo, qui est parvus mundus et breviarium totius universi. Et quia *Deus ita credendus colendusque est, ut disciplina disposita est Christianorum.* (7) Deum humanatum etiam cœli et elementa senserunt. Ut enim ait Magnus Gregorius, *omnia quippe elementa auctorem suum venisse testata sunt. Ut enim de eis quiddam usu humano loquar, Deum hunc cœli esse cognoverunt, quia stellam protinus miserunt : mare cognovit, quia sub plantis ejus calcabile se præbuit : terra cognovit, quia eo moriente contremuit : sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit.* (1) Christiani quoque rationis suæ abscondentes lucem, Deum supernaturaliter per fidem agnoscunt. *Nos definimus Deum primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum : natura, ex operibus ; doctrina, ex prædicationibus* (2) prophetarum et apostolorum. Siquidem suæ veritatis Deus *tantos habuit testes, quantos fecit prophetas* (3), quot habuit apostolos, evangelistas, prædicatores, in veteri et novo Testamento, et quod est prorsus admirabile, quot sunt in universo mundo Christiani. Nam *Deum cuilibet Christianus, et invenit, et ostendit, et exinde totum quod in Deo quæritur, re quoque assignat.* (4) Inde colligenda est peccatoris iniquitas, qui Deum naturaliter, et supernaturaliter cognitum non agnoscit, neque christianas veritates credit.

2. *Non omnium est credere, quod Christianorum est.* (5) Inter veritates christianas, quædam respiciunt divinitatem, quædam Christi humanitatem, ut nativitas, passio, resurrectio Domini : quædam a malo avocant, ad bonum stimulant, ut judicium ultimum, infernus, cœli beatitudo. Christiani omnes illas veritates credunt : 1. Quæ dignoscuntur fide Trinitatis, *obsignata in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto.* (6) 2. Christi mysteria submisse credunt, quantumvis sensibus contraria, et rationi impossibilia videantur. *Crucifixus est Dei Filius : non pudet, quia pudendum est. Mortuus est Dei Filius ; prorsus credibile est, quia ineptum est.* (7) Tandem, 3. Judicium ultimum, interminabile inferni supplicium, et interminabilem credunt cœli gloriam. *Itaque ridemur, Deum prædicantes judicaturum : et gehennam si comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus, ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur : et si paradisum nominemus locum divinæ amœnitatis recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum* (8), stulti et insanientes existimamur : non solum a Gentilibus, sed etiam a peccatoribus, qui veritates christianas, præsertim quæ mores componunt, fictitias et fabulosas proclamant : « Male viventes ne futurorum metu et exspectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia quæ nostra religio continet : nempe de peccatis, de resurrectione, judicio futuro, et similibus : » (9) sicque enormior peccandi licentia

(1) D. Chrysost. Hom. 9. in Gen. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 2. — (4) Tert. L. 3. adv. Marc. 6. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc 11. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 10. — (7) Tert. Apol. 23.

(1) Hom. 10. in Evang. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 18. — (3) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 5. — (4) Tert. Apol. 46. — (5) Tert. L. de An. 6. — (6) Tert. L. de Bapt. 6. — (7) Tert. L. de Carn. Chr. — (8) Tert. Apol. 47. (9) D. — Chrysost. in 1. Timoth. 1.

est fidei naufragium, ut asseverat Apostolus : *Quidam repellentes bonam conscientiam naufragaverunt circa fidem.* (1)

Clemens Alexandrinus probos Christianorum mores, divinam philosophiam nuncupat : *Quæ est secundum traditionem divinam philosophia* (2) : inde concludit : *Qua sublata videtur fabula Salvatoris œconomia.* Christiani scelerose viventes totam Christi disciplinam, velut inanem fabulam existimare videntur. Si enim ultimum judicium crederent, si inferni supplicia vera existimarent, si interminabilem cœli beatitudinem sperarent, si Ecclesiæ sacramenta Deique mysteria pro dignitate reputarent, non sic viverent ac si fabulæ forent ac fictitia poetarum commenta.

Sapiens timet et declinat a malo (3) ; quia de longe prospicit, et futura contemplatur : quia *sapientis oculi in capite ejus.* (4) D. Bernardus expendens ista Moysis verba : « Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent, » (5) Christianum alloquitur: *Si saperes quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi ; provideres quæ inferni : profecto infernum horreres, superna appeteres, quæ ad manum sunt contemneres.* (6) Quam vere dicit Tertullianus, *nemo sapiens nisi fidelis* (7), qui mundum contemnit, infernum metuit, cœlum magnifacit, et fidei veritates credit. Non sapiens, sed stultus peccator qui scelerosam vitam ducens, christianas veritates fabulosas credit : et ut fatur D. Augustinus, criminose vivens Deum calumniatur : *Quando aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris* (8), cuncta fidei mysteria pro nihilo ducens, et velut figmenta contemnens : *Semper humana gens male de Deo meruit, primo quidem ut inofficiosa ejus, quem cum intelligeret ex parte, non requisivit ; sed et alios insuper sibi commentata est quos coleret : dehinc, quod non inquirendo innocentiæ magistrum, et nocentiæ judicem et exactorem, omnibus vitiis et criminibus inolevit. Cæterum si requisisset sequebatur ut agnosceret, et recognitum observaret, et observatum, propitium magis experiretur, quam iratum.* (9) En verum scelerosi et peccatoris specimen, qui Deum, cujus fidem in baptismate susceperat, non requisivit, sed ejus metum a corde suo rejecit, ut liberius vitiis et criminibus vacaret, Deique indignationem provocavit falsos sibi fingens deos, et idololatriam admittens, quo gravius Deum offenderet.

(1) 1. Timoth. 1. — (2) L. 1. Strom. — (3) Prov. 14. — (4) Eccles. 2. — (5) Deuter. 32. — (6) Serm. 2. in Fest. SS. Apost. Pet. et Paul. — (7) Lib. Præsc. Hær. 3. — (8) Tract. 29. in Joan. — (9) Tert. Apol. 40.

3. *Summa offensa penes Deum idololatria* (1) est, quia non solum Gentiles falsos colebant deos, sed etiam Israëlitæ ut plurimum erant idololatriæ addicti : « Nam et secundum Scripturarum divinarum memorias, populus Judæorum, derelicto Deo, idolis servivit, et Divinitate abrelicta, simulacris fuit deditus, dicente populo ad Aaron : Fac nobis deos qui nos antecedant. Quod cum ex monilibus feminarum, et annulis virorum aurum fuisset igne conflatum, et processisset eis bubulum caput, huic figmento universus Israël, relicto Deo, honorem dederunt, dicentes : Hi sunt dei qui nos ejecerunt de terra Ægypti. Sic namque posterioribus temporibus, quibus reges eis imperabant, et cum Jeroboam vaccas aureas et lucos colebant, et Bahali se mancipabant : unde probatur eos semper idololatriæ crimine reos designatos ex instrumento divinarum Scripturarum. » (2) Plures afferunt rationes Scholastici et Patres, quibus Verbi incarnationem, quæ humanæ mentis aciem superat, persuadeant, utilemque, idoneam et quodammodo necessariam ad humanam salutem ostendant. Inter quas non minoris momenti mihi videtur convenientia Cyrilli Hierosolymitani : *Reliquerant homines Deum, fabricaverunt idola : Deo itaque in humana figura falso adorato, Deus vere homo factus est, ut solveretur falsum.* (3) Homines falsos colebant sub humana figura deos : ut autem mortales ab errore et idololatria revocaret Dei Filius, humanam assumpsit naturam, seseque in humana forma tanquam verum Deum hominibus adorandum præbuit, ut veritate solveret falsitatem, et religionem veri Dei docens, idololatriam et falsorum deorum cultum destrueret. Quod ipsemet asseverat Christus : « Ad hoc natus sum, et veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati ; » (4) et si inquiramus a dilecto Discipulo, cur divinum Verbum humanatum est, respondebit : « Ut dissolvat opera diaboli. (5) » Præcipuum autem diaboli opus est idololatria, quam evertit suo adventu Dominus, cuique in baptismate renuntiant Christiani. *Ne quis argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem convertar ipsius signaculi nostri. Cum aquam ingressi christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo, et pompæ, et angelis ejus, ore nostro contestamur. Quid erit summum atque præcipuum, in quo diabolus, et pompæ, et angeli ejus censeantur, quam idololatria, ex qua omnis immundus et ne-*

(1) Tert. L. de Spect. 2. — (2) Tert. L. adv. Jud. 1. — (3) Catech. 11. — (4) Joan. 18. — (5) 1. Joan. 3.

quam spiritus? (1) Ne Christiani professionem suam rescindant, idololatriam fugere tenentur, *propterea Apostolus inclamat: Fugite idololatriam: quæ communio Christo et Beliæ? et ideo fugite; longum enim divortium mandat ab idololatria, in nullo proxime agendum.* (2)

Post ejeratam tamen in baptismate idololatriam, plures de idololatria culpari possunt: nam prætereundo quod hæretici sacramento baptismi initiati, idololatriæ sunt addicti, docet enim Tertullianus: *Neque ab idololatria distare hæreses, cum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria: Deum aut fingunt alium adversus Creatorem, aut si unicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quam in vero est. Itaque omne mendacium quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ.* (3) Prætermisis, inquam, hæreticis, cuncti peccatores et scelerosi idololatriam admittunt. Quod hac ratiocinatione probat Tertullianus: *Cum universa delicta adversus Deum sapiat, nihil autem quod adversus Deum sapiat non dæmoniis et immundis spiritibus deputetur quibus idola mancipantur, sine dubio idololatriam admittit quicunque delinquit: id enim facit, quod ad idolorum mancipes pertinet.* (4) Cuncta delicta licet inter se specie distincta et variis nominibus discriminata, in idololatria tamen continentur, et in idololatria expunguntur. *Nam etsi suam speciem tenet unumquodque delictum, et si suo nomine judicio destinatur, in idololatriæ tamen crimine expungitur* (5); ut ab enumeratione ibidem demonstrat Tertullianus, qui postquam idololatriam recognovit in homicidio, adulterio, stupro, fraude, ambitione, superbia, vanitate, libidine, gula, ebrietate, injustitia, cæterisque criminibus, concludit: *Ita fit, ut omnia in idololatria, et in omnibus idololatria deprehendatur.* Ex Angelico namque Doctore, « idololatria est quando honor soli Deo debitus impenditur creaturæ. (6) » Superbus autem debitum Deo honorem impendit honoribus, libidinosus venereis voluptatibus, avarus divitiis et opibus, et quilibet peccator suis vitiis et cupiditatibus.

Principale crimen generis humani, summus seculi reatus, idololatria. (7) Nam Gentiles venerati sunt Jovem, Neptunum, Bacchum, Plutonem, Apollinem, Martem, Mercurium, Junonem, Dianam, Minervam, Venerem, Cererem, Proserpinam, aliosque homines criminosissimos: Judæi supremum dederunt honorem vitulo ex auro confecto aliisque idolis inanimatis. Multæ adhuc nationes in India Orientali et Occidentali, dæmones colunt, et apud Christianos adhuc idololatria viget: *Nam et hodie extra templum, et sine idolo agi potest* (1), et de facto agitur quoties de facto lethale patratur peccatum. Plures ex Gentilibus criminibus addicti, deos sceleratissimos colere simulabant, ut eorum exemplo sua auctorarent facinora: nam *hos qua dementia deos crederent, nisi quia criminum desiderio amore scelerum possidentur? criminum deos exoptant habere criminosos; qui peccare cupit, peccatorum colit et veneratur auctores. Hinc est quod Veneri adulter inservit; hinc est quod se Marti crudelis addidit* (2): hinc est quod Jovem superbus veneratur, Plutonem colit avarus, Bacchum ebriosus honorat, Mercurium laudat latrocinia exercens: alii tandem ut solutius in nefanda vitia diffluerent, « solem et lunam, deos putaverunt. (3) » *Cum aberraverint quidam ab uno Deo, alii quidem solem ponebant, ut occidente sole, noctis tempore sine Deo essent; alii vero lunam, ut in die Deum non haberent.* (4) Jacturam Dei fecerunt ut majorem haberent peccandi licentiam; ne peccandi libidinem numinis continentia continerent, elegerunt aliquando esse sine Deo vindice delictorum. Lunæ suos deferebant cultus, ut de die nefandis vacarent sceleribus: solem venerabantur, ut noctu impudentius insolescerent, adeo temporarius atheismus patrandis enormiter facinoribus favet et patrocinatur.

Idololatras Gentiles, in inferno *cum ipso Jove et ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes* (5) contemplatur Tertullianus. Jovis socii erunt adhuc plures Christiani idololatriæ addicti: intolerabilia namque inferni tolerabunt supplicia, et si quis eos interroget, quare tanta patiuntur supplicia, respondebunt: *Idola mea fecerunt hæc.* (6) Idolum vanitatis, dicet superbus, me ad putei abyssum dejecit; idolum voluptatis, dicet libidiniosus, me gehennæ addixit incendiis; idolum auri et argenti, dicet avarus, me ad summam redegit egestatem, et cœli privavit gazis; idolum peccati, dicet quivis peccator, me dedit socium pœnarum diaboli, cujus filiationem adoptioni divinæ prætuli.

III. PARS. Magnum profecto est discri-

(1) Tert. L. de Spect. 4. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 10. — (3) Lib. de Præsc. Hær. 40. — (4) Tert. Lib. de Idol. 1. — (5) Tert. ibid. — (6) 2. 2. qu. 94. a. 1. — (7) Tert. Lib. de Idol. 1.

(1) Tert. L. de Idol. 3. — (2) Chrysol. Serm. 155. — (3) Sap. 15. — (4) Cypril. Hieros. Cathech. 2. — (5) Tert. L. de Spect. 30. — (6) Isa. 48.

men inter justos et peccatores. Justi sunt filii Dei, quos per suam gratiam adoptat. *Itaque ut certum esset nos filios Dei esse, misit Spiritum suum in corda nostra clamantem : Abba pater.* (1) Peccatores vero sunt filii diaboli : quod docet Apostolus, cum dicit : *Fuimus aliquando natura filii iræ, non ex ea natura quæ ex Deo est ; sed ex illa quam diabolus induxit. Pater et ipse cognominatus : Vos ex patre diabolo estis : ne timeas et illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posterioris et adulteræ, quem legis avenarum superseminatorem, et frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem.* (2) Nam, ut sese aliorsum explicat Tertullianus, *corruptio naturæ, alia natura est, habens suum deum et patrem : ipsum scilicet corruptionis auctorem.* (3) Justi tanquam cœlestis Patris filii, 1. Templum Dei efficiuntur; 2. Dii dicuntur ; 3. Dei imagine et similitudine insigniuntur : Peccatores vero tanquam filii diaboli, 1. A dæmone inhabitantur ; 2. Dæmones nuncupantur ; 3. Dæmonis charactere et stigmate notantur.

1. *Proinde anima ad fidem pervenit reformata per secundam nativitatem ex aqua et superna virtute.* (4) Duplex est hominis nativitas : una naturalis, supernaturalis altera. In illa naturam accipit a suis progenitoribus; in ista gratiam mutuatur a Deo. In illa, proditur in lucem cum crimine ; in ista, innocentia gloriatur. In illa est diaboli habitaculum. *Cui enim homini non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam janua nativitatis animas aucupabundus ?* (5) Perpauci namque mortales sunt a perverso illo habitatore exempti, nimirum Christus, Deipara etiam, quæ non fuit originali labe maculata;Joannes quoque Baptista et Jeremias, qui licet contraxerint originalem culpam, fuerunt tamen in utero matris sanctificati. In ista est Spiritus Sancti sacrarium ; nam *excipitur a Spiritu Sancto, sicut in pristina nativitate ab spiritu profano.* (6)

Quandiu homo gratia sanctificante nobilitatur, et charitate deauratur, tandiu abest ab illo diabolus, et Spiritus Sanctus in eo velut in suo templo inhabitat : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (7) : imo tota Trinitas in eo residet et mansionem facit: Pater et Filius mittunt in illum Spiritum Sanctum procedentem ab eis, Pater donat Filium, et ipsemet Pater venit, qui cum sit prima Trinitatis persona, neque mitti, neque donari potest. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* (1) At mox ut homo peccat lethaliter, gratia sanctificante, et charitate denudatur, Dei filiatione privatur ; ab eo divina Trinitas recedit, diabolus ad eum accedit, in sceleroso illo inhabitat, qui suis criminibus sese Dei habitatione præbuit indignum. Ut enim ratiocinatur D. Hilarius, *omnis in quo peccati voluntas est, Deo vacuus est : et ubi Deum non est, illic diaboli locus est : qui insidians atque obsidens, ubi adeundi opportunitatem habuerit, tanquam vacuam domum occupat, quæ ei Deo jam discedente sit tradita.* (2) Neque peccator est duntaxat hospes *unius dæmonis, ut in Socrate ; verum et septenarii spiritus, ut in Magdalena ; et legionarii, ut in Geraseno.* (3) Legio apud Romanos 7666 constabat militibus; totidem dinumera dæmones *cum invenis in uno homine, multitudinem dæmonum, legionem se professam.* (4) Magna est hominis miseria habere in sua domo decem milites ; major apud illum hospitare viginti, maxime centum : quid si unam militum legionem hospitem habuerit? Tanta esset ut nulla ei comparanda videatur. At longe major est infelicitas habere hospitem unum tantummodo dæmonem, quam unam legionem militum, imo exercitum numerosum : nam quid agunt in una domo milites? Facultates auferunt, supellectilia destruunt, domos evertunt, domesticos vapulant, et interdum interimunt ; verum hæc omnia nullius vel saltem parvi sunt momenti, si serio considerantur strages quæ in animabus peccatorum operatur diabolus, *quem nos dicimus malitiæ angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpolatorem* (5), cujus malitiam æmulantes homines criminosi dæmones vocitantur.

2. In Oratione Dominica postulamus. *Sed erue nos a maligno* (6), nimirum a diabolo qui per antonomasiam malignus seu malus dicitur : quia ab ipso suam malitia ducit originem. Quod negare nequeunt Christiani, recognoscentes *ipsum auctorem delicti diabolum* (7) : tum quia post rebellatos in cœlo adversus Deum apostatas angelos, in paradiso terrestri, *primos homines diabolus elisit* (8) : tum quia ut protoparentes deciperet, usus est *malitia mendacii et fallaciæ in homines, et infamiæ in Deum* (9) quem in-

(1) Tert. L. 5. adv. Mar. 4. — (2) Tert. L. de An. 16. — (3) Tert. L. de An. 41. — (4) Tert. L. de An. 41. — (5) Tert. L. de An. 39. — (6) Tert. L. de An. 41. — (7) Rom. 5.

(1) Joan. 14. — (2) In Psal. 138. — (3) Tert. L. de An. 25. — (4) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 20. — (5) Tert. L. de Test. An. 3. — (6) Tert. L. de Fug. in Persec. 1. — (7) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 28. — (8) Tert. L. Spect. 18. — (9) Tert. L. adv. Marc. 10.

vidum asseruit : tum quia *universam naturam certis usibus homini mancipatam cum ipso homine corrupit : vanis primum usibus, tum turpibus, et injustis, et impiis subversam* (1) : tum quia homines ad idololatriam alliciendo, *mendacium divinitatis operatur diabolus* (2), divinos sibi arrogando honores: tum quia fundata per Verbum humanatum christiana disciplina, *ad hoc regnare se putat, si Sanctos a religione Dei deturbat* (3); tum quia nonnisi malum cogitat. *Diaboli ingenium de malitia* (4) : tum quia malum de novo incrementatur, *diabolo semper operante, et adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia* (5) : tum qui est obstinatus in malo : et, ut fatur Tertullianus, *nunquam malitiæ suæ otium facit* : tum quia adeo est ad malum pronus, ut bonum nequeat operari. *Porro cum Deus optimus, diabolus econtrario pessimus, ipsa sui diversitate testantur neutrum alteri facere, ut nobis non magis a malo aliquid boni, quam a bono aliquid mali editum videri possit.* (6)

Homo peccator ab ipso Christo in Evangelio diabolus nuncupatur : *Unus ex vobis diabolus est.* (7) Anima quoque humana, solo naturæ lumine edocta, *dæmonium vocat hominem aut immunditia, aut malitia, aut insolentia, aut quacunque macula, quam nos dæmoniis deputamus.* (8) Et merito homo scelerosus hoc perversitatis commendatur elogio : tum quia ex testimonio animæ uti Deus bonus, ita homo peccator malus : quam ideo alloquitur Tertullianus : *Deus bonus, plane tua vox est. Plane adjicis: Sed homo malus, scilicet, contraria propositione, oblique et figuraliter exprobrans: ideo malum hominem, quia a Deo bono abscesserit* (9) : tum quia, ut fatur D.Chrysostomus, *magnus dæmon peccatum* (10) : tum quia diaboli æmulatur malitiam, eumque in vitiis et criminibus imitatur. *Simias diabolicas dicimus omnes peccatores, maxime autem superbos, et generaliter omnes illos qui faciles sunt ad imitandum malos.* (11)

Plus audet D. Chrysostomus hominem peccatorem diabolo pejorem existimans. *Per peccatum homo deterior redditur diabolo* (12): tum quia diabolus unum duntaxat commisit peccatum, homo autem plura perpetrat crimina : tum quia major est ingratitudo hominis scelerosi quam diaboli : diabolus adstrictus erat, non Deo redemptori, sed Deo creatori. Deumque ut creatorem, non ut redemptorem offendit : homo vero est obligatus, non solum Deo creatori, sed etiam Deo redemptori, Deum et ut creatorem, et ut redemptorem offendit : tum quia passionibus suis et concupiscentiis servit, quibus ob orationem et gratiam debet imperare : tum quia ultro sese dæmonis subdit imperio ; *peccatum enim nos dæmones, non natura, sed voluntate, facit* (1) : tum quia tanta est hominis malitia, ut dicatur a Gregorio Nazianzeno *spiritus impuri supplementum* (2): vel quia in carne sua venereas adimplet voluptates; vel quia magis sua concupiscentia quam diaboli persuasione allicitur ad peccandum. Et ob hanc causam concupiscentia nuncupatur a Joanne Gersone *nuntius diaboli* (3) ; ab Abbate Pincenio dæmon nos impugnans, ab Abbate Achille *manubrium dæmonis*, et a Sancto Ephrem *germen diaboli* (4) qui peccatores generat, et suo stigmate et charactere notat.

5. Criminosæ peccatorum animæ sunt *stigmatibus obnoxiæ* (5), non solum quia, ut fatur Tertullianus, habent in semetipsis *stigmata delictorum* (6) quibus dedecorantur, sed etiam quia diaboli characteribus insigniuntur. Homo justus potest considerari ut homo, ut Christianus, ut justus, et in quovis statu consideratur, proprios habet characteres quibus insignitur. Ut homo, Dei imagine decoratus est, et ut fatur Rupertus, *tanquam cera sigilli testatoris imagine signata, sic imagine Dei signatus est homo.* (7) Ut Christianus, characterem indelebilem habet in anima, quem suscepit in Baptismi sacramento, et in corpore Christi crucem defert, quam Petrus Damianus nuncupat *Signaculum redemptionis æternæ* (8) ; Arnoldus Abbas Bonæ Vallis, *passionis formam et characterem, cujus inspectio terrorem dæmonibus incutiat :* Severus vero *sigillum timentium Dominum.* Ut Christianus pingitur gratiæ coloribus, et ab Spiritu Sancto sigillatur in corde : *Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis æternæ.* (9) Hæc sunt insignia quæ justum nobilitant, quibus non venustatur et decoratur peccator. Nam, ut philosophatur Sanctus Ignatius : *Homo pius numisma est a Deo cusum : impius numisma ementitum, incertum, adulterinum, carens signo debito, non a Deo effectum, sed a diabolo* (10) ; trinos

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 6. —(2) Tert. L. de Cor. Mil. 7. — (3) Tert. L. adv. Jud. 9. — (4) Tert. L. de Idol. 2. — (5) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (6) Tert. L. de Pat. 5. — (7) Joan. 5. —(8) Tert. L. de Test. An. 3. —(9) Tert. L. de Test. anim. 2.—(10) Hom. 30. ad Pop.—(11) Guill. Par. de Vitiis et peccatis c. 9. — (12) Hom. 30. ad Pop.

(1) D. Chrysost. Hom. 7. ad Pop. — (2) Tract. 2. de Cogit. Peccat. Consid. 25. — (3) Lib. 7. in Vit. Pat. c. 25. — (4) Tom. 2. Paræs. 50. — (5) Tert. L. de Resur. Car. 57. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (7) Lib. 2. in Genes. 21. — (8) Serm. 48. — (9) Ephes. 1. — (10) Epist. ad Mancsian.

eosque ignobiles et infames deferens characteres. Nam Dei imaginem in imaginem bestiæ commutat : *Scriptura enim hominem dicit, qui est ad imaginem et similitudinem Dei : peccantem autem non hominem, sed jumentum vocare consuevit.* (1) 2. Pro nota Christiani, antichristi portat characteres, qui sunt, ut animadvertit Sanctus Hyppolitus, *nego Creatorem, nego Jesum, nego baptisma.* (2) Tandem, 3. Pro similitudine Dei, quam justo confert gratia, criminosam habet diaboli similitudinem : sicque pulchritudinem suam devenustat, dignitatem depretiat, honorem infamat. Quod cum amaritudine cordis contemplatur Chrysologus : *Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo ? Quare sic honoratus a Deo teipsum taliter inhonoras,* ut naturalem Dei imaginem commacules, a Christiani charactere degeneres, et supernaturalem Dei similitudinem destruas et annihiles ? *Vide ne quod Deus tribuit amittas* : nimirum ornamenta gratiæ sanctificantis. Nam, ut subjungit Mediolanensis Antistes, *postquam enim peccasti, aliud esse cœpisti, et illud quod eras esse desiisti.* (3) Eras homo, et nunc non amplius videris homo, sed bellua ; eras Christianus, et nunc non appares Christianus, sed antichristus ; eras Dei filius, et nunc non es amplius Dei, sed diaboli filius ; eras divinis characteribus insignitus, et nunc es diaboli stigmatibus notatus. *Væ gens peccatrix, populus plenus peccatis !* (4) qui ut bellua passione operatur, ut antichristus christianam disciplinam aversatur, ut diabolus vitiis et sceleribus mancipatur. Christiane, si dignitatem tuam conservare desideras, ignobilia illa bestiæ, antichristi et diaboli noli suscipere stigmata, et justi Filii Dei, imo et Dei per gratiam defer characteres ; Spiritus Sancti « signaculum in cogitatione, signaculum in opere : ut deposita terreni hominis, cœlestis imaginem portes : » (5) Nam, ut fatur Petrus Damianus, *ut sancta anima Christi charactere utrobique signetur, eum in corde suo signaculum ponat, ut amoris ejus facibus inardescat ; ponat etiam in brachio, ut piis operibus valenter insistat* (6), et consummatam in cœlo Dei similitudinem obtineat.

(1) D. Ambr. Serm. 10. in Psal. 118. — (2) Lib. de Consum. Sec. — (3) D. Ambr. Serm. 10. in Psal. 118. — (4) Tert. L. adv. Jud. 3. — (5) D. Bern. Opusc. de Charit. c. 28. — (6) Opusc. 1. cap. 30.

CONCIO SECUNDA.

Quæ *major voluptas quam vera libertas?* (1) quare Diogenes, interrogatus *quid esset in vita optimum : Libertas, inquit.* (2) D. quoque Augustinus *magnum munus libertatis* (3) agnoscit. Apud omnes nationes tanti semper facta est libertas, ut potius eligerent vitæ dispendium quam libertatis jacturam. Aliorsum (4) retulimus Asdrubalis Carthaginensis uxorem, et Cleopatram, Ægypti reginam, quæ gloriosam mortem ignominiosæ prætulerunt servituti. Neque minor fuit animi magnitudo Dardanarum mulierum de quibus sic fatur Philo Judæus (5) : « Narrant Macedones, Dardanas mulieres, quæ servitutem credebant miseram, turpissimam, suos pueros quos in ulnis bajulabant, projecisse in fluminis gurgitem, acclamando : Vos certe non servietis. Polixenam quoque tragicus Euripides inducit contempta morte curam libertatis gerere, dum sic loquitur : Liceat me mori liberam. » Talis ac tanta magnanimitas in tenello et imbelli sexu, evidenter demonstrat quam sit amabilis libertas, et servitus odiosa. Quid enim æque grave et acerbum accidere potest homini, quam dediscere naturæ ingenuitatem, et qui sui juris est, per servitutem fieri juris alieni, non suo, sed alieno vivere arbitrio, alienis duci consiliis ? Quod adeo naturæ contrarium videtur, ut servi dicantur in jure, capite diminuti. *Servi etiam ob amissam libertatem capite diminuti dicuntur, quia velut ratione et consilio privati proprio, coguntur aliena ratione et consilio agere et vivere* (6) ; ex eoque capite minuti : quod enim in corpore caput, hoc est in mente ratio et intelligentia, quam qui tollit, una et caput ipsum tollat necesse est. Verum *aliud est servitus animæ, aliud servitus corporis.* (7) Quo anima est corpore dignior, eo ejus libertas est commendabilior, et servitus miserabilior. Animæ tamen libertatem amittit peccator efficiturque servus, 1. Passionum ; 2. Criminum ; 3. Dæmonum.

(1) Tert. L. de Spect. 29. — (2) Lib. 7. — (3) Lib. 4. Music. cap. 6. — (4) Tert. Præd. Tom. 2. Tract. de Avar. Conc. 2. — (5) Lib. quod omnis probus sit liber.—Vide Tert. Præd. Tom. 1. Tract. de An. Conc. 2. —Tom. 2. Tract. de Avar. Conc. 2. — (6) Cujac. Inst. de diminit. §. ff. — (7) D. Aug. Lib. de Ver. id. c. 55.

I. PARS. Homo ex corpore et anima compositus, in triplici potest considerari statu et loco; nimirum in statu gloriæ, habitans in cœlo post resurrectionem, quando mortale et corruptibile corpus induerit incorruptionem et immortalitatem; in statu innocentiæ existens adhuc in paradiso terreno; in statu naturæ corruptæ peregrinans in hoc mundo. In statu gloriæ *nulli passioni subjacebit* (1), neque ullis pravis agitabitur motibus. In statu innocentiæ erant quidem passiones, sed pacatæ et prorsus rationi subditæ: et ita homo vivebat in paradiso, *non turbulentus, sed compositus et temperatus.* (2) In statu vero naturæ corruptæ, *non modicis jactationibus animæ* (3) movetur homo. Quantumvis enim virtuti studeat, *non tamen immobilis animi est, sine tacita spiritus passione.* (4) Difficile ait D. Hieronymus « quin potius impossibile, perturbationum initiis carere quempiam, quas significantius Græci antepassiones vocant (5): » neque ullus est mortalis qui sit ab omni passionis motu immunis. *Vestræ passionis fides convenitur* (6), quæ si verum fateri velit, *inconcinnitatis, et inæqualitatis, et turbulentiæ denotari merebitur.* (7) In nostra libertate positum est aut inordinatis passionum motibus obtemperare, aut imperare: homines virtutis studiosi imperant, peccatores vero obtemperant, et obsequendo, 1. Passionibus mancipantur; 2. Bestiæ nuncupantur; 3. Brutis pejores existimantur.

Si quidem ipsi philosophi ex contrariis universa constare condicunt, secundum amicitiam et inimicitiam Empedoclis (8) quod tum ex magno, tum ex parvo mundo comprobatur. Et quidem universus seu magnus mundus est *diversitatibus corporatus* (9): homo etiam qui microcosmus seu parvus dicitur mundus. Nam *Deus hominem conducit velut mundum quemdam alterum in parvo magnum.* (10) Ex contrariis constat, tum quia componitur ex anima spirituali et materiali corpore: tum quia ejus corpus quatuor coadunatur elementis eorumque contrarias patitur qualitates: tum quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. *Sic vindicatur in rebellem adversus Deum, ut ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo* (11): tum quia concupiscentia allicit voluntatem ad malum: tum quia anima *sustinet passiones* (12) quæ adversus rationem pugnant. Benevolentissima Dei providentia, etiam post baptisma susceptum, in quo remittitur originalis culpa, remanet in nobis continua hujusmodi animi lucta, *stadium et scamma passionum* (1): ut propositam reportemus victoriæ coronam. Vincimus autem et domamus passiones per *rationis frenum.* (2) Uti enim frenum equum indomitum coercet, flectit, et regit quocunque sessor dirigit cursum, etiam equo renitente, sic passiones moderatur homo rationis freno. « Non est igitur culpandum corpus iis qui recte de illo sentire volunt: quemadmodum ille bonus est equus, et quanto natura sua velocior et ferventior, tanto melior; et tamen auriga et gubernatore opus habet, pote expers rationis: qui ubi ascensorem senserit illo in suum commodum utetur, si vero male ducet, in præceps aliquando cum ipso sessore auferetur. »(3) Quævis passio est veluti equus: ratio est sessor, quæ recte utitur passionibus, si eas ad virtutem adhibeat; sin autem ad vitium, homini lapsum et præcipitium parat. *Equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus* (4), et homines velut equi indomiti absque ullo freno inordinatis passionum feruntur motibus. *Quid prodest equum regere et cursum ejus freno temperare, affectibus effrenatissimis abstrahi* (5), nunc odio, nunc amore, nunc gaudio, nunc tristitia, nunc ira, nunc dolore, nunc spe, nunc desperatione moveri?

Curru fertur homo quandiu versatur in seculo. « Currus est anima habens equos bonos vel malos: boni equi virtutes sunt animæ: mali equi passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit et revocat; mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, et aut iracundia protendit, aut timor, et se invicem impediunt et cursum retardant. » (6) Hujus autem currus auriga est ratio: *enimvero Deus per naturæ legem, rationem dedit, aurigandi gnaram, et rectricem peroptimam.* (7) Ratio est auriga currus quo vehitur homo: *Si desiderat quadrigas auriga, an non necessum est eas turbatas ferri cursu devio?* (8) Cursu devio fertur homo, nisi ratio aurigandi gnara regat equos, et in via virtutum illos incedere compellat. *Iram, metum, cupiditatem et gaudium velut quemdam animi currum,*

(1) Tert. Lib. de An. 24.—(2) Tert. L. adv. Hermog. 41. — (3) Tert. L. de An. 45. — (4) Tert. L. de Spect. 15. — (5) Epist. 9. — (6) Tert. L. de An. 25.— (7) Tert. Lib. adv. Hermog. 41. — (8) Tert Lib. de An. 8. — (9) Tert. L. de Pall. 2. — (10) Greg. Naz. Orat. 38. — (11) D. Aug. in Ps. 78. — (12) Chrysol. Serm. 33.

(1) Chrysol. Serm. 33. — (2) Clem. Alex. 7. strom. — (3) Basil. Magn. L. Constit. Monach. c. 3. — (4) Aug. Serm. 4. de Verb. Dom.—(5) Senec. Epist. 88. — (6) D. Ambr. de Isaac. c. 8. — (7) Basil. Seleuc. Orat. 38. — (8) Phil. Jud. L. quod deterior.

bonus auriga reget (1) Exoptat Sanctus Isidorus *rationem iræ et cupiditati, aurigæ in morem insidere.* (2) Alias anima in certissimum præcipitium ducetur, et a quatuor illis passionibus velut equis indomitis trahetur ad necem. Illi idipsum accidet quod Hyppolyto, cujus equi in diversa abrepti, misere dominum dilaniarunt.

Inordinatos passionum impetus, triplici symbolo declarat Tertullianus : 1. *Ollæ undique ebullientis similitudinem* (3) prodit, in qua continuus et violentus conspicitur motus ; 2. Adducit navem in procelloso pelago absque gubernaculo ventis agitatam. *Quidam universam vitæ conversationem sine gubernaculo rationis transfretantes, imminentem seculo procellam vitare non norunt.* (4) Vita nostra est vastum, procellosum et periculosum mare, in quo sirtes, scopuli et vada, inter quæ anima velut navis absque naufragio sulcare nequit, destituta rationis gubernaculo, et commissa cæcæ passionum tempestati. Nam, ut fatur Chrysologus, *non tantum duo maria confunduntur fluctibus suis, quantum animus ancipiti cogitationum cumulo jactatur.* (5) Inordinatos passionum motus amentiæ instar considerat, quæ hominem in rabiem et furorem concitat, et velut possessum et energumenum exagitat. *Hoc est proprietas amentiæ hujus* (6), ut patet in ebriosis, furentibus, vel fræneticis, calida febre laborantibus, vel in stultis et insanientibus, qui facile ad iracundiam et furorem rapiuntur. Hujusmodi autem amentia, ebrietas, aut frænesis, *nec enim exterminat, sed avocat mentem, aliud est evertere, aliud agitare.* (7) Agitatur mens ad tempus, non evertitur : *Sapere enim nostrum licet obumbretur, non tamen exstinguitur : nisi quod et ipsum potest videri vacare tunc* (8), ratione exsulante, passione dominante, *et turbante, et non permittente animæ possidere veritatem* (9), et sequi ductum et imperium et rationis præfecturam. (10)

Homines in quibus *ratio magistra præsidet* (11) et in anima tenet principatum, veluti reges habentur. Nam, ut animadvertit S. Augustinus, *reges a regendo. Non reges aut domini, a regnando atque dominando ; cum et reges utique a regendo melius dicti* (12) videantur. Cur autem a regendo ? quia, ait Isidorus, *reges a recte agendo vocati sunt.* (13) Recte autem agit, non qui passionem, sed qui rationem sequitur. Quare, homo, si vis regio nomine insigniri, si imperatoria dominatione desideras potiri, si vis regno amplissimo dominari, si ambis *omnia tibi subjicere, te subjice rationi. Multos reges si ratio te rexerit* (1), nimirum externos et internos sensus, concupiscentiæ æstus, passionum impetus, rebelles carnis, insultus, motus inordinatos interioris appetitus. *Si vero cupiditates corporis fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem et perniciosum erit eum servire, quem decuerat impetrare.* (2) Nobilem animæ dignitatem amittit peccator, rationem de solio deturbat, et tanquam servus infamis cupiditatibus et passionibus servit. *Pluribus dominis et gravioribus servit : servit enim formidini, servit cupiditati, servit avaritiæ, servit libidini, servit malitiæ, servit iracundiæ* (3), servit cupiditatibus et passionibus suis : et irrationalem, pecuinam et bestialem ducens vitam, bestia nuncupatur.

2. *Omnia famula sunt hominis, omnia subjecta, omnia mancipata.* (4) Bruta ejus dominio subdita sunt. Verum *si quid horum futurus est, minoratur.* Homo autem peccando brutescit, et comparatur jumentis insipientibus, et similis factus est illis : imo bestia nuncupatur. Nam, ut philosophatur D. Augustinus, *solet et similitudo capere nomen ejus rei cujus est similitudo.* (5) Multis insequitur Tertullianus Pythagoræ metempsychosim, *bestias ex hominibus et homines ex bestiis revolventem.* (6) Verum licet hujusmodi animarum transmigratio et naturarum immutatio sit falsa et erronea, attamen peccatores Scriptura sacra nuncupat bestias. Sic Jeremias (7) libidinosos vocitat equos : Joannes Baptista Judæos genimina viperarum (8) appellat : dilectus Discipulus immundos nominat canes (9), quos a superna ejicit Jerusalem, et ipsemet Christus astutum Herodem nuncupat vulpem (10) : et quod stupendum est magis, *puto jumenta dicerent, si loqui fas esset : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* (11) Alludit Mellifluus Doctor ad sermonem Dei qui scelerosum protoparentem vestivit tunica pellicea, dicens : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Quasi dicat, ut expendit D. Ambrosius : *Ecce Adam amictus tuus, ecce dignum te indumentum ; hic te vestitus decet. Qui divina affectant, tali digni habentur ornatu. Ecce quo te tua culpa deduxit.* (12) Sed quia aliorsum (13) hæc

(1) D. Bern. Serm. 85. in Cant. — (2) Lib. 3. Epist. 10. — (3) Tert. Lib. adv. Hermog. 41. — (4) L. de Pœnit. — (5) Serm. 33. — (6) Tert. de An. 45. — (7) Tert. ibid. — (8) Tert. ibid. — (9) Tert. L. de An. 18. — (10) Greg. Naz. Orat. 22. — (11) Pet. Dam. Serm. 18. (12) L. Civit. 12. — (13) Lib. de Sum. Bon.

(1) Senec. Epist. 37. — (2) S. Leo Serm. in Quadr. — (3) Ambr. L. 2. Epist. 7. — (4) Tert. L. de An. 33. — (5) Serm. 48. de Ver. Dom. — (6) Tert. L. de An. 32. — (7) Cap. 3. — (8) Luc. 3. — (9) Apoc. 22. — (10) Luc. 13. — (11) D. Bern. in Ps. Qui habitat. — (12) Lib. de Elia et Jejun. cap. 4. — (13) Tert. Præd. Tom. 1. Tract. de An. Ration. Conc. 2.

materia fuse tractata est, *inficiantur animo, qui figura præferunt hominem* (1), qui deforis homines rationales videntur, et intus insensatæ facti sunt belluæ : quia recedunt ab ordine rationis, secundum quam debent vivere, et nonnisi per passionem agunt, quæ est propria brutorum. Itaque « dolosus vulpem, canem instabilis, luxuriosus suem, iracundus ursum, superbus equum, stolidus asinum vivit. Et quod detestabilius est, in corpore recto, anima Dei similitudinem tenet; in anima vero curvata, Dei similitudinem bestiali mutavit similitudine, » (2) bestiisque pejor effectus est homo.

3. *Quidam homines bestiis adæquantur, pro qualitatibus morum, et ingeniorum, et affectuum; quia et Deus, Assimilatus est, inquit, homo irrationabilibus jumentis* (3) : et quod est horribile dictu, homo passionum servus, est ipsis jumentis et brutis pejor : tum quia bruta non peccant agendo juxta passionem illis a natura inditam, quia *sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim judicium habent quo se dijudicent atque regant; sed ne instrumentum quidem judicii, id est, rationem : inde est quod non judicantur, quia non judicant: quanam quippe ratione ab his exigatur ratio quam non acceperunt ? hanc vim a natura solus homo non patitur; et ideo solus inter animantia liber* (4) et ratione præditus, meriti et demeriti capax, unde peccat quoties agit contra rationem, qua in sua natura constituitur et a brutis discriminatur. Tum quia quævis bestia uni duntaxat passioni quæ in ejus natura prædominatur obnoxia est, ut furori leo, iracundiæ ursus, crudelitati tigris, gulæ lupus, astutiæ vulpes, libidini equus : at homo peccator cunctis obnoxius est brutorum passionibus; nam, ut leo furit, irascitur ut ursus, sævit ut tigris, gulosus est ut lupus, lascivit ut equus, astutus est ut vulpes. *Unaquæque fera uni ex tantum istis servit, et qui hominis speciem habet, in unum congestis et cumulatis vitiis, ultra eorum temeritatem et amentiam progreditur.* (5)

« Quod si dixerit quis, quoniam secundum animale nostrum communicamus cum brutis, et ideo quemadmodum vel operationes vel passiones quæ in brutis sunt, secundum illud nihil habent injuriæ naturalis, nihil iniquitatis, imo magis sunt secundum justitiam naturalem sibi, ita operationes, seu passiones quæ ex animali nostro in nobis sunt, vel a nobis fiunt naturaliter, nihil habebunt injustitiæ, nihil iniquitatis. Respondemus in hoc, quoniam etsi secundum animale nostrum communicamus cum brutis, in spirituali tamen nostro præcellimus eis, et ideo secundum illud quod in nobis nobilius atque sublimius est, nos vivere atque operari oportet. Omnino enim indecens et incongruum est præferre quod inferius atque ignobilius est, superiori atque nobiliori, sequique illud et rebellare illi; rebellare autem isti nostrum animale, quod absurdum videtur esse. Amplius, animale brutorum per se regnans atque dominans est, et nullo vinculo obedientiæ vel servitutis in illis alicui obnoxium, aut obligatum ; utpote non habens superius apud illa : animale vero nostrum, sicut superius habet apud nos et in nobis, sic est eodem debito subjectionis et vinculo servitutis adstrictum. Quemadmodum homo per se in regione aliqua degens, ubi nullus est alius princeps aut dominus, liber est ab omni obedientiæ debito ; si autem fuerit in regno vel principatu alterius, necesse habet eidem obedire et esse subjectum : omne regnum animæ, a natura tributum est, animale nostrum in nostro regno rationis est, et ideo necessario legibus ejus subjectum : in brutis vero tanquam seorsum est ab omni aliena ditione, et potestate, et ideo liberum. » (1) Duplici argumento ostendit Parisiensis Antistes, non belluam, sed hominem passione agentem peccare : tum quia in bruto nihil est animali nobilius, in homine autem animale cum quo communicat cum brutis est ignobilius, nobilius autem hominis est anima rationalis, in qua depicta est Dei imago : tum quia brutum nihil in se habet, cui passio subjici debeat : homo autem in se habet rationem, velut reginam, cujus imperio subjiciendi sunt passionum impetus. « Qui animorum suorum motus, secundum Dei voluntatem dirigunt, eisque regum more dominantur, dum in rationis eminentia quasi in regali solio præsidentes, repugnantia quæque servituti subjiciunt, et placatis omnibus, æquitatis leges et innocentiæ jura in seipsis disponunt. » (2) Inde Augustinus versans istud Davidicum : « Et nunc, reges, intelligite : » (3) *Nunc intelligite, jam reges, id est, jam valentius regere, quidquid in vobis servile aut bestiale.* Quapropter regem hortatur Synesius : « Illud profecto primarium ac summe regium est, sui ipsius regem esse, mentemque domesticæ belluæ quasi mode-

(1) D. Paulin. Epist. 29. — (2) D. Thom. 22. q. 64. a. 3 Pet. Bles. Serm. 17. — (3) Tert. Lib. de An. 32. — (4) D. Bern. Serm. 51. in Cant. — (5) D. Chrysost. Tom. 5. de Virtutibus et vitiis.

(1) Guillel. Paris. de vitiis et peccatis. c. 2. — (2) D. Greg. in Psal. 101. — (3) Psal. 2.

ratricem præficere : neque enim infinitis propemodum hominibus dominari velis, ipsum turpissimum, dominis servire, voluptati, dolori : quæcunque his affines belluæ, suum in animali domicilium habent. » Si vis regno amplissimo dominari, et regia dignitate commendari, rege temetipsum et tuis dominare perturbationibus. Cato dicere solebat, *eum demum optimum, et laude dignum imperatorem, qui propriis affectibus imperaret.* (1) Cui arridens aureum eloquentiæ flumen, quovis imperatore digniorem existimat illum qui sibi ipsi dominatur. « Non ita veneratione dignus est imperator in regio sedens solio, diademate redimitus, atque homo qui rationis in solio dominatus servilium passionum subjectarum et imperio quod in illas exercet, tanquam spendido quodam revinctum caput habeat diademate. Quid enim, quæso, prodest purpurea vestis, et corona gemmata, quando passionum captiva fuerit anima? » (2) Verum hac ætate perpauci regia fulgent animi dignitate, et quamplures servili conditione dedecorantur : Nam *iste obtemperat injustitiæ, ille iræ; iste superbiæ, ille sævitiæ; iste malitiæ, ille iracundiæ; iste avaritiæ, ille luxuriæ. Nescio quomodo se inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot domini in partes suas distrahunt.* (3)

Annon lugendum homines esse belluis ferociores? *Plane obliviscetur feritatis leo, mansuetudinis eruditione præventus, et cum toto suggestu jubarum, delicium fiet Berenices alicujus reginæ, lingua genas ejus emaculans* (4) : et homo extraneam suæ naturæ non cicurabit feritatem? ratione utitur ut feras sibi subjiciat, et rationis præfecturam non advocat, ut passionibus suis dominetur : *mores bestiæ relinquent* (5) et homines inordinatos suos non abjicient motus? « Ratione sumus fortibus fortiores, tauros domamus ut arent, equos frenamus : in India magna illa bestia et terribilis elephantus, puero quindecim annorum cum magna alacritate cedit et subditur. Si elephantos et equos feroces studiis constringimus, multo magis possumus affectiones a quibus trahimur? » (6)

Si modo quæram ab homine cum D. Augustino : *Unde bestias tam immanes domare potuisti? nunquid eis æquaris viribus corporis? qua ergo virtute ingentes bestias domare potuisti? fremit leo, quis non timeat? et tamen illo te intelligis fortiorem, non corporis virtute, sed mentis ratione interiore.* (1) Eadem ratione qua leonem domasti, passionibus tuis frena impone. « Subigendæ sunt ac domandæ a ratione alienæ ac belluinæ cogitationes ferociores et immaniores, earumque dominatus rationi committendus. Et quomodo fieri potest, dicet aliquis, ut belluinam cogitationem quis subigat? quid ais mihi, homo? Leones subigimus, eorumque animos cicures reddimus, et dubitas an cogitationum feritatem ad mansuetudinem possis traducere? Tametsi leoni naturalis est feritas, præter naturam vero mansuetudo; tibi vero contra; naturalis est benignitas, feritas vero præter naturam. Ergone qui id expellis quod est naturale, et animæ belluæ inseris quod præter naturam est, in tua ipsius anima, quod naturale est, non poteris conservare? Quis hoc summæ non tribuat nequitiæ? Nam in leonis anima præter hanc, difficultas est altera; est enim expers ratiocinationum anima belluæ : at in anima tua est ratio, est Dei timor, multumque ex multis partibus auxilium ostenditur : ne igitur prætextus et excusationes prætendas : » (2) sed ratione qua etiam in omnes etiam efferatissimas feras dominaris, tibi ipsi indomitos animi motus subjicito, passiones contrariis virtutibus subjugare stude, totosque sensus tum internos tum externos, ad leges rationis et virtutis compone. Si insurgit rabies leonina, prematur per patientiam; si lupi gulositas, per abstinentiam; si apri iracundia, per mansuetudinem; si superbia unicornis, per humilitatem; si lascivia equi, per castitatem : sic domans passiones, non servies criminibus, quorum servus est peccator.

II. PARS. Apostolus proclamans, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, *utique manifestavit et Christianismi generositatem in filio Abrahæ ex libera nato, allegoriæ habere sacramentum* (3), quo denotatur Christianos fuisse, non solum exemptos a servitute legali, cui adstricti erant Judæi, sed etiam liberatos a servitute peccati, et vera libertate donatos, quæ nos ad Dei servitutem abstringit. *Sed et ut jam redemptus es a Christo, et quidem magno, et nunc servus es Christi* (4); cui obsequi et servire debes. Magnum sane est discrimen inter justos et peccatores. Justi Deo servientes, sunt vere liberi : tum quia servire Deo regnare est : tum quia sunt filii Dei, quo nihil gloriosius in hoc mundo concipi potest. Unde D. Augustinus sic

(1) Plutarch. — (2) Tom. 3. Serm. Si esurierit inimicus tuus. — (3) Euseb. Emiss. Homil. 2. de Nat. Dom. — (4) Tert. L. de An. 24. — (5) Tert. ibid. — (6) D. Chrysost. Hom. 29. in Act.

(1) Serm. 4. Verb. Dom. — (2) D. Chrysost. Homil. 2. in Genes. — (3) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 4. — (4) Tert. L. de Cor. Mil. 13.

elucidat istud : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri. » *Ut non servi, sed filii simus, ut miro quodam et ineffabili, sed tamen vero modo servi, non servi esse possimus. Ut autem tales servi non simus, Dominum servire simus* (1) : tum quia vera libertate donantur. Etenim *sola apud Deum libertas, non servire peccatis.* Hanc libertatem merito commendat D. Ambrosius : *Gloriosa libertas quam nulla servitus culpæ, nulla peccatorum vincula, nulla criminum commercia, degeneris nexui servitutis addicunt!* (2) Peccatores vero etsi ingenui et liberi videantur, sunt vere servi : tum quia *libertas in Christo non facit innocentiæ injuriam* (3), ipsi vero faciunt innocentiæ injuriam, quam suis criminibus amittunt : tum quia *servitus est omnis passio : quoniam qui facit peccatum servus est peccati; et quod pejus est, multorum servus est : qui subjectus est vitiis, multis se dominis addixit, ut servitio ei exire vix liceat* (4) : tum quia, ut fatur Moralis Philosophus, *nulla servitus turpior est quam voluntaria* (5): Peccator autem libere et voluntarie se mancipavit peccato. Inde dubius Augustinus, seu si Trithemio adhibeatur fides, Hugo Victorinus scelerosam alloquitur animam, peccati servam : *Audi, o anima, qualis sis, irretita vitiis, onerata peccatis, distenta negotiis* (6) : his verbis denotans quam sit misera servitus peccatoris, qui, 1. Funibus ligatur; 2. Oneribus gravatur; 3. Laboriose operatur.

1. Anima criminosa in hoc seculo duobus stringitur vinculorum generibus : 1. *Vinculis carnis* (7), quæ nequeunt nisi per mortem dissolvi; 2. Peccatorum funibus ligatur, mox ut crimini præbuit assensum, tunc *ex consensione vincula induit* (8) : ut enim ait D. Ambrosius, *qui servit peccato semper est in laqueis, semper est in vinculis, nunquam liber a compedibus, quia semper in criminibus.* (9) Hujusmodi funibus se ligatum fatetur Regius Vates, mox ut adulterium commisit : *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (10), et generatim quilibet peccator *funibus peccatorum suorum constringitur.* (11) Quod comparatione vitulæ ad jugum alligatæ declarat D. Ambrosius : « Sicut trahit vitula lorum jugi, quia etsi non tenetur e proximo, tenetur tamen nec se explicat et absolvit, ita trahit unusquisque peccator, indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum, quia non est subditus jugo subjectusque judicio, et nescit quod non sit exutus; sed magis ut illa vitula, et ipse se implicat suorum nexibus peccatorum : hi sunt ergo funes delictorum nostrorum, quibus involvimur et ligamur. » (1) Quæ vero sint hujusmodi vincula quibus ligatur peccator, prodit Mediolanensis Antistes : *Ligat nos vinculis carnis illecebra. Vinculum nostrum avaritia est, vinculum nostrum ebrietas est, vinculum nostrum concupiscentia est, vinculum nostrum superbia est*, et in universum cuncta scelera vincula sunt, quibus velut *catenis et compedibus vinctus* (2) est peccator. Subjungit D. Ambrosius : *Sunt et diaboli vincula. Ligat nos diabolus criminum nexu, ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterii, vinculo perfidiæ, qua Christus negatur; vinculo invidiæ qua frequenter etiam frater appetitur; vinculo crudelitatis, qua nonnunquam socius et conformis occiditur.* De illo diaboli vinculo loquitur Seraphicus Doctor : « Vinculum quo diabolus animam ligat, est peccatum, quo peccator ligatur pedibus per pravum affectum; manibus per iniquum tactum; collo per nocivum verbum; lingua per indebitum silentium. » (3)

Peccatores tot vinculis constricti *funem longum delictorum sibi attrahunt* (4) quæ male sibi texuerunt. Ex D. autem Augustino « optime dicitur funis et restis peccatorum. Ut enim torqueatur restis additur, et non adduntur recta fila, sed torta : pravitas sibi annexa ducitur in longum, et non cogitat præcidere quod male texuit : sed addere, producere, in longum protendere; ut habeat in fine, unde illi ligentur manus et pedes, et projiciatur in tenebras exteriores. » (5) Ecce in quale miseriarum barathrum trahunt delictorum funes : quapropter in peccatores maledicta vibrat Propheta Evangelicus : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis : et quasi vinculum plaustri peccatum!* (6) Isaiam autem sic expendit D. Augustinus : « Væ his qui trahunt peccatum suum sicut restem longam : quid est aliud quam væ his quorum manus connectunt iniquitatem? Sed non vis modo disrumpi vincula tua, quia non sentis vincula tua, etiam delectant te, et voluptati sunt : senties in fine cum dicetur : Ligate illi manus et pedes. » (7) Christiane, ne tanta tibi eveniat infelicitas, precare Deum ut dissolvat vincula colli tui.

Duo peccatores te ligarunt : tu ipse et

(1) Tract. 85. in Joan. — (2) D. Hier. Epist. ad Celantiam L. de Jacob. c. 3. — (3) Tert. L. de Pud. 6. — (4) D. Ambr. in Ps. 99. — (5) Epist. 47. — (6) Lib. de Spir. et Anim. cap. 62. — (7) Tert. L. de An. 34. — (8) Tert. L. de Pud. 22. — (9) Lib. de Naboth. c. 4. — (10) Psal. 118. — (11) Prov. 5.

(1) In Psal. 118. — (2) Chrysol. Serm. 17. — (3) Serm. 3. in Dom. 11. post Pentec. — (4) Tert. Lib. de Vel. Virg. 14. — (5) In Psal. 118. — (6) Esa. 5. — (7) In Ps. 52.

diabolus : *Nam si funibus peccatorum suorum perversi homines alligantur, ipse se absque dubio alligat peccator quisque dum peccat.* (1) Ut solvantur funes et vincula peccatorum tuorum, duo etiam concurrere debent, nimirum Deus et tumetipse, Dei gratia adjutus : *Exi de vinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum, solve funes erroris tui quibus circumdatus et ligatus es*, solutis autem delictorum vinculis et disruptis diaboli funibus, illaqueemur, Fratres, vinculis Christi. Nam, ut subjungit D. Ambrosius, *alia vincula sunt Domini Jesu, charitatis, spei, fidei.* (2) Vincula diaboli ducunt ad interitum et æternam miseriam ; vincula Christi ducunt ad immortalitatem et gloriam sempiternam. *Sequamur illa vincula Christi, fugiamus illa vincula venatorum, ne dum incidimus, dum ignoramus laqueos eorum, pes nostræ mentis incurrat, nec animæ nostræ cervicem nexibus inseramus* (3); quare, peccator, *solve fasciculos deprimentes*, ne delictorum tuorum pondere onereris et graveris.

2. *Apud barbaros quosdam quia vernaculum est aurum et copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, et divitiis malos onerant.* (4) Verum quantumvis aurea sint vincula, parum interest, modo iis scelerati constringantur, implicentur et onerentur, *nihil refert auro corpus oneretur an ferro : si cervix premitur, si gravetur incestus, nihil pretium juvat.* (5) Non pretiosis, sed vilibus vinculis ligatur peccator, sed adeo onerosis ut audacter dicat D. Ambrosius : *Nullum gravius est onus quam peccatorum sarcina.* (6) Adeo grave est onus peccati ut, teste Vate Regio, caput supergrediatur, illudque suo pondere deprimat : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. » (7) D. Augustinus pro ly supergressæ sunt, legit, *elevatæ sunt* (8) : metaphora ducta a pelago et miserando hominum naufragio, qui sævis decumanis involuti fluctibus, et undis etiam caput supergredientibus operti, respirandi non habent libertatem, neque impedire valent, quin aquæ repleant pectus, maxime si gravi onerentur pondere, nec ullomodo enatare possint. Peccata elevantur supra caput quod est rationis sedes, gravi pondere obruunt animum, « suosque factores demergunt in interitum et perditionem, et levare se ad sublimia virtutum non sinunt. Propter hoc dicit Seneca : Nemo cum sarcinis denatat, subaudi de mari mundi hujus. » (1) Idem accidit miseris peccatoribus ac Ægyptiis, qui *descenderunt in profundum quasi lapis : submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* (2) Viva corpora leviora sunt mortuis, et tamen quod est admiratione dignum, Ægyptii vivi demersi sunt in profundum, mortui vero ex undis emerserunt. Respondet D. Hieronymus, viva corpora leviora sunt mortuis, si absit peccati pondus ; sunt vero graviora, si sint peccato onusta : et ob hanc causam Ægyptii vivi descenderunt in profundum quasi lapis, et quasi plumbum submersi sunt in aquis vehementibus ; mortui vero visi sunt super undas enatantes : quia a mortuis aberat onus peccati, quod vivos depresserat, et velut plumbum in profundum merserat. Et ob eamdem rationem, *Petrus qui antea levis pendulo gressu calcabat undas, postquam infidelitate aggravatus est, vorabatur a fluctibus.* (3) Fidei imbecillitas adeo Petrum ponderosum reddidit, ut ubi primum intrepide et libere gradiebatur super aquas, mox ut vacillavit in fide, cœpit mergi. *Statim ut timuit, cœpit submergi ; quando enim fides infirma est, tunc in profundum descendit Petrus.* (4) Idipsum confirmat D. Hieronymus ex navi quæ deferebat Jonam divinis mandatis inobsequentem. Qui in navi tum aderant, *arbitrabantur navem solito onere prægravari, et non intelligebant totum onus esse fugitivi Prophetæ : nihil enim peccato est gravius* (5) : quare Jona in mare projecto allevata est navis ; *plus enim ponderis habebat solum Jonæ peccatum, quam alia omnia quæ navis portabat.* (6)

Adeo est grave peccatum ut illud non potuerint ferre humeri etiam robustissimi, et ad tolerandam gravitatem pœnæ debitæ, necessaria fuerit potentia humanitatis a Verbo divino assumptæ. Ideo Christus Dominus deficientes sub pondere ad se vocat peccatores : *Venite ad me qui laboratis et onerati estis* (7); quos sese onerans exoneravit; nam *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros portavit.* (8) Et quamvis fuerit virtus Dei Patris, tamen ad ferendum *tanti ponderis corpus* (9), nempe *corpus peccati*, velut insufficiens, Cyrenæum in portanda cruce coadjutorem habuit, non tam oneratus ligni gravitate quam pondere peccatorum quæ ab Apostolo vocantur *omne pondus.* (10)

(1) D. Ambr. in Psal. 118. — (2) Salv. L. 8. Provid. — (3) D. Ambr. — (4) Tert. Lib. 1. de Cult. Fem. 6. — (5) D. Ambr. L. de Virg. — (6) Epist. ad Simplicium. — (7) Psal. 37. — (8) Epist. ad Algasian.

(1) Guillel. Par. de Vitiis et Virtut. c. 11. — (2) Exod. 15. — (3) D. Hieron. in cap. 2. Nahum. — (4) Theophylact. in cap. 14. Matth. — (5) In cap. 1. — (6) D. Chrysost. Hom. de Jona. — (7) Matth. 11. — (8) Isa. 53. — (9) Tert. L. de de An. 8. — (10) Hebr. 12.

Peccatores quoque semel et iterum dicuntur a Jeremia propheta : *Onus, onus Domini* (1): et ut expendit Lyranus alloquens scelerosos, *onus importabile propter peccatorum vestrorum pondus*.

Verum ut dignoscatur quam sint *gravia peccatorum pondera* (2), attollendi sunt fidei oculi *ad Satanam de cœlo præcipitatum* (3): Angelus utpote spiritualis et nulla corporis mole oneratus, nequit cadere et prolabi in profundum, tametsi tota esset onustus machina mundi; attamen mox ut Lucifer fuit peccati onere gravatus, adeo exstitit ponderosus, ut velut fulgur de cœlo ceciderit, et ad imum inferni barathrum descenderit. *Adeo grave est peccatum, ut cœlum et terræ superficies non valeat sustinere peccatorem, ut patet in Lucifero, qui existens in cœlo empyreo, ita gravatus est per superbiam, ut de cœlo lapsus in centrum terræ ruerit.* (4) Patet etiam ex criminosis hominibus qui *ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* (5) Scitum apud philosophos corpora gravia eo velocius descendere, quo plus habent ponderis. Notum adhuc apud Theologos peccatum lethale habere malitiam seu gravitatem infinitam. Inde Job tanquam philosophiæ et theologiæ peritissimus, merito concludit quod impii in puncto seu momento ad inferna descendunt. Ob tale periculum *graviora delicta quæque, pro magnitudine periculi diligentiam extendunt observationis, ut non ab his tantum abscedamus, sed et ab iis per quæ fiunt.* (6) Quod si modo peccatoribus leve videtur pondus peccati, hoc evenit, vel quia sicut elementa non gravitant in centro, ita peccatores in profundum criminum delapsi non sentiunt illorum gravitatem : vel quia sceleribus obcæcati, non percipiunt fidei oculis quam sit grave onus peccati. Profecto *quisquis perfecte senserit onus peccati et animæ læsionem interiorem, utique aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam ; nec reputabit laborem, quo peccata noverit deleri præterita, futura caveri.* (7) Quantumvis laboret pœnitendo, tantum non laborabit peccator : cum hac tamen differentia, quod ille jucunde, iste laboriose operatur.

3. *Operum juga rejecta sunt, non disciplinarum.* (8) Judæi duplici jugo erant obnoxii, nimirum et disciplinæ legis et operibus legis. Disciplina Dei mandata complectebatur ; opera legis in quibusdam legalibus cæremoniis consistebant. Christus Dominus exemit Christianos, non a disciplina et observatione mandatorum Dei, sed ab operibus servilibus legis. *Oneriferum animal est homo tempore suæ mortalitatis* (1), quem sub triplici onere possumus considerare : sub onere peccati, quod in Adamo contraxit; sub onere legis, quam a Moyse accepit, et sub onere christianæ religionis, quæ suam a Christo mutuatur originem. Onus originalis delicti gravissimum est, et homo *si adhuc portat peccata sua, onus est grave.* (2) Onus legis etsi levius onere peccati, adeo tamen est grave, ut discipuli in Concilio Hierosolymitano congregati judaizantibus dixerint : cur vultis nobis imponere jugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus ? (3) « Jugum autem christianæ religionis leve et suave est, » ut asseverat ipsemet Salvator. (4) Christus liberavit nos, tum a jugo peccati, tum a jugo servili legis. Verum, ut acute animadvertit D. Bernardus, *onerat nos cum exonerat Deus*, ad observantiam christianæ religionis nos obligans : nam, ut subjungit D. Bernardus, *non tamen interim onus subtrahit, aut laborem, magis autem onere alio, alio labore commutat, sed onere levi, sed suavi jugo.* (5) Prætermisso autem jugo legis mosaicæ, jugum originalis delicti, opus habet annexum, non gratum et delectabile quale erat opus paradisi in quo positus fuerat innocuus Adam ut *operaretur delectabiliter* (6) : sed triste, onerosum, laboriosum. Scelerosus namque Adamus ab illo loco voluptatis ejicitur *pellitus orbi, ut metallo datur* (7) ; sicut vilis servus, qui stipendiarius servitutis, addicitur ad vile servitium effodiendi minas, seu secturas metallorum. Ex D. autem Bernardo, *duo nobis in hæreditatem reliquerat ille vetustus Adam : laborem videlicet, et dolorem. Laborem in actione, dolorem in passione.* At novus Adam ut nobis conferret laboris requiem et doloris solatium, laborem et dolorem suscepit : dolorem sustinuit in cruce et laborem passus est in quærenda ove perdita, *quæ tandem invenitur, et humeris pastoris ipsius refertur : multum enim errando laboraverat.* (8) Ovis peccatorem significat, Christum pastor denotat, desertum seculum præfigurat; labor ovis errabundæ insinuat laborem quem tolerant peccatores, qui ut *inique agerent laboraverunt.* (9) Pastor suis humeris oviculam deferens innuit Salvatorem, qui *laborantes*

(1) Jerem. 23. — (2) D. Ambr. Epist. 7. — (3) Tert. L. de An. 17. — (4) D. Anton. 2. p. Sum. tit. 3. c. 15. §. 1. — (5) Job. 2. — (6) Tert. L. de Idol. 11. — (7) D. Bern. Serm. 3. de Solitud. cord. — (8) Tert. Lib. de Pud. 6.

(1) D. Bern. Serm. 15. in Psal. Qui habitat — (2) D. Bern. ibid. — (3) Act. 10. — (4) Matth. 11. — (5) D. Bern. Fer. 4. Hebd. Sanc. — (6) Tert. Lib. de Pall. 3. — (7) Tert. ib. — (8) Tert. L. de Pœn. 8. — (9) Jer. 9.

ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos. (1)

At quemadmodum Adamus peccando fuit laborioso operi addictus, ita peccatores velut *hæreditarii rei* (2) scelerosi illius protoparentis, malunt *serviliter currere* (3) ad laborem et famem quam acquisita et oblata a Christo frui requie et refectione : et uti Adamus in pœnam sui criminis fuit metallo damnatus, ita ipsi supplicium *metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis* (4) subeunt. Quare de illis eodem modo ratiocinandum est ac *de hominibus servitute subnixis* (5), hoc est de servis multo conatu et nisu adlaborantibus, qui ab Ecclesiastico asinis comparatur: *Cibaria, et virga, et onus asino : panis et disciplina, et opus, servo.* (6) Asinus est jumentum ignobile et a natura ad onera portanda abjectum ; quibus ubi seipse fatigaverit, imo obruerit, fregerit, non aliud illum manet, quam virga et crudele flagellum, quod in tergum sæviat : cui postquam multum laboraverit, multaque flagella sustinuerit, pro pabulo, sed parcissime, objicitur fœnum. Eodem modo tractatur servus : est enim illi labor multus, cibus tenuis, disciplina gravis, opus assiduum, quo vitam omnem, reliquumque virium, perenni labore atterat. Quam vere dicit D. Augustinus : *Omnis servitus amaritudine plena est* (7): tum quia tollit libertatem, qua nihil gratius : tum quia hominem vilem et abjectum reddit : tum quia eum victu et vestitu destituit: tum quia heri arrogantiæ et crudelitati exponit : tum quia continuo labore lacescit.

Sed dicet aliquis : Esto quod mancipia continuis sint addicta laboribus; peccatores tamen neque sunt servi, neque laborant. Non servi, quia ut plurimum dominatione splendent multosque famulos sibi subditos habent : non laborant, quia omnia ad libitum faciunt, in otio et voluptate vitam transeunt. Verum *etsi libertas videtur* (8), vere tamen servi sunt peccatores : nam, ut fatur D. Ambrosius, *est qui cum pauciori bus dominetur pluribus dominis et gravioribus servit, servit enim propriis passionibus, servit cupiditatibus suis, quorum dominatum nec nocte potest fugere, nec die ; quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intolerabile* (9) ; et sub talibus dominis continuo laborare cogitur : unde multum errant qui peccatores a labore eximere nituntur. Hac supra re audiatur D. Chrysostomus : *Putas quod peccatores hujus mundi non laborent? bene enim majores labores et sollicitudines habent quam servi Dei.* (1) Quantis laboribus ambitiosus sectatur honores et dignitates, libidinosus captat venereas voluptates ; avarus accumulat divitias et facultates ? *nec dubium est opus servile eos operatos* (2), et quivis peccator prosequitur vitia et iniquitates, laborans sub servitute peccati, et gemens sub tyrannide diaboli.

III. PARS. Peccatores sunt *etiam conditione servi.* (3) Quantumvis enim ingenui videantur, serviliter tamen diabolo mancipantur. Servorum tria sunt genera : quidam enim vere sunt servi, et tales videntur quales qui in pœnam suorum scelerum sunt ad triremes damnati ; siquidem *prima servitutis causa peccatum est.* (4) Servi adhuc apparent, catenæ namque quas deferunt, sunt suæ servitutis insigne. Alii videntur servi, sed non sunt : sic innocuus Joseph, etsi videretur servus, ob carcerem in quem erat detrusus, et vincula queis erat onustus, vere tamen erat liber ob castimoniæ puritatem. Uxor econtra Putipharis quæ illum ad adulterium alliciebat, videbatur domina, attamen vere non domina, sed peccati erat mancipium. *Nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat affectum, quæ servilis libidinis incentiva præstabat?* (5) Tertii tandem ingenui videntur, et vere sunt servi. Hujusmodi sunt peccatores, qui exterius et in corpore sunt liberi, interius tamen et in animo vitiis et dæmonibus mancipantur, totque tyrannos patiuntur, quot peccata. *Quid prodest quod liber est in natura, qui servus est in conscientia?* (6) Servi qui tales apparent, *flagellis, compedibus et stigmatibus* (7) sunt obnoxii : eadem patiuntur, mancipia diaboli : *Hæ sunt notæ captivitatis* (8) ipsorum, nimirum, 1. Stigmata ; 2. Vincula ; 3. Flagella.

1. *Diabolus dominus et ipse dictus sui ordinis.* (9) Cujus imperio subditur peccator: « Servus plane diaboli, ad prava quæque, prout ducitur, sequens : a quo nimirum captivus tenetur ad ipsius voluntatem. » (10) Ex dilecto Discipulo *a quo quis victus est, hujus et servus est.* (11) Peccator superatus est a dæmone, ideoque vile illius est mancipium. Mancipia dicuntur quasi in bello manu capta : et « origo vocabuli servorum in lingua latina,

(1) D. Bern. Serm. 15. in Ps. Qui habitat. — (2) Tert. L. de Orat. 11. — (3) Tert. Lib. 2. ad Nat. 6. — (4) Tert. Apol. 27. — (5) Tert. L. de Pat. 4. — (6) Cap. 33. — (7) In Psal. 99. — (8) Tert. L. de Cor. Mil. 13. — (9) L. 2. Epist. Epist. 7.

(1) In Psal. 13. — (2) Tert. Lib. adv. Jud. 4. — (3) Lib. de Idol. 18. — (4) D. Aug. L. 19. Civ. 15. — (5) D. Ambr. L. de Joseph. — (6) Euseb. Emiss. — (7) Tert. L. de Res. Car. 57. — (8) Tert. Apol. 13. — (9) Tert. L. de An. 16. — (10) D. Bern. Serm. de 7. Dod. Spir. Sanct. — (11) Joan. 8.

inde creditur dicta, quod ii qui jure belli possent occidi a victoribus, cum servabantur, servi fiebant, a servando appellati. » (1) Qui populos liberos in servitutem redigere satagunt, id vel vi et aperto Marte, vel fraude et astutia exsequi conantur. Utroque modo bellum gerit diabolus, ut homines a Christo libertate donatos, suæ tyrannidi subjiciat. *Non cessat inimicus persequi, et si non aperte sævit, insidias agit. Inde dictus est leo et draco : leo propter apertam iram ; draco propter occultas insidias.* (2) Nam, ut animadvertit dubius Chrysostomus, « inimicus noster retia super omnem terram expandit, ut quidquid evaserit de retibus carnalis concupiscentiæ, capiatur a retibus inanis gloriæ; capiatur a retibus gulæ; capiatur a retibus turpissimæ avaritiæ. » Sive ergo insidiose per fraudem, astutiam, et ut draco, peccatorem diabolus inducit ad peccandum : sive aperto Marte, sæviens ut leo, *magna vis dæmonum in illo dominatur* (3), servitute infamatur, « quia scriptum est : Qui facit peccatum servus est peccati (4) : unde melior ejus status est, qui famulatur homini, quam qui servit suæ cupiditati. » (5) Qui famulatur homini, si justitia et innocentia decoretur, est animo liber, licet sit corpore servus ; qui vero servit suæ cupiditati, in corpore libero, servilem gerit animum et diaboli mancipium est.

Servorum frontibus inurebantur olim notæ, characteres et stigmata, quibus apparebant ad quem pertinerent dominum. *Charactere domini inscribuntur et servuli, et nomine imperatoris signantur et milites.* (5) Nomen illud erat nota quædam seu tessera datæ fidei, seu domino, seu imperatori, quem sequi debebat, qui domini vel imperatoris nomen, sive in fronte, sive in manu gestasset. Ad hujusmodi stigma seu insigne alludit Philosophus Moralis, aiens : *Non enim me cuipiam mancipavi, nullius nomen fero.* (7) Idipsum dicere non valet peccator, qui diaboli stigmate notatur, et *habet characterem bestiæ* (8) et suæ servitutis insigne. Anima dæmoni mancipata, est sigillata characteribus cunctorum vitiorum quibus servit. In illa superbia exarat leonem, gula lupum, lascivia equum, versutia vulpem, et quodvis vitium sui figuram inurit, velut stigma dæmonis, quo velut ejus mancipium notatur, et vinculum, quo ligatur.

2. *Domini Dei judicium in suos servos, non in compede aut pileo vertitur.* (1) Pileus libertatis erat insigne, quapropter Bruti numisma, pileo, duobusque pugionibus erat insignitum : quo denotabat restitutam a se patriæ libertatem : compedes vero erant symbolum servitutis. Hieremiæ præcepit Deus : *Fac tibi vincula et catenas, et pones eas in collo tuo.* (2) At cur collo, non pedibus vincula et catenas apponere jubetur Propheta? ut servitutis Dei, et diaboli dignoscatur discrimen. Catenæ quæ collo et humeris apponuntur, aureæ sunt, et ornatus gratia deferuntur, his magnates adornantur, et regum aulici et famuli, his se suos servos testantur, sed servos nobiles et liberos, et voluntariæ servituti addictos : compedes vero et vincula pedibus imposita, duram præ se ferunt servitutem, neque nobilitatis et libertatis, sed vilissimæ sunt servitutis insigne. Compedes habent peccatores, quia sunt diaboli mancipia. Quod non ignorans Plato divine ait : *Quoties peccas, toties te velut catena revinctum nequissimo et spurcissimo domino pro mancipio tradis* (3) : suis laqueis peccatores ligat diabolus, *a quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem* (4) ; tum quia nulla sua vi aut virtute naturali, sed sola Dei gratia, a peccati et diaboli potestate eximi possunt : tum quia peccatores diabolus tanquam suos servos quo vult agitat et impellit. Quod belle declarat S. Anselmus exemplo aviculæ, quam puer filo ligatam detinet, et huc atque illuc avolare sinit, sed filum mox retrahit : « Instar hujus pueri jocatur diabolus cum peccatoribus, quos irretitos suis laqueis, pro sua voluntate in diversa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim multi avari, ebriosi, luxuriosi, qui proponunt avaritiam, gulam, libidinem deserere, et putant instar avis se libere avolaturos : sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur, fitque hoc sæpius, nec omnimode liberantur, nisi magno conatu, et gratia Dei funis rumpatur pravæ consuetudinis. » (6) Itaque tot sunt diaboli *laquei, quot peccata committimus* (7) : tot funes quibus nos illaqueat crudelis ille tyrannus; *Funes enim sunt tortuosa et implicita ligamina, quibus se delinquentes stringunt.* His funibus merito irretitur pes peccatoris servi dæmonis, qui ut Deo libere serviret, noluit in collo catenas aureas deferre, ut illi exprobrat Deus apud Hieremiam: *Catenas ligatas contrivisti, et facies pro eis catenas ferreas.* (8) Quasi

(1) D. Aug. L. 19. Civ. 15. — (2) D. Aug. in 1. Petr. Hom. 5. in Matth. — (3) Tert. Lib. de An. 49. — (4) Joan. 8. — (5) D. Aug. Lib. de Ver. Innoc. c. 164. — (6) D. Ambr. L. de obit. Valent. — (7) Epist. 35. — (8) Apoc. 13.

(1) Tert. L. de Pat. 4. — (2) Cap. 27. — (3) L. 9. de Republic. — (4) 2. Timoth. 2. — (5) Lib. de Similitud. cap. 189. — (6) Cassiod. in Ps. 118. — (7) Cassiod. ib. — (8) Cap. 28

dicat : servituti meæ quæ est suavis et honorabilis prætulisti servitutem infamem et crudelem peccati et diaboli ; quapropter non habebis in collo catenas aureas in signum nobilitatis et libertatis, sed velut vile mancipium constringeris catenis ferreis, et in signum tuæ servitutis patieris, non solum vincula, sed et verbera.

3. *Apud tyrannos tormenta etiam pro pœna adhibentur.* (1) Ideoque in Italia olim post corruptum linguæ latinæ usum, tyrannus *intarta* (2) vocitabatur, et *intartare* idem significabat ac tyrannidem affectare, forte ducto nomine a Tartaris, quorum ferox animus et barbara crudelitas, in exemplum passim adducitur. Tyranni Tartarorum more sæviunt, quorum tyrannidem *sævam et crudam* appellat Juvenalis. (3) Diabolus *Scyta tetrior*, *Massageta inhumanior* (4), tartaro crudelior, et ut fatur D. Chrysost. *tyrannus sævus et acerbus, qui jubet quæ sunt improba, et eos qui obediunt ignominia afficit* (5); cujus imperia plusquam Manliana, miserrimæ et crudelissimæ addicunt servituti. Luctuosam et miserandam sub tyrannide peccati et diaboli tyrannidem ante adventum Christi Domini, eloquenter declarat Chrysologus : *Erat homo peccati servus, erat captivus mortis, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula; erat vitiorum verbero, erat criminum vinculis compeditus. Sic malis dominis talibus tantisque exhibebat homo malam et miseram servitutem. Quando homo non sub peccato tristis? quando non sub morte lugens? quando non sub dæmonibus pallens? quando non sub idolis tremens? quando non sub vitiis suspectus? quando non criminibus desperatus? Et ideo homo dabat extrema suspiria, quando tales tam crudeles dominos sustinebat.* (6) Ab enumeratione deducit Chrysologus tristitias, dolores, cruciatus, tormenta, quæ sub tyrannide peccati et diaboli, tolerabat homo ante humanationem Verbi. Eadem patiuntur etiam nunc peccatores, servi vitiorum, mancipia dæmonum. Duram hanc servitutem graphice depingit Hieremias propheta alloquens scelerosos : *Servietis diis alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* (7) Per deos alienos D. Hieron. (8) intelligit peccata et dæmonia, quæ peccatores Deo derelicto eligunt sibi in deos, quibus servientes multis pressuris et cruciatibus afficiuntur. Quod optime expressit Chrysologus de peccatore loquens, qui est *mancipium dæmonum*, qui sunt auctores delicti, infensissimi Dei inimici, hominum osores crudelissimi. Dæmonibus vero ad instar vilissimi mancipii subesse nihil vilius, nihil abjectius, nihil miserius dici potest. *Idolorum vernula*, hoc est scurrilis servus suarum cupiditatum, quibus genua flectit, animumque submittit ; quo nihil est indignius et ignominiosius. *Vitiorum verbero.* Apud Romanos lege cautum erat ne liberi et ingenui verberarentur : id genus supplicii viles servos, abjectaque duntaxat respiciebat mancipia. Quod si ignominiosum erat in corpore verberibus plecti, quanto magis infame in anima servile illud pati supplicium ? et tamen dum peccamus, *verberamur opprobrio conscientiæ nostræ.* (1) Quot vitiis fœdatur anima, tot patitur verberones ; ab illis peccator fœde vapulat et discerpitur. Hinc vulnus infligit avaritia, inde luxuria flagellis acriter dilacerat, istinc superbia gravibus implexa vinculis crudeliter cruciat, illinc ira armata scorpionibus mentem lethaliter vulnerat, et quodvis vitium animo plagam infligit mortalem.

O miserabilis servitus (2) longe intolerabilior illa, quam sub hominum etiam immanissimorum tyrannide tolerant mancipia : « Si quis tyranno quantumvis sævo et crudeli deserviat, et diebus ac noctibus catenis ligetur, quantum est hoc ? Manus et pedes ligare potest, sed mens et voluntas liberæ sunt. In peccatorum mancipio non sic ; sed mens, et ratio, voluntas, judicium, affectus, desiderium, et quidquid in homine præcellit, ligatum est : amisit quod est hominis, et fere totus obrutuit. » (3) *Mala servitus* peccati et diaboli, exclamat iterum D. Augustinus, cui nequeunt aliæ comparari servitutes : 1. Cæteri servi hominem habent in dominum, qui cum sit ejusdem naturæ cum eis, aliquam servat humanitatis speciem : peccatoris vero tyrannus est diabolus hominum osor, Deique hostis infensissimus, cui cum nullum possit inferre damnum, suam adoritur imaginem. *Diabolus ubi vidit hominem ad Dei imaginem factum, cum non posset in auctorem, quem ante omnes lædere cupit, in ejus imaginem suam exercet malignitatem, veluti si quis homo quando regem inimicum attingere non potest, ejus imaginem læderet.* (4) 2. Hominum servi a domini domo egredi possunt, cujus vitant indignationem ab ejus præsentia recedentes;

(1) Tert. Apol. 2. — (2) Anast. de Vit. Pontif. — (3) Satyr. 2. — (4) Tert. L. adv. Marc. 1. — (5) In Ps. 125. — (6) Serm. 1. — (7) Cap. 16. — (8) In Ps. 80.

(1) D. Ambr. L. de Joseph. cap. 1. — (2) D. August. Tract. 41. in Joan. — (3) S. Thom. a Vill. Nov. Con. 2. Dom. 1. Quadrag. — (4) Magn. Basil. Hom. 21.

amissamque libertatem per fugam et recessum recuperant : peccator vero vitii et dæmonis mancipium, tyranni qui eum opprimit præsentiam nullatenus potest vitare. *Servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit : servus peccati quo fugit ? secum se trahit quocunque fugerit.* (1) D. Augustini vestigiis inhærens Eusebius Emissenus, sic urget peccatorem: « Quid prodest quod discedis, qui undique addictus es vinculis passionum, quem hinc atque inde circumvallant vitia tua ? Quid, inquam, prodest quod discedis, qui quocunque locorum vadis, teipsum portas? Merito discederes, si quoquam te fugere posses. Digne aliquis discessit, si illo ire possit ubi illum diabolus, non invenire possit. » (2) 3. *Plerumque homines cum dominos malos patiuntur, venales se petunt : non quærentes dominum non habere, sed saltem mutare. Servus peccati quid faciat ? quem interpellet, apud quem venalem se petat ?* (3) 4. Servi hominum redimi possunt, et ita servitutem mutare in libertatem : at peccator non a famulatu redimitur, sed denuo servituti mancipatur. Nam, ut ait D. Ambrosius, *sine venditore vendimur. Peccata vendiderunt nos, et dominantur nobis. Servus qui venditur, superiori servitio exit, ut ad alterum migret ; nos vero nec superius jugum deponimus, et ad nova peccata turbamur.* (4) Scilicet servus qui venditur superioris servitii jugum excutit, ut denuo migret ad novum dominum : nemo enim potest duobus dominis servire : peccator autem sua peccata incrementans, superiorum scelerum jugum non deponit, sed ad nova crimina progrediens, pristinam servitutem augescit ; seseque de novo dæmoni pro volatica voluptate vendit. *Unusquisque animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* (5) Et quasi parum sit animam suam Dei imagine insignitam vendidisse tam vili pretio, sibi adhuc in libertatis et salutis jacturam, emit dominos, ait Philo Judæus. *Vitiis assueti more voluntariam servitutem subeuntium, ultro sibi acerbos dominos adsciscunt, quamvis ingenui, et ideo cum vendi non possint, miranda temeritate ipsi emunt dominos.* (6) Homo Christi sanguine redemptus sese vendere nequit, quia non est sui juris, cum pertineat ad Christum, cujus est servus. *Tu nullius servus, inquantum solius Christi, qui te etiam captivitate seculi liberavit* (1) : peccator tamen temerarie dominos emere præsumit ; sacrilege animam a Christo emptam vendere molitur ; stulte animam quam Christus suo sanguine pretiosiorem existimavit, pro volatico honore, terrena facultate et venerea voluptate diabolo vendit. 5. Servi ut plurimum uni tantum domino mancipantur : at *qui subjectus est vitiis, multis se dominis addixit.* (2) Servit enim lasciviæ, gulæ, superbiæ, invidiæ, injustitiæ, et in universum *servus est tot dominorum, quot vitiorum.* (3) 6. Servi hominum, sui domini mandatum possunt absque ullo negotio exsecutioni mandare cum unum duntaxat simul adimplendum præcipiat : at non solum est difficile, sed etiam impossibile ut servus peccati et diaboli dominorum suorum præcepta exsequatur, qui simul et semel plura eaque inter se contraria jubent. Avaritia ad cumulandas divitias incitat ; prodigalitas sectans famam, ad largiendas abunde opes inclinat. Desidia, in otio et secessu tranquillam vitam quærit ; superbia videri ab hominibus ambit, cunctæque generatim passiones, in corde miseri illius servi, inter se arietant, suisque se acuminibus pungunt : quod vult una, negat altera, omnes tamen urgent, suisque præceptis obtemperari exoptant. Quot vitia, tot imperia ; quot animi perturbationes, tot furiæ crudeliter dilaniantes ; quot inordinati concupiscentiæ motus, tot Ægyptii exactores, qui ferro et aculeis armati, inhumane cogunt in luto laborare et in luto mori : unum et multiplex tot tyrannorum mandatum nuncupat Sapiens *distentionem pessimam* (4), cruciantem animi divulsionem, ita ut *in varias sollicitudines mens hominis distenta lanietur* (5) : non secus ac rei corpus a quatuor equis in diversas partes dilaceratur. Miserrimus servi animus tot dominantium multitudine absque ulla requie die nocteque commotus videtur, turbulentum clamosumque forum, in quo confusæ et dissonantes audiuntur voces ; triste ejus cor in varias affectiones divulsum, distentum, dilaceratum, est Euripus reciprocantium vitiorum æstu agitatus, vel potius Caucasus in sublime ad pœnam elatus, ubi velut Promethei vultures assidue advolant et dilaniant. Tot tantaque patiuntur mala peccatores, diram passionum, criminum et dæmonum servitutem, christianæ libertati præferentes.

In natura humana, *amor libertatis est insitus, atque alte impressus.* (6) Civilia jura

(1) D. August. ibid. — (2) Homil. 3. ad Monach. — (3) D. August. ibid. — (4) In Psal. 37. — (5) D. August. Expos. in c. 7. Rom. — (6) Lib. de Temulentia.

(1) Tert. L. de Idol. 18. — (2) D. Ambr. L. de Nabot. c. 6. — (3) August. — (4) Eccl. 1. — (5) D. Hier. ibid. — (6) Cir. Alex. L. 2. Glaphir. Reg. Jus. 209.

servitutem morti æquiparant, cunctæque nationes libertatem vitæ præferendam existimant. Quapropter Græci in unum congregati, fœdusque ineuntes adversus Mardonium Xerxis Persarum regis ducem, jurisjurandi formulam sic generose inchoarunt: *Vitam non pluris faciam libertate.* (1) Ultra libertatem naturæ cunctis hominibus communem, Christiani in baptismate, libertate gratiæ donati sunt: Nicopolitæ in festivis lætitiis acclamare solebant: *Per fortunam Cæsaris, nos liberi sumus* (2): quanto verius Christiani dicere valent: Nos liberi sumus, *qua libertate Christus nos liberavit.* (3) Infelix tamen peccator libertatem vitæ præferendam pro nihilo vendit, et servitutem morti postponendam ultro elegit. Quod Romanorum proprium asseverat Cicero, pertinet ad solos Christianos, scilicet *nemini servire.* (4) Miser tamen peccator ab humana et christiana libertate degenerans, pluribus servit tyrannis, cujus *omnis vita servitium est.* (5) Servitus omnis amaritudine plena est, sed nunquam homo majori afficitur tristitia, quam cum suo mancipio famulari tenetur. In homine anima est regina, corpus mancipium, ratio principatum tenet: passio rationis dominio subjicitur: per peccatum tamen *servi super dominum* (6): nam corpus animæ, passio rationi, concupiscentia voluntati dominatur. In servitute non solum amaritudo cordis, sed etiam ignominia reperitur, quæ tanto est major quanto dignior est captivus et vilior dominus cui mancipatur. Quanta infamia mulctatur peccator qui cum fuerit nobili prosapia oriundus, nimirum Christi sanguine renatus, famulatur tamen peccato, quo nihil vilius et abjectius? *Heu! quam misera possessio peccati, quæ suum facit miserum possessorem!* (7) Infames habentur scelerosi qui in pœnam suorum criminum regium deferunt stigma vel supra humeros, vel in fronte. Quanto infamior peccans, qui in anima diaboli stigmate notatur? Anima rationalis naturaliter odit diabolum, et ut illam alloquitur Tertullianus, *Satanam in omni aversatione, et aspernatione, et detestatione pronuntias.* (8) Ad quod duplici incentivo stimularis: 1. Quia protoparentem cum suis nepotibus ad mortem induxit. *Per quem homo circumventus ut præceptum Dei excederet; et propterea in mortem datus; exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* (1) 2. Quia originalis delicti facta particeps, *sentis perditorem tuum.* Si quis parentes vestros, avos, atavos, proavos, fratres, sorores et cunctos in universum propinquos interemisset, et insuper in vos insurgens vitæ vestræ insidias struxisset, lethaliterque vulnerasset, si post tot tantaque illata damna, cum eo iniretis fœdus, vosque ejus subderetis imperio, nonne summæ pusillitatis et stoliditatis esset indicium? En verum peccatoris specimen, qui cum diabolo init amicitiam, diabolo mancipatur, diabolo inimico ejus infensissimo, parentum suorum peremptori sævissimo servit. *Olim captivos, vel mali status servos mercati in exsequiis immolabant.* (2) Diabolus servos quos emit immolat, eorumque animas interimit. Stultus peccator animæ non timens mortem diabolo se vendit. Christiani, nolite imitari peccatoris imbecillitatem et stultitiam, liberam ducite vitam, liberam a servitute passionum, liberam a servitute criminum, liberam a servitute dæmonum: frænate per rationem passionum impetus, per gratiam eximite vos a dominio peccati, et ut a diaboli tyrannide sitis immunes, sustinete dignitatem filiorum Dei, qui cum sint ejus hæredes in cœlo, perfecta gloriæ libertate fruuntur.

(1) Diodor. Sic. L. 11. — (2) Arrian. L. 4. cap. 1. — (3) Galat. 4. — (4) Cic. Philip. — (5) Senec. de Tranquill. Vit. cap. 10. — (6) Tert. de An. 55. — (7) Urban. 4. in Psal. 8. Tom. 13. Bibl. Pat. 4. — (8) Tert. L. de Test. An. 3.

(1) Tert. L. de Test. An. 3. — (2) Tert. L. de Spect. 12. — (3) Tert. L. de An. 28.

CONCIO TERTIA.

De *recidivatu revolubili semper ex alterna mortuorum atque viventium suffectione.* (3) Loquitur Tertullianus de metempsycosi somniata a Pythagora, falso imaginante animas a suis corporibus separatas, ad alia informanda corpora transmigrare; quibus fato functis rursus vel ad propria, vel ad aliena corpora animanda, remeabant. Omisso fictitio illo recidivatu, in præsentiarum disserendum est de recidiva peccatoris, qui mox ut a pœnitentia recessit, statim in similia peccata relabitur. Non est adhuc sermo de peccatis venialibus, quibus vel ex infirmitate naturæ, vel ex inconsideratione, vel ex subreptione obnoxii sunt etiam justi: sed de peccatis lethalibus deliberate et ex malitia commissis ad quæ illico redeunt criminosi peccatores, non secus ac canis ad vomitum, aut sus ad volutabrum luti. Hos denotant duo prophetæ per aves a nidis suis avolantes, et statim ad illum redeuntes. Vidistis quandoque passerem in pariete nidificantem?

strepitu excitato, vel lapide projecto, avolat, quasi nunquam rediturus ; sed mox ad vicinam arborem, deinde ad tectum, tandem revertitur ad nidum. *Ephraim, sicut avis evolavit.* (1) Nomine Ephraim Oseas intelligit peccatorem, qui volens accedere ad tribunal pœnitentiæ et ad sacram synaxim tempore Paschatis, paululum avolat, sed cito revolat, potator ad ebrietatem, lascivus ad veneream voluptatem, superbus ad vanitatem, impius ad impietatem, et quivis peccator, *sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes* (2), revertitur ad suam iniquitatem. Steterunt olim aquæ, steteruntque cursum suum, ut alveum Jordanis pertransiret arca ; verum mox ut arca transivit, in suum locum reversæ aquæ, solitumque tenentes cursum, in mare mortuum defluxerunt. Multi in hebdomada sacrâ, ab assueto vitiorum cursu tantisper desistunt, ut Eucharistiæ arca transeat per eos : at mox ut pertransiit communionis tempus, solitum tenent cursum, in eadem vitia relabuntur, nec attendunt quod recidiva est, 1. Injuriosa ; 2. Scelerosa ; 3. Exitiosa.

I. PARS. Qui debite ad pœnitentiæ accedunt sacramentum, trinum præsertim ex illo fructum consequuntur. (3) Nam, 1. A criminibus quibus erant contaminati mundantur ; 2. Gratia sanctificante, quæ a passione Christi dimanat, decorantur ; 3. Aversi a creaturis quas inordinate dilexerant, Deo per charitatem compaginantur. *Amatores seculi anhelant ad Pascha, vel diem resurrectionis, ut liberius vacent voluptati* (4) ; et sic recidivantes, sæpe sæpius illos pœnitentiæ non percipiunt effectus, sed injuriosi sunt sacramento, Christo et Deo : 1. Sacramento, quod inutile sibi reddunt ; 2. Christo, quem denuo crucifigunt ; 3. Deo, quem injuste diabolo postponunt.

1. Christiane, si post susceptum pœnitentiæ sacramentum, peccatis *iisdem incubas, quibus retro* (5) : si avarus ut antea, libidinosus ut antea, gulosus, invidus, detractor, blasphemus, ira et odio excandescens ut antea, signum est te accessisse ad pœnitentiæ tribunal absque ullo peccatorum tuorum dolore, absque vero non ulterius peccandi proposito; et ita indigne accedens, injuriam fecisti sacramento ; illud profanasti, tibique inutile reddidisti : nam, ut ait D. Augustinus in Jure Canonico relatus, *inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat, et nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata.* (1) Frustra sibi de sacramentis blandiuntur peccatores, qui illa profanant : etenim nullum ex eis fructum reportant, non ex defectu sacramenti, quod ex sua natura est efficax, et ex opere operato confert gratiam sanctificantem, ni ponatur obex ; sed ex accedentis culpa, qui non est dispositus ad recipiendum effectum sacramenti. Quod docet Apostolus aiens : Qui indigne manducat corpus Christi et bibit ejus sanguinem, judicium sibi manducat et bibit. (2) Innuit etiam ipsemet Christus dum dicit : Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, ipse intrabit in regnum cœlorum. (3)

Singula novæ legis sacramenta, ex sua natura virtutem habent conferendi gratiam sanctificantem, quæ est effectus omnibus communis, sed ultra hunc effectum communem, præbent gratias actuales et auxilia cuivis specialia et propria, quibus homo adjutus possit servare gratiam sanctificantem. Matrimonium gratias confert uxoratis ut caste et tranquille vivant in conjugio. Confirmatio renatis confert gratias roborantes, ut intrepide coram tyrannis valeant confiteri fidem. Pœnitentiæ sacramentum, vere pœnitentibus ultra deletionem culpæ, et infusionem gratiæ, confert adhuc auxilia ne rursus in deleta relabantur delicta, sed in animi munditia persistant : unde sicut qui a recidivatu abstinent denotant se esse mundatos, effectumque percepisse sacramenti, ita econverso qui statim relabuntur, ostendunt se indigne accessisse ad tribunal pœnitentiæ, neque a suis sceleribus mundatos fuisse. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *lavatur et mundus est qui et præterita plangit et iterum non admittit. Lavatur et non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit ; sed post lacrymas flenda quæ fleverat repetit.* (4) Magnus Gregorius D. August. sectatur vestigia, elucidans istud Proverbiorum : « Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam. » (5) *Admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt ; ut considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant.* (6) Idem argumentum prosequitur ibidem sanctus Pontifex versans istud Ecclesiastici : « Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus ? » *Baptizatur quippe a mortuo, qui mundatur fle-*

(1) Cap. 9. — (2) Isa. 16. — (3) Tert. L. de Pœnit. 1. — (4) D. Bern. Serm. de Resur. — (5) Tert. Lib. de Pœn. 6.

(1) Distinct. 3. de Pœnit. — (2) 1. Cor. 11. — (3) Matth. 5. — (4) Serm. 66. de Temp. — (5) Cap. 26. — (6) Lib. 3. Pastor. Admonit. 31.

tibus a peccato; sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. (1)

Emendatio est veræ pœnitentiæ fructus : *Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana, quia caret fructu suo.* (2) Qui tam cito relabuntur, nullum emendationis dant indicium : nam eadem est in inimicos animadversio, eadem mentiendi et jurandi consuetudo, idem in vestibus luxus, eædem in mensa deliciæ, et in universum eadem peccata, quibus ante erant obnoxii. Quantum peccatores qui tam facile ad sua inquinamenta revertuntur, ab sponsa discriminantur : cui parum videtur vitiosum exuisse habitum, si rursus induat : « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » (3) Ubi D. Bernardus : *Si dixerit mihi Jesus : Dimittuntur tibi peccata, tamen nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profeci? Erit sine dubio recidenti, quam jacenti durius.* (4) Utinam pœnitentes suis mundati delictis æmularentur Sponsæ propositum, vel saltem bestiarum imitarentur exemplum! *Avicula semel capta laqueo, mox elapsa : cervus in rete decidens et effugiens, iisdem iterum difficile capientur, nam cuique fit experientia cautela magistra.* (5) Quinimo, ut refert Clemens Alexand. (6) aliqui pisces reperiuntur, ut scauri, e quorum specie, si quis hamo captus forte evaserit, eo die nullus prorsus consimilis piscis illo invenitur in loco, quasi cæteri unius periculo edocti delitescant. Et nos brutis irrationaliores, *nos sæpius iisdem capti, in eadem cadimus* (7), et cadendo pœnitentiæ fructum amittimus, et Christum rursus crucifigimus!

2. Aversi Deo et hominibus sunt Judæi, *ob impietatem qua Christum despexerunt, et interfecerunt* (8) : neque minoris impietatis rei sunt, neque minori animadversione digni recidivantes : qui, ut fatur Apostolus, postquam *gustaverunt donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, prolapsi sunt : rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* (9) Quomodo autem rursus crucifigant Christum declarat Angelicus Doctor : quia scilicet, « peccator quantum in se est, dat occasionem ut iterum Christus crucifigatur. » Ad tollenda hominum peccata homanatus est Dei Filius : *Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa; scilicet ad restituendum quod perierat. Homo perierat, hominem restitui oportuerat* (1) : Homo perierat per peccatum, Dei Filius factus est homo, ut tolleret peccatum, quod erat causa perditionis humanæ : propter hunc finem assumpsit Deus corpus, et cruentam et ignominiosam in cruce sustinuit mortem : « Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. » (2) Et ut fatur ipsemet æternus Pater apud Tertullianum de suo Filio loquens : *A facinoribus populi mei perductus est ad mortem.* (3) At recidivans denuo velut vulnerat, atterit et crucifigit Christum; quia novo peccato novam dat causam crucis et mortis Christi; rursus enim efficit illud propter quod Christus crucifixus est, nempe peccatum : quare nisi Christi mors tam efficax fuisset, ut ad omnia omnino peccata, post quantalibet secula futura et iteranda sese extendisset; toties oporteret crucifigi et mori Christum, quoties homines peccant, sicut toties offerenda erant Aaronica sacrificia, et toties victimæ mactandæ, quoties peccabant Judæi, qui Christum, non solum crucifixerunt, sed crucifixum despexerunt et subsannaverunt. *Quoniam impleverunt impietates suas, et ecce ipsi quasi subsannantes.* (4) Judæorum impietatem imitantur recidivantes, Christum, ut subjungit Apostolus, *ostentui habentes*, hoc est infamantes, irrisioni et ludibrio exponentes, *ob impietatem qua eum despexerunt et interfecerunt.* (5) Loquitur, fateor, de Judæis Tertullianus, sed his verbis pungit etiam recidivantes Christianos qui in nova relabentes peccata, contemnunt, subsannant et contumelia afficiunt Christum : qui enim in peccata relabitur, hoc ipso Christum ejusque crucem et passionem despicit, vilipendit et ridet. Et quemadmodum Judæi cruci patibulatum Christum exposuerunt omnibus nationibus irridendum et illudendum, ita qui in nova labuntur peccata, hoc ipso causa sunt, ut Gentilibus cunctisque hominibus proponatur Christus in irrisionis et ludibrii exemplum, illum ejusque legem et religionem infideles, Ottomani et idololatræ despiciant, irrideant et contumelia afficiant.

Jam non est irascendum Judæis, qui morientem deriserunt, non regnantem. Et quis est qui Christum adhuc irrideat? Utinam unus esset, utinam duo, utinam numerari possent : tota palea areæ ipsius ridet eum, et gemit triticum irrideri Dominum (7); præsertim ab his qui in nova relabuntur peccata;

(1) Cap. 34. — (2) Tert. L. de Pœn. 2. — (3) Cant. 5. — (4) Serm. 3. in Cant. — (5) D. Chrysost. Homil. 15. ad Pop. — (6) L. 1. Strom. — (7) D. Chrys. — (8) Tert. L. 3. adv. Marc. 23. — (9) Hebr. 6.

(1) Tert. L. de Car. Chr. 14. — (2) Isai. 53. — (3) Tert. L. adv. Jud. 11. — (4) Tert. Lib. adv. Jud. 11. — (5) Tert. L. 3. adv. Marc. 23. — (6) D. Aug. in Psal. 128.

qui longe criminosiores Judæis existimandi sunt: 1. Quia ignorantia quodammodo Judæos excusat : nam, ut ait Apostolus, « si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: (1) » recidivans autem Christianus ex ignorantia nullatenus excusari potest. *Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur; quod Domino agnito præceptisque ejus admissis, denique pœnitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis.* (2) 2. Quia major est Christianorum relabentium quam Judæorum ingratitudo. Licet enim pro Judæis mortuus sit Christus, plerique tamen beneficium passionis Christi non perceperunt in baptismo, neque per accessum sacramenti pœnitentiæ sanctificati sunt; at Christiani, Christi morte redempti, et in sacramento pœnitentiæ gratia sanctificante donati, in nova peccata relabentes, sunt magis ingrati. *Hoc enim dico, pœnitentiam quæ per Dei gratiam ostensa et indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam posthac iteratione delicti, resignari oportere.* (3) 3. Quia Judæi semel in Christum desævierunt, at recidivantes toties Christo inferre necem moliuntur, quoties in nova relabuntur peccata. *Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt.* (4) 4. Quia Judæi, ut animadvertit D. Bernardus, *linguis non manibus ipsum crucifixerunt : in hoc forte minus reprehensibiles quam novi crucifixores, qui manibus et verbis mortem illi accersunt* (5), relabentes in lethalia peccata sive oris, sive corporis, sive cordis. 5. Quia Judæi Christum adhuc passibilem et mortalem lingua duntaxat crucifixerunt, recidivantes vero, ut subjungit D. Bernardus, *immortalem mortificant, incrucifigibilem crucifigunt.* (6) Ex D. autem Dionysio Areopagita, *Judæi qui Deum crucifixerunt ambulantem in terris, minus peccarunt quam qui offenderunt sedentem in cœlis.* (7) Tandem, 6. Ut concludam cum D. Bernardo, *per sacerdotum quippe persuasionem populus dimitti Barabbam, Christum crucifigi acclamavit;* recidivantes vero absque ullius persuasione, propria malitia ducti, injuste diabolum Deo præponunt.

3. Multiplici ratione utitur Tertullianus, ut ostendat quam sit Deo injuriosa recidiva peccatoris : 1. Per pœnitentiam diabolo renuntiaverat : *Pactus est enim renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus.* (1) Christiane, postquam diabolo renuntiasti, cave *ne quid ejus postea resumas ex his quæ ejerasti, ne te ut fraudatorem, ut pacti transgressorem, judici Deo objiciat.* (2) At recidivans ad ea revertitur quibus renuntiaverat : *Utique quibus renuntias, nisi factis malis a Deo damnandis, furtis, rapinis, perjuriis, homicidiis, adulteriis, sacrilegiis? his omnibus renuntias, et rursus his inflexus superaris.* (3) 2. Recidivans trinam erga Deum committit injustitiam : unam, qua de bono Dei contra ejus voluntatem disponit; alteram, qua illi suum bonum eripit; tertiam, qua sese infensissimo suo inimico tradit : quare D. Augustinus diabolum sic apud Deum perorantem inducit : *Æquissime Judex, judica illum meum esse ob culpam, qui tuus esse noluit per gratiam : tuus est per naturam, meus est per miseriam; tuus per passionem, meus per suasionem.* (4) 3. Prostratum diabolum a Deo debellatum, ejusque pedibus conculcatam, erigit, Deique quodammodo victorem reddit. *Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiasset, et hoc nomine illum Domino rejecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, et exsultationem ejus seipsum facit; ut denuo Malus, recuperata præda sua, adversus Dominum, gaudeat.* (5) Per pœnitentiam diabolus de corde peccatoris educitur, Deusque inducitur : at per recidivam Deus de corde, de suo solio expellitur, et rursus diabolus in eo collocatur: pœnitens exstiterat *operarius victoriæ Dei* (6) : recidivans operarius victoriæ diaboli efficitur : in pœnitente *pheretrum Deus diabolo extruxit, vexillum de inimico gloriæ suæ exstulit* (7) : in recidivante diabolus Dei vexilla tollit, et sua signa ponit : pœnitens Deum lætitia, diabolum vero tristitia afficit. *Quid? Ridebat Deus : quid? dissecabatur Malus* (8) : recidivans Deum lætitia frustrat, diabolum gaudio cumulat. 4. Pœnitens Deo pro suis delictis per pœnitentiam quodammodo satisfecerat; at recidivans diabolo satisfacit per iniquam pœnitentiam, qua se Deo juste satisfecisse pœnitet. *Ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet; eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus.* (9) 5. *Summo magno nihil sinit adæquari* (10): recidivans tamen, non solum diabolum Deo adæquat, sed, quod est horribile

(1) 1. Cor. 2. — (2) Tert. L. de Pœn. 5. — (3) Tert. ib. — (4) Tert. L. de Idol. 7. — (5) Serm. Fer. 2. Pasch. — (6) Epist. 4. ad Demoph. — (7) Ibid.

(1) Tert. Lib. de An. 35. — (2) Tert. ibid. — (3) D. August. in Psal. 80. — (4) Lib. de Salut. Docum. — (5) Tert. Lib. de Pœn. 5. — (6) Tert. Lib. de Pat. 14. — (7) Tert. ibid. — (8) Tert. ibid. — (9) Tert. L. de Pœn. 5. — (10) Tert. L. adv. Marc. 3.

dictu, quantumvis Deus sit summum magnum, nulli comparabile : *Sed nihil Deo par est : natura ejus ab omnium rerum conditione distat* (1) ; attamen facta Dei et diaboli comparatione, diabolum Deo majorem et meliorem judicat, potius eligens diabolum in tyrannum, quam Deum, in Dominum, quem scelerose diabolo postponit ! *Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit ; et judicato pronuntiasse eum meliorem cujus se rursus esse maluerit.* (2) 6. Prælatio dæmonis summe injuriosa est Deo : etenim *prælatio alterius sine alterius contumelia non potest procedere, quia nec electio sine reprobatione.* (3) Vide, infelix peccator, ad quantam injustitiam et miseriarum cumulum, te deducat recidivatus! Pœnitentia te a diaboli tyrannide liberaverat, Deum de diabolo victorem reddiderat, supremo numini gaudium et exsultationem attulerat, et dum ad scelera pristina redis, dæmonis te tyrannidi subdis, prostratum dæmonem erigis; teipsum exsultationem diaboli facis, eumque contumeliose Deo præponis, per recidivam injuriosam et scelerosam.

III. PARS. Quantumvis sit scelerosus peccatorum recidivatus, multi tamen illum excusare nituntur, dicentes apud Tertullianum : *Et hoc mirum ut probatus aliqui retro, postea excidat? Saul, bonus præ cæteris, livore postea evertitur. David, vir bonus secundum cor Domini, postea cædis et stupri reus est. Salomon, omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur.* (4) Verum aliud est interdum ex naturæ fragilitate, aut diaboli malitia, justos in peccatum labi ; aliud peccatores peccato assuetos illico, et semper in pristina peccata regredi : interdum enim labuntur justi tum ob naturæ corruptionem, tum ob urgentem diaboli tentationem. Naturæ imbecillitatem ad lapsum pronæ, in semetipso agnoscit D. Bernardus : *Sed, heu miser ! hæc tam sæpe sic confessus ; surgens, cadens, sum defessus. Multoties promisi me emendare, et nunquam tenui : sed semper ad peccatum redii, et prioribus sceleribus nova et deteriora conjunxi ; nunquam, ut debui, mores meos in melius mutavi, nec a malefactis recessi.* (5) Diaboli malitiam declarat Tertullianus : *At quin tum maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum : tum plurimum accenditur, dum exstinguitur. Doleat et ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis suæ retro erasos. Dolet quod ipsum et angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est. Itaque observat, oppugnat, obsidet : si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris secularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere, aut a via certa perversis traditionibus detorquere : non scandalis, non tentationibus deficit.* (1) His aliisque diaboli fraudibus et tentationibus decepti et illecti etiam justi, aliquando cadunt : scelerosi autem ex redundantia malitiæ sæpe sæpius in eadem revertentes peccata, attamen recidivatum suum excusare nituntur : *Cæterum subvertit totam substantiam sacramenti causatio ejusmodi, ut etiam voluntariis licentiam laxet.* (2) Verum quantumvis relapsum excusare moliantur, criminosi sunt, et ut plurimum rei, 1. Infidelitatis; 2. Ingratitudinis; 3. Temeritatis.

1. Christiane accedens ad pœnitentiam, cum Deo *moneris inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conventione* (3) : quia pollicitus es ad retracta non amplius redire peccata, sed firmiter in Dei amore persistere. Quærit Angelicus Doctor (4) an peccator conversus, toto vitæ tempore debeat in pœnitentia perseverare : hoc autem solvit dubium duplicem discriminans pœnitentiam; internam unam, externam alteram. Illa complectitur et dolorem de peccato commisso, et propositum non peccandi de cætero: hæc ultra internum illum dolorem, adjunctam habet oris confessionem factam sacerdoti legitimam auctoritatem habenti. Non semper ad externam pœnitentiam adstringuntur Christiani, quos duntaxat semel in anno ad confitenda peccata obligat Ecclesia : ad internam tamen pœnitentiam obligantur, non quidem actualem, sed habitualem : tenentur enim permanere in proposito nunquam offendendi Deum. Quod innuere videtur Christus Dominus, dicens : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* (5) Pœnitentia namque actuali et transeunte haud contentus Salvator, habitualem et permanentem expostulat. Nam, ut fatur Apostolus, *quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (6), hujus optimam rationem subministrat Chry-

(1) Tert. L. de Car. Chr. 3. — (2) Tert. L. de Pœn. 5. — (3) Tert. Apol. 13. — (4) Tert. L. de Præsc. Hær. 3. — (5) Lib. de Mod. Ben. Vivend. ad Sor. c. 19.

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (3) Tert. L. de An. 35. — (4) 3. p. q. 84. a. 8. — (5) Luc. 13. — (6) 2. Cor. 7.

sologus : *Quia semper est quadrata perfectio* (1); quadrata namque figura est symbolum constantiæ et firmitatis, sicut forma rotunda indicium inconstantiæ et mutabilitatis ; et ob hanc causam veteres ad denotandam fortunæ instabilitatem, pingebant illam rotam continuo rotantem ; et ad innuendum quam constans sit sapiens in suo proposito, supra quadrum sedentem illum repræsentabant. Ipsemet etiam Deus ut ostendat cœlestis civitatis firmitatem, illam asseverat in quadro positam. Chrysologus quadratam pœnitentiam desiderat, nimirum firmam, stantem, permanentem. Habitualem illam, constantem et permanentem internam pœnitentiam pollicitus est peccator ministro pœnitentiæ quando confessus est.

At, proh dolor ! multi quadratam illam non habent pœnitentiam, neque fidelitatem Deo debitam custodiunt. Nonnulli in ipso pœnitentiæ foro mentiuntur : *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* (3) Quia vel nullo modo confitentur sua peccata, vel dimidiate confitentur, vel minuunt aut excusant, aut circumstantias aggravantes, aut speciem immutantes non declarant : sic furtim, immendaciter et sacrilege accedunt ad tribunal pœnitentiæ : *Iniquitates nostras cognovimus peccare et mentiri contra Dominum.* (4) Alii infideles sunt, quia non stant promissis, neque juxta pollicitationem sacerdoti factam fugiunt occasionem peccati, nec diu perseverant in proposito non amplius peccandi, sed ministrum pœnitentiæ decipientes, et promissam fidem violantes, mox ad pravos revertuntur habitus : *Furto quidem aggredi, et præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est.* (5) Illorum pœnitentia fuit duntaxat digressio seu parenthesis : statim illos *pœnitet fidei* (6) confessario datæ : *nam taliter omnia faciunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egisse, quam postea ipsius pœnitentiæ pœnitentiam ; nec tam prius pœnituisse quod male vixerint, quam postea quod se promiserint bene victuros.* (7) Similes Pharaoni, qui plagis a Deo percussus, se dimissurum Israëlitas Moysi pollicebatur ; at mox ut plagæ cessabant, majori statim crudelitate illos opprimebat. Non absimiliter peccatores, morbo laborantes, aut bonorum jactura, proximorum morte, vel aliqua alia adversitate afflicti, accersunt sacerdotem, peccata confitentur, totalem vitæ conversionem pollicentur ; at mox ut recuperata est sanitas, depravatos resumunt mores, ad retroacta redeunt vitia : blasphemator ad impietates, maledicus ad detractiones, inimicus ad animadversiones, avarus ad usuras, libidinosus ad luxurias. Subitaneus ille relapsus est infidelitatis indicium, fucatamque duntaxat denotat conversionem. *Non convertentur ad Dominum.* (1) Accedentes ad pœnitentiam, quantis usi sunt lacrymis, quot adhibuerunt preces, quantas fecerunt protestationes, quantam fidem, quantam polliciti sunt constantiam ? at relapsus tam cito adveniens, insignem eorum detegit perfidiam.

(1) Serm. 11. — (2) Apoc. 11. — (3) Psal. 65. — (4) Isa. 59. — (5) Tert. Lib. de Pœn. 6. — (6) Tert. Lib. de Pœn. 1. — (7) Salv. L. 5. de Gubern.

Quos præfiguratos per Saulem video. Sublatis a Saule scypho et lancea, rex illico pœnitentia ductus exclamat : *Peccavi, revertere, fili mi David : nequaquam ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie : apparet enim quod stulte egerim et ignoraverim multa nimis.* (2) Deus in mittendo morbos peccatoribus, abstulit scyphum crapulæ et ebrietatis : affligendo eos pauperie et adversitatibus, surripuit arma et instrumenta nequitiæ, quibus eum aggrediebantur ; auferendo corpori robur, fortunæ bona, honores et dignitates, afflictionibus gravati exclamant cum Saule : *Peccavi ;* at ubi ad se reversi, morbis, damnis et adversitatibus liberati, rursus in Dominum insurgunt, ad instar Saulis, qui mox ut ad se rediit, hastam vibrat ut Davidem interimat, *quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, ut iterum sæviret.* (3)

Ex Magno Gregorio *semita justi recta est, peccatoris quasi axis, versatilis cogitatus illius.* (4) Regio namque Propheta teste, *in circuitu impii ambulant.* (5) Qui recta incedunt via, elongantur a termino a quo discedunt, neque ad illum respiciunt : qui vero in circuitu ambulant, non elongantur a loco a quo discesserunt, sed illum semper conspiciunt. En verum specimen eorum qui veram et fucatam tantum agunt pœnitentiam. Illi recta gradiuntur via, neque ad retroacta revertuntur peccata, isti in circuitu ambulant, pravosque habitus quibus sunt addicti, semper intuentur, ad eosque statim redeunt. O quam vere vaticinatus est Jeremias : *Nemo est qui agat pœnitentiam !* (6) qui pollicitam servet fidem, et cito in assueta peccato non relabatur. Eodem modo ratiocinandum est de morbis animæ ac de morbis corporis : ægrotantes corporaliter recidivantes perfecta non gaudent sanitate, recidiva indicat humores peccaminosos, gravem adhuc morbum minitantes : relapsus etiam in peccata,

(1) Osee. 5. — (2) L. 1. Reg. 26. — (3) D. Basil. Orat. 5. — (4) L. 7. Mor. 14. — (5) Psal. 11. — (6) Cap. 8.

animæ vel morbidæ, vel mox ægrotantis indicium sunt. Christiani, *si in toto corde vestro convertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri* (1) : scilicet superbiam denotatam per Jovem, avaritiam per Plutonem, lasciviam per Venerem, sævitiam per Martem, gulam per Bacchum, rapinam per Mercurium. Dicite cum Vate Regio : *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super Sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor* (2) : seu, ut legit D. Augustinus juxta versionem græcam, *in eos qui corde convertuntur ad ipsum.* In hebræo habetur : *In eos qui non convertuntur ad stultitiam.* Quis est ille qui cor suum convertit ad Deum? Ille qui statim non convertitur ad stultitiam, qui post acceptam in sacramento gratiam, non revertitur ad objecta scelerosa a quibus separatus est : *Post has itaque divitias, non erat revertendum ad infirma et mendica elementa* (3), nimirum ad vanos mundi honores, venereas carnis voluptates, volaticas terræ divitias.

De Judæo tanquam *infideli in Deum populo* (4) conqueritur Tertullianus : hujusmodi querela tangit adhuc recidivantem, qui promissam non servat fidem, nec corde convertitur ad Deum, sed cor suum convertit ad stultitiam, quia nullam habet pœnitentiæ firmitatem et constantiam : *Stultus ut luna mutatur.*(5) Quis magis stultus quam peccator, qui desciit a proposito non peccandi, et tam cito relabitur? *Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato suo.* (6) Christiane, nonne confessario pollicitus es te nunquam amplius peccare, et tamen pollicitationis tuæ oblitus, in tuis sceleribus perseverasti? Quapropter pro infidelitate tua age pœnitentiam, fugeque recidivam quæ scelerosa et rea est, tum infidelitatis, tum ingratitudinis.

2. Homo rationis et fidei ductus lumine, *utique auctori gratias agit, utique illum Deum censet* (7), et accepta ab eo beneficia recognoscit : multum est Deo addictus homo, ob creationis bonum; magis adhuc ob redemptionis beneficium, sed maxime ob justificationis bonum. In creatione, homini dedit Deus esse naturale : in baptismate homini applicatur fructus redemptionis, et deletur originalis culpa : in pœnitentiæ sacramento, peccator a peccato actuali mundatur et gratia sanctificante donatur. In creatione homo non peccavit neque Deum offendit, nequivit enim peccare antequam esset; in conceptione sua peccavit homo non actualiter, sed originaliter, quia non propria voluntate, sed protoparentis voluntate peccavit. At postquam homo habet usum rationis et liberi arbitrii, dum peccat, ex propria malitia et actualiter peccat, et ideo ob justificationem qua actuale ei remittitur peccatum, maxime Deo obligatus est. In baptismate gratiam sanctificantem recipit, eam deperdit peccando actualiter et mortaliter, et deperditam per peccatum in pœnitentiæ sacramento recuperat : quo major est hæc Dei dignatio, eo major debet esse hominis gratitudo : *Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato; majus est enim restituere quam dare : quoniam miserius est perdidisse quam omnino non recepisse.* (1) Illa divinæ bonitatis dignatio, plurimum commendatur, eo quod absque ullo debito gratis homini detur : peccatori debet Deus non benignitatis largitatem, sed justitiæ supplicium : peccatorem tamen Deus diligit, eique gratis gratiam justificantem infundit. Ob gratuitum illud donum, gratitudinem homo exhibere tenetur Deo, qui per suam gratiam gratis datam effecit eum, de reo innocuum, de peccatore justum, de mancipio dæmonis ingenuum, de inimico amicum, de extraneo filium, de gehennæ destinato, æternæ gloriæ hæredem.

Attamen *is qui sedebat in tenebris, qui inimicus, qui hostis, qui abalienatus, qui Deo invisus, qui perditus, is repente illuminatus, et spiritu dignatus dono cœlesti adoptione in filium, regno æterno, aliis bonis, arcanis mysteriis, nec sic quidem melior effectus* (2) ; sed per frequentes relapsus, erga suum benefactorem sese demonstravit ingratum, imo multimodæ ingratitudinis reum : nam, ut fatur Tertullianus, *respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet* (3) : ecce tibi quatuor ingratitudinis gradus. Nam, 1. Deus quantumvis beneficus ei non placet, sed potius displicet; 2. Dei liberalitatem non recognoscit, sed potius negat; 3. Deum tot bonorum largitorem a semetipso repellit;

(1) Lib. 1. Reg. 7. — (2) Psal. 84. — (3) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 4. — (4) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 18. — (5) Eccles. 27. — (6) Levit. 5. — (7) Tert. Lib. 2. ad Nat. 16.

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) D. Chrysost. Homil. 9. in Ep. ad Hebr. — (3) Tert. L. de Pœn. 5.

4. Deum infinito honore dignum inhonorat et contumeliose contemnit : *Despicit porro qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono, contumeliam facit.* (1) Similis Judæis, ut animadvertit D. Hieronymus (2), qui in morte Lazari cum ejus sororibus fuderunt lacrymas, et illico postquam a Christo fuit revocatus, eum interficere conabantur: vel potius perfido Judæ, qui post acceptum corpus dominicum, Dominum inique vendidit, et sub osculo pacis et amicitiæ inimicis suis tradidit. Scelerose peccator, *cur tam ingratus es?* (3) cur tam cito tot beneficiorum es immemor? cur benefactorem tuum deseris? cur illum despicis? cur eum contumeliose offendis, et novis sceleribus te magis reum et punitioni obnoxium reddis? *Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur a pœna (quia Deum in aperto constitutum, et vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet :) quanto cognitum despici periculosum est?* (4) Recidivans autem cognitum Deum despiciens et offendens, reus est tum ingratitudinis, tum temeritatis.

3. *Metu ultionis omnis iniquitas refrænatur* (5) : sicut e converso *impunitatis securitate* delictis laxantur habenæ, peccator quo liberius in præterita relabatur peccata, temerarie sibi *delictorum impunitatem* (6) promittit, et a corde suo omnem Dei timorem expellit : nam, ut illum acute redarguit Tertullianus, *nam si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neque enim timorem alia res quam contumacia subvertit* (6), et temeritas ; qua tibi de divina bonitate blandiris, et ejus justitiam non formidas.

Quo homines a flagitiis supplicii metu territet Deus (8), diu ante diluvium per acerbas eis minas fulminat, quibus haud perterriti, in suis sceleribus perseverarunt : quorum temeritatem cum stupore obplorat Claudius Marius : *O miseri quos tam justæ dilatio pœnæ, plus facit esse reos!* (9) Pharisæi quoque conspicientes patrata a Christo miracula, morbos tum corporis, tum animi, benigne sanante, *malitiam de divina bonitate capiebant ; de pietate Dei impii reddebantur ; fiebant de Christi miseratione crudeles ; sumebant de cœlesti curatione languorem, et pœnitentium veniam vertebant judicis in reatum.* (1) Et fortasse ob eamdem rationem Christus Dominus Judæos generationem malam et adulteram nuncupat (2), *tum quia semper ingrati benefactoribus exstiterunt : tum quia susceptis beneficiis, quod extremæ vitiositatis est, ad malignitatem incitantur.* (3) Judæi cœlestem doctrinam audierant, excantatum dæmonem, cæcis oculos restitutos, leprosos curatos, mortuos suscitatos, innumeraque alia operata miracula viderant, et tamen erga benefactorem Christum impie ingrati, *susceptis beneficiis quod extremæ vitiositatis est, ad malignitatem incitantur :* Judæis et Phariseis non dissimiles peccatores temerarie in peccata relabentes, qui unde sapientiores esse debuerant, inde ad malitiæ impietatem exundant, et de remissione peccatorum per pœnitentiam obtenta, sumunt delinquendi licentiam. *Absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat via ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: et redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis.* (4) Impia recidivantium temeritas ex redundantia divinæ clementiæ sibi facit delinquendi libidinem, *Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* (5) Recidivantes autem ex ipsa Dei bonitate nequiores fiunt : nam ex facilitate veniæ quam eis per pœnitentiam concedit Deus, sibi libidinem faciunt delinquendi: in quo ingrati, impii et temerarii apparent : 1. Ingrati : *Indulgentiæ ingratus est qui post veniam peccat* (6) ; 2. Impii : *Nunc autem sunt tanto magis impii quanto est benignior Deus ac humanior.* (7) 3. Temerarii, quia absque formidine delinquunt, et insolenter Deum offendunt, in quo a veris pœnitentibus multum discriminantur.

Tertullianus, de pœnitente humiliter timido, et de peccatore tumide præsumente, sic philosophatur : *Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem? et idcirco vera pœnitentia functum? Timuit enim adhuc delinquere, ne non mereretur accipere. At ille præsumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit : sic nec pœnitentiam implevit, quia instrumento pœnitentiæ, id est, metu caruit.* (8) Timidus pœnitens vera est

(1) Tert. L. de Pœn. 5. — Joan. 12. — (2) Epist. 161. ad Pammach. — (3) Tert. L. de Spect. 29. — (4) Tert. Lib. de Pœn. 5. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 16. — (6) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (7) Tert. L. de Pœn. 5. — (8) Genes. 6. — (9) Lib. 2.

(1) Chrysol. Serm. 168. — (2) Matth. 12. — (3) D. Chrysost. Hom. 44. in Matth. — (4) Tert. L. de Pœn. 7. — (5) Tert. ibid. — (6) D. Chrysost. Hom. de laps. prim. hom. — (7) Clem. Alex. ad hort ad Gent. — (8) Tert. L. de Pœn. 6.

pœnitentia functus, semetipsum emendavit, neque ad pristina delicta relapsus est: timuit enim ne si iterum peccaret, veniam peccatorum denuo non obtineret. At peccator præsumptione tumidus, et metu carens, pœnitentiam non implevit, spe et securitate recipiendæ rursus remissionis fretus, libere ad præterita reversus est peccata. Subjungit Tertullianus: *Præsumptio inverecundiæ portio est; inflat petitorem, despicit datorem: itaque decipit nonnunquam;* fiducia obtinendæ veniæ inflatus, contemnit tum gratiam, quam tam facile perdit; tum Deum gratiæ et veniæ largitorem, cujus justitiam non metuit; tum salutem quam damnationis periculo exponit: præsumptio qua inflatur, seu temeritas qua absque illo metu delinquit, illum nonnunquam decipit. *Cæterum finem utique evadendi habebit, cum offendendi non habebit* (1): scilicet cum in infernum quem non metuit, lapsus fuerit. Henricus secundus, Galliarum rex, volens secundo die nuptiarum inter sororem Margaritam et Emmanuelem, Sabaudiæ ducem, hastiludio iterum decertare, quia pridie plausum et palmam retulerat, uxori dissuadenti dixit: *Adhuc semel, et non amplius.* Verissime dixit, quia hasta in oculo læsus, oculus simul cum vita exstinctus est. Peccator sæpe sæpius in peccatum lapsus, de jactura salutis admonitus, peccare decernit: *sed semel, sed amplius nunquam* (2); et multoties verum dicit, quia non est amplius neque peccandi, neque pœnitendi locus. Idem illi accidit quod Samsoni qui semel, iterum, tertio amore Dalilæ captus, eidem illusit. *Excutiam me sicut prius, nesciens, quia recessisset ab eo Dominus.* (3) Sed tandem ipse deceptus et vere a Philistæis captus, misere interiit.

Plerique naufragio liberati, exinde repudium et navi et mari dicunt; et Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse; formidant videri inculcare, quod consecuti sunt: bona certe sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris (4): peccatores vero absque timore viventes, nullumque temeritatis modum tenentes, naufragandi periculum non vitant: *adeoque adversus experimenta pertinaces sumus, ut bello victi et naufragi maria repetamus.* (5) Hæc Moralis Philosophi verba probe competunt recidivantibus, qui toties a dæmonibus victi, toties naufragio æternæ damnationis expositi, neque tot periculis sapientiores effecti, rursus in peccata relabuntur. Quanto prudentiores timidi pœnitentes, peccatorum naufragium metuentes dicentesque apud Tertullianum: *Evasimus semel, hactenus ne periculosis nosmetipsos inferamus etsi iterum evasuri videmur.* (1) Evasimus naufragium, secundam arripientes pœnitentiæ tabulam, nunquam postea in peccata recidamus: licet enim iterum evasuri videamur, recidiva tamen est multum periculosa.

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) Tert. ibid. — (3) Judic. 16. — (4) Tert. ibid. — (5) Senec. L. de Benefic. 1.

III. PARS. Quandiu peccator vivit et demoratur in hoc seculo, misericordiæ janua ei non occluditur. *Dubium, si non et alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Nam ait: Qui ceciderit, resurget, et qui aversatus fuerit, convertetur?* (2) « Deus semper ad se revertentem respicit, attenta mutabilitate humanæ naturæ: qui enim Petro annuntiavit septuagies septies fratri ignoscendum, multo magis vel septies millies homini ignoscet resipiscenti. » (3) Et ut fatur belle ad propositum Tertul. peccatorem alloquens: *Gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris; offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem. Ille est scilicet, ille est qui misericordiam mavult quam sacrificium.* (4) Verum licet scelerosos quosque Deus misericorditer vocet ad pœnitentiam, ejus tamen bonitate abuti non debent peccatores, neque temeraria securitate relabi in peccata, quæ, ob recidivam, 1. Gravius committuntur; 2. Difficilius remittuntur; 3. Acerbius puniuntur.

1. *Secura delicta* (5) nuncupantur, quæ a recidivante committuntur, quæ per relapsum graviora sunt. *Semper enim scelera, dum non resecantur, increscunt, et in augmentum facinorum prosilitur, quoties secura impunitate peccatur: et recidivum facinus iteratur.* (6) Quam autem sit grave peccatum demonstrat Christus Dominus, tum in admonitione facta sanato paralytico: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, *tunc vivendi morem, dat innocentiæ legem postquam contulit sanitatem. Nec habenis liberis et solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius quibus salus fuerat mancipata gravius comminatur, quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante,*

(1) Senec. L. 1. de Benefic. 1. — (2) Tert. L. de Pœn. 8. — (3) D. Athan. in quæst. ad Antiochum q. 93. — (4) Tert. L. de Pœn. 8. — (5) Tert. L. de An. 43. — (6) D. Chrysost. Hom. de Absal. perseq. David.

cum necdum nosset disciplinam Dei, nulla sit venia ultra delinquere postquam Deum nosse contigit. (1) Nulla venia, id est, rara. Tum in increpatione Judæis facta sub figura energumeni a dæmone liberati, et iterum ob suam negligentiam pejus a dæmone vexati. « Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi; et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam : tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus : sic erit et generationi huic pessimæ. » (2) Ubi D. Augustinus : *Detestamini et aversamini mundatam et vacantem domum, quo nequiores ipsi spiritus adduntur, ut sint novissima hominis pejora quam erant prima; vos vestrum mundatorem tenete habitatorem.* (3) Recidivæ gravitatem declarat princeps Apostolorum Petrus : « Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri Jesu Christi, et Salvatoris Jesu Christi, hi rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato : contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. » (4) Ex D. autem Augustino, *cum dicit : Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, nonne judicavit meliores esse inimicos foris positos quam intus male viventes, quibus premitur et gravatur Ecclesia ?* (5) Non quidem melius positive, quasi sit majus bonum, cum non sit bonum : sed negative, quia minus malum, hoc est, minor est infidelis ignorantis, quam fidelis cognoscentis culpa, ideoque minor erit et pœna : *ille enim nondum accessit, iste retro respexit.*

Plures in recidivatu sunt circumstantiæ quæ relapsus ostentant gravitatem : 1. Cognitio. *Ita, in quantum ignorantia segregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris* (6) : ubi autem major est notitia, major est malitia. Etenim *scienti bonum et non facienti, peccatum est illi.* (7) 2. Ingratitudo. *Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit : beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit.* (8). 3 Fraus et illusio. *Irrisor est et non pœnitens, qui hoc agit, quod pœnituit.* (1) Idcirco Magnus Basilius acute animadvertit eum qui labitur in peccatum, signum esse eum non penitus a peccato recessisse, sed adhuc remansisse in eo peccandi desiderium. Addit Guillelmus Parisiensis (2) non habuisse veram et validam contritionem ; 4. Perfidia et traditio. « Recidivi similes sunt ante Deum iis qui venientes ad faciem quorumdam hominum, amicitiæ signa præ se ferunt, recedentes autem inimicitias ac damna, quæ valent, atrociter inferunt. » (3) 5. Contemptus et despectio, qua gratiam pro nihilo ducit et Deum gratiæ largitorem despicit. *Grave est hominem instructum delinquere, gravius absolutum peccare.* (4) 6. Priorum peccatorum revocatio, *non nocent peccata præterita, si non placent præsentia* (5), at per relapsum peccata præterita et condonata redeunt, non quidem eadem numero; quoniam *sine pœnitentia sunt dona Dei* (6) : sed eadem specie et similia. Deus enim permittit ut peccator propter ejus contemptum, ingratitudinem acceptæ veniæ, et tumidæ præsumptionis temeritatem ; in eadem specie et diversa etiam peccata relabatur. *Crimina criminibus vindicantur, et supplicia peccantium, non tantum sunt tormenta, sed et vitiorum incrementa.* (7)

Multimoda similitudine relapsus ostenditur gravitas. Recidivantes comparat D. Petrus cani ad vomitum reverso : *Vide quam horribili rei eos comparaverit. Horribilis profecto res est proprium resorbere vomitum, nec in summa quidem fame a quoquam usurpatum.* (8) 2. Hominem qui a peccato in gratiam rediit, et rursus a gratia in peccatum relabitur, D. Bernardus componit cum sentina in qua exhaurienda in vanum labor insumitur, si tantum influat quantum effluit. *Vanum tibi est dum adhuc sordes influunt, sentinam exhaurire ; dum et peccare non destiteris, pœnitere : ideoque claude fenestras morti, obsera aditus, foramina obstrue, et sic demum non subeuntibus novis, sordes poteris expurgare vetustas.* 3. D. Chrysostomus adducit sordium similitudinem, ad quas turpius est redire, postquam mundatæ sunt : *Vice sordium delictis inquinamur.* (9) Christiane, *noli peccare post veniam, noli sordidari post gratiam. Cogita graviorem culpam esse post veniam, molestius hominem sordidari post gratiam.* 4. Cyrillus Alexandrinus utitur

(1) D. Cyprian. de Habit. Virg. c. 1. Joan. 5. — (2) Matth. 12. — (3) L. 50. Hom. Hom. 20. — (4) 2. Petr. 2. — (5) Serm. 2. in Psal. 30. — (6) Tert. L. de Pœn. 5. — (7) Jacob. 4. — (8) D. Chrysol. Hom. de laps. prim. hom.

(1) S. Isid. Regula. 289. de Brevior. — (2) De Sacram. Pœnit. cap. 5. — (3) Mag. Greg. 3. Pastor. Admon. 31. — (4) D. Chrysost. ibid. — (5) D. August. Serm. 181 de Temp. — (6) Rom. 11. — (7) D. August. L. contr. Julian. c. 4. — (8) D. Aug. Conc. 2. in Ps. 30. — (9) Tert. L. de Bapt. 4.

morbi similitudine, qui per relapsum incrementatur : « Incassum sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit in pristinum incidat morbum : quinimo relapsus in ægritudinem periculosior esse solet, et exitio proprior quam prior ille languor et quos prima valetudo adversa non exstinxit; sæpius iterata post redditam incolumitatem, ægrotatio sustulit e vita. Haud secus frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præteritæ vitæ sordes reditur : hæc enim secunda admodum periculosa est animæ febricitatio. » (1) 5. D. Chrysostomus id declarat vulneris comparatione, quod iteratum majori cum difficultate sanatur : *Noli vulnerari post curam, cogita venenatum vulnus pejus dolore post curam.* (2) Tandem, 6. Sanctus Eligius (3) ossis consolidati confractionem adducit : « Si aliquid crus frangatur, aut manus, cum labore solet ad pristinum revocari officium : si vero secundo, aut tertio, eodem loco membra frangantur; potest intelligere charitas vestra cum quantis doloribus et cruciatibus vulnera ipsa curanda sunt; et tamen post longos et multos dolores, vix erit unquam ut ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis existimanda est » quarum vulnera et peccata denuo iterata per recidivam, majora et periculosissima sunt, quia *malum quod perseverat augetur* (4), et recidivatus difficillime remittitur.

2. *Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit : pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est.* (5) His verbis demonstrat Tertullianus lapsis denegandam non esse pœnitentiam; licet postea, vel ex indiscreto zelo, vel ex nimio castitatis amore, vel ex acri ingenio adversus Romanam Ecclesiam, totis viribus contenderit lapsis in apostasiam et mæchiam, quamtumvis pœnitentibus, concedendam non esse ab Ecclesia pœnitentiam nec veniam : quos tamen coram Deo pœnitere, Deoque reconciliari posse asseverat : lapsorum autem peccata ab Ecclesia, irremissibilia, et a Deo solo remissibilia docuit, ex loco Apostoli male intellecto : *Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt, et donum cœleste gustaverunt, et participaverunt Spiritum Sanctum, et verbum Dei dulce gustaverunt, occidente jam ævo cum exciderint, rursus revocari in pœnitentiam, refigentes cruci in semetipsos Filium Dei, et dedecorantes.* (1) D. Augustinus (2), D. Ambrosius (3), D. Hieronym. (4) pluresque alii Patres censent Apostolum loqui de pœnitentia, quæ præcedit baptismum, tantumque damnare hoc loco iterationem baptismi. Hebræi namque in Judaismo sese multoties baptizabant; pluresque ex illis christianam religionem amplexati, existimabant pariter posse iterum, tertio et quarto baptizari, et baptismo iterato identidem peccata in quæ sæpius incidebant expiare : moderni autem Doctores cujusmodi sunt Anselmus, Lyranus, Dionysius, Hugo Carensis et alii, existimant Apostolum locutum de pœnitentia proprie sumpta, quæ susceptum consequitur baptismum, eamque impossibilem; hoc est valde difficilem esse peccatoribus, non quibuscunque, sed gravissimis, et ingratissimis, qui post tot insignia lumina et dona cœlestia a Deo accepta, post tot gratias et consolationes Spiritus Sancti, postquam gustaverunt delicias Dei et futuræ vitæ, a fide et agnita veritate, a suscepta toties gratia desciscunt : quia tales vix unquam serio pœnitent, difficillime et rarissime convertuntur.

Verum, ne ulla relinquatur difficultas circa impossibile de quo fatur Apostolus, animadvertendum est aliquid esse impossibile duplici modo. Uno, absolute, quando ex rei natura repugnat, et contradictionem importat : sic impossibile est ut Deus mentiatur et peccet, quia est prima veritas et essentialis sanctitas : si autem posset mentiri aut peccare, esset et non esset prima veritas et essentialis sanctitas. Altero modo, est impossibile moraliter; non quod repugnet ex rei natura, aut importet contradictionem, sed quia communiter et ordinarie non fit : licet enim absolute fieri possit, quia non implicat, attamen secundum consuetudinem et legem ordinariam fieri non potest. Sic jurisperiti vocant impossibile id quod valde est difficile, et raro aut nunquam fit. Sic Christus (5) postquam dixit impossibile esse divitem salvari posse, mox explicans semetipsum subjungit; id esse quidem impossibile apud homines, Deo autem omnia esse possibilia. Apostolus autem intelligendus est, non de impossibili absolute, sed de impossibili moraliter : peccatores enim

(1) D. Chrys. Homil. de lapsu primi homin. — (2) L. 5. in Joan. 17. — — (3) Homil. 15. — (4) Cassiod. L. 3. Epist. 14. — (5) Tert. L. de Pœn. 7.

(1) Tert. L. de Pudic. 20. — Hebr. 6. — (2) Initio Expos. Epist. ad Rom. — (3) L. 2. de Pœn. 2. — (4) L. 2. adv. Jovin. — (5) Matth. 13.

quantumvis relapsi, converti possunt, si Deus efficacem et extraordinariam eis largiatur gratiam, quæ eorum emolliat duritiem, et ad veram et seriam inducat pœnitentiam : impossibile tamen est, moraliter loquendo, eos ad veram renovari pœnitentiam, exspectato communi et ordinario naturæ et gratiæ cursu. Itaque *de quocunque pessimo in hac vita constituto, non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* (1) Scilicet de nemine desperandum est in hac vita, considerata omnipotentia et misericordia Dei ; considerata autem conditione peccati, nonnulli dicuntur *filii diffidentiæ.* (2) Sic Christus Dominus (3) ait quod blasphemia in Spiritum Sanctum non remittitur neque in hoc seculo, neque in futuro. Sic dicitur ut nemo oret pro peccato ad mortem. Quasi dicat Joannes (4) : Si quis peccet, dummodo non peccet peccatum ad mortem, oret quis pro peccante, et certo speret se exaudiendum ; sin autem quis peccet peccatum ad mortem, « etsi orationem fieri pro eo non prohibeam, » non ausim tamen spondere, nec certo sperare, quod orans pro eo veniam ei impetrabit : peccatum autem ad mortem, est quodvis gravissimum peccatum, maxime quod ex malitia committitur, sic *voluntarie peccantibus, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* (5) Quasi dicat Apostolus (6), peccatum eorum qui non ex ignorantia, neque ex infirmitate, sed ex malitia et determinata voluntate peccant, nullo sacrificio pro peccato, nulla pœnitentia, expiari potest, id est, difficillime et vix expiari potest, quale est recidivæ peccatum, quod difficilius remittitur et acerbius punitur.

3. Si pœna respondere debet culpæ, quam graviter puniendus est recidivans qui *jam et abusus est* (7), toties sibi collata venia ! itaque ex Magno Gregorio, *quid admissum plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit : quia et ipsam quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit.* (8) Quivis peccator Deum contemnit: nam *quid est omne peccatum nisi Dei contemptus, quo ejus præcepta contemnimus ?* (6) At inter omnes peccatores recidivans maxime Deum contemnit. Tres etenim sunt gradus contemptus : primus, quando quis absque ulla ratione contemnitur, qui tunc accidit cum nihil in se habet contemptibile, sed potius omni æstimatione dignum. Nemo est honoris amans qui satius non censeat aversari quam despici : quia odium indignitatem in persona aversata non indicat, contemptus vero indignitatem in persona contempta denotat. Tantum abest ut in Deo ulla reperiatur indignitas, ullus defectus, quin imo omnes in universum perfectiones in illo continentur; Deum tamen infinite perfectum recidivans absque ratione et fundamento contemnit. Secundus gradus est, quando existimationi succedit contemptus : qui enim contemnit, quem honore fuerat prosecutus, fatetur vel se deceptum fuisse, præbendo honorem indigno ; vel honorasse ingratum, qui injuste honorantem se contempsit, vel odio habuit: peccator pœnitens honoratus et dilectus fuit a Deo qui eum effecit suæ naturæ participem, et tanquam filium carissime dilexit: at per relapsum, Deum non solum tanquam honore illi præstito indignum, sed adhuc velut ingratum, contemptorem et osorem, contemnit. Tertius gradus, quando quis eum quem ante cæteris prætulerat, cunctis postea postponit. Pœnitens Deum in æstimatione et dilectione prætulerat diabolo, peccator vero recidivans prælatum diabolo Deum rursus diabolo infensissimo Dei inimico postponit. Magnus est contemptus quo Deum infinite perfectum peccator recidivans absque ullo fundamento despicit ; major dum Deum quem antea honoraverat, velut indignum, et ingratum, et injustum contemnit : sed maximus, cum Deum quem per pœnitentiam prætulerat diabolo, per relapsum diabolo postponit. Quo vilior est diabolus et dignior Deus, eo major est ejusmodi contemptus, majoremque pœnam meretur. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum fecerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit ?* (1) Argumentatur Apostolus a minori ad majus, et ex pœna mortis qua in veteri Testamento mulctabantur qui Moysis præcepta repudiabant et transgrediebantur ; recte colligit quali supplicio puniendi sunt Christiani qui violant legem evangelicam, Filium Dei suis sceleribus conculcant, sanguinem ejus polluunt, et gratiæ ab Spiritu Sancto datæ contumeliam faciunt. Quovis peccato lethali implicite et interpretative Deus contemnitur, Christi mors et passio pro nihilo du-

(1) D. August. L. 1. Retract. 19. — (2) Ephes. 1. — (3) Matth. 12. — (4) 1. Joan. 5. — (5) D. Hier. Lib. 2. Cont. Jovin. — (6) Hæbr. 10. — (7) Tert. L. de Pudic. 10. — (8) 3. Pastor. ad Mont. 51. — (9) D. Bern. de Mod. bene vivendi ad Soror. cap. 17.

(1) Hebr. 10.

citur, sanguis redemptionis polluitur, et Spiritus Sancti gratia contumelia afficitur, sed præsertim recidivantes, post acceptam in pœnitentia gratiam et sanguinis Christi fructum, Christum ejusque sanguinem pollutum ducunt, Spiritum Sanctum, ejusque gratiam contumelia afficiunt : et si, ut vult Tertullianus, *homo qui post baptismum delicta restaurat, igni destinatur* (1), quali supplicio puniendus est, qui post pœnitentiam iterum in præterita peccata relabitur?

Stupenda prorsus est sententia Theodori, Summi Pontificis, adversus Pyrrhum Constantinopolitanum patriarcham lata. Pyrrhus, per fraudem, Constantinopolitanam sedem assecutus, et ab ea per Heraclium imperatorem depulsus, Africam peragrans, ubique seminabat errores : at percepta Heraclii morte Romam se contulit, ad pedes Summi Pontificis prostratus, veniam, « non tamen ex animo, sed ficte » poposcit et impetravit. *Pyrrhus cum Roma discessisset et Ravennam pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est; quo Papa Theodorus comperto, plenitudine convocata Ecclesia, ad sepulcrum Apostolorum accessit, et divino calice expostulato, ex vivifico sanguine, in atramentum stillavit, et ita propria manu depositionem Pyrrhi conscripsit* (2); ipsum excommunicatum declaravit, et tanquam membrum putridum ab Ecclesiæ corpore separavit. Pyrrho non absimiles peccatores ad pœnitentiæ tribunal accedentes, sua confitentur delicta, se nunquam in ea reversuros pollicentur, et hoc pacto delictorum suorum veniam a Deo consequuntur, sed mox ut a sacra mensa recedunt, in pristina relabuntur delicta, iram Dei suo recidivatu provocant, et inferni suppliciis sese mancipant. Nam, ut fatur Apostolus recidivantibus post acceptam veniam voluntarie peccantibus, imminet *terribilis quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.* (3)

Utinam ad salubre D. Bernardi monitum attenderet peccator! *Timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata.* (4) Time ne acceptam amittas gratiam; amplius time ne amissam denuo non recuperes gratiam; longe plus time, ne recuperatam gratiam, voluntarie perdens et pro nihilo ducens, graviori mulcteris ob recidivatum supplicio, juxta Sapientis effatum : *In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit : vir bellator deficiens per inopiam, et vir sensatus contemptus : et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam.* (1) Duplici ut plurimum Deus recidivantes punit morte, vel temporali vel æterna. Aliquando morte temporali puniuntur. *Dolosi non dimidiabunt dies suos* (2) : qui autem magis dolosi quam qui toties in confessione se dolere asseverarunt, peccata se detestari testati sunt, et mox in eadem relabuntur? Propterea Deus, qui toties peccantibus pepercit, dum se a recidivantibus toties illusum conspicit, in eos animadvertit, et subita morte eos punit : *ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* (3) Vel quia indigne accesserunt ad sacram synaxim, vel quia post peractam in paschate pœnitentiam, mox ad vetera flagitia, ad impietates et blasphemias, ad animadversiones et detractiones, ad comessationes et ebrietates, ad impudicitias et lascivias, et ad assueta redeunt crimina. Ideo *Deus paravit eos ad romphæam*, id est, ut expendit Dionysius Carthusianus, *ad supplicium æternum.* Quasi parum sit recidivantes subitanea puniri morte, æterna puniendi sunt, qui Deum toties contempserunt : quos graviori adhuc in gehenna mulctandos supplicio vult D. Bernardus, quam alios præscitos. *Fiat filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum, in easdem denuo sordes inciderit.* (4)

Horrendum illud recidivantis supplicium ex parabola terræ frugiferæ et sterilis declarat Apostolus (5); cujus verba tantisper immutata refert Tertullianus : *Terra enim quæ bibit sæpius devenientem in se humorem, et peperit herbam aptam his propter quos et colitur, benedictionem Dei consequitur : proferens autem spinas, reproba et maledictioni proxima, cujus finis in combustionem.* (6) Dum terra labori et agriculturæ respondet generatque herbam, homines eam diligentius colunt, in ea hordeum, triticum, aliasque segetes serunt : Deus quoque novas ei pluvias, novasque cœli et solis immittit influentias : quo fit ut terra sic ab hominibus exculta, et ab ipso Deo irrigata, novos, plures et meliores afferat fructus, qui sunt quasi benedictio et felicitas terræ, sicut benedictio et felicitas matris est multas et pulchras generare proles : at econverso terra proferens quasi præter naturam, tanquam aborsum, spinas et tribulos, cum per se deberet generare herbam utilem, improbanda,

(1) Tert. L. de Bapt. 8. — (2) Platin. in Vit. Theod. Pap. Baron. An. Chr. 648. — (3) Hebr. 10. (6) Serm. 54. Cant.

(1) Eccles. 26. — (2) Psalm. 54. — (3) 1. Cor. 11. — (4) Serm. 2. de Assumpt. — (5) Hebr. 6. — (6) Tert. L. de Pudic. 20.

deserenda, rejicienda, et inculta est relinquenda, ut fiat horridum senticetum, et maledictioni, id est, sterilitati et squalori perpetuo subjaceat, ejusque finis, exitus et consummatio sit in combustionem, ut cum suis spinis ac tribulis comburatur. Terræ frugiferæ et fecundæ analogia Apostolus significat homines, qui imbrem divinæ gratiæ excipiunt, eique cooperantes, fructus bonorum operum producentes, a Deo benedicuntur, majoris gratiæ, et consolationis cœlestis influxu virtutum ac meritorum copia fecundantur, et ineffabilem cœli consequuntur gloriam : ex terræ vero frugiferæ et sterilis similitudine denotat Paulus recidivantium scelus, qui post tot ac tanta dona gratiæ, quasi pluviæ cœlestis accepta, hanc pluviam negligunt, gratiæ non respondent, bonorum operum remanent steriles, spinas duntaxat et tribulos, id est, crimina et peccata producunt. Ideo maledictioni sunt proximi, nisi convertantur et resipiscant, brevi in infernum, in combustionem demergendi. Non sunt Pauli hæ minæ, ait D. Chrysost. non sunt verba hominis, sunt Spiritus Sancti, sunt Christi, qui in Paulo loquitur, et æternum recidivantibus comminatur gehennæ incendium. Christiani, cavete ne tanquam terra ingrata et sterilis reprobi et maledicti sitis in combustionem : *Confidimus autem de vobis dilectissimi, meliora, et viciniora saluti* (1) : a relapsu alieni, omni studio satagite recuperatam per pœnitentiam conservare gratiam, bonis vacate operibus, ut tanquam terra fertilis et fecunda, novos jugiter accipiatis divinæ benedictionis influxus. Et ut recidivæ valeatis vitare malum et veræ pœnitentiæ custodire stabilitatem, *rememoramini pristinos dies in quibus illuminati* (2) per gratiam baptismatis, renuntiastis diabolo et operibus ejus, et divino cultui vos consecrastis. Rememoramini adhuc pristinos dies, quibus in pœnitentiæ sacramento polliciti estis nunquam vos deinceps relabi in præterita peccata. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram* (3) qua certi estis, si statis fideles in promissis, si in gratia constanter perseveratis, vos accepturos a Deo promissam bene operantibus gloriam. *Non enim est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri.* (4) Imo est misericors et justus : ut misericors, pœnitentibus concedit veniam et largitur gratiam; ut justus, per pœnitentiam justificatos et bene operantes, immortali in cœlo gloria et felicitate remunerat.

(1) Hebr. 6. — (2) Hebr. 10. — (3) Hebr. ibid. — (4) Hebr. 6.

CONCIO QUARTA.

Consuetudinis *vitium* (1) tantum videtur Philosopho Morali, ut audacter pronuntiet, *in vitiis veterasse, prope desperata res est, et damnationi confinis.* (2) Nonne Gentilis ille christiane loquitur, et suis sermonibus condemnat plures Christianos, sed nomine tenus, qui suis sceleribus excæcati, pravæ consuetudinis non solum non conspiciunt enormitatem, sed etiam, ut animadvertit D. Augustinus, crimina atrocissima quibus assueti sunt defendere satagunt, et concitantur ad iram dum de eis redarguuntur? « Qui faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum. Irascuntur cum reprehenduntur, in tantum ut inter Sodomitas nequitia sit justitia, et prohibitor potius reprehendatur quam factor. » (3) Verum sicut qui corpore ægrotant, non sunt sanæ mentis, dum insurgunt in medicos, et merito de eorum salute desperatur dum non dolent, nec malum quo gravantur sentiunt ; ita dum peccator in anima ægrotans, non agnoscit delictorum suorum enormitatem, in periculo damnationis existit. Ex D. autem Augustino, *omne peccatum consuetudine vilescit, et fit homini quasi nullum : ob duritiam, dolorem perdidit. Quod valde putre est, nec dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo deputandum est.* (4) Peccator consuetudine inveteratus si nullo afficiatur dolore, animam habet mortuam gratiæ, in periculoque æternæ mortis versatur, quia est, 1. Moraliter immutabilis ; 2. Fere irremediabilis; 3. Quodam tamen modo remediabilis.

I. PARS. Homo *falli facilis* (5) et in peccandi consuetudinem labi, difficillime tamen ab illa resurgit. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *consuetudinis malo difficile resistitur; et tanto amplius in ea superanda voluntas laborat, quanto ei majores vires consuetudo dedit.* (6) Quam difficile autem sit inveteratum peccatorem a prava consuetudine revocare, ex suscitatione Lazari comprobat Hipponensis Antistes : *Quatriduanus Lazarus significat peccatorem in peccati consuetudine sepultum, et quasi desperatum.* (7)

(1) Tert. L. de Idol. 20. — (2) Epist. 73. — (3) Serm. 44. de Verb. Dom. — (4) Lib. 50. Hom. Hom. 28. — (5) Tert. Apol. 45. — (6) L. 6. contr. Julian. c. 7. — (7) Serm. 44. de Verb. Dom.

Tres mortuos a Christo suscitatos referunt Evangelistæ. Marcus (1) scilicet filiam Jairi Synagogæ principis; Lucas (2), filium viduæ Naim; Joannes (3) vero, Lazarum, Marthæ et Magdalenæ fratrem. Jairi filiam absque ullo labore suscitavit Salvator : ingrediens enim domum in qua jacebat, « tenuit manum ejus et surrexit puella. » Majori cum labore revocavit ad vitam filium viduæ Naim, inveniens enim pheretrum extra portam civitatis, non solum adhibuit manum, « tetigit loculos, et qui portabant steterunt », sed etiam sermonem, imperiali voce, dicens : « Adolescens, tibi dico, surge. » At quanto cum labore quatriduanum suscitavit Lazarum? nam, 1. Infremuit spiritu ; 2. Turbavit semetipsum ; 3. Patris advocavit potentiam : Gratias tibi ago, quia semper me audis ; 4. Lacrymatus est Jesus; 5. Voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Trinum illud miraculum eloquenter declarat Chrysologus: *Suscitaverat Dominus filiam Jairi, principis Synagogæ, sed adhuc funere calente, sed adhuc mediante morte, corpore adhuc præsente, adhuc inter homines homine morante, adhuc viante spiritu, adhuc anima claustra tartari nesciente : ac ne multis, sic mortuæ vitam reddidit, ut jus maneret inferni. Suscitavit et unicum matris : sed sic, ut retineret pheretrum, ut anticiparet sepulcrum, ut corruptionem suspenderet, et præveniret fœtorem, ut ante mortuo vitam redderet, quam tota mortuus jura mortis intraret. Circa Lazarum vero quod geritur, totum singulare est, cujus mors, cujus resurrectio, commune nihil habet cum prædictis, quem circa et vis tota mortis impleta est, et forma resurrectionis plena resplendet.* (4) Tres illi mortui tria peccatorum denotant genera : « Intueatur unusquisque animam suam : si peccat, moritur : peccatum mors animæ est. Sed aliquando in cogitatione peccatur: quod malum est, consensisti, peccasti : consensio occidit te. Sed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animam resuscitans Dominus resuscitavit illam puellam, quæ nondum foras elata, sed in domo mortua jacebat, quasi peccatum latebat. Si autem non solum malæ delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti : quasi mortuum extra portam extulisti, et tamen et ipsum Dominus suscitavit, et reddidit viduæ matri suæ : si peccasti, pœniteat te, et ressuscitet te Dominus, et reddat Ecclesiæ matri tuæ. Tertius mortuus est Lazarus. Est genus mortis immane, mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare et aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat, et continuo corrigitur, cito reviviscit, quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consuevit, sepultus est, et bene de illo dicitur : Fœtet. (1)» Ad hunc suscitandum non satis est quod Dei manus eum in adversitatibus tangat ; non sufficit vox concionatorum, qui eum hortentur, increpent, redarguant ; Christi adhuc requiritur fremitus, ejulatus, vox imperialis alte clamans : Lazare, veni foras, gratia potentissima, quæ fœtentem et inveteratum de sepulcro evocet peccatorem : nec mirum, quia prava consuetudo peccandi est velut, 1. Altera natura quæ vix tollitur ; 2. Character, qui indelebiliter imprimitur; 3. Habitus multis actibus acquisitus, qui difficillime dediscitur.

1. *Naturæ corruptio alia natura est.* (2) Hujusmodi autem naturæ corruptio, ab originali labe originem duxit, naturamque reddidit velut aliam ab ea quam habebat homo in statu innocentiæ. *Usque adeo exclusa naturæ originalis sinceritate, aliam quodammodo naturam vitia fecerunt* (3) : quasi Adamus peccando ab humanæ naturæ integritate deciderit, et in aliam quodammodo naturam transformatus sit. Adam nepotes qui a vitiis sese abstinent, et virtutes sectantur, velut in alia natura constituuntur, quæ in scelerosis vitiorum corruptione depravatur. Quod de Noe asseverat D. Chrysostomus, qui inter homines sceleratissimos vivens, virtutem et pietatem servavit illæsam. *Hic oro, animo expende miram hujus justi Noe sapientiam, qui in tanta malorum conspiratione, malitiam effugere voluit, et nihil inde damni sensit, sed quasi ex alia natura constitutus, a communi omnium perditione est exemptus.* (4) Uti Noe, vitia fugiens quæ humanam naturam corruperant, dicitur ex alia natura constitutus, ita qui vitiis sunt addicti, velut alterius sunt naturæ : præsertim cum corruptio, *exinde inoleverit et coadoleverit in anima, ad instar jam naturalitatis.* (5) Ex D. etenim Augustino, *consuetudo quasi secunda et affabricata natura dicitur.* (6) Quod ultro fatetur Regius Vates : « Substantia mea tanquam nihilum ante te. (7) » Loco substantiæ nonnulli legunt *vitam ;* quidam *occasum*, vitæ scilicet; alii *hypostasim* seu *subsistentiam :* Sym-

(1) Cap. 5. — (2) Cap. 7. — (3) Cap. 7. — (4) Serm. 63.

(1) D. August. Tract. 49. in Joan. — (2) Tert. Lib. de An. 41. — (3) Salvian. L. 7. de Gubern. Dei. — (4) Hom. in Genes. — (5) Tert. L. de An. 16. — (6) Lib. 6. de Musica c. 7. — (7) Ps. 38.

machus vero *consuetudinem*. Assidua hominis consuetudo, sic in naturam et mores abit ut pristinæ substantiæ et vitæ occasus nuncupetur, et nova dicatur vita, substantia et subsistentia. Subsistentia autem firmitatem denotat : unde præscriptio apud Jurisperitos definitur : *Quoddam jus ex tempore subsistentiam capiens* (1), id est, firmitatem, stabilitatem : peccata, longa temporis consuetudine ita subsistentiam capiunt, ut jure suo præscribant, et velut præscriptionis titulo peccatorem possideant, suoque jure sibi vindicent : quia diuturna consuetudo peccati est prioris vitæ substantiæ et naturæ velut tumulus, et novæ vitæ, substantiæ et naturæ, in quam transformat peccatorem, subsistentiam et firmitatem subministrat. « Sicut enim aliquando magno labore et studio perseverante, virtutes trahuntur in affectum, et mentem bonam, sic vitia levissima remissioris licentiæ opportunitate transeunt in conspersionem, et quasi naturalia efficiuntur. Sed nullum vitium naturale est, virtus vero omnis homini naturalis est. Consuetudo tamen vel voluntatis corruptæ, vel inolitæ negligentiæ, plurima sæpe vitia quasi naturalia in neglecta conscientia efficere solet. Consuetudo quippe, sicut philosophi dicere solent, est secunda natura. » (2)

Consuetudo autem quæ altera natura est, non facile vincitur : *Natura mutationes repentinas subitasque non sustinet.* (3) Magnus sane est labor ab extremo ad extremum regredi, usumque superare vetustum. *Nam inveterata consuetudo plerumque tantum potest, quantum natura : cum natura autem pugnare est difficile.* (4) « Neque alia causa facit difficultatem bene vivendi quam longa consuetudo peccandi; quæ nos ita tenet adstrictos, ut quamdam vim naturæ habere videatur. (5) » Quod autem ita adstrictos tenet peccatores inveteratos, *est gravis quædam et perniciosa catena, solvenda utique facilius quam rumpenda : præsertim quod altera quædam natura sit ipsa consuetudo* (6) : quomodo istud Davidicum, « tenuit eos superbia (7) » expendit D. Bernard. *Quid est tenuit, nisi irretivit et implicavit, et inolitæ consuetudinis indissolubili obligavit vinculo? Hoc enim est quod sequitur : Operti sunt iniquitate et impietate sua, ut non facile evolvere et explicare ab illa se possint.* (8) Nec mirum quia prava consuetudo est altera natura quæ vix tollitur, et velut character qui indelebiliter imprimitur.

(1) Goffred. c. de Præscr. — (2) D. Bern. Tract. de Vit. Solitar. cap. 15. — (3) Galen. — (4) Phil. Jud. L. de Abrah. — (5) Odo Cluni. Lib. 2. Collat. — (6) D. Bern. Serm. 14. de Diversis. — (7) Psal. 72. — (8) Serm. 9. in Cant.

4. Peccator peccato assuetus, tandiu peccat, *quoadusque inveteretur delictum, et signentur delicta* (1), velut indelebili sigillo : et ut fatur Philo Judæus, de Esau loquens, *malitiæ charactere* (2) : non quod deleri absolute non possint, sed quia vix unquam delentur. Quod non ignorans Diogenes, quamvis fidei lumine destitutus, admonens hominem in vitiis inveteratum, et interrogatus quid ageret, respondit : *Æthiopem lavo;* lepide innuens facilius esse Æthiopem innatam sibi deserere nigredinem, quam peccatorum inveteratam consuetudinem : quod per os Jeremiæ docet ipsemet Deus : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, sic vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* (3) Ut autem animadvertit Hugo Cardinalis, « per nigredinem pellis Æthiopis intelligitur eorum mala consuetudo quæ vix aut nunquam evellitur. » Est autem facilius Æthiopem ex sua natura nigrum, pardum quoque vario colore tinctum, relinquere nigredinem, aut varietatem, quam peccatorem in suis sceleribus inveteratum pravam deserere consuetudinem. *Et amplius dicam, quasi cute quadam sic aliqui prava operti et involuti sunt consuetudine vitiorum, ut illam dediscere, et desuescere, non tam spoliari sit quam excoriari.* (4) Pelle nemo, neque etiam prava consuetudine, nisi magna cum difficultate despoliatur. Quod S. Cyprianus recens ad fidem conversus, ad Donatum eloquenter scribit : « Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio, ut repente ac perniciter exuatur, vel quod genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? Alta hæc et profunda penitus radice sederunt. » (5)

Quædam sacramenta imprimunt characterem qui indelebiliter in anima perseverat. Character malitiæ cordi per inveteratam consuetudinem impressus est velut indelebilis. De quo idem dici potest quod Jeremias propheta de peccato Judæorum : *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* (6) Nempe peccatum Judæorum insculptum est, et quasi stygmate notatum stylo ferreo, in corde eorum adamantino, hoc est duriter obstinatissimo, ut indelebile maneat in perpetuum, semperque legi possit : *Si esset peccatum atramento conscriptum, deleri*

(1) Tert. L. adv. Jud. 8. — (2) Lib. de Sac. Cain et Abel. — (3) Jerem. 13. — (4) D. Bern. Serm. 9. in Cant. — (5) Epist. 2. — (6) Jerem. 17.

posset, sed scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, super pectus cordis. (1) Peccatoris inveterati scelus, in propria ipsius conscientia scriptum, non atramento delebili, sed sculptum stylo ferreo, in adamantina tabula cordis, quo æternum perduret, et de facile legi possit.

Character a sacramentis impressus non deletur per mortem, sed perseverat in anima, etiam corpore in sepulcro tumulato. Homo a prima ætate peccatis assuetus, non recedet ab eis, etiam postquam senuerit : nam, ut fatur Sophar, Jobi amicus, *ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, et cum ipso in pulvere dormient.* (2) Non dicit caro, sed ossa ejus, quia sicut quæ ossibus insident, cum ipsis durescunt ac durant, ita prorsus vitia juventutis longa consuetudine inolita, quæ *certe consuetudo corroboravit.* (3) Quod belle Magnus Gregorius edisserit : « Hoc enim quod male cœpit, pejus quotidie per consuetudinem roborat. Dicitur itaque : Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus : quia duræ in eo pravitatum consuetudines a vitio sumptæ sunt pessimæ inchoationis. Quæ nimirum ossa cum eo in pulvere dormient, quia eo usque in illo iniquæ consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis pulverem pertrahant. Cum eo enim in pulvere ossa vel vitia dormire, est usque ad pulverem eum non deserere, id est, usque ad mortem ab iniquitate minime cessare. Tenent igitur illum pravæ consuetudines quæ semel cœperunt, atque quotidie duriores existunt : et cum illo in pulvere dormiunt, quia nonnisi cum ejus vita finiuntur. » (4) Et quasi parum sit cum ejus vita finiri, post ejus mortem adhuc perdurant, ut lepide probat Gregorius Nyssenus, ex angore divitis de rebus in seculo relictis anxie solliciti, et sic Abrahamum supplicantis : « Rogo ergo te, pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. » (5) *Dives quasi quodam visco etiam post mortem a vita detinetur carnali. Nam si quis omnino carnalis secundum mentem fiat, nec postquam corpus exuerit, removetur a passionibus ejus.* (6) Sic inveterata consuetudo medullitus hæret, ut ossa vitiis adolescentiæ plena cum peccatore in pulvere dormiant. Sic inescatur vita carnali ut etiam post dissolutionem corporis, anima corporis tangatur passionibus : adeo pravi habitus per varios acquisiti actus, difficillime dediscuntur.

(1) Orig. Hom. 12. in Jerem. — (2) Job. 20. — (3) Tert. Lib. de Cor. Mil. 3. — (4) Lib. 15. Mor. cap. 4. — (5) Luc. 16. — (6) In Caten. aur. D. Thom.

3. *Alii atque alii habitus accedunt pro facilitate materiæ, qua duxerit eam qui agit.* (1) Ante Adami lapsum magna facilitate homo ferebatur ad virtutem : post deperditum vero innocentiæ statum, criminosi illius parentis nepotes faciliter prorumpunt in vitia, virtutes vero nonnisi magna cum difficultate adipiscuntur. « Hæc enim maledictio est Adæ, ut in terra laboris nostri, et in agro corporis vel cordis nostri, noxia vel inutilia gratuito passim ubique proveniant : utilia vero vel necessaria et salubria cum labore. Virtus quoniam naturæ res est, cum venit in animum aliquando, non venit sine labore, sed venit in locum suum et sedet fideliter. Vitium vero cum nihil aliud esse credatur quam privatio virtutis, tamen adhæsio ejus tanta nonnunquam quasi sentitur ut vix a se eam natura excutiat. Omnis enim vitii frustra siccatur rivus, si fons non fuerit obturatus. » (2) Quapropter ne vitium animam inficiat, eique pertinaciter inhæreat, *quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, elide illam.* (3) Vitiorum fibræ præmature exscindendæ sunt, ne vitium peccati soboles, paulatim adolescat, inolescat et insolescat. Difficillime profecto exstirpari potest, quod profundas egit radices. « Nec sane quælibet vitis insitionem patitur, si vetus et exosa est ; sic qui diu et sine interruptione vitiis indulsit, simul et emarcuit, et induruit ; prope non potest recipere rationem. » (4) Senex vitiis innutritus, haud facile flecti potest ad exercitium virtutis. *Respice ætatem ejus jam duram et intractabilem, non potest reformari.* (5) Intractabilis ad rem virtutis dura, flecti nescia, ad virtutem irreformabilis dicitur senilis ætas vitiis assueta, quasi senex vitiis assuetus cum canis, pertinaciam ebiberit. « Cani effusi sunt in Ephraim, et ipse ignoravit, vitiosis nimirum affectibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit, et tamen rigidum et inflexum animum habes » (6) quo pertinaciter in prava consuetudine perseveras.

Senex vitiis assuetus inidoneus est qui inveteratam consuetudinem dediscat et ad virtutem informetur. Quod non ignorans Diogenes dicere solebat : *Mortuo mederi et senem docere* perinde esse. Audiatur hac super re senex stultus apud Theagenem ab alio doceri dedignans, *ne doceas, ætas me fecit indocilem :* profecto vitiis assuefactus, ad sectandam virtutem indocilis est. *Qui non*

(1) Tert. L. de An. 3. — (2) D. Bern. Tract. de Vita solitaria. cap. 15. — (3) D. August. in Psal. 136. — (4) Senec. Epist. 73. — (5) Senec. Epist. 25. — (6) S. Isidor. Lib. 1. Epist. 314.

assuescit virtuti dum juvenescit, a vitiis nescit discedere, dum senescit : econtra quod in juventute addiscitur, in maturitate servatur. (1) *Quare proverbium est : Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* (2) Cajetanus legit : *Assuefac puerum;* Chaldæus : *Erudi adolescentem;* Pagninus : *Imbue puerum.* Pueri enim ac juvenes idonei sunt qui virtuti assuefiant, de illa erudiantur, illaque induantur. Quasi dicat Sapiens : Proverbium vulgo receptum, et communi usu jugique experientia comprobatum sancitumque : ideo verissimum est puerum modum vivendi quem a teneris annis edoctus fuerit, hauserit, imbiberit, eique assueverit, usque ad senium et ad extremum vitæ retenturum. *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.* (3) Complures namque assueti mendaciis, juramentis, turpiloquiis, lasciviis, rapinis, ebrietatibus, detractionibus, si interrogentur a quo tempore illis assueti sunt vitiis, respondebunt ab infantia, ideoque ab hac consuetudine sese non posse expedire : prorsus *difficile est patriæ linguam, quam ab infantia addidiscimus, oblivioni mandare, aliamque de novo perdiscere.* (4) Nec minus perdifficile deserere vitia a teneris annis accepta et per varios actus incrementata.

Licet habitu augeri (5) tum virtutes, tum vitia. Habitus enim qui per varios actus reiteratos acquiritur, est qualitas inhærens potentiæ, præstans illi facilitatem ad producendos actus similes iis per quos comparatus est. *Facilius quippe inclinamur ad solita.* (6) Itaque per frequentes actus acquiruntur et conservantur artes omnes sive serviles, sive liberales. « Sicut ædificando ædificatores, citharizando citharædi efficiuntur, ita quoque justa agendo justi, temperantia temperantes, fortia fortes evadimus. (7) » Econverso etiam injusta agendo injusti, veneri vacando impudici, gulæ indulgendo efficimur gulosi, et quemadmodum *virtutes non natura, sed usus fecit* (8), ita pariter non natura, sed usu vitia comparata sunt; et ut fatur Tertullianus, *vitia usu viriosa* magis radicantur et difficilius evelluntur. *Periculosæ sunt jam robustæ cupiditates, et difficulter adulta quæque perimuntur.* (9) Maxime dum cupiditates transierunt in habitus, et ex variis et diuturnis actibus effecta est longa et inveterata consuetudo. *Difficulter enim eradicatur, quod rudes anni perbiberunt* (1) ad pravam illam consuetudinem. *Quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo.* (2) Aliter inveteratæ consuetudinis originem, progressum et consummationem declarat Hugo Victorinus. Origo ejus ab illicitis procedit aspectibus : nam *concupiscentia oculis arbitris utitur, et communicat placitum.* (3) « Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus habitudo, habitudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio. » Ex Morali quoque Philosopho *in vitiis veterascere prope desperata res est et damnationi confinis.* (4) En quo inveterata consuetudo ducit peccatorem, ad necessitatem scilicet et desperationem, quia eum reddit et moraliter immutabilem, et fere irremediabilem.

II. PARS. Ægritudinem *confirmatam consuetudine* (5) velut desperatam existimant medici. Ut enim ait Ecclesiasticus, *languor prolixior gravat medicum.* (6) Tigurina exscribit : *Morbus pertinax medico gravis est.* Biblia Sixtiana ex Græco vertit : *Prolixum languorem cavillatur* medicus. Longus, prolixus, tenax et pertinax morbus ille est qui multo tempore tenacissime hæret : medicus diuturnum illum et tenacem sanare morbum satagens, cavillatur. Cavillari apud jurisconsultos est subdole ratiocinari, seu vincendi gratia, ex proposito mentiri : cavillari vero apud logicos est argutum sophisma, ad fallendum artificiose componere : medicus inveteratum curare præsumens morbum cavillatur, id est, ratiocinando mentitur, sophistarum more ad fallendum philosophatur, seu irrisorie et facete jocatur. Neque minus gravat animarum medicum consuetudo vitii, in sceleroso et peccatore pertinax. Morbos animi ab affectibus distinguit Moralis Philosophus. « Morbus est inveteratum vitium et durum. Affectus sunt motus animi, improbabiles, subiti et concitati, qui frequentes neglectique, fecere pravæ consuetudinis morbum. Sicut distillatio una, nec adhuc in morem adducta, tussim facit, assidua et vetus phthysim : ita mali affectus crebra repetitione in vitiosam consuetudinem, morbum prope irremediabilem transeunt. Tria morbum corporis ut plurimum irremediabilem reddunt, scilicet

(1) S. Maxim. Serm. de S. Joan. Bapt. — (2) Prov. 22. — (3) Horat. — (4) D. Basil. in Reg. Disp. 6. — (5) Tert. L. de An. 3. — (6) D. August. Epist. 112. ad Paulinam. cap. 17. — (7) Arist. L. 2. Ethic. — (8) D. Bern. L. 1. de Consid. 11. — (9) D. Hilar. in Ps. 136.

(1) D. Hier. Epist. ad Lætam. — (2) D. Aug. Serm. 44. de Verb. D. — (3) Tert. L. de An. 38. — (4) Senec. Epist. 73. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 4. — (6) Cap. 10. — (7) Senec. Epist. 73.

dum, 1. Ægrotus in novos morbos cadit; 2. Morbum et dolorem non sentit; 3. Remedia non recipit. Eodem modo ratiocinandum est de morbis animi, peccator consuetudine inveteratus est fere desperabilis et irremediabilis, quia, 1. In novos morbos cadit; 2. Morbum quo laborat non sentit; 3. Remedia necessaria non recipit.

1. Anima prava consuetudine ægrotans, cadit *exinde scabida etiam in cæteras culpas, et delinquendi non naturales, cum jam non ex instituto naturæ, sed ex vitio.* (1) Interdum cadit in similia peccata, interdum in diversa. In similia : difficillimum est enim ut qui est furto assuetus, non furetur ; qui assuetus est libidini, non luxurietur. Quod denotat Osee propheta vaticinans : *Quia fornicans fornicabitur terra.* (2) In Græco habetur : *Fornicata est et fornicabitur;* id est, quæ fornicata est, fornicabitur; quæ prava consuetudine incensa est libidinum flammis, iterum eodem incendio ardebit, quasi gustatæ diu libidines sint vaticinia subsequentium libidinum. Quo alludere videtur Salvianus: *Mala incessabiliter malis addimus. Nos non vicinos nostros tantum ardere videmus : sed et ipsi jam ex maxima nostrorum corporum parte arsimus. Et quid hoc pro nefas! mali est? Arsimus, arsimus, et tamen flammas, quibus jam arsimus, non timemus.* (3) Ac si dicat : Libidinis flamma, non modo præteritum in quo viximus tempus, non modo præsentem quam agimus vitam, sed reliquum vitæ incendio vastat. Fornicatus est, in præterito, et fornicabitur; fornicans in præsenti et fornicabitur : et tam præteritum quam præsens peccatum, est velut prophetia futuri peccati.

Interdum in diversa cadit peccata. « Quia omnis peccator perseverans in peccatis suis, addit peccata peccatis : fecit adulterium, et ne occidatur parat homicidium, addit peccato peccatum. Rursum si ei contigerit facere homicidium, jam qui unum crimen timebat, duo timet, ideo non cogitat minuere quod fecit, sed addere quod nondum fecit. Quærit fortasse et maleficium. » (4) Quod ostendit adhuc D. Augustinus in istud Davidicum : Iniquitates manus vestræ concinnant, vel connectunt : *Quia de peccato peccatum, et ad peccatum peccatum, propter peccatum.* (5) Ut furtum fecit, peccatum est. Visus est occidere, quærit eum a quo visus est. Connexum est peccatum peccato. Permiserit Deus occulto judicio occidere eum quem voluit occidere, sentit sciri, quærit et alterum occidere, connexuit tertium. Dum ea molitur, forte ne inveniatur, aut quia fecit ne convincatur, consulit mathematicum : additum est quartum. Respondet forte aliqua dura et mala mathematicus, curritur ad haruspicem, ut expietur : respondet haruspex non se posse expiare, maleficus quæritur. *Et quis omnia possit numerare, quæ connectuntur peccata peccatis?* Nam, ut docet Magnus Gregorius, « plerumque unum atque idem peccatum, et peccatum est, et pœna, et causa peccati. Quod melius ostendemus si res ipsas ad medium deducamus : effrenata enim ingluvies in fervorem luxuriæ, plenitudinem carnis instigat; perpetrata autem luxuria, sæpe aut perjurio aut homicidio tegitur, ne humanarum legum ultione puniatur. Ponamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis sibi frena laxavit; qua voracitate superatus adulterii facinus admisit : deprehensus autem in adulterio, latentem virum adulteræ, ne ad judicium traheretur, occidit : hoc igitur adulterium inter voracitatem et homicidium positum, de illa videlicet nascens, et hoc generans, peccatum est et pœna peccati. Peccatum profecto est per semetipsum; pœna vero peccati est, quia culpam voracitatis auxit : causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Unum ergo idemque peccatum est, et pœna præcedentis, et causa culpæ subsequentis; quia et transacta dum exaggerat, damnat; et adhuc sequentia quæ damnari debent seminat. » (1)

Verum ne ulla difficultas inenodata relinquatur, animadvertendum est peccatum per se et formaliter non esse pœnam peccati : tum quia Deus est auctor pœnæ, non culpæ; culpa non est a causa efficiente, sed deficiente, et agente contra superioris legem; Deus non est causa deficiens, quia non habet superiorem, cui subjiciatur et a quo reguletur : tum quia peccatum procedit a libero voluntatis arbitrio. Pœna autem non est libera, sed coacta, et voluntati repugnans : tum quia peccatum nequit esse bonum cum a Deo prohibeatur; pœna vero est bona et a divina Justitia adhibetur : per accidens tamen unum peccatum potest esse pœna alterius peccati, et hoc potissimum tripliciter: 1. *Ex sua causa* sive intrinseca et ipsi homini inest ut passio : sive extrinseca deforis adveniens, ut dæmonis suggestio. Ad superandam tam passionem et concupiscentiam,

(1) Tert. L. de An. 38. — (2) Osee 1. — (3) Lib. 6. de Gubernat. Dei. — (4) D. August. in Ps. 133. — (5) In Psal. 57.

(1) Lib. 25. Mor. c. 9.

quam violentam dæmonis tentationem, non sufficit natura, sed requiritur gratia efficax; quam cum Deus a peccatore inveterato subtrahit, in peccatum facile cadit : et hujusmodi gratiæ efficacis denegatio est pœna peccati acerbissima et justissima. Homo in gratia et Dei benevolentia existens, parata habet suis temporibus gratiæ auxilia, quibus valeat concupiscentiam superare, dæmoni resistere, peccata cavere : at dum Dei efficitur inimicus, et ejus contemptu diutius per pravam consuetudinem perseverat, auxilio gratiæ opportuno quod fuisset ob ex patrandi criminis, sese reddit indignum, et misere ruit in novum facinus quod est pœna sceleris præcedentis. 2. Peccatum potest esse pœna peccati *ex ipsa actus substantia;* quæ tum animæ tum corpori peccatoris molesta est et gravis. Animæ quidem, ut ira præceps, quæ rationem perturbat; ut invidia mordax, quæ cor angit et cruciat. *Jussisti, jussisti, Domine, et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* (1) Corpori etiam, ut opus externum quod corpus fatigat, eique laborem et dolorem ingenerat, ut crapula, luxuria, quod reprobi fatentur : *Lassati sumus in via iniquitatis, et ambulavimus vias difficiles.* (2) 3. Peccatum est pœna peccati *ex parte effectus consequentis.* Scilicet infamia et gravis ignominia, quæ ex peccato sequitur. Quo sensu ex Apostolo permisit Deus ut Gentiles Philosophi, in idololatriæ pœnam, laxarent concupiscentiæ habenas, suaque corpora nefandis polluerent criminibus. *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* (3) Ex his constat quamdam esse peccatorum colligationem, et velut catenam, in qua alia sunt causa sequentium peccatorum, alia pœna præcedentium. *Inter primum peccatum apostasiæ, et ultimam pœnam ignis æterni, media quæ sunt, et peccata sunt, et pœna peccati.* (4) Quot peccata committit inveteratus peccator, tot sunt pœnæ præcedentium delictorum : « Quid non evertat consuetudo? (5) quid non assiduitate duretur? quid non usui cedat? quanti quod præ amaritudine prius exhorrebant, usu ipso male in dulce conversum est? Audi justum qui lamentatur super hujuscemodi : *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia mei cibi sunt.* (6) Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescas, judicabis non adeo grave. Paulo post et leve senties, paulatim post nec senties, paulo post etiam delectabit : ita paulatim in cordis duritiam itur. » His gradibus peccator in sceleribus inveteratur, et induratur, et quantumvis sit gravis et periculosus morbus quo ejus anima laborat, morbum tamen et ægritudinem non sentit.

2. *Sed enim multa sunt quibus teneritas conscientiæ obduratur in callositatem voluntarii erroris* (1) : cujusmodi fuit error Judæorum, qui diuturna malitiæ consuetudine fuerunt adeo depravati ut Christo Domino teste nescirent quid facerent : « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. » (2) Hæc Redemptoris verba non parvum faciunt interpretibus negotium. Nam si ignorantes fecerunt, cur postulat Salvator ab æterno Patre remissionem delictorum? Venia alicujus delicti venia est : ignorantia autem eos sufficienter excusat a delicto. Verum quia illa Judæorum ignorantia procedebat ab inveterata persequendi Christum consuetudine, non erat Deicidii excusatio, sed potius accusatio. *Usque adeo in hoc malo voluntarii, ut voluntas consuetudinem, et consuetudo faceret necessitatem : necessitas vero usque ad illam vecordiam erumperet, ut nescirent quid facerent.* (3) Idem accidit cæteris peccatoribus, qui dum vitiis assuescunt, a prava consuetudine fiunt coacte voluntarii, libere coacti, cæce oculati : ideo ut peccatorum suorum non perspiciant enormitatem : *habet enim hoc infelix consuetudo peccandi, ut quantum amplius quisque peccaverit, tanto minus peccata ipsa intelligat, et tanto plus eum peccare delectet.* (4)

Eodem modo philisophandum est de callositate cordis per diuturnam consuetudinem indurati ac de callo in vulnere obducto. *Vulneri vetusto et neglecto callus obducitur, et eo insanabile, quo insensibile.* (5) Animus prava consuetudine inveteratus durescit, eo insanabilis, quo insensibilis. Hanc cordis duritiem et insensibilitatem, periculosissimam et irremediabilem existimat D. August. *Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis et cupiditatibus frœna laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum : puto quia magna sit jam peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidisse judicii.* (6) Qui a suo corde judiciorum Dei fugavit notitiam, et suppliciorum gehennæ excussit formidinem, libere atrocissima quæque perpetrat facinora : et ut fatur D. Bernardus, « postquam terribili Dei judicio, prima fla-

(1) D. August. L. 4. Conf. c. 12. — (2) Sap. 5. — (3) Rom. 1. — (4) D. August. in Psal. 57. — (5) D. Bern. L. 1. de Consid. cap. 2. — (6) Job. 6.

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 1. — (2) Luc. 13. — (3) Arnol. Carnot. de 7. Verb. Dom. in cruce. — (4) Hom. 5. ad Monachos. — (5) D. Bern. Lib. 1. de Consid. cap. 2. — (6) Serm. 120. de Temp.

gitia impunitas sequitur; experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur; concupiscentia reviviscente sopitur ratio, ligat consuetudo, trahitur miser in profundum malorum, trahitur captivus tyrannidi vitiorum, ut carnalium ita voragine desideriorum, dicat insipiens in corde suo : Non est Deus. Indifferenter illicitis pro licitis utitur; jam ab illicitis cogitandis, patrandis, investigandis, animus, manus, vel pedes, non prohibentur; sed quidquid in cor, in buccam, ad manum venerit, machinatur, garrit, et operatur, malevolus, vaniloquus, facinorosus. » (2)

In morbis qui afficiunt corpus, *gravis et continuus dolor cito habiturus est exitum; aut sanitatem profecto, aut insensibilitatem.* (3) Sanitatem, virtute et efficacia remediorum; insensibilitatem, violentia et acerbitate dolorum. Nam, ut subjungit Mellifluus Doctor, *dolor continuus et acerbus, diuturnus esse non patitur. Enimvero cito aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem.* Peccator vitiis assuetus diutius in suo morbo perseverat, mutuatur quidem a suis peccatis mentis stuporem, animi insensibilitatem, sed non sanitatem, quia remedia non recepit.

3. In morbis corporis *adversus vetustatem, consuetudinem et necessitatem* (4) nulla fere possunt adhiberi remedia. *Antiquus etiam animi morbus, et mali exercitatio, longitudine temporis obdurata, vix remedium, vel potius omnino nullum, reperiet.* (5) Diuturnus corporis morbus non est facile mobilis, quia est in habitum conversus : sic quoque subjungit Magnus Basilius : *Diuturna peccatis commoratio habitum quemdam vix mobilem animis indit.* Illum pravæ consuetudinis stabilitatem denotatam vult Sanctus Ambrosius a Zacharia propheta, per mulierem in medio amphoræ sedentem, talentum plumbi in manu tenentem: « Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit : Hæc est impietas. » (6) *Iniquitas in talento plumbeo sedet, eo quod fixa in peccato, se ab eo separare non possit. Etenim intenti in errorem, et studiose flagitiis inhærentes, sedere dicuntur, qui nolunt assurgere, nec audire dicentem : Surgite postquam sederitis.* (7) Ægrotantes longo tempore morbo corporis irremediabiles sunt, vel quia nolunt audire medicum, vel quia diuturnus morbus factus est eis velut connaturalis : *Cum in naturam et plurimum consuetudo vertatur* (1) : vel quia diu assueti remediis, nullatenus efficaciam eorum experiuntur; quia humores peccantes medicinarum prædominantur virtuti. Sic Mithridates, rex Ponti, singulis diebus bibens venenum, ut consuetudine ipsa fieret innoxium, volens postea sibi sumpto veneno necem inferre, ne vivus a suis deprehenderetur hostibus, nequivit, eo quod omne in naturam abiisset venenum. His omnibus modis peccatores inveterati fere sunt irremediabiles : tum quia *irascuntur cum reprehenduntur* (2); tum quia pravi et diuturni habitus quasi innati et ingeniti illis videntur : ut autem belle ait Moralis Philosophus, *desinit esse remedii locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt.* (3) Tum quia diuturna morum corruptio cunctis prædominatur remediis, quæ quantumvis multiplicata et repetita nullius sunt efficaciæ et virtutis, ideo D. Ambrosius subjungit : *An ignoramus quod tantam vim habeat inveterata consuetudo peccandi, ut excludat naturam, quæ cum sit medicabilis ad salutem, tamen corroborata tempore, passionibus irremediabilis invenitur?* Verum quia desperati morbi corporis aliquando sanantur, videamus an inveterata consuetudo possit esse remediabilis.

III. PARS. Peritissimi medici morborum corporis *habentes observationem inveteratam* (4), nihil non tentant, ut ægrotantibus conferant sanitatem : quod tribus remedorum generibus exsequi nituntur : 1. Morbidis suadent vitæ regimen et ut a noxis abstineant, hortantur; 2. Communi utuntur methodo, et contraria contrariis curare satagunt. Tandem, 3. Chimiam ad auxilium vocant, et inusitata et extraordinaria adhibent remedia. Tria hæc remediorum genera sunt pravæ consuetudini adhibenda : 1. Consulenda est vitiorum cessatio; 2. Adhibenda contrariarum virtutum exercitatio; 3. Invocanda divinæ potentiæ operatio.

1. Quemadmodum *consuetudo in usum corroboratur* (5), ita cessante usu, consuetudo debilitatur et infirmatur. *Magni quippe est ingenii sevocare mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abducere.* (6) Sed longe majoris est sapientiæ abducere mentem a cogitatione, voluntatem ab affectione, et manum ab operatione vitiorum, quæ ad praxim redacta consuetudinem roborant. Sicut enim ex diuturno vitiorum usu efficitur consuetudo peccandi, ita ex illorum non

(1) Psal. 15. — (2) Tract. de Grad. Humil. cap. 21. — (3) D. Bern. L. 1. de Consid. c. 2. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 1. — (5) D. Basil. in Caten. Patr. Græc. apud Corderium. — (6) Cap. 5. — (7) In Psal. 1.

(1) D. Basil. ibid. — (2) D. August. Serm. 44. de Verb. Dom. — (3) Epist. 73. — (4) Tert. Lib. de Cor. Mil. 3. — (5) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (6) D. August. Ep. 3. ad Volusian.

usu et cessatione destruitur. Ejusmodi autem vitiorum non usus, quamvis difficilis videatur, successu tamen temporis facilis reperitur. *Grave cernitur omne quod incipit, sed postquam ab his desuescere ceperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod impossibile ante putavit.* (1) Per non usum vitiorum, et cessationem delictorum *impetus malæ consuetudinis frangitur, et paulatim repressus exstinguitur.* (2) Quot fuerunt homines libidinibus dediti, ebrietatibus obnoxii, juramentis assueti, qui per non usum pravas illas fregerunt consuetudines? Hoc modo D. Bernardus nobilem convertit Francum ita luxuriæ cœno immersum, ut nullo non die sese fœde coinquinaret; multis rationibus ab infami illa voluptate dimovere tentarat; verum cum neque commonitionibus, neque minis et terroribus quidquam proficeret, dicente libidinoso sibi impossibile ab his sordibus abstinere, modum quo eum a probrosa illa consuetudine extraheret cogitavit D. Bernardus. *Quæso*, inquit, *saltem aliquales cum Deo inducias facito, ut minus ad triduum.* Annuit ille. Triduo autem expleto, urget Bernard. *Nunc in Deiparæ honorem tantumdem præsta:* ipse Bernardi votis obtemperat. Tertio Bernardus: *Semel adhuc has inducias posco in honorem omnium Sanctorum.* Ille rursus eos paciscitur donec sponte Bernardo se inclinans diceret: *Nolo amplius diurnas, sed perennes cum Deo inire inducias.* Tantum potest non usus ad tollendam pravam consuetudinem usu comparatam, ut de semetipso asseveret D. Augustinus: *Juravimus et nos passim, habuimus istam teterrimam consuetudinem et mortiferam, dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, et quantum malum sit in parjurio vidimus, timuimus vehementer, et veternosissimam consuetudinem timore frænavimus.* (3) Quantum vero hoc timore profecerit, et non jurando consuetudinem jurandi dediscerit, aliorsum declarat Sanctus Augustinus: « Scio grave esse consuetudini vestræ, sed et grave fuit consuetudini nostræ: timendo Deum abstulimus jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus, quis nos audivit aliquando jurantes? Nunquid non consueveram quotidie jurare? Nihil mihi facilius est quam non jurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis: Quis potest? » (4)

Mortis formidine ægrotus vinum bibere, et lautissime epulari assuetus, abstinet tum ab assuetis epulis, tum a vino sibi jucundissimo. Supplicii timor furem a latrocinio, et inimicum ultionis cupidum ab homicidio revocat: quinimo, ebriosus metu veneni a potu temperat, scortator metu pestis, aut luis venereæ ab scorto et prostibulo cavet: et timor divinæ Majestatis, metus ultimi judicii, formido gehennæ et ignis æterni, non revocabunt peccatorem a prava consuetudine? Profecto *veternosissima consuetudo timore frænatur, frænata restringitur, restricta languescit, languens emoritur, et malæ consuetudini bona suadetur* (1); tum per non usum consuetudinis malæ, tum per oppositionem et exercitationem consuetudinis bonæ.

3. Medici contraria contrariis curare moliuntur, calida frigidis temperant, plenitudinem evacuatione sublevant. Medicorum æmulans methodum, *consuetudini etiam consuetudinem opponam.* (2) Qualitas quantumvis intensa, per contrariam qualitatem remittitur: et quo magis ista accrescit, tanto plus illa decrescit: aqua verbi gratia multum calida, si ab illa removeatur ignis, et commisceatur aquæ frigidæ, vel gelu exponatur hiemis tempestate, paulatim a calore deficit, et novos jugiter frigoris gradus suscipit. Consuetudo peccandi est velut prava qualitas per varios actus acquisita, inveteratus habitus exercitio et usu comparatus, nam, ut fatur Tertullianus, *exercitata vitia, et usu viriosa, atque ita massaliter solidata* (3) efficiuntur viriosa, hoc est fortiora, majora. Quo sensu aliorsum de vite ait, *ambit viriosius.* (4) Ad infringendam hanc fortitudinem quam vitia ab usu et exercitio mutuantur, duo præstanda sunt: 1. Cessandum est a pravo illo usu qui vitio confert robur; 2. Exercenda est virtus huic vitio opposita. *Non dat natura virtutem, ars est bonum fieri; virtus non contingit animo nisi instituto, et edocto, et ad summum assidua exercitatione perdocto: omnis habitus et facultas, ait Epictetus, assiduis actionibus conservatur et crescit.* (5) Vitium assiduis actibus creverat, et conservatum fuerat cum virtutis detrimento: nam vitii accretio fuit virtutis diminutio, vitii etiam acquisitus habitus fuit destructio habitus contrariæ virtutis: non dissimiliter dum accrescit virtus, vitium decrescit, et virtutis adeptio est vitii ruina et destructio.

Virtutum duo sunt genera. Quædam infusæ, aliæ acquisitæ: illas habemus a Deo; istas exercitio et usu acquirimus. Habitus virtutum theologalium nobis largitus est Deus in baptismate; habitus virtutum mora-

(1) D. Bern. Epist. 1. — (2) D. August. L. 6. de Musica. cap. 11. — (3) Serm. 28. de Ver. Apost. — (4) Serm. 10. Decollat. S. Joan. Bapt.

(1) D. August. Serm. 18 de Verb. Apost. — (2) Tert. L. de Veland. Virg. 2. — (3) Tert. L. adv. Valent. 16. — (4) Tert. L. de An. 19. — (5) Senec. Epist. 9.

lium exercitio et actibus repetitis comparamus : *nempe ejusmodi, non natura virtutes, sed usus facit.* (1) Ad virtutes morales, vel ad vitia, animæ *ex se indifferentes esse noscuntur.* (2) In hominis est libertate, aut sectari virtutes, aut studere vitiis. Nam, ut subjungit D. Bernardus alloquens Eugenium, Summum Pontificem : *Tuum est aut abutendo et confundendo, facere vitia : aut bene ordinateque utendo, facere virtutes.* Sunt qui innata abutentes libertate, a primis annis dediti sunt vitiis, in quibus usque ad finem vitæ perdurarunt. *Novum hoc monstri genus est esse aliquos in morte vitiosos.* (3) Sunt etiam nonnulli qui ab ineunte ætate vacarunt virtutibus, in quibus usque ad extremam senectutem perseverarunt. *Morum insignia et ornamenta virtutum in illis procul dubia cernimus senibus, qui ab ipso tyrocinio primævæ ætatis, usque ad perfectum virum disciplinis cœlestibus exercitati, per viam Domini fortiter cucurrerunt.* (4) Vitia longo usu et exercitio comparata radicitus hærent, neque nisi cum difficultate possunt evelli. *Non miremur tarde erui, quæ alte jacent.* (5) Alludit Philosophus Moralis ad arbores, quæ quo profundiores jecerunt radices, eo difficilius eradicantur. Verum, ut ipsemet aliorsum ait, « nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem adducat assidua meditatio : nullique sunt tam feri et sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcunque sibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquam riderent, consecuti sunt. Vino quidam, alii venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Alius contentus brevi somno, vigilia se infatigabilem ostendit. Didicerunt alii tenuissimis et adversis funibus currere, et ingentia vixque humanis tolerata viribus onera portare, et in immensam altitudinem mergi, ac sine ulla respirandi vice perpeti maria. Mille sunt alia in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, ostenditque nihil esse difficile, cujus sibi ipsa mens indefessum studium indixerit. » (6) Unde postquam D. Chrys. plures eosque admirabiles tum animi, tum corporis habitus adduxit, studio et usu comparatos, concludit : *Hæc quæ cogitatu impossibilia esse videntur, facta sunt arte possibilia.* (7) Arduæ quæque difficultates, exercitio et assiduitate domantur. « Cogita compeditos primo ægre ferre onera et impedimenta crurum : deinde ubi dedignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter docet, consuetudo facile. » (1) D. Augustinus ita peccatis assueverat, ut de se fateatur : *Reformidabam quasi mortem consuetudinis mutationem* (2); et tamen vacando virtutibus, ita pravam vitiorum abdicavit consuetudinem, ut subjungat : *Quam suave mihi subito factum est, a suavitatibus nugarum abstinere, et quas dimittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.* (3) Similem in pluribus aliis factam consuetudinis mutationem asseverat adhuc D. Augustinus : *Novimus, videmus quotidie, videmus homines pessima consuetudine permutata, vivere melius quam vivunt qui reprehendebant. Videmus multos, novimus multos* (4) a prava ad bonam consuetudinem immutatos vel per non usum, et vitii cessationem; vel per usum, et virtutis contrariæ exercitationem; vel per efficacem gratiam, et virtutis divinæ operationem.

3. *Remediator valetudinum* (5) Christus Dominus quæcunque animæ peccata sanare potest; etiam quæ ab hominibus irremediabilia videntur. Sicut enim morbus qui ex sua natura est incurabilis, virtute divina sanari et curari potest, ita etiam peccatum quod ex sua natura est irremissibile, quia contemnit ea per quæ remitti potest, est per Dei omnipotentiam et misericordiam sanabile et curabile, et interdum de facto sanatur et remittitur. Ad sanandum quodvis peccatum Dei gratia requiritur : ex D. namque Augustino, *prævaricata lege quæ in paradiso data est, nascitur homo ex Adam cum lege peccati et mortis : quæ tamen nisi mala postea consuetudine roboretur, facilius vincitur, non tamen sine gratia Dei.* Peccata ignorantiæ, infirmitatis, vel subreptionis, facile sanantur. Ad illa curanda requiritur duntaxat ordinarium gratiæ auxilium : at ubi est *consuetudo confirmatrix* (6), ordinarium gratiæ auxilium non sufficit, extraordinaria, et *gratia potentiore opus est.* (7) Et ob hanc causam, ut acute animadvertit D. Chrysostomus, inobsequentem et scelerosum Adamum festinanter Deus quærit et vocitat, ne diuturna ulceris consuetudo, irremediabile redderet vulnus. *Mox ut vidit, quod factum fuerat, et ulceris magnitudinem, ad opitulandum festinavit, ut ne ulcus grassando fieret incurabile vulnus. Idcirco ut prævenìat, accelerat; et velociter crescenti ulceri adest* (8); quia

(1) D. Bern. Lib. 2. de Consid. 11. — (2) D. Bern. ibid. — (3) Salv. L. 7. de Provid. — (4) D. Bern. Tract. de Ordine vitæ. c. 1. — (5) Senec. L. 7. quæst. Natur. — (6) Lib. 2. de ira c. 12. — (7) Hom. 19. ad Popul.

(1) Senec. L. de Tranquill. Vit. c. 10. — (2) Lib. 7. Confess. 6. — (3) Lib. 8. Confess. 11. — (4) Tract. 49. in Joan. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 8. — (6) Tert. L. de Cor. Mil. 4. — (7) D. Aug. Lib. de prædest. sanct. — (8) Hom. 17.

inveteratum ulcus difficillime sanatur. Irremediabile peccatum in Eugenio Pontifice metuens D. Bernardus, sic eum alloquitur: *Hinc prorsus, hinc tibi timui semper et timeo, ne dilato remedio, dolorem, vel non sentiens, vel non sustinens, periculo te irrevocabiliter disperatus immergas.* (1)

Verum *sicut sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt et magna : sic est misericordia parva, mediocris et magna.* (2) Peccata minima sunt peccata venialia ; peccata mediocria sunt peccata mortalia, quæ concipiuntur in corde, nec transeunt ad actum ; peccata magna sunt peccata opere completa, et diuturna consuetudine inveterata. Peccata minima parva misericordia indigent: possunt enim remitti, vel per sacramentalia, vel per actum contritionis, seu amoris Dei : mediocribus peccatis mediocris misericordia necessaria est, scilicet quæ statim peccantes admittit ad pœnitentiæ sacramentum : at longa peccati consuetudo *difficilis prorsus res, et soli divinæ virtuti possibilis. Magnus ergo peccator, magna misericordia opus habet : nec est jam liberari nisi in manu forti.* (3) Magnam illam misericordiam demonstravit Christus sanando Paralyticum triginta et octo annos habentem in infirmitate sua. (4) Ut autem animadvertit Hugo Carensis, ille languidus specialiter significat inveteratos peccatores in peccatis. *De talibus enim profundis peccatoribus sanat Dominus aliquando.* Magnam illam misericordiam demonstravit adhuc Christus, fœtentem et quatriduanum suscitans Lazarum. Per sepultum autem Lazarum significatur peccator inveteratus, qui *tabe corrumpitur, et mole consuetudinis prægravatur; nec ad ipsum tamen ressuscitandum minor est virtus Christi.* (5)

Paralytico sanato præcepit Christus ut tolleret grabatum suum : *Per grabatum autem in quo jacebat languidus, significatur prava consuetudo, per quam jacet homo in peccato.* (6) Hæc autem tollenda est a peccatore magna Dei misericordia sanato. Sepulcrum in quo tumulatus jacebat Lazarus, et, ut fatur D. Augustinus, *moles illa imposita sepulcro, ipsa est vis duræ consuetudinis, qua premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur* (7) : qua per veram pœnitentiam sublata, anima resurgit, a vinculis peccatorum solvitur, respirat gratiam, spiritum, et vacans virtutibus, cœlesti gloria digna efficitur.

(1) Lib. de Consid. cap. 2. — (2) D. Bern. Serm. 13. de Divers. — (3) D. Bern. ibid. — (4) Joan. 5. — (5) D. Aug. Tract. 49. in Joan. — (6) Strab. Fuld. — (7) Serm. 44. de Verb. Dom.

CONCIO QUINTA.

Cæcus homo *sine lumine* (1), oculorum ministerio privatus. Sicut autem in homine duo sunt oculorum genera, ita sunt duæ cæcitatis species. Homo ex corpore materiali, et anima spirituali compositus, habet et oculos corporeos, et oculos spirituales. Dum privatur lumine corporeo, et usu oculorum qui in facie resident, corporalem patitur cæcitatem : dum orbatur lumine spirituali quo mens illustratur, cæcitatem sustinet spiritualem : et hæc mentis cæcitas tanto est infelicior, quanto anima est corpore dignior : quam infelicitatem, seculi homines non satis recognoscunt. *Quotus quisque est qui intelligat infelicitatem hominis cujus cor cæcum est ? Tollantur illi oculi corporis, omnes homines miserum dicunt : perdat oculos mentis, sed tamen circumfluant omnia temporalia, felicem appellant, sed qui similiter oculos mentis perdiderunt.* (2) Merito D. Augustinus oculis mentis orbatos proclamat illos qui corporalem cæcitatem infeliciorem cæcitate spirituali existimant. Quantum autem aberrent a vero inde patet : tum quia oculos corporis communes habet homo cum muscis, formicis et culicibus, oculi vero mentis sunt illi communes cum Angelis, imo cum ipsomet Deo. Quo argumento Magnus Antonius consolatur Didymum Alexandrinum, corporis cæcitatem ægre ferentem. *Miror prudentem virum ejus rei dolere damno, quam formicæ, et muscæ, et culices habent, et non lætari illius possessione, quam Sancti soli et Apostoli meruerunt.* (3) Tum quia oculi corporis persæpe sunt incentiva vitiorum, et multoties accendunt concupiscentiæ ignem. Quare Petrus Abbas Claravallensis, qui ex morbo oculorum perdiderat unum, per jocum dicere solebat : « Unum de inimicis amisi, et plus a residuo quam a perdito formido. » Gentilis quoque *Democritus excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur.* (4) Ideo belle ad propositum subjungit D. Hieronymus : *Multo melius est spiritu videre quam carne; et illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere, quam illos qui solo visu per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere.* Tum quia corporalis

(1) Tert. Lib. de Pœn. 1. — (2) D. August. in Psal. 68. — (3) D. Hier. Epist. 33. — (4) Tert. Apol. 46.

cæcitas, mentis acuit aciem, et intellectus visum illustrat. Quapropter deturbato et cæcato Saulo Christianorum hosti infensissimo, dixit Dominus : *Eris cæcus et non videns, ut melius videas et intelligas.* (1) Tum quia visu corporis orbantur etiam amici Dei, ut constat ex Tobia, qui, ut refert D. Ambrosius, *fraudari magis se doluit obsequiorum quam oculorum munere, nec cæcitatem pœnam, sed impedimentum putabat.* (2) Cæcitas vero mentis in solis peccatoribus reperitur. Omisso itaque homine visu orbato, producatur in medium peccator : 1. Mente excæcatus; 2. Tenebris obnubilatus; 3. Ad visum et lucem revocatus.

I. PARS. Multum sane infelices peccatores *cæci sine Dei lumine* (3) gratiæ lumine privati. Qualis autem sit peccatoris cæcutientis miseria et infelicitas, trina ratione colligi potest. Scilicet ex nobilitate intellectus, qui divina privatur luce ; ex dignitate cœlestis luminis quo orbatur intellectus, et ex malis quæ hujusmodi sequuntur cæcitatem : 1. Intellectus est prima animæ potentia, sol animi, magister artium, pater scientiarum, subjectum fidei, luminis gloriæ receptaculum, quo illustratus divinam clare intuetur essentiam. 2. Lumen quo privatur cæcutiens peccator, est donum cœleste, gratia supernaturalis, participatio divinæ lucis, divinum auxilium, sine quo sufficiens non est homo aliquid boni ex semetipso cogitare ; 3. Cæcitas cordis adeo est scelerosa ut eam D. Thomas numeret inter reprobationis effectus. « Excæcatio ex sui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excæcatur, propter quod ponitur inter reprobationis effectus. » (4) Ad miseram illam et infaustam mentis cæcitatem ducitur homo, 1. Diaboli malitia ; 2. Divina justitia ; 3. Propria nequitia.

1. *Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant.* (5) Dæmon vocitatur ab Apostolo Princeps tenebrarum, tum quia infinite distat a Deo, qui est lumen indeficiens : *Deus est lumen, nos sine illo tenebræ* (6) ; tum quia pars ejus est in inferno, ubi sunt exteriores tenebræ ; tum quia tenebris præsidet. Nimirum idololatriæ et infidelitatis peccato. Christus autem Dominus *eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* (7) Uti Christus est vera lux, ita regnum ejus est regnum lucis. Tum quia, ut fatur Apostolus, est *mundi rector tenebrarum harum.* (1) Sumit ibi mundum, non pro mundo universali, ex cœlo et terra composito, sed pro hominibus impiis et iniquis, quos tenebris involvit. Erga hominem quem pretiosis virtutis et gratiæ gazis despoliare vult diabolus, eodem modo se habet, ait D. Chrysostomus (2), ac fur qui nocturnum in domo vult facere latrocinium : nam imprimis omnes faces exstinguit, ut in tenebris securius furetur, neque ab ullo dignoscatur : non absimiliter dæmon animam deprædari volens, gratiæ lumen exstinguere nititur, mentem excæcare molitur.

Marcion per principem aeris hujus intelligit, non diabolum, sed mundi Creatorem. Verum, ut bene advertit Tertullianus, *hæc non cadunt in Creatorem* (3) : quia, ut Apostolus ad Ephesios scribens, ait, *illos delictis mortuos in quibus ingressi erant, secundum principem potestatis aeris hujus, qui operatur in filiis incredulitatis.* Deus autem Creator *nec princeps potestatis aeris dicetur, qui est princeps potestatis seculorum. Nunquam enim præses superiorum de inferioribus notatur, licet et inferiora ipsi deputentur. Sed nec incredulitatis operator videri potest, quam ipse potius a Judæis et a nationibus patitur.* Inde concludit Tertullianus Apostolum, per principem aeris hujus intelligere diabolum. *Si autem et est in quem magis competant, utique magis hoc Apostolus scit. Quis iste? sine dubio ille qui ipsi Creatori filios incredulitatis obstruit, aere isto potitus, sicut dicere eum profert et refert : ponam in nubibus thronum meum ; ero similis Altissimo. Hic erit diabolus, quem et alibi (si tamen ita et Apostolum legi volunt), Deum ævi hujus agnoscemus. Ita enim totum seculum mendacio divinitatis implevit.*

Alludit Tertullianus ad Apostolum, qui et diabolum hujus seculi deum appellat : *Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium* (4) ; dicitur non deus simpliciter et absolute, sed cum addito deus hujus seculi ; id est, hominum secularium, seu seculariter viventium, et secularia sectantium. *Quia seculum Dei est, secularia autem diaboli.* (5) Neque hominum seculariter viventium diabolus est Deus creatione, sed duntaxat perversitate, suggestione, tyrannide, exemplo, quos his aliisque modis excæcat. Obsessa civitate Jabes Galaad a Naas, Ammonitarum rege, ad eum venerunt *omnes viri Jabes : Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi.*

(1) D. Bern. de Vit. S. Malach. cap. 27. — (2) Lib. de Tobia cap. 2. — (3) Tert. L. de Pœn. 1. — (4) 1. 2. q. 7. a. 4. — (5) Tert. L. ad Mart. 2. — (6) D. August. in Psal. 26. — (7) Colos. 1.

(1) D. August. in Psal. 54. — (2) Hom. 11. 1. Cor. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 17. — (4) 2. Cor. 4. — (5) Tert. L. de Spect. 15.

Respondit ad eos Naas Ammonites : In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. (1) Hoc modo, ait Theodoretus, volens eos inutiles reddere in agendo in posterum bello : cum enim scuto tegeretur sinister oculus, dextro privati, cæco impetu irruissent in hostes. Anima nostra duobus velut potitur oculis, dextro scilicet et sinistro. Dexter est quo erigitur ad divina et contemplatur cœlestia, sinister est quo caduca et temporalia respicit ; ad mundana et secularia mentis aciem dirigit. Diabolus, deus hujus seculi, peccatoribus dextrum oculum eruit, ne cœlestia et divina considerent, illæsum sinistrum oculum relinquit, ut cœlestibus cæci, terrenis existant oculati.

Diabolus idem præstat peccatoribus et scelerosis quod Philistæi Samsoni, et Nabuchodonosor Sedeciæ regi. Audientes Philistæi captum Samsonem amore Dalilæ, convenerunt eam et dixerunt : « Decipe illum, et disce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus et vinctum affligere. Cumque molesta esset ei, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad illam: Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ : si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam. Illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo declinare caput : vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et cœpit abigere eum et a se repellere : statim enim ab eo fortitudo discessit. Quem cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. » (2) Homines debellare volens diabolus, 1. Eos temporalium amore sufflammat ; 2. Ea a quibus mutuantur robur et fortitudinem resecat, nimirum sacramentorum usum, Missæ et verbi Dei auditum, orationes diurnas, spirituales lectiones, proborum conversationes, eleemosynarum largitiones, ægrotorum et afflictorum visitationes et consolationes, aliaque bona opera; 3. Secularium amore succensos, viribus destitutos, debellat et vinculis onerat ; 4. Oculos eruit, ne amplius cœlestia valeant contemplari ; 5. *Cæci vivunt* (3) : tandemque, 6. Molem rotant : *In circuitu impii ambulant*, et de vitiis in vitia labuntur.

Obsederat Nabuchodon. (1), rex Assyriorum, Jerosolymam, civitatem circumvallarat, munitiones erexerat, aditus omnes ad commeatum occluserat, fameque obsessos enecabat. Rex Sedecias, cum regiis mulieribus et pueris suis intempesta nocte, per clandestinam portam erupit, in fugam se dedit, sed ab hostibus in planitie Jericho comprehensus, et vinctus ad Nabuchodonosor cum filiis ductus, immanis rex duos liberos in conspectu patris trucidari jussit, ipsumque Sedeciam oculis orbavit, et catenis vinctum in Babylonem traxit. Quod Sedeciæ rex Assyriorum, hoc peccatori *malignus spiritus, subductis prius bonis operibus, intelligentiæ lumen tollit.* (2) Sedecias, lingua hebraica *justus Domini*, hominem justum denotat, qui a diabolo in valle Jericho, in loco inconstantiæ et mutabilitatis suæ, deprehenditur: tum ornamentis regiis exuitur, nempe virtutum gemmis, sanctitatis pallio et gratiæ diademate; liberos amittit, scilicet merita sua, quæ velut liberos bene operando parturierat ; orbatur oculis, sapientiæ cœlestis lumine, quo superna perspiciebat ; tandem vinctus catenis, nimirum reatu peccati, ducitur in Babylonem, id est, locum confusionis æternæ, nisi Deus magna sua misericordia deperditam restituat libertatem. Verum redeamus ad præfatum Pauli locum, quem non eodem modo explicant auctores : *Scimus quosdam sensus ambiguitatem pati posse, de sono pronuntiationis, aut de modo distinctionis, cum duplicitas eorum intercedit. Hanc Marcion captavit sic legendo : In quibus Deus ævi hujus, ut Creatorem ostendens Deum hujus ævi, alium suggerat Deum alterius ævi.* (3) Verum quam immerito ex loco Apostoli Marcion duos inferat deos, unum hujus ævi, alium alterius ævi, belle demonstrat Tertullianus, duplicem Apostoli afferens explanationem : unam, qua per deum hujus ævi, intelligendus est, non creator, sed diabolus : *Possum, et in totum contentionem hanc præteriisse simpliciori responso : præ manu erit hujus ævi dominum, diabolum interpretari, qui dixerit, Propheta referente : Ero similis Altissimo, ponam in nubibus thronum meum, sicut et tota hujus ævi superstitio illi mancipata est: qui excæcat infidelium corda, et imprimis apostatæ Marcionis.* Et hæc est communis Apostoli interpretatio, quam passim novi interpretes cum Angelico Doctore sequun-

(1) Lib. 1. Reg. 11. — (2) Judic. 16. — (3) Tert. L de Pat. 1.

(1) Lib. 4. Reg. 25. — (2) Petr. Dam. L. 2. Epist. 5. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 11.

tur. Alteram interpretationem prodit Tertullianus, Apostolum de vero Deo omnium opifice locutum asseverans : *Nos contra sic distinguendum dicimus. In quibus Deus, dehinc ævi hujus, excæcavit mentes infidelium; in quibus Judæis infidelibus, in quibus opertum est aliquibus Evangelium, adhuc sub velamine Moysi.* Tertullianus ita distinguit Pauli propositionem, ut ly *ævi hujus* non appellet ut dicitur in logicis, supra ly Deus, sed supra *infidelium mentes.* Quasi dicat Apostolus : Deus omnium Creator et opifex excæcavit mentes infidelium ævi hujus, nempe Judæorum: *illis enim Deus labiis diligentibus eum, corde autem longe absistentibus ab eo, minatus fuerat : Aure audietis, et non audietis : oculis videbitis, et non videbitis. Et auferam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium irritam faciam.* Hæc explanatio est etiam Theodoreti, D. Chrysostomi, Theophylacti et Anselmi. (1) Quia non solum Judæos Christum credere nolentes, sed alios adhuc peccatores in suis sceleribus inveteratos excæcat, non solum diaboli malitia, sed adhuc divina justitia.

3. *Ita, etsi hujus ævi Deus, sed infidelium hujus ævi excæcat cor* (2), ut fatur D. Augustinus : *Lege ineffabili spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* (3) Ut autem aliorsum philosophatur D. Augustinus, *cæcitas cordis et peccatum est, qua in Deum non creditur : et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur ; et causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* (4) Mentis cæcitatem, quæ peccatum est, consistitque in actuali vel contemptu lucis, vel peccatoris rebellione adversus lucem, hanc non efficit Deus, alias esset auctor peccati : mentis vero excæcationem, quæ est pœna peccati, estque vel illuminationis incapacitas, vel luminis privatio seu denegatio, operatur Deus. *Aversos punit cæcitate. Vindicat enim primo in anima aversa a se, exordium pœnarum, ipsa cæcitate. Qui enim se avertit a lumine vero, id est, a Deo, jam cæcus efficitur ; nondum sentit pœnam suam, sed jam habet.* (5) Cæcitas quæ peccatum est, est aversio peccatoris a Deo, qui est lumen mentis; cæcitas quæ pœna peccati est, est denegatio luminis a Deo facta peccatori. Mentis itaque cæcitas, non solum est simplex carentia lucis, sed etiam pravus affectus quo quis illustrationes divinas libere repellit, vel eis obstaculum ponit, ne illuminetur. Quare hominem hortatur D. Augustinus : *Noli cadere in peccatum, et non tibi occidet hic sol. Si tu feceris casum, tibi faciet occasum.* (1) Quasi dicat : Si non feceris peccatum, quod est mentis cæcitas, neque Deus tibi subtrahet suum lumen ; verum si in cæcitatem mentis peccando cecideris, Deus tibi faciet occasum, suamque in pœnam tui sceleris denegando lucem, tuam excæcabit mentem. Hanc cæcitatem minabatur Moyses Israëlitis, nisi divina servarent mandata. *Percutiet te Dominus cæcitate* (2) : non quidem cæcitate corporis, quam nunquam passi sunt, sed cæcitate mentis, qua *mulctatos se sapientia et intelligentia et oculorum et aurium fruge* (3) sæpe sæpius experti sunt. Quare Isaiæ præcipit Deus : *Excæca cor populi hujus, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et convertatur, et sanem eum.* (4) Quod Dilectus asseverat Discipulus, Evangelici Prophetæ referens verba : *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum : ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.* (5) Eumdem adhuc locum referens Paulus, postquam asseruit quod plerique ex Judæis *excæcati sunt* (6), non quidem in corpore, sed in mente : quia *dedit illis Deus spiritum compunctionis ; oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem.* Quin imo ipsemet Christus testatur se in judicium mundi venisse, *ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant.* (7) Non est mirum quod Deus mentes illuminet, sitque causa illuminationis. Nam, ut fatur Gregorius Nazianz. *Deus summum et inaccessibile lumen est; naturam omnem ratione præditam illuminans hoc in intelligibilibus quod sol in sensibilibus.* (8) Sol oculis corporis lucem diffundit, qua illustrati sensibilia possint videre : Deus mentes illuminat, eisque videndi præstat facultatem : non est ergo mirabile quod Deus sit causa illuminationis. Verum prorsus est stupendum, quod etiam sit causa excæcationis ; quod tamen negari non potest, nisi Prophetarum, Evangelistarum, Spiritus Christi, negetur auctoritas. *Hoc si probari exigis, eas prædicationes in præsenti sufficiet adhibere, quæ interim ignorabilem probem Christum, et hoc breviter dum ostendunt omnem vim intellectus ademptam populo a creatore. Auferam, inquit, sapientiam*

(1) Corn. a. Lap. In 2. Cor. c. 4. — (2) Tert L. 5. adv. Marc. 11. — (3) L. 1. de Conf. 18. — (4) D. Aug. L. 5. contr. Jul. cap. 3. — (5) D. Aug. Serm. 38. de Verb. Dom.

(1) Tract. 2. in Joan. — (2) Deut. 28. — (3) Tert. Apol. 21. — (4) Cap. 6. — (5) Joan. 12. — (6) Rom. 11. — (7) Joan. 9. — (8) Orat. 40.

sapientium illorum, et prudentiam prudentium eorum abscondam; et, Aure audietis, et non audietis; et oculis videbitis, et non videbitis, incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos concluserunt; ne quando auribus audiant, et oculis videant, et corde conjiciant, et convertantur, et sanem eos. (1) Alludit Tertullianus ad Isaiæ locum, a Joanne et Paulo relatum, ubi Deus se excæcaturos Judæos asseverat, quod præsertim accidit post Christi Domini adventum. *Erraturis in eum principalibus sapientibus eorum, id est, scribis, et prudentibus eorum, id est, pharisæis: pariter et populo auribus audituro, et non audituro, utique Christum docentem: et oculis visuro, et non visuro, utique Christum signa facientem, secundum quod et alibi: Et quis cæcus, nisi pueri mei?* (2)

Scelerosi igitur Judæi, justo Dei judicio excæcati, *non agnituri et non intellecturi, ablatis agnitionis et intelligentiæ auribus, sapientia et prudentia.* (3) Idem accidit Christianis de gratia et servitute Dei, in peccatum et diaboli tyrannidem lapsis. *Excæcati sunt famuli Dei* (4), Deus quippe in pœnam suorum criminum excæcavit eos, non infundendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, quæ est lux animæ. Quod sol est oculis, idipsum gratia Dei est mentibus. Si omnimoda lux solis tolleretur ab oculis corporis, excæcari dicerentur, quia nullo modo possent videre; quanto magis excæcantur mentes, quibus divina denegatur illustratio? In illa hypothesi, sol excæcaret, efficeretque tenebras; non positive per realem aliquem influxum, sed duntaxat nagative, per cessationem illuminationis. Ita Deus non positive, sed negative solummodo excæcat, efficitque tenebras, non aliquid agendo, sed cessatione actionis, et substractione illustrationis: præsertim cum magnum sit discrimen inter illuminationem solis et gratiæ divinæ illustrationem, sol enim tantummodo detegit objecta visibilia, non tamen corporibus præbet oculos, neque oculis præstat facultatem videndi, neque cum illis active velut causa partialis concurrit ad visum. Divina autem gratia, veritates illustrat et visibiles reddit; menti ad illas videndas oculos præstat, et sublevatam adhuc et illustratam mentem ad videndum adjuvat. Deinde sol ex necessitate illuminat: unde cum adest impedimentum, etsi non illuminet, quia tunc obex ponitur ejus illuminationi, nec potest illuminare: quia tamen tale impedimentum, nec ipse posuit, neque tollere potest, proprie loquendo nequit dici causa excæcationis. Deus autem causa excæcationis dicitur, quia non necessario, sed libere illuminat, potestque tollere obicem illuminationis a peccatore positum, non tamen tollit, et quia non vult, et quia peccator non meretur; *sic excæcat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* (1)

De infidelibus Judæis et a Deo excæcatis sic fatur Tertullianus: *Hanc enim obtusionem salutarium sensuum meruerant, labiis diligentes Deum, corde autem longe absistentes ab eo.* (2) Merito etiam peccatoribus subtrahit Deus gratiæ suæ lucem, non quidem sufficientis, quam largitur cunctis, sed efficacis, quam juste denegat scelerosis: *Justum est ut lumine privetur quo facile uti ad bene operandas res poterat, sed per malitiam noluit.* (3) Quod parabola talentorum (4) denotatur, ubi magister collata ad negotiandum talenta abstulit a servo illo desidioso, qui ea in terra absconderat, neque ullo modo ad negotiationem adhibuerat: si unus ex domesticis vestris, præceptis obtemperans, deferret quotidie matutinis horis, facem seu lucernam, ad cameram filii vestri, ut studio vacaret, vobisque diceret: Per tres annos huic officio diligenter invigilavi; at in vanum, nam filius vester nullo modo accensa face utitur, sed usque ad nonam horam somno indulget; nonne prohiberetis servo ne amplius lucernam deferret? A multis annis Deus offert peccatori gratiæ suæ lumen, neque ex illo, virtuti studet, nonne meretur ut Deus moveat candelabrum suum, eique subtrahat gratiam, quam inutilem reddit? 2. Merito Deus suam denegat peccatori illustrationem, ut de injuria gratiæ facta vindictam sumat: peccatores quasi ex industria, divinæ lucis rejiciunt radios. *Scire non vultis quo magis rei sitis.* (5) Horum contemptum declarat Jobus: *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* (6) Deinde in quo consistat hujusmodi rebellio demonstrat: *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* (7) *Quapropter justo Dei judicio qui prius sciendo rebelles sunt postmodum cæcantur.* (8) 3. Æquissimum est ut iisdem Deus utatur mediis ad puniendum peccatorem, quibus usus est peccator ad offendendum Deum. Ut enim fatur in jure civili:

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 6. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 16.

(1) D. August. Tract. 53. in Joan. — (2) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 6. — (3) D. August. L. 10. de Lib. Arb. — (4) Matth. 25. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 1. — (6) Cap. 24. — (7) Cap. 21. — (8) D. Greg. L. 5. Mor. 24.

Sancimus ibi esse pœnam ubi noxa est (1), sic in suo edicto loquuntur imperatores Arcadius et Honorius. Idem sancitum est in jure canonico : *Ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur.* (2) Quod confirmatur Sapientis oraculo : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* (3) Sic Menelaus, exercitus regis Antiochi dux, igne combustus est, *et quidem satis juste; nam qui multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis et cinis erat sanctus, in cineris morte damnatus est.* (4) Sic prima pœna qua mulctati sunt Ægyptii, fuit conversio aquarum Nili in sanguinem. *Justo Dei judicio factum est ut de illo fluvio sanguinem biberent, in quo infantum Hebræorum sanguinem fuderant.* (5) Sic Pharaonis cor induratum est ad ipsius puniendam erga Israëlitas duritiam. *Indurasse dicitur cor Pharaonis quod talis fuerat materia cordis ipsius; quæ præsentiam solis justitiæ, non ea parte qua illuminat, sed ea qua adurit et indurat, exceperit. Propter hoc sine dubio, quod et ipse affligebat Hebræorum vitam in operibus duris.* (6) Sic Adonibesec amputatæ sunt manuum et pedum summitates, quia ipse eas septuaginta regibus amputarat. *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* (7) Sic Samson cujus oculi Dalilæ vulnerati fuerant amore, unde importune suum urgebat patrem : « Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis, justo Dei judicio a Philistæis captus, oculorum passus est orbitatem. » Ut enim ait Abulensis, *teneri potest, quod peccaverit Samson, accipiendo uxorem de Philistinis, quia erat contra legem, et quod merito eruti fuerint oculi ejus.* Sic peccator sectans tenebras, et divinam rejiciens lucem, et ipse *luminum amissione mulctatus est* (8), et excæcatus, tum a divina justitia, tum a propria et voluntaria nequitia.

3. *Teneo testimonium cæcitatis* (9), id est, accuso cæcitates quas in sua mente patitur peccator, non solum diabolicam malitiam, neque adhuc divinam justitiam, sed voluntariam ipsius nequitiam. Diabolus peccatores excæcat præsertim libidinosos. *Corvus est diabolus, qui in cadaveribus primum oculos petit, quia in hominibus carnalibus intellectum discretionis exstinguit; et sensum mentis evertit.* (10) 2. Peccatores etiam Deus illuminat et excæcat; quod præfiguratum vult D. Ambrosius in Elizæo, ad cujus preces filio viduæ Sareptanæ (1) contulit visum, et militibus exercitus Assyriorum inflixit cæcitatem. *Nec mirum si adversariis cæcitatem intulit, qui famulo largitus est claritatem : et si hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum.* (2) Tandem peccator excæcat semetipsum; et ut fatur Cyrillus Alexandrinus, *ipse sibi oculos eruit, et destitutus lumine mentis in foveam iniquitatis agitur præceps.* (3) Magnum profecto est discrimen inter corporis et animi cæcitatem : corporis cæcitas, ait Philosophus, meretur compassionem; cæcitas vero mentis, condemnatione et supplicio est digna. Nullus unquam legislator, judex, aut rex condemnavit cæcos, quibus aut natura denegarat visum, aut casus aliquis oculorum abstulerat visum. Ejusmodi corporis cæcitas est potius de infelicitate lugenda quam culpanda de crimine : at dum peccator suis sceleribus rationis radios obtenebrat, fidei lucem rejicit, ne christianas veritates conspiciat; gratiæ lumini resistit ne a suis criminibus resipiscat : non solum lugendus est ut miser, sed etiam ut reus damnandus : quia cæcitas mentis quam patitur, a depravata ejus voluntate procedit; juxta istud Sapientis : *Excæcavit eos malitia eorum.* (4) Uti visio corporis non potest produci si potentia sit vitiata et sauciata, aut si lumine non sit illustrata, ita visio mentis nequit produci ab intellectu male disposito, et lumine ad videndum necessario destituto; malitia autem voluntatis, peccatoris mentem corrumpit, et ne illustretur, gratiæ lumen rejicit.

Christianis tres lucis species largitur Deus: nimirum rationem, fidem et gratiam actualem : at malitia et prava voluntate excæcati, neque ratione, neque fide, neque gratia illustrantur. Non ratione, quia ea uti nolunt, ut liberius et diutius suis vacent sceleribus, unde cuivis peccatori excæcato oculo rationis competit istud Davidicum : *Noluit intelligere, ut bene ageret.* (5) Non, 2. Fide; nam a veritatibus quas docet ultro avertunt oculos, ad instar impudicorum senum, qui ut in sceleroso contaminandæ Susannæ proposito perseverarent, *declinaverunt oculos, ne viderent cœlum.* (6) Non, 3. Gratiæ lumine, quia non solum *quasi de industria recesserunt ab eo, non solum* (7) restiterunt et fuerunt *rebelles lumini* (8), sed etiam adversus illud pertinaciter pugnaverunt.

(1) Leg. Sancimus Cod. de pœnis. — (2) Can. ibid. 3. quest. 6. — (3) Sap. 11. — (4) Lib. 2. Machab. 13. — (5) D. D. Aug. quæst. 9. in Exod. — (6) Orig. Hom. 2. in Cant. — (7) Judic. 1. — (8) Tert. L. de Idol. 9. — (9) Tert. L. de Spect. 16. — (10) Hug. Vict. L. de Bestiis c. 35.

(1) Lib. 4. Reg. 6. — (2) Serm. 86. — (3) Lib. 6. in Joan. 21. — (4) Sap. 2. — (5) Psal. 35. — (6) Dan. 13. — (7) Job. 34. — (8) Job. 24.

Est velut aliquod initum certamen inter Deum et peccatores. Deus peccatoribus offert gratiæ lumen, eos stimulat, urget, aggreditur, non secus ac sol suis radiis oculos ultro clausos ut videant. At peccatores ne a divino gratiæ auxilio vincantur, duo præstant: primo, fugam capiunt aves lucifugas æmulantes, quæ *solem totis viribus fugiunt, dum neque ortum ejus exspectant, neque ante occasum ejus evigilant. Sic et isti solem intelligentiæ et justitiæ Domini omni ex parte fugiunt oriturum : sicut et aves lucifugæ, quibus et ipsi congruentissima similitudine comparantur.* (1) Secundo, quia sæpe sæpius fugientes persequitur gratia, arma sumentes ei sese opponunt, cum ea decertant, velut cum hoste infensissimo, qui eorum cupiditates et crimina nititur interficere. *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* (2) Alludit Propheta ad quosdam populos adeo diei osores, ut ad ortum solis, adversus illum vibrent sagittas, ad debellandam vel saltem obnubilandam ejus lucem : en verum specimen peccatorum, magis tenebras quam lucem amantium, qui gratiam non recipiunt, gratiæ resistunt, et adversus gratiam certare præsumunt.

Eodem modo ratiocinandum est de oculis cordis ac de oculis corporis. Oculi corporis non illuminantur a sole : vel, 1. Quia ponitur impedimentum ne recipiant lucem. « Merito enim *radius solis domum illius non illuminat, qui radiis ejus fenestras et ostia, aliosque introitus omnes claudat et obstruat.* » (3) Vel, 2. Quia sol eis non lucet, unde *patent oculi, nec vident* (4) : nam, ut subjungit Parisiensis antistes, *nox est ubicunque non lucet sol iste visibilis.* Vel, 3. Quia sol ob nimium lucis splendorem, oculos debilitat et interdum excæcat. *Nam etiam lux solis subita post tenebras, splendore nimio insuetis oculis non ostendit diem, sed potius facit cæcitatem.* (5) Ex Philosopho siquidem a Guillelmo Parisiensi relato, *extrema corrumpunt sensum, sicut vehementia solaris luminis, vel offuscat, vel obtenebrat visum.* (6) Quomodo tempore quo Græci Constantinopolitanum tenebant imperium, rei imo et innocui principes excæcabantur per laminas igne excandescentes juxta ipsorum oculos appositas : sic enim integris remanentibus oculis, videndi amittebatur facultas. Quomodo etiam Bernardus, Italiæ rex, et Caroli Magni nepos, excæcatus est a fulgore pelvis aureæ radiis solis objectæ : coactus enim in eam aciem figere, nec retorquere, diuturno radiorum igne luceque insolenti visum amisit. (1) Quomodo adhuc ad clypeum nitidissimum soli oppositum, seipsum excæcasse dicitur Democritus. Nec mirum, quia ut philosophatur Parisiensis antistes, *reflexio radiorum solarium ex speculo concavo, berillo, crystallo et vitro ignita est, et adurens obviantia nubila : propter adunationem, multiplicationem ac densationem luminis ipsius in speculo concavo, et rebus aliis nominatis.* (2) His tribus modis non illuminantur oculi mentis : 1. Quia peccator ponit obicem et impedimentum oblato lumini gratiæ. *Filius Dei non est absens etiam a mentibus impiorum, quamvis eum non videant; sicut nec ulla lux videtur oculis præsentata cæcorum.* (3) Cæci præsentem non intuentur lucem; non defectu lucis quæ illuminat oculos ad videndum aptos, sed ex defectu cæcorum qui recipiendæ lucis non sunt capaces. Eodem modo peccatores voluntaria malitia excæcati, non vident, non ex defectu gratiæ quæ præsens est, sed quia depravata voluntas eos excæcavit; *sicut sol a cæcis, quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic a stultitiæ tenebris lumen Dei non comprehenditur.* (4) Hujus « causa est peccatum, quod viam gratiæ obstruit et concludit. Merito enim et justissime fit : quod Dei judicio, Dei adjutorium non obtinet, qui illud obtinere non curat : meritoque gratiæ divinæ cor illius ad illustrandum non ingreditur, qui obicem illi opponit peccati. Quemadmodum homines propriis manibus lumen solis visibilis ab oculis suis declinant et avertunt; sic peccatores mali, operibus suis, solis invisibilis radios, hoc est dona gratiarum et virtutum, a cordibus suis declinant et avertunt. Quod enim sunt manus interpositæ inter solem et oculos ad obtenebrandos eos, hæc sunt opera mala inter solem intelligentiæ atque justitiæ, et oculos cordis ad eos obstruendos. » (5) 2. Quia lux gratiæ est absens, nec mentem illuminat. « Quemadmodum nox est ubicunque non lucet sol iste visibilis, sic et nox spiritualiter est ubicunque non lucet sol intelligentiæ, et in omni regione cordis quam non illuminat. Et sicut soli vident solem visibilem, apud quos dies est, sic soli vident solem intelligibilem apud

(1) Guillel. Par. Tract. de Fide et Moribus. — (2) Job. 24. — (3) Guillel. Par. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 1. — (5) Tert. L. de Trinit. 2. — (6) P. 2. Par. de Universo cap. 21.

(1) Pontan. in Bellariis. — (2) L. de Fide et Moribus cap. 1. — (3) D. August. Epist. 120. ad Honor. — (4) D. August. L. de peccat. merit. cap. 25. — (5) Guillel. Par. Tract. de Fide et moribus c. 2.

quos spiritualiter est dies de illuxione et irradiatione ipsius. » (1) Peccatores autem propria malitia excæcati sunt in nocte, non in die: justo namque judicio Deus culpabilem illorum cæcitatem pœnali mulctat cæcitate : *Cui et competit zelus ipse errore decipere quos veritate non cepit.* (2) Quod intelligendum est non positive quasi Deus decipiat et inducat in errorem, *quia neque perversitas, neque fallacia Deo congruit* (3), sed permissive tantum, quia permittit ut peccatores qui veritatem non receperunt, labantur in errores. Quomodo intelligendus est D. Chrysost. (4) præfatam peccatorum pœnam ab enumeratione deducens : « Annon est peccatum, et pœna peccati, ubi legitur : Dominus immisit eis spiritum erroris, ut faciant quæ non conveniunt, sicut seducitur ebrius? (5) An non est peccatum, et pœna peccati, ubi Deo dicit Propheta : Quid errare fecisti nos de via tua? (6) Obdurasti corda nostra, ut non timeremus te. (7) An non est peccatum et pœna peccati, ubi legitur de gentibus quas debellavit Josue, quia per Dominum factum est confirmari cor eorum, ut obviam irent ad bellum Israël, ut exterminarentur? (8) Annon est peccatum et pœna peccati, quod non audivit Roboam rex plebem bene monentem? (9) Quia sicut Scriptura loquitur (10), erant conversi a Domino, ut statueret verbum suum, quod ei locutus est in manu Prophetæ. Annon est peccatum, et pœna peccati, in quo scriptum est Amasiam regem Juda noluisse audire regem Israël bene monentem, ne procederet ad bellum? Sic enim legitur : « Et non audivit Amasias, quia a Deo erat ut traderetur quoniam quæsierat Deum Edom. » (11) Tandem, 3. Quia nimio luminis splendore excæcantur. Dæmon vocitatur, tum tenebrarum princeps, tum *dæmonium meridianum* (12), quia interdum tenebris, interdum lucis splendore excæcat homines, auri fulgore avaros ; mulieris decore, impudicos; dignitatum splendore, superbos. Nam, ut belle ad propositum fatur Albertus Magnus : *Superbia sive vana gloria, est quasi quoddam fulmen excæcans oculos animæ : sicut enim fulmen quamdam brevem claritatem habet, sed tamen teneris creaturis valde nocuam, ita etiam est de superbia, qua superbi lucere volunt in hoc seculo per elatam superbiam.* (13) Ambitio, arrogantia, vana gloria, superbia, sicut fulmen claritatem habet, non illuminans, sed excæcans. Hoc fulmine diabolus excæcavit primos parentes. Mox ut divinam ambierunt similitudinem sibi a dæmone pollicitam, mentis amiserunt lucem, fueruntque tanta cæcitate mulctati, ut sub ficulneis foliis delitescentes sese divinis oculis occultare existimarent. *Cum haberet Adam cor sanum puræ conscientiæ, gaudebat ad præsentiam Dei : postquam peccato oculus ille sauciatus est, cœpit lucem formidare divinam, refugit in tenebras, atque in densa lignorum, veritatem fugiens, umbras appetens fucatis illis splendoribus.* (1) Hac etiam tempestate excæcat diabolus peccatores, qui delictorum nocte obtenebrantur.

(1) Guillel. Par. ibid. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 16. — (3) Tert. L. adv. Prax. 11. — (4) Hom. de Adamo et Eva. — (5) Rom. 1. — (6) Isai. 63. — (7) Isai. 64. — (8) Josue 10. — (9) Lib. 3. Reg. 12. — (10) 2. Paral. 10. — (11) 2. Paral. 23. — (12) Ps. 10. — (13) Serm. Dom. 3. Adv.

II. PARS. *Sol diei de suo cumulat.* (2) Ut autem docet Dionysius Areopagita, *clara expressaque divinitatis imago est magnus hic sol, totus lucens ac semper splendidus.* (3) Etenim « Deus summum et inaccessibile lumen est ; eo se magis contemplandum nobis præbens, quo accuratius animos purgaverimus, eo rursus magis amandum, quo magis contemplati fuerimus : eo denique magis cognoscendum, quo magis amaverimus. » (4) Homini dedit Deus oculos corporis et oculos mentis : oculos corporis sole sensibili illuminat, oculos mentis sole intelligibili illustrat. Quare sic hominem D. Augustinus alloquitur : « Fecit autem te Deus, homo, ad imaginem suam. Daret ne tibi unde videres solem quem fecit, et non tibi daret unde videres eum qui te fecit, cum te ad imaginem suam fecerit ? Dedit et hoc, utrumque dedit tibi. » (5) Ad videndum materialem solem, dedit tibi oculos corporis; ad cognoscendum solem intelligibilem, dedit tibi oculos mentis. De quo gloriari vales cum Propheta Regio : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* (6) Sicut sigillum sui formam imprimit et exprimit in cera, aut quavis alia materia apta ad expressionem, ita lumen Dominici vultus nobis impressum, et in nobis expressum dicitur. In magno mundo coruscat dies, *medium orbem signante sole* (7), sigillariis scilicet fulgorum radiis : seu affectare videtur exprimere soles, suique imaginem, quasi impresso sigilli typo, rebus sculpere : Deus quoque sol intelligibilis suæ lucis imprimit vultum, ut quemadmodum sigillum ceræ impressum exprimit sigilli formam, et impressam refert imaginem, sic homo divina luce impressus, tanquam imago lucida sigillaris prototypi exprimat

(1) D. August. Serm. 18. de Verb. Dom. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 5. — (3) De Div. nom c. 4. — (4) Gregor. Naz. Orat. 40. — (5) Serm. 18. de Verb. Dom. — (6) Ps. 4. — (7) Tert. Apol. 21.

lucem : per lumen autem illud divini vultus, signatum seu sculptum in homine Hugo Victorinus (1) divinam gratiam intelligit, quæ animæ impressa resculpit divinam imaginem, quam primævi delicti error devenustaverat. Quid illustrius quam hominem insigniri nitore vultus divini, et divinis illustrari fulgoribus ? Peccator tamen squalens horrore delicti, jubar illud divini vultus, gratiæ beneficio sibi impressum, obtenebrans, 1. In nocte incedit ; 2. Deum non agnoscit; 3. Cæcum se esse nescit.

1. *Sicut lumen aliquo obstaculo impeditum, manet, sed non comparet si tanta densitas obstaculi fuerit, ita et bonum in anima a malo oppressum, pro qualitate ejus, aut in totum vacat, occultata luce, aut qua datur radiat, inventa libertate.* (2) Philosophatur Tertullianus de lumine gratiæ quæ mentem illuminat, ex comparatione solaris lucis quæ illuminat corpus : « Lumen aeris quod est a sole, et minuitur et augetur, secundum dispositiones aeris, et secundum interposita, rara scilicet aut densa : destruitur etiam per interposita : sicut in nocte per interpositam terram : et de die etiam per interpositionem terrestrium corporum, et lumini imperviorum sive impenetrabilium. » (3) Nam sol vel, 1. Obscuratur per nubem, quæ est addensatus vapor, e locis humentibus ad mediam aeris regionem, æstu solis et astrorum evocatus; vel, 2. Obtenebratur, totaliter aut ex parte ex deliquio per interpositionem lunæ facto : vel tandem, 3. Occultatur, per noctem, e nostro hemisphærio discedens : eodem modo lux gratiæ sanctificantis aut obnubilatur, aut obtenebratur, aut occultatur : 1. Obnubilatur per peccata venialia, per quæ *non tam exstinguitur quam obumbratur.* (4) Peccata namque venialia non exstinguunt gratiam ; 2. Obumbratur per eclipsim, dum interponitur inordinatus mundi amor per lunam denotatus, *ut deliquium solis et lunæ, ita et animæ* (5), et justus a gratia sanctificante, in læthale cadens peccatum; 3. Occultatur per noctem peccati, in qua vivit scelerosus, *qui enim delinquit, non in lumine est, sed in tenebris.* (6)

Multiplici autem ratione peccata, tenebræ nuncupantur : 1. Quia tenebræ sunt privatio gratiæ, peccator *sicut luce, ita et vita orbatur.* (7) 2. Sicut qui in tenebris ambulant, nihil vident, et sæpe sæpius impingunt, ita peccatores in via salutis cæcutiunt, et crebro impingunt, *quibus nulla est lux.* (1) 3. Tenebriones uti noctuæ oderunt lucem, *solem noctuæ nesciunt, oculi aquilæ sustinent.* (2) « Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. » *Qui sunt filii noctis et filii tenebrarum; qui omnia mala operantur, usque adeo filii noctis sunt, ut timeant videri quæ operantur.* (3) Unde peccator vocitatur *lucifuga bestia.* (4) 4. Quia lucem odientes tenebras amant, unde dicuntur *eversores luminum.* (5) Quod declarat Chrysologus expendens istud dominicum : Lucernæ ardentes in manibus vestris : *quia semper ad innocentiæ testimonium lucernæ nocturnæ portantur in tempore: et sicut vitiis amicæ semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus.* (6) 5. Quia a tenebrosa et *cæca in totum* (7) mente procedunt, quæ malitia voluntatis excæcata ex errore practico judicat sibi hic et nunc indulgendum esse cupiditati, absque cœli et bonorum æternorum jactura; quæ summa est cæcitas. 6. Quia in tenebris et in nocte fiunt. *Malum semen in caligine seminatur : bonum amat lucem.* (8) Unde quemadmodum *sociæ semper sunt boni operis lucernæ* (9), ita tenebræ pravi operis sunt comites. *Oculus adulteri observat caliginem* (10) : et ob hanc causam, Tertullian. *lenones tenebras* (11) nuncupat, quia scilicet lasciviæ lenocinantur; 7. Quia si non auctorem, saltem instigatorem habent diabolum : *Quem legis avenarum superseminatorem, et frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem.* (12) Insidiatorem, sed in tenebris : *insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* (13) Furem et animarum prædonem, sed sopitam lucem, et lucernam exstinctam, observantem, hominum hostem, nigra in nocte, Andabatarum more modoque pugnantem ; piscatorem et ingeniosum venatorem mortales in tenebris, suis retibus involventem, crudelissimum tyrannum mancipiis oculos eruentem ; quapropter criminosum servorum diaboli opus, a D. Dionysio appellatur *obscurum et illunc vitium.* (14), Tandem, 8. Quia ad æternas gehennæ et orci tenebras ducunt peccatores, *quibus ignes imminent, illis competunt et testimonia tenebrarum, et auspicia pœnarum.* (15)

Idem accidit peccatoribus, qui suis criminibus denuo Christum crucifigunt, et in

(1) Lib. 4. Allegor. c. 12. — (2) Tert. L. de An. 41. — (3) Guillel. Par. p. 2. p. de Universo cap. 111. — (4) Tert. L. de An. 41. — (5) Tert. L. de An. 44. — (6) Tert. L. de Pudic. 19. — (7) Tert. L. adv. Valent. 14.

(1) Tert. L. de Idol. 15. — (2) Tert. L. de An. 8. — (3) D. August. Tract. in Joan. — (4) Tert. L. adv. Valent. 3. — (5) Tert. Apol. 7. — (6) Serm. 24. — (7) Tert. L. de An. 32. — (8) Tert. L. de An. — (9) Chrysolog. Serm. 24. — (10) Job. 24. — (11) Tert. Apolog. 7. — (12) Tert. L. de An. 16. — (13) Ps. 9. — (14) De Eccl. Hier. cap. 2. — (15) Tert. L. de Idol. 15.

semetipsis velut interimunt, quod scelerosis Judæis, qui ad Christi attentarunt necem : generali solis deliquio Judæorum Deus punivit crudelitatem. *Eodem momento dies subducta est* (1), et « tenebræ factæ sunt super universam terram. » (2) *Densis tenebris splendor solis extraordinarie nocti subdidit diem.* (3) Eodem momento quo sol splendidioribus coruscabat radiis, vel ordinariam lucem denegat Judæis, illis occidit in meridie, obscuris tenebris mundum obvolvit, et ita obscure funestatur, ut a sexta hora usque ad nonam, universa terra prodigiosæ noctis operta fuerit caligine. Sane æquissimum erat ut cœlum sententiam ferret adversus crudeles Judæos, qui justitiæ solem et siderum regem temerario ausu condemnaverant ; merito densissimis obvoluti fuerunt tenebris, qui lucis auctorem agnoscere noluerunt; æquum erat ut sol contra naturæ ordinem denegaret suos radios iniquis Judæis, qui contra leges rationis et æquitatis in Dei mortem conspiraverant. Quos jure insequitur S. Leo. *In vos ergo, Judæi, cœlum et terra sententiam tulit ; vobis sol virtutem suam diemque subtraxit, et recedente a legibus suis ministerio creaturæ, vestra obcæcatio, vestra est significata confusio.* Non absimili pœna mulctantur peccatores, mox ut lethali peccato consentiunt : in illis deliquium patitur justitiæ sol, et juxta comminationem Prophetæ, *dies illa vertatur in tenebras, obscurent eam tenebræ ; occupet eam caligo. Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* (4) Dies gratiæ, qui eos illuminabat, in obscuram immutatur noctem, tenebræ succedunt luci, et cor eorum involvunt caligine; *digni quidem carere luce et pati carcerem tenebrarum.* (5)

Quanta sit hæc pœna aliquo modo colligi potest ex jactura venustatis qua noctis tempore privatur mundus, quam belle declarat Tertullianus : *Dies moritur in noctem, et tenebris usquequaque sepelitur ; funestatur mundi honor ; omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta, ubique justitium est ; ita lux amissa lugetur* (6) ; verum ut sapienter D. Ambrosius, *non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt quæ de confusione veniunt peccatorum.* Tunc enim dies gratiæ moritur in peccati noctem; tunc intellectus, ratio, cor et voluntas tenebris usquequaque sepeliuntur; tunc hominis funestatur honor, nimirum sanctitas qua nitebat, Dei filiatio qua splendebat, virtus qua micantius coruscabat, et meritum quo abundantius ditabatur ; tunc omnis substantia denigratur ; nam anima denigrata est super carbones, et omnis ejus decor versus est in horribilem fœditatem : tunc sordent, silent, stupent cuncta, nam conscientia contaminatur, lingua a divinis laudibus silet, manus opera cœlo digna non facit; et sicut feræ noctis tempestate grassantur et cuncta devastant : *Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ* (1); ita mox ut dies gratiæ exstinctus est et nox peccati occupavit animam peccatoris, dæmones, passiones, cupiditates insurgunt, omnia depopulantes ; dæmones, illum pro voluntate ad malum impellunt, passiones absque ullo fræno laxatæ, immoderate efferuntur ad amorem, ad odium, iram, invidiam, aliosque inordinatos motus; cupiditates indesinenter anhelant post vanos mundi honores, impuras veneris voluptates, perituras terræ divitias. Et ut fatur Chrysologus de obtenebratis peccatoribus loquens, ita passionum gravantur pondere, *ut nihil in eis remaneat ex luce, sed tota pene perfidiæ nocte fuscantur.* (2)

Inter atrocissima quæque ingenia pœnarum quæ a tyrannis passi sunt martyres, nullum adeo intolerabile Tertulliano videtur supplicium ac densissimæ quibus in ergastulis obvolvebantur tenebræ *teterrimo lucis exsilio.* (3) Et inter pœnas quibus in hoc mundo Deus punit peccatores, majorem existimat D. Augustinus (4) mentis tenebras et cordis cæcitatem. Multis plagis olim Ægyptios percussit Deus : magna absque dubio fuere flagella, conversio aquarum in sanguinem ; tanta ranarum multitudo quæ non solum replebant campos, sed in domos et cubilia intrabant; universa terra Ægypti in ciniphes immutata ; omne genus muscarum homines cum jumentis stimulantium ; pestis mortifera animantia cuncta inficiens ; ulcera turgentia crudeliter Ægyptios torquentia ; grandines et tonitrua terrorem cordibus incutientia ; congeries locustarum omnia ligna corrodentium. Verum quantumvis præfatæ plagæ sint atroces, quasi non sunt comparabiles palpabilibus tenebris quibus Deus percussit Ægyptios. Scriptura sacra illas duntaxat horribiles appellat : *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti* (5) ; erudire nos volens hoc loquendi modo, inter omnia supplicia quibus in seculo divina justitia punit peccatores, majus esse mentis cæcitatem et tenebras quibus involvuntur :

(1) Tert. Apol. 21. — (2) Matth. 27. — (3) S. Leo Serm. 2. de Pass. — (4) Job. 2. — (5) Sap. 18. — (6) Tert. L. 2. de Res. Car. 42.

(1) Psal. 103. — (2) Serm. 63. — (3) Tert. L. de Res. Carn. 8. — (4) Lib. de Nat. et Grat. cont. Pelag. — (5) Exod. 10.

et quas habent circa se, juxta se, contra se, intra se et infra se. 1. Circa se habent tenebras mundi: *Habet mundus iste noctes suas, et non paucas : quid dico, quia noctes habet mundus, cum pene totus ipse sit nox, et totus semper versetur in tenebris? Nox est judaica perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam catholicorum carnalis animalisque conversatio. Annon nox ubi non percipiuntur ea quæ sunt Spiritus Dei?* (1) 2. Contra se habent tenebras, nimirum dæmones tenebrarum principes. *Diabolus nox est; nox est angelus Satana, etsi se transfiguret in angelum lucis* (2), qui non nisi in tenebris, utraque nocte operatur, in quo multum a mundi conditore discriminatur : Deus in mundi molitione, primum dixit : *Fiat lux :* diabolus econtra clamitat : *Fiat nox*, fiat caligo, et addensentur tenebræ; 3. Habent tenebras intra se, nempe diabolum in corde inhabitantem, qui *obturatis humani sensus foribus, speluncæ suæ latebram pectus fecit et paravit humanum.* (3) Hoc namque discrimen agnoscit Magnus Basilius inter justos et peccatores, quod justi in cordibus suis deferunt characteres lucis, propria Spiritus Sancti manu exaratos et cusos : peccatores vero in suis cordibus habent litteras a dæmone, sed atramento scriptas. *Cor quidem justorum descriptum est, non atramento, sed spiritu Dei vivi : cor autem iniquorum, non spiritu Dei viventis, sed atramento lucis inimico, quod congener est et affine tenebris.* (4) Tandem infra se habent tenebras, nempe infernum, in quem tenebrosus et cæcus detruditur peccator, nam, ut fatur D. Augustinus, *a tenebris somniorum, excipient eum tenebræ tormentorum.* (5)

Homines quantumvis audaces et intrepidi, horrent tenebras et timent in nocte. Verumtamen *tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum : et si oculorum, non exteriorum, sed internorum : unde discernitur, non album et nigrum, sed justum et injustum.* (6) Virtus et vitium, infernus et cœlum; diaboli servitus, et Dei dominium; damnationis periculum, et salutis medium. Expostulo autem a timidis illis peccatoribus, qui exteriores duntaxat oculorum, non interiores mentis pertimescunt tenebras, quid metuant in nocte. Forsan fures et latrones formidant? Nonne diabolus fur est et latro qui in tenebris omnes gratiæ et virtutis furatur divitias? In nocte fortasse metuunt larvas, neque habitare audent in domibus in quibus horribiles illæ apparent figuræ? Annon diabolus est phantasma aspectu horribile? Metuunt fortasse insidias? Annon diabolus insidiatur in abscondito? Metuunt fortasse ne eos aggrediantur inimici sui? Annon dæmones hostes infensissimi *paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde?* (1) Cruentam fortasse metuunt mortem? Annon diabolus in tenebris peccatoris interimit animam, eique crudele infligit tormentum? *Quod nocte irrogatur supplicium, atrocius esse solet ac amarulentius.* (2) Fratres, si tot damna timetis, nocturnas furis illius fraudes, insidiatoris astutias, inimici insidias, tyranni atrocitates, *date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* (3) Salutare illud monitum non audiunt peccatores, qui criminibus obtenebrati, Deum non agnoscunt, neque colunt.

2. *Hic erit homo interior habens oculos, quibus Deum videre debuerat.* (4) Interiori homini tres oculos et tres luces largitus est Deus, quibus eum posset cognoscere, nimirum rationem, fidem et gratiam. Ratio est lux, quapropter homo a Græcis vocitatur Phos, id est, Lux, quia pollet lumine rationis : *ratione enim logici, id est, rationales, et sumus et dicimur.* (5) Fides est lux, ideoque baptismus in quo nobis datur habitus fidei nuncupatur ab Apostolo (6) illuminatio, quia per illud sacramentum translati sumus *de umbra ad solem* (7); scilicet de ignorantia et mendacio ad veritatem et lucem. Gratia est lux : etenim Deus est lumen; gratia autem habitualis est participatio divinæ naturæ : et Christiani gratia sanctificati, sunt *ad solem uncti* (8), quia cum unctione gratiæ, et participatione dominici splendoribus solis justitiæ illustrati sunt. Lux rationis sapientem distinguit a stulto, cujus mens inordinatis passionum motibus obscuratur. Lux fidei Christianum catholicum ab infideli seu hæretico discriminat, qui in ignorantia et errore versatur. Lux gratiæ justum discernit a peccatore peccati tenebris involuto : lux rationis Deum in creaturis velut primam causam in suis effectibus conspicit. Lux fidei, christianas veritates, quæ mentis aciem superant, agnoscit. Lux gratiæ, ad fugam mali et boni persecutionem inducit. Ut au-

(1) D. Bern. Serm. 75. in Cant. — (2) D. Bern. Serm. 41. in Cant. — (3) Chrysolog. Serm. 52. — (4) In cap. 10. Isa. — (5) In cap. Ps. 48. — (6) D. August. Tract. 25. in Joan.

(1) Psal. 10. — (2) D. Basil. in cap. 15. Isa. — (3) Jer. 13. — (4) Tert. L. de An. 9. — (5) Œcum. in Caten. — (6) 2. Tim. 1. — (7) Tert. L. ad Mart. 3. — (8) Tert. L. 3. ad Marc. 13.

tem *cœli ambitus, nunc sub divo splendidus, nunc sub nubilo sordidus* (1) apparet; sic tres illæ luces fulgent in justis, in peccatoribus vero obnubilantur. Lux rationis obumbratur passionibus, *cupiditas rationi terrorem induxit* (2), neque divinas perfectiones in mundo splendescentes considerat: *Eadem caligine* (3) fidei lux obnubilatur: neque ad religionis mysteria attendit. *Nescit oculus quod agnoscit.* (4) Lux gratiæ exstinguitur et peccator cæcutit non secus ac homo *effossis luminibus orbatus.* (5)

Secundum medicos quatuor (6) sunt quæ corporis offendunt oculos, et visum impediunt: nimirum ventus, fumus, pulvis et ignis. Ab iisdem etiam oculis mentis patiuntur caliginem aut cæcitatem. Ventus seu fumus vanitatem significat, pulvis avaritiam denotat, ignis libidinem demonstrat. Fumus vanitatis superbos obscurat; pulvis avaritiæ mundanorum cor obnubilat; ignis luxuriæ impudicos excæcat. Quod non ignorantes Gentiles sic fantur apud Clementem Alexandrinum: *Plutus cum aliquos plus aliis videntes acceperit cæcos facit. Hinc a poetis prædicatur ab ortu cæcus.* (7) Plutus, divitiarum Deus, cæcus est et avaros cæcat: non secus ac Jupiter superbos et Venus libidinosos. Verum Gentilibus prætermissis, Patres Ecclesiæ unanimi consensu cæcitatis mentis originem a vitiis et peccatis oriundam demonstrant. *Superbia, malitia, obtrectatio, invidia, quæ sunt opera tenebrosa, lumen mentis obcæcant.* (8) Emisseno annuens D. Thomas, de cæcitate mentis per analogiam ad cæcitatem corporis philosophatur: ut autem septem visum corporalem impediunt, sic et animam septem excæcant: 1. Est faciei inflatio, et tumor, hæc est superbia. « Nihil inflata facies ne videre non sinit. » (9) 2. Aeris obtenebratio, et hæc est invidia; ita excæcavit Judæos; ita Saulem qui non rectis oculis aspiciebat David; 3. Oculorum conturbatio, hæc est ira: « Conturbatus est in ira oculus meus. » (10) Pulveris superjectio, hæc est avaritia: « Defluxi ad temporalia, et obscuratus sum. » (11) 5. Oculorum clausio: hæc est acedia, quæ mentis oculum claudit, ne spiritualia bona videat. 6. Sanguinis et humorum circa oculos multiplicatio: hæc est gula. « Cuive, cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? » (1) Quod corpori gula, hoc et animæ. 7. Panniculi seu nubeculæ obumbratio, ea quippe dum innascitur oculo, pupillam obtegit et obcæcat, et hoc fit per luxuriam. Quare Augustinus sic de seipso fatur: « Ascendebant nubeculæ de limosa concupiscentia carnis, et offuscabant cor meum, ut non discerneretur sinceritas dilectionis a caligine libidinis. »

Quia vero Dilectus Discipulus omnia quæ sunt in mundo, reducit ad concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ: peccator potissimum ab avaritia, luxuria et superbia. *Avarus cæcus est. Amor namque pecuniarum in pupillam mentis, quasi quidam malignus humor influxit, densamque jam nebulam prorsus operatus est.* (2) Uti noxius humor, aut nebula soli adversa, lumen corporis impedit, ita avaritia menti insidens tanquam noxius humor, cœlestium et divinorum eripit lumen. *Cæca est omnis libido, et quod est ante se non videt.* (3) Non peccati deformitatem, non veneris infamiam et turpitudinem, non Dei iram et animadversionem, non gehennæ ignem intolerabilem: *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, sicut nubes et caligo, corporis oculos, ita cum illa eripuerit mentem, perspiciendi facultatem, nihil sinit videre ulterius: non præcipitium, non timorem, non gehennam.* (4) Superbia tandem excæcat ambientes, tum quia ambitiosus etiam vitiis et criminibus captat honores: tum quia miserabilem servit servitutem, qui natus est ut esset in libertate filiorum Dei: tum quia animum sollicitudine, corpus labore cruciat: tum quia vanam seculi sectatur pompam. *Cæca ambitio magis imis quam summis delectari* (5), vanos veris præferre honoribus; mundi auram, immortali cœli gloriæ præponere, summa et divina negligere, post terrena et secularia tantummodo inhiare. *Ut corporeus nobis sensus aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditur, sic et intuitus spiritualis, interius quidem propria carnis illecebra, interdum curiositate seculari et ambitione turbatur.* (6)

Ad visum corporeum tria necessario concurrunt: 1. Lumen, rem visibilem ostendens oculis; 2. Species objecti visibilis in oculo recepta; 3. Attentio et applicatio potentiæ ad objectum seu rem visibilem: si unum ex illis tribus deficit, oculus non videt, lumen necessarium est. Aliter ratioci-

(1) Tert. L. de Pall. 2. — (2) Theodor. q. 25. in L. 1. Reg. — (3) Tert. Lib. de Pudic. 8. — (4) Tert. Lib. 2. ad Nat. 1. — (5) Tert. L. de Trin. 29. — (6) Arnold. 2. — Villan. in Lib. Schol. Salern. — (7) Lib. 4. Stron. — (8) Euseb. Emil. Hom 2. de Nat. Dom. (9) L. 1. Reg. 18. — (10) Psal. 30. — (11) D. August.

(1) Prov. 2. — (2) D. Chryst. Hom. 21. in Matth. — (3) D. Ambr. L. de Abraham. c. 6. — (4) D. Chrysol. Hom. 11. in 1. Cor. — (5) D. Bern. Epist. 78. (6) D. Bern. Serm. ad Clericos. c. 25.

nandum est de calore ac de lumine solis. Calorem sentiunt etiam ipsi cæci, neque ad illius influxum recipiendum, necessarius est corporeus visus : ad solis autem lumen requiritur, non enim illustrat cæcos, aut eos qui opacum aliquid interponunt. Corpus etenim, « terra vel nube, vel luna interposita, inter aspicientem et solem, non contingit aspicientem ad solem videre nisi interpositum. » (1) 2. Requiritur ut species objecti visibilis recipiatur in oculo ; quia cum ad sui visionem concurrat simul cum oculo tanquam causa partialis visus, id debet exsequi per sui speciem in oculo receptam ; 3. Applicatio seu attentio potentiæ ad objectum requiritur, quia illud non videt, nisi de facto ad illius visum fuerit attenta seu occupata. Peccator autem cæcus est, quia his tribus ad visum mentis requisitis destitutus est : 1. Lux gratiæ ei deest ; nam ne ab illa illuminetur, interponit vel nubem superbiæ, vel pulverem avaritiæ, vel ignem luxuriæ : juxta istud Davidicum : Supercedit ignis, et non viderunt solem. (2) *Quem solem? non istum quem tecum vident et pecora et muscæ. Est et alius sol de quo dicitur, sicut illi : Et sol non ortus est nobis. Quare, nisi quia supercecidit ignis et non viderunt solem ?* (3) Ut autem philosophatur supra laudatus Parisiensis Antistes : « Sicut cæcus est corpore qui solem istum corporeum atque visibilem videre non potest, sic cæcus est corde, qui solem intelligibilem corde videre non prævalet. » 2. Species christianarum veritatum non recipit, nimirum ultimi judicii, cruciatuum inferni, incomprehensibilis beatitudinis cœli, horroris lethalis peccati aliorumque credendorum. Quæ *jam quodammodo habemus per fidem spiritu imaginante repræsentata* (4) ; horum enim species a mente sua rejicit, et ut fatur D. Chrysostomus, *ad umbras* (5) temporalium se convertit, et velut alter Ixion pro Junone inanissimam nubem amplectitur. Unde ad propositum D. Augustinus : « Væ qui se avertunt a lumine tuo, et obscuritati tuæ dulciter inhærent, tanquam enim dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra defiguntur. Sed umbra dum amatur, languidiorem facit oculum animi, et invalidiorem ad perferendum conspectum tuum. » 3. Attentione destituitur, neque consideratione et reflexione utitur, ut perspiciat virtutis decorem, peccati horrorem ; cœli gaudium, inferni supplicium. Tum dæmonis astutia, tum peccatoris malitia, rationem et fidem ab hujusmodi consideratione avocat, mentemque ad omnia quæ illam impedire possunt applicat. *Propterea magis magisque homo tenebratur : dum sectatur libentius* (1) cogitationes quæ mentem a cœlestium et divinorum consideratione removent. Una veritas christiana serio et cum reflexione meditata, sufficeret ad ingenerandum odium vitii et virtutis amorem. Peccator autem cæcus est, quia nullatenus recogitat corde. Nam, ut subjungit D. Augustinus, « ex quo incipit non posse videre quod summe est ; et malum putare quidquid fallit improvidum, aut illicit indignum, aut captum excruciat, cum ea pro merito patiatur aversionis suæ. » Et quemadmodum cæcus sibi soli absque ullo ductore relictus, rectum iter tenere nequit, sed post multos casus, tandem in præcipitia labitur ; eodem modo excæcati peccato periculose cadunt, et ut vaticinatus est Regius Propheta, fiant viæ illorum tenebræ et lubricum. *Horrenda nox. Tenebras solum quis non horreat ? lubricum solum quis non caveat ? in tenebris, et lubrico, qua is ? ubi pedem figis ? sunt ista mala, malæ pœnæ hominum. Tenebræ est ignorantia. Lubricum est luxuria* (2), vel quodvis aliud vitium. Lubricum etiam de die est periculosum, et per illud incedentes etiam oculati persæpe labuntur. At lubricum est multo de nocte periculosius, et cæci per illud gradientes, infallibiliter cadunt : peccatorum via sunt tenebræ et lubricum, et tum ob tenebras, tum ob lubricum cadunt. Ut quis securus et tutus a cadendi periculo incedat per lubricum, probe sit oculatus et perspicax necesse est. Quod denotatum vult Magnus Gregorius per mystica Ezechielis animalia, quorum totum corpus in circuitu erat plenum oculis. *Corpora animalium idcirco plena oculis describuntur, quia Sanctorum actio, ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens.* (3) Ingenti profecto opus est providentia et circumspectione, ad providenda bona et præcavenda mala, inter tanta pericula, tot lubrica, tot cadendi discrimina. Nullus olim ad sacrificandum Deo assumebatur, nisi esset perspicax et oculatus : « Nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit. » (4) *Cæcus est qui supernæ contemplationis lumen ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum veram lucem nequaquam diligendo conspicit ; quo gressus operis porrigat, nescit.* (5) Quatuor sunt habitus

(1) Guill. Par. Tract. de Fide et mor. 1. — (2) Psal. 57. — (3) D. August. in Psal. 57. — (4) Tert. Lib. de Spect. 30. — (5) In Ps. 144.

(1) D. August. in Ps. 144. — (2) D. August. in Ps. 34. — (3) Hom. 3. in Ezech. — (4) Levit. 21. (5) D. Greg. L. 1. Pastor. 11.

intellectuales, qui virtutis iter ostendunt, et injustitiæ semita dirigunt : scilicet intellectus, sapientia, scientia, prudentia seu consilium. Intellectus verum a falso discernit ; sapientia ad res divinas mentis cognitionem erigit ; scientia, juxta intellectus lumen et sapientiæ altitudinem, sua principia fulcit; prudentia futura prospicit, a malo quod in infernum ducit, removet : ad bonum quod est medium consequendæ beatitudinis allicit. Quibus merito privantur peccatores, juxta istud Jobi, *auferetur ab impiis lux tua* (1) et intellectu, sapientia et consilio orbati cæcutiunt et misere labuntur. *Aliquando prius oculus intellectus obtunditur, ut cæca mens, quo ducitur, nesciat.* (2) Homines orbati luminibus, quid agant nesciunt : qui etiam de nocte in periculosis ambulant locis, facile præcipitantur, frangunt collum, et vitæ jacturam faciunt. Peccatores *ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt* (3) ; iter quo eundum est ad cœlum, non videntes, ad lubrica et præcipitia quibus labitur in infernum non attendentes ; quid ex eorum cæcitate exspectandum est, nisi lapsus, peccatum, miseria, infelicitas, damnatio? *Si a justitia et pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur, nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus Sanctus.* (4)

In primitiva Ecclesia Judæi seu Gentiles ad christianam accedentes religionem, conversi ad occasum, suscipiebant baptismum, abrenuntiantes principi tenebrarum et peccato, quod in animam invehit obscuræ noctis caliginem : deinde post abjuratam omnem Satanæ mundique paraturam, obscurumque sceleris antrum, ubi divinæ lucis nihil affulget, induebant *velamenta vitreo splendore fulgentia* (5) ; ut qui post tenebras in admirabile venissent lumen, juxta istud Principis Apostolorum : *De tenebris vocavit nos ad admirabile lumen suum* (6) ; scilicet de tenebris ignorantiæ et infidelitatis, de tenebris erebi et dæmonis ; de tenebris peccati et iniquitatis : *Regionem cæcis ignorantiæ tenebris infusam lucis suæ splendore perfundit* (7) : uti in mundi molitione de tenebris formavit lucem, ita in baptismate de infidelibus fideles efficit, et ignorantiæ tenebras, in veritatis lucem convertit. Quo alludit Apostolus, aiens : *Quoniam Deus qui dixit ex tenebris lucem lucescere, reluxit in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis suæ, in persona Christi* (1), nobisque largitus est fidei et gratiæ lucem, ut abjicientes opera tenebrarum, sicut in die honeste ambulemus.

Multiplici ratione utuntur Paulus, Doctor Gentium, et Joannes, Evangelistarum decus, ut ostendant peccata esse tenebras. Audiatur Paulus Christianos alloquens : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* (2) Utitur metonymia, vocans tenebras, homines tenebricosos, non solum infidelitate in Deum, sed etiam ignorantia rerum agendarum. Peccatum enim rationis excæcat judicium, oriturque vel ex errore, vel ex imprudentia, inconsideratione et inadvertentia aliqua intellectus et rationis, præsertim voluntatis malitia, obtenebratæ. Quod quanto magis committitur, mentis auget cæcitatem, offuscatque rectum prudentiæ et conscientiæ dictamen ; animo ingenerans proclivitatem ad idem iterandum peccatum. Peccata dicuntur tenebræ seu opera tenebrarum, præsertim « duabus de causis. Primo, quia fiunt in tenebris, scilicet cordis, et a nescientibus omnino quid faciunt. Quod apparet ex ipsa deformitate operum. Nemo enim videns in corde, opera dementiæ et furiositatis faceret. Propter hoc dicit Dominus : Vide quid feceris. Quasi diceret : Cum hoc faciebas, hoc utique non videbas, non enim tam perverse operari potest, qui videt. Secundo dicuntur opera tenebrarum, quoniam obtenebrant facientes, vel opera tenebrarum, id est, eorum qui tenebræ sunt ; juxta id quod dicit Apostolus : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » (3) Virtutes et bona opera dicuntur lux, tum quia oriuntur a Deo, qui est prima increata lux, fons et principium creatæ lucis, *gratiam pollicitus, per Spiritum Sanctum illuminaturus.* (4) Tum quia manant a luce, id est, a dictamine rationis, prudentiæ et fidei ; tum quia lucem amant, id est, Dei hominumque conspectum : *Bonum verum et plenum non amat tenebras, gaudet videri, et in ipsas denotationes exsultat.* (5) Tum quia alios illuminant, et luce sancti exempli coram aliis splendent. *Hæc sunt quæ nos luminaria mundo faciunt, bona scilicet nostra.* (6) Inde Christianos hortatur Apostolus ut ambulent, non in tenebris, sed in luce, quia non tenebrarum, sed filii sunt lucis : *Nam et lucere in mundo Christianos oportet, ut filios lucis* (7), qui a filiis diaboli multum debent

(1) Cap. 58. — (2) D. Greg. L. 17. Mor. c. 13. — (3) Saphron. 1. — (4) D. Aug. Resp. ad Art. sibi falso impos. — (5) D. Dionys. de Eccl. c. 2. — (6) 1. Pet. 2. — (7) Chrysol. Serm. 17.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (2) Ephes. 5. — (3) Guillel. Par. Tract. de Vitiis. et pecc. cap. 11. Herm. 2. — (4) Tert. Lib. de Pœn. 2. — (5) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 13. — (6) Tert. ibid. — (7) Tert. L. adv. Prax. 13.

esse diversi; nam *quæ societas luci ad tenebras?* (1)

Neque Joannes, dilectus Domini discipulus, minori energia a tenebris removere Christianos et ad lumen stimulare nititur: tum quia *tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet.* (2) Transierunt tenebræ Gentilitatis et idololatriæ, et nunc lucet verum lumen fidei et veritatis: tum quia *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (3): homo autem suum debet imitari prototypum, et Christianus, suæ religionis principium et objectum: tum quia *qui diligit fratrem suum in lumine est; qui autem odit fratrem suum, in tenebris ambulat et nescit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* (4) Qui diligit fratrem suum in lumine est, quia Deum amat, totamque ejus legem observat. *Evangelium Christi hoc præcepto adimpletur* (5): qui autem fratrem odit, Deum non amat, ejusque legem non observat, quæ in fraternæ dilectionis præcepto continetur. *Merito itaque totam Creatoris disciplinam præcepto principali ejus præcepto conclusit: Diliges proximum tanquam te.* (6)

Christiani ut sese vindicarent a calumniis quibus eos insequebantur Gentiles tanquam imperatoris osores et inimicos, sic fantur apud Tertullianum: *Sic et circa majestatem imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, inveniri potuerunt Christiani.* (7) Alludunt ad Claudium Albinum, qui in Gallia rebellavit adversus Severum imperatorem. Pescennius quoque Niger sub imperio ejusdem Severi a Syriæ legionibus imperator est appellatus: inde Albiniani et Nigriani nominati, qui eis adhærebant. Post Guelphos etiam et Gebellinos subortæ sunt in Italia duæ factiones *Alborum et Nigrorum.* (8) Duas adhuc factiones his similes videmus in mundo. Una filiorum lucis, qui alba innocentiæ veste insigniti, sub virtutis et pietatis vexillo decuriati belligerant; altera filiorum noctis, qui sceleris et vitii tuentur partes: illi Dei custodientes disciplinam in luce ambulant: *Justorum semita quasi lux splendescens procedit.* (9) isti a Deo defecerunt, ejus *disciplinam non receperunt* (10), et in tenebris ambulantes, filii sunt, non Dei, sed diaboli: illi deferunt *arma lucis;* isti vero *sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt.* Videamus, Fratres, cujus vexillum deferamus, Dei aut diaboli. Vexillum Dei est lux; vexillum diaboli, tenebræ. Si sumus in tenebris, partes diaboli sequimur, non Dei. Joannes enim Evangelista *lumen prædixerat Deum, et tenebras non esse in illo, et mentiri nos si dicamus nos communionem habere cum illo, et in tenebris ambulamus.* (1) Si autem sumus in lumine, stamus a partibus Dei; unde subjungit ex Joanne Tertullianus: *Si in lumine incedamus, communionem cum eo habebimus.* Communionem cum Deo non habent impii, blasphemi, maledici, gulosi, impudici, superbi, avari. *Avaritiæ cæcitas, errorem religionis inducit.* (2) Idem dicendum est de aliis peccatoribus et scelerosis, qui vero Deo relicto, falsos deos colunt.

Sapientis intellectus, velit quidam pietatis arbiter. (3) Peccatoris mens non de sapientia et pietate commendatur, sed de stultitia et impietate damnatur, quia *non videt quæ Divinitatis sunt.* (4) Nec mirum, quia in nocte et in tenebris versatur. Quemadmodum enim in nocte agricolæ a labore desistunt, mercatores a commercio, et omnis conversatio et societas finem accipit, ita peccator in nocte criminis, nulli religionis vacat officio; neque Deum pietate recognoscit; non agnoscit, neque divinam majestatem, ad adorationem; neque sanctitatem, ad imitationem; neque magnitudinem, ad existimationem; neque bonitatem, ad dilectionem; neque liberalitatem, ad gratiarum actionem. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua?* (5) Deus est justus, et peccator cæcatus ejus justitiam et severitatem non timet: Deus est supremus Dominus, et cæcatus peccator absque ullo freno ejus mandata transgreditur. Deus est summum magnum, et ab excæcato peccatore pro nihilo habetur. Deus est immensus, et excæcatus peccator præsentiam ejus non veretur; Deus est infinite sapiens, abscondita quæque conspiciens; et peccator tanta libertate delinquit ac si Deus esset cæcus, neque ejus crimina intueretur; Deus est omnipotens, et peccator adeo insolenter eum aggreditur ac si ejus temeritati resistere non valeret. *Et sicut cæcus non potest aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria Deitatis.* (6) A peccatis excæcatus, non intelligit neque cœli gaudia, neque inferni supplicia, neque alia christianæ religionis mysteria: in nocte versans intellectus voluntatem illuminare nequit, quapropter, ut subjungit D. Chrysosto-

(1) 2. Cor. 6. — (2) 1. Joan. 2. — (3) Ibid. — (4) Joan. 4. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 14. — (6) Tert. ib. — (7) Tert. L. ad Scapul. 2. — (8) Blond. L. 9. — (9) Prov. 2. — (10) Jerem. 2.

(1) Tert. Lib. de Pud. 19. — (2) D. Ambr. Serm. 59. — (3) D. Ambr. L. 2. Offic. c. 8. — (4) D. Ambr. Serm. 19. — (5) Psal. 87. — (6) D. Chrysost. Homil. 50. in Matth.

mus, *non potest sentire quæ lucis sunt, tenebrosa voluntas*, sed obdurata est, insensibilis est divinæ gratiæ motionibus. Ita obduratur ut ejus durities non molliatur solis justitiæ radiis, neque frigus calefiat, caloris ardoribus : et quia lingua est mentis et cordis interpres, *impii in tenebris conticescent* (1), et criminosam ducunt vitam, absque divinis benedictionibus, gratiarum actionibus, pietatis sermonibus, virtutis operibus ; ad pœnitentiam non accedunt ; sacram synaxim non recipiunt ; tempus in criminibus impendunt : et, ut obplorat D. Augustinus, *potest anima infidelis usque ad tantas tenebras pervenire ut dicat stultus in corde suo : Non est Deus* (2) ; et cum ad summam illam devenerint impietatem tenebrosi peccatores, cunctis mancipantur sceleribus, et absque religione viventes et morientes, de peccati nocte ad inferni noctem transeunt : ita *e tenebris somniorum, excipient eos tenebræ tormentorum.* (3) Quomodo D. Augustinus expendit istud Davidicum : In inferno autem quis confitebitur tibi? *infernum dixit animæ cæcitatem* (4), non solum quia animæ cæcitas ducit in infernum, sed adhuc quia peccator excæcatus præpropere reproborum æmulatur malitiam, qui Deum in inferno non confitentur, sed blasphemant : et quod est prorsus stupendum, in tanta cæcitate, sese peccator cæcum et tenebrosum non agnoscit.

3. *Ingenia tenebrarum* (5) habentes criminosi in iis quæ religionem, pietatem et bonum spectant, cæci sunt : in iis vero, quæ sunt seculi, oculatissimi sunt. Quod in avaris agnoscit D. Ambrosius : *Cæca est avaritia ; sed diversis fraudum oculata ingeniis.* (6) Avari ad res divinas stolidi, ad decipiendum acutissimi sunt. Idem dicendum est de gulosis, libidinosis, superbis aliisque peccatoribus, qui simul sunt cæci et oculati : cæci in virtutis operibus, oculati in patrandis sceleribus. Protoparentes simul cæcos et videntes D. Paulinus (7) ex sacra Scriptura comprobat. « Vidisse primos humani generis parentes, et non vidisse Scriptura declarat. Vidit mulier arborem quod bona ad manducandum, et grata erat oculis ad videndum. Vidit, ergo habebat oculos : et quod deinde subtexit : Cum manducassent, aperti sunt oculi eorum (8) : *Ergo cæci fuerunt. Certe est quiddam cæcum in nobis etiam videntibus.* » Erat Eva simul cæca et oculata : cæca, in corde, oculata in corpore : cæca ad considerandum Dei mandatum, et suæ subjectionis obsequium ; oculata ad intuendam externam pomi pulchritudinem. Evæ similes peccatores vident et non vident. Non vident quæ Dei sunt ; *vident quæ cupiditatis sunt* (1), eaque multiplicant et incrementant : multiplicant : *lippientibus, etiam singularis lucerna numerosa est.* (2) Incrementant : *imperfectis oculis grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur ipsæ : quia non jam visionem capiunt, sed adhuc umbram sustinent visionis.* (3) Tertul. ut demonstret quantum cæcutiant peccatores ad res divinas, et quantum sint ad temporalia perspicaces, illos ut bestias lucifugas considerat, *vel solis tenebris habent oculos, talpas, vesperugines noctuas.* (4) An non talpa avarus terræ semper innixus? An non noctua impudicus, in tenebris venereas captans voluptates ? Annon vesperugo ambitiosus, post honores semper inhians, et ad solis aspectum vertiginans; *luminis puncta vertiginant.* (5) Et tandem ut vespertilio solis lumine excæcatur, aut igne consumitur.

Sed cæcitatis duæ species facile concurrunt : ut qui non vident quæ sunt, et videre videantur quæ non sunt. (6) Hæ duæ cæcitatis species in uno peccatore reperiuntur ; qui videre videtur quæ non sunt : nimirum terrena, quæ vere non sunt, licet peccatori tanquam bonum subsistens appareant. Cujus ignorantiam et cæcitatem redarguit Apostolus aiens : Præterit figura hujus mundi. » (7) *Mundi vero ideo dixit figuram, quia ejus bona solo terminantur aspectu, et apparentia sunt, et nullo fundamento subsistunt.* (8) Verum etsi temporalia vere non sint, neque fundamento subsistant, obcæcati tamen peccatores quæ non sunt videre videntur ; *sunt quidem in luce solis, sed in tenebris cordis : filii noctis, et filii tenebrarum.* (9) Altera adhuc cæcitate mulctati, divina et cœlestia quæ vere sunt non vident. Galfridius versans istud Joannis : « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant » (10), hoc in justis et peccatoribus adimpletum asseverat. Etenim justi « non vident, ut videant, qui invisibilium amore devincti, nunquam ad rerum visibilium speciem, affectum suæ considerationis inclinant : ut tanto perinde spiritualium desideriorum efficiantur compotes, quanto se studiosius servant, corpore claritatis expertes. » O bene vident et cæci sunt, qui quanto ad cœlestia bona perspicaciores

(1) Lib. 1. Reg. 2. — (2) In Ps. 87. — (3) D. August. in Ps. 48. — (4) In Ps. 6. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 16. Serm. 59. — (6) Serm. 59. — (7) Epist. 8. — (8) Gen. 3.

(1) D. Ambr. Serm. 56. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 2. — (3) Chrysol. Serm. 181. — (4) Tert. L. de An. 32. — (5) Tert. Lib. de Pall. 3. — (6) Tert. Apol. 9. — — (7) 1. Cor. 7. — (8) Theophyl. — (9) D. Aug. in Psal. 62. — (10) Apud. Tilman. in cap. 9. Joan.

sunt, tanto ad terrena et mundialia cæci sunt: peccatores econtra *vident, et cæci fiunt, qui dum visibilia sola respiciunt, ad invisibilia bona contemplationis oculum non attollunt;* tanto magis ad cœlestia cæcutientes, quanto ad terrena oculatiores.

Hujus non bonæ cæcitatis exemplum habemus in Balaam (1) : propheta properans ad Balac, Moabitarum regem, qui ad maledicendum Israël eum vocaverat, obviat ei Angelus, strictoque gladio, ne ultra progrediatur prohibet. Balaam Angelum minitantem non videns, asinam cui insidebat percutit, et ad pergendum iter compellit : at asina, homine, imo et propheta oculatior, Angelum gladium evaginatum vibrantem videns, semel, iterum et tertio retrocedit : at unde procedit quod asina, rationis inops, obstantem videat Angelum, homo vero, rationis compos, et Propheta, divinis assuetus visionibus, Angelum non conspiciat, nec latens ibi mysterium deprehendat, nisi ex cordis cæcitate qua ob peccatum mulctabatur ? En verum specimen peccatoris in via criminum properantis. Angelus ei occurrit cum gladio rationis, fidei, et eum terrere nititur gehennæ suppliciis, imminatur Dei indignationem et inferni tormenta, ni retrocedat; attamen tanta cæcitate est percussus, ut nullius minis, nullo terrore, nullo salutis damno a suis dimoveatur criminibus.

Multum peccatores excæcati a Regio Vate discriminantur : qui in peccatum lapsus, suam agnovit cæcitatem. « Afflictus et humiliatus sum nimis : cor meum conturbatum est in me. » (2) Et si ab eo inquiramus quare spiritus ejus affligitur et cor conturbatur, respondebit : *Lumen oculorum meorum, scilicet mentalium, non est mecum* (3): mentis lucem amisi peccando : *quia peccatum excæcat mentem hominis.* (4) 2. Deum deprecatur ut dissolvat tenebras quibus obvolvitur, et denuo sua eum gratia illustret. *Deus meus, illumina tenebras meas.* (5) A Propheta multum dissimiles peccatores, 1. Cæcitatem suam non agnoscunt ; 2. Cæcitatem suam diligunt, sibique in illa complacent, idcirco ab illa sanari nec curant, nec desiderant. Ut de semetipso testatur D. Augustinus : *Volvebar in tenebris, filius tenebrarum : tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam ; cæcus eram, et cæcitatem amabam, et ad tenebras per tenebras ambulabam.* (6)

Seneca ad amicum suum Lucilium Romæ residentem lepidam scribit historiam. *Harpastem uxoris meæ fatuam scis hæreditarium onus in domo remansisse : hæc fatua subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram. Nescit se esse cæcam.* (1) Nihil videns omnia se videre proclamat, et pædagogum manum porrigenti injuriose propulsat, tanquam quæ ad incedendum ejus ope non indigeat, *proinde pædagogum suum rogat ut migret.* Cæcis duntaxat necessarii sunt ductores; at ego non sum cæca, quapropter recede a me, neque mihi tanquam cæcæ manum porrigas : et misera nunc caput muro allidit; nam scamno impingit, nunc per scalas cadit : et cum omnes cæcam esse, et nihil videre suadere volumus, proinde sibi necessarium esse pædagogum, ipsa nos ridet, et fatuos judicat asseverans se cæcam non esse, *sed domum tenebrosam esse*, nos ex industria fenestras omnes et portas obserasse, et omnem lucis impedivisse aditum : rogatque ut aperiantur fenestræ, quibus apertis, luce gaudebit, optime videbit, neque pædagogi auxilio indigebit. Inde sapienter concludit Moralis Philosophus: *Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi.* Nonne hoc ævo sunt quam plurimi similes illi fatuæ? Cæci sunt, et tamen cæcos se esse nesciunt, sed videntes et bene oculatos sese existimant. *Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum.* Avari sunt, et se parcos credunt ; ambitiosi sunt, et se humiles jactitant ; iracundi sunt, et se moderatos prædicant. Nonne lepidissima est illa cæcitas ? imo periculosissima fatuitas ? *Quid nos decipimus ? Non est extrinsecum malum nostrum : intra nos est, in visceribus ipsis sedit;* eo minus sanabile quo magis ignoratur, *et ideo difficulter ad sanitatem perveniemus, quia nos ægrotare nescimus.* Nam, ut aliorsum docet Philosophus Moralis, *initium salutis est notitia peccati.* (2) Peccatores non agnoscunt cæcitatem qua laborant, neque magnum malum illam reputant, quo nihil stultius et infelicius concipi potest. Quantum vero sit damnum mentis cæcitas, optime D. Augustin. ex corporis cæcitate demonstrat : *Cum magnum malum homines putent oculorum corporalium cæcitatem, qua lux ista retrahitur; quantam ergo pœnam patitur, qui secundis rebus peccatorum suorum eo perducitur, ut non sit Deus in conspectu ejus, et contaminentur viæ ejus omni tempore, id est, cogitationes et consilia ejus immunda sint ?* (3)

(1) Num. 22. — (2) Ps. 37. — (3) Gloss. 1. — (5) Hug. Card. — (5) Ps. 17. — (6) Soliloq. c. 33.

(1) Epist. 51. — (2) Epist. 28. — (3) In Psal. 9.

Tam grande et perniciosum malum est scelerosa mentis cæcitas, ut ad eam lugendam Christus lacrymas abunde fuderit. Accedens namque Hierosolymam, mox ut illam intuitus est civitatem, prorupit in fletus. At cur adeo amare lacrymatur Dominus? Forsan quia Hierusalem brevi tempore erat a Romanis obsidenda et expugnanda? Forsan, quia fortissimi muri destruendi? Forsan, quia templum tanta industria et arte constructum, tantis laboribus et sumptibus fabricatum, tantis divitiis locupletatum, tot pretiosis vasis et supellectilibus adornatum, tot ritibus et ceremoniis divino cultui sacratum, ab infidelibus erat profanandum et polluendum? Forsan, quia tanta multitudo civium infaustæ illius urbis erat vel fame, vel gladio peritura? Tot tantasque miserias non luget Christus, sed ob cladem multo majorem lacrymatur, scilicet quod habitatores Jerusalem sceleribus excæcati suam non agnoscerent cæcitatem? Forsan civitatis illius, aut crudelitatem quæ tot prophetarum sanguine cruentata est, aut iniquitatem, qua etiam tunc tot injustitiis, rapinis, fraudibus erat infamata, aut criminum universalitatem quæ in cunctis apparebat ordinibus? Nam magistratus erant iniqui, judices avari, principes tyranni, doctores perversi, sacerdotes impii, pontifices superbi: aut rabidum furorem quo adversus ipsum unanimiter conspiraverant, et post ejus mortem tanquam feræ ferocissimæ inhiebant? a qua tot mala sumpserunt originem. *Plangit eos qui nesciunt cur plangantur* (1), qui non agnoscunt tenebras suas, quod ad terrena essent sagaces, ad divina stolidi, quod oculos haberent ad videndum mundum, oculos non haberent ad videndum Deum; nam *quid profuit oculis videre istum, mente non videre illum? videns civitatem flevit super illam, dicens: Si cognovisses et tu!* (2) Scelerose Christiane, si cognovisses et tu quam infelix sit mentis tuæ cæcitas, quam luget et lacrymatur Salvator! Illam aliquando cognosces, sed tarde cum habueris *oculos deficientes*. (3)

Philosopho teste (4) talpa animal cæcum, dum vivit semper per terræ viscera vagatur; moriens autem aperit oculos et cæcitatem suam tunc agnoscens, dolet privatam fuisse luce et mundi visu. En verum peccatoris specimen (5), qui sceleribus obcæcatus, terrena duntaxat sapit, sed dum morti est proximus, tunc incipit aperire oculos, suamque agnoscit cæcitatem: sed sero sapiunt Phryges, et tarda nimis est in morte mali cognitio. Idem illi accidit quod Diviti evangelico qui, vivens, pauperem et mendicantem Lazarum, et ad fores domus suæ jacentem, sæpe sæpius pertransierat nec viderat: post mortem vero *elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu suo*. (1) Christiane, ne simile patiaris tormentum post mortem, dum vivis, noli peccare ne tibi auferatur lux gratiæ, et si pro fragilitate naturæ, aut voluntatis pravitate, illam amisisti, agnosce cæcitatem tuam et humiliter deprecare Christum ut te ad lucem revocet et menti tuæ visum restituat.

III. PARS. *Cui displicet cæcitas populi.* (2) Plures cæcos illuminavit, tum in corpore, tum in mente Christus, sed tres potissimum Scriptura commemorat, nimirum cæcum natum, cæcum a Betsaida. Cæcus natus a Joanne refertur, de quo Imperfectus: *Cæcus iste contra regulam naturæ, sine oculis creatus erat*. (3) Cæcum a Betsaida sedentem secus viam et mendicantem prodit Lucas, qui, ut ait D. Augustinus, *ex aliqua magna felicitate dejectus, notissimæ ac famosissimæ miseriæ fuit, qui non solum cæcus, verum etiam mendicus sedebat*. (4) Quidam homines sunt famosissimi, vel ob sapientiam, ut Salomon; vel ob corporis fortitudinem, ut Samson; vel ob pulchritudinem, ut Absalon; vel ob ambitionem, ut Cæsar; vel ob triumphorum honorem, ut Pompeius; vel ob divitiarum copiam, ut Crœsus; vel ob crudelitatem, ut Herodes; at cæcus erat famosissimus ob cæcitatem, mendicitatem et miseriam. Per cæcum a nativitate genus humanum denotatum vult D. Augustinus: *Genus humanum est ille cæcus: hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum*. (5) Adamus oculatus tum in corpore, tum in mente a Deo formatus fuerat: at delinquendo licet non amiserit lumina corporis, perdidit tamen sapientiam et perspicaciam mentis. *Mens ejus tenebris atque cæcitate obducta, atque ad nos transfusa est*. (6) Per cæcum vero a Betsaida Chrysologus Judæos significatos existimat: *Cæcus ille est Judæus, qui in Synagoga, hoc est, in perfidiæ domo, et in vico, hoc est, in conventu malignantium, ignorantiæ cæcitate tenebatur, et sedebat oppressus*. (7) Per utrumque vero peccatores suis sceleribus obcæcati adumbrantur: attamen « quia Dominus illuminat cæcos. (8) » *Currant ergo ad*

(1) D. Greg. Hom. 15. in Evang. — (2) D. August. in Psal. 96. — (3) Tert. Lib. adv. Jud. 11. — (4) Lib. 1. de Nat. An. 4. — (5) Philip. 2.

(1) Luc. 16. — (2) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 17. — (3) Hom. 32. in Matth. — (4) Cap. 18. — (5) Tract. 14. in Joan. (6) Cyrill. Alex. L. 6. in Joan. — (7) Serm. 176. — (8) Ps. 145.

illuminatorem (1) : 1. Quia cæcos illuminare ad Christum spectat ; 2. Miris remediis cæcos illuminat ; 3. Quasdam dispositiones a cæcis expostulat.

1. Ad Christum spectat illuminare cæcos. *Venit enim Filius hominis salvum facere quod periit.* (2) Homo per peccatum lumen mentis perdiderat : idcirco ad illuminandam humanæ mentis cæcitatem humanatus est Dei Filius. *Cæcitatem mentis solus removet illuminator Deus.* (3) Verum licet mentis illuminatio ad tres personas divinas ex æquo pertineat, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, attamen specialiter ad Dei Filium pertinet, qui ad hunc finem convenienter humanam assumpsit naturam, ut multiplici ratione comprobatur. 1. Pollicitatio ab æterno Patre facta adimplenda erat. Ut autem ait Tertullianus, *de illuminatione mundi*, *quis Christo ait : Posui te in lucem nationum, sedentium scilicet in tenebris et in umbra mortis* (4), nisi Pater æternus Filium suum mittens ad illuminandos homines in tenebris sedentes ? 2. Dei Filius in hoc apparuit et humanatus est ut dissolvat opera diaboli, *totus mundus cæcus est : ideo venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator, omnes cæcos nasci fecit, qui primum hominem decepit.* (5) Cuilibet Personæ divinæ tribuuntur effectus perfectionis quæ illi appropriatur : sic effectus potentiæ et virtutis tribuuntur Patri ; sic opera bonitatis et amoris tribuuntur Spiritui Sancto ; sic illuminatio tribuitur Filio qui procedit a Patre, *ut lumen de lumine accensum.* (6) 4. Peccatum protoparentis peculiariter Dei Filium offenderat : temere enim ambierat scientiam et sapientiam : Verbum autem divinum proprio charactere est sapientia et scientia genita, seu, ut fatur Tertull. *summa sapientia.* (7) Conveniens itaque fuit ut Dei Filius humanaretur ad reparandam injuriam sibi specialiter factam ; 5. Adamus terrestris in pœnam sui criminis fuit ignorantia mulctatus. Hujusmodi autem pœna, seu animæ plaga, ab Adamo cœlesti sananda erat. *Fecit summus medicus collyrium infiniti pretii, ut excæcatos sanaret oculos. Vide quale quamque salutiferum fecerit collyrium, ex verbo et carne. Refecti autem hominis oculi ita sunt, ita illuminati, ut Angelorum exæquare possint oculos, Deique ipsius cœlestem gloriam intueri.* (8) 6. Homo specialiter est ad Verbi imaginem, quod est perfecta Patris imago : ut acute ex Regio Vate et Apostolo demonstrat Tertullian. *Signatum est*, inquit, *super nos lumen personæ tuæ, Domine ; persona autem Dei, Christus Dominus ; unde Apostolus* ait : *Qui est imago Dei.* (1) Imago autem Verbi in homine, potissimum in intellectu sita est, quæ quamvis non fuerit per inobedientiam primi hominis deleta, fuit tamen obscurata et per ignorantiam decolorata : *Quid igitur Deo conveniebat ut faceret, nisi ut exemplar imaginis renovaret, ut per id denuo ipsum homines cognoscere possent ? Id autem quomodo confici poterit, nisi imago Salvatoris superveniret ?* (2) Quod hac similitudine declarat D. Athanasius : Eximius pictor regis pinxit imaginem, quæ ita luto est defigurata, ut pulchriores fere deleti sint colores. Pictor ille volens reparare defectus, in prototypum nempe personam regis conjicit oculos, et denuo penicillum sumens imaginem restaurat, deperditos ei restituens colores. In creatione hominis, divinum Verbum, tum exemplaris, tum pictoris egit officium, nam semetipsum conspiciens hominem ad sui formavit imaginem, hæc autem, imago a peccato obscurata, decolorata et contaminata, ab humanato Dei filio deperditam recuperat pulchritudinem, *quando incarnatus, et homo factus, longam hominum expositionem in se recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.* (3)

Marcion Christo veram et natam denegans carnem ex semine Davidis ortam, errorem suum duplici præsertim tueri nititur argumento, ex cæci deprecatione mutuato ; 1. Ipsemet Christus bonus cæcis satis demonstrat se non esse Davidis filium, qui cæcos hostiliter fuerat insecutus. *Nam si aliquando Davidem in recuperatione Sionis offenderant cæci resistentes, quominus admitteretur (in figuram populi, proinde cæci, non admissuri quandoque Christum filium David) : ideo Christus ex diverso cæco subvenit, ut hinc se ostenderet non esse filium David, et ex animi diversitate bonus cæcis, quos ille jusserat cædi.* (4) Alludit ad id quod in libris Regum (5) habetur de mutuo odio Davidis et cæcorum. Cæci enim crudeliter persecuti sunt David : et econverso « proposuerat David in die illa præmium ei qui percussisset Jerusalem, et

(1) D. August. Lib. 50. Hom. hom. 43. — (2) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 37. — (3) D. August. Lib. 5. Julian. 3. — (4) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 11. — (5) D. August. Lib. 50. Hom. hom. 43. — (6) Tert. Apol. 21. — (7) Tert. Apol. 48. — (8) D. Aug. Lib. 50. Hom. hom. 43.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (2) D. Athan. L. de Incarn. — (3) D. Iræn. L. 3. adv. Hæres. 22. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (5) L. 2. Reg. 5.

tetigisset domatum fistulas, et abstulisset cæcos et claudos, odientes animam David. Hujusmodi antithesim seu vim argumenti acute Tertullianus retorquet in Marcionem: *Atquin et hoc filius David, antithesim de suo retundendam. Nam et qui David offenderant, cæci : nunc vero ejusdem carnis homo supplicem se obtulerat filio David, idcirco ei satisfacienti quodammodo placatus filius David, restituit lumina, cum testimonio fidei, qua hoc ipsum crediderat, exorandum sibi esse filium David.* Inique et frustra cæci habitantes in Jerusalem sese opposuerunt Davidi, ne ingrederetur in arcem Sion, et regnaret in Jerusalem. Cæcus autem de quo est quæstio, volens satisfacere Davidi pro injuria sibi a cæcis facta, Christum confitetur David filium, Christo tanquam vero Davidis filio se supplicem offert, ab eo se visum recepturum confidit; neque fuit sua fide et spe frustratus; nam Christus, ejus fidem et orationem acceptans in satisfactionem restituit ei visum. Itaque *qui vult videre Jesum, David filium credat per Virginis censum. Qui non ita credet, non audiet ab illo : Fides tua te salvum fecit. Atque ita cæcus remanebit, ruens in antithesim, ruentem et ipsam antithesim. Sic enim cæcus cæcum ducere solet.* (1)

Secundum desumit argumentum, eo quod *antecedentes increpabant cæcum uti taceret.* (2) Sed neque hæc ratio errori Marcionis patrocinatur. 1. Ideo increpabant eum ut taceret, *quoniam quidem vociferabatur, non quia de David filio mentiebatur*, cujus notitiam fuerat assecutus : tum quia Messias *ex radice Jesse et ex fructu lumborum David æstimabatur, cæcorum quoque remunerator.* (3) Tum quia *tam distincta fuit a primordio Judæa gens per tribus et populos, et familias et domos, ut nemo facile ignorari de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus, adhuc tunc fortasse pendentibus.* Tum quia *cum illum prætereuntem cæcus audisset, cur exclamavit : Jesu, fili David, miserere mei, nisi quia filius David, id est, ex familia David, non temere deputabatur, per matrem et fratres, qui aliquando ex notitia annuntiati ei fuerant?* 2. Credendum non est *Dominum falsam in se prædicationem sustinere potuisse, ut non prius cæcitatem hominis illius enubilasset, ne ultra Jesum filium David existimaret.* 3. Si falsa fuisset cæci prædicatio, Christus illum non redarguens, ejus errorem suo silentio confirmasset, *sed patiens Dominus : non tamen confirmator erroris, imo etiam detector creatoris.* Tandem, 4. Tot rationes confirmat Christus laudans cæci fidem, eique conferens sanitatem. Unde sic Judæos alloquitur Tertullianus : *Atquin, ne patientiam ejus infamaretis, nec illam rationem dissimulationis illi affingeretis, nec filium David negaretis, manifestissime confirmavit cæci prædicationem: et testimonio fidei : Fides, inquit, tua te salvum fecit, et ipsa remuneratione medicinæ*, quæ adeo fuit mirabilis et efficax ut ejus tum corpus, tum animam illuminaret.

2. Christus filius Dei, et filius David per Mariæ censum ; *qui hoc et se cognovit, et ab omnibus cognosci voluit, fidem hominis etsi melius oculatam, etsi veri luminis compotem, exteriore quoque visione donavit.* (1) Plures, sed potissimum tres famosissimos cæcos ad lucem et visum revocavit Salvator: scilicet cæcum secus viam mendicantem et sedentem, cæcum a nativitate, et cæcum a Bethsaida ad eum adductum. Hos tres cæcos sanavit Dominus; non tamen eodem modo neque eadem remedia tribus adhibuit. « Nam juxta viam sedenti cæco visum sola restituit jussione : alii a nativitate cæco nato, non lumini, sed tenebris : et cui natura visum inviderat, atque ipsa quæ parat et aperit oculos, oculos clauserat et negarat, Christus imponit lutum : et collyrio materiali fingit, facit, procurat oculos, non recurat : ut creante non medicante manu, inde homini suppleret lumina, unde hominem crearat totum. Iste vero cæcus, cujus nobis Evangelista Marcus (2) retulit curam, sic novo sanatur modo, ut omnes compellat exquirere, cur contumax cæcitas moram facere præsumit auctori, cujus nutu, visu, jussu, infirmitates pereunt, redeunt sanitates, vita oritur, mors finitur, stant omnia, cuncta dilabuntur. » (3) Hucusque Chrysologus eloquenter referens varias curationum species quas in tribus illis cæcis adhibuit Salvator. Et quamvis in illis tribus admirabilis appareat ejus potentia, tamen tanta remediorum diversitas mysterio non caret, idcirco illam diligenter inquirendam censet Chrysologus. Nam *quoties Deus desperatas humanorum curat corporum passiones, Deitatis suæ toties potentiam prodit; sed in una eademque infirmitate, quando ordinem suæ curationis immutat, causas propter quas hoc faciat, facit nos altius perscrutari.* Cæcum secus viam sedentem solo verbo et sola jussione sanavit Christus, eodem modo

(1) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 36. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. ibid.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. (2) Marc. 8. — (3) Chrysol. Serm. 76.

duos alios sanare potuit; et tamen injecit visum, adhibuit manum, lutum imposuit, extra vicum deduxit. Quid ibi intersit mysterii indagemus, incipientes a cæco nato.

Ad cæcum a nativitate sanandum quatuor adhibuit Dominus : 1. Suos oculos « Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. » (1) Christus, « qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo » (2) præteriens cæcum non præterivit, sed quemadmodum sol suum peragens cursum, terras illustrat, ita præteriens Christus magna cum intentione et singulari benevolentia cæcum respexit ; respicere etenim Dei significat ex peculiari benevolentia respicere : ut constat ex Maria Virgine, ut ipsa fatetur : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » (3) Constat adhuc ex Abel, *namque major natu Cain de fructu terræ obtulit munera Deo : minor vero filius Abel de fructu ovium suarum. Respexit Deus in Abel et in munera ejus; in Cain autem et in munera ejus non respexit.* (4) Constat tandem ex Apostolorum Principe : « Et conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia priusquam Gallus cantet, ter me negabis : et egressus foras Petrus flevit amare » (5), ubi D. Gregorius : *Quid est respicere Dei, nisi ab iniquitate in melius commutare : convertit namque quem respicit Deus* (6) benevolo aspectu, Christus Petrum ad pœnitentiam adduxit : *Nec fieri poterat, ut in negationis tenebris maneret, quem lux respexerat mundi.* (7) Suoque adhuc intuitu Salvator cæci misertus est, eique contulit visum : *Respicere Dei est misereri : ideo aspectus divinæ misericordiæ nobis est necessarius.* (8) Necessarius erat cæco Christi aspectus, ut videre posset, neque visum accepit, nisi quia eum misericorditer aspexit lux mundi. Et hoc beneficium eo est majus quod illud contulit Dominus non rogatus. *Notandum quod lux mundi, non exspectavit, ut clamaret tale quid dicens : Miserere mei : sed ultro naturæ indigenti sese accommodavit, et gratuito beneficio tacenti subvenit.* (9) Felix cæcus, quem tanta benevolentia Christus illuminavit, non solum in corpore, sed etiam in mente. Sed multo felicior qui in tanti beneficii gratitudinem, Christum agnovit, adoravit, prædicavit. Petrus *quia tertio negavit, tertio confitetur, sed negavit in nocte, confitetur in die.* (1) Illustratus cæcus Christum quem Judæi Messiam negabant, agnovit; quem Judæi velut peccatorem despiciebant, justum et sanctum adoravit : quem Judæi blasphemabant, Prophetam Deique Filium prædicavit, etiam cum vitæ jactura, non semel, non iterum, non tertio, sed quoties interrogatus a Judæis quis ei contulerit visum. 2. Christus Dominus « expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus. » Solet Deus ad præstanda miracula, uti rebus contrariis, et maxime disproportionatis. Quid magis inidoneum ad conferendam aquis dulcedinem quam sal? Elisæus (2) tamen per injectionem salis, aquas amarissimas et impotabiles, in dulces et gustabiles convertit. Quid magis contrarium visui quam lutum, aptius ad excæcandum quam ad illuminandum? et tamen per lutum, quod est visus obstaculum et cæcitatis suffragium, Christus cæcum illuminat : ut ejus gloria micantius coruscaret, ait D. Chrysost. (3), et cunctis appareret tam illustre miraculum, non virtute creaturæ, sed potentia divina fuisse patratum.

Ad operationem tanti miraculi tria præstitit Salvator. Nam imprimis exspuit in terram; deinde fecit lutum; tandem linivit lutum super oculos cæci, id est, manum adhibuit, et digito extendit lutum super oculos ejus. Per salivam quam exspuit Salvator, nonnulli prudentiam denotatam volunt : saliva namque symbolum est prudentiæ, quia ex cerebro, quod sedes est prudentiæ, procedens descendit. Sal sapientiæ symbolum est, saliva a sale dicta salis saporem retinet, per quam ciborum sapores discernimus. D. vero Gregor. (4) per salivam quam exspuit Dominus, divinam intelligit gratiam, quæ nos illuminat et sanat. D. vero Augustinus vult per salivam a cerebro descendentem, adumbrari Dei filium a Patre descendentem. *Venit Dominus, quid fecit? Magnum mysterium commendavit : Exspuit in terram : de saliva sua lutum fecit, qui Verbum caro factum est, et inunxit oculos cæci.* (5) Animadvertit D. Chrysostomus quod Christus, « non aqua, sed sputo ad lutum usus est, quia missurus eum erat in Siloam. Ne quid ergo fonti adscriberetur, sed ex ore ejus virtutem processisse intelligeretur, quæ oculos et finxit, et aperuit. » Ut Christus auctor beneficii hujus agnosceretur, « de saliva virtus sanativa fuit in luto, » ait Albertus Magnus. Lutum autem ex divina saliva conglutinatum signi-

(1) Joan. 7. — (2) Actor. 10. — (3) Luc. 1. — (4) Tert. Lib. adv. Jud. 5. — (5) Luc. 22. — (6) Lib. 30. Mor. c. 34. — (7) D. Hier. — (8) Beda in c. 26. Matth. — (9) Rupert. L. 9. in Joan.

(1) D. Ambros. Lib. 10. in Luc. — (2) Lib. 4. Reg. 2. — (3) Hom. in 2. Cor. — (4) Lib. 8. Mor. cap. 21. — (5) Tract. 44. in Joan.

ficabat, ut dixit D. Augustinus, Verbum incarnatum, ut humano generi per cæcum denotato, visum conferret, et ad lucis adduceret veritatem. Verum *quid sibi vult, quod is qui vitam refundebat imperio, salutem præcepto dabat, dicens mortuo : Exi foras, et egressus est Lazarus de sepulcro : dicens Paralytico : Surge, tolle grabatum tuum : et superunxit oculos cæci hujus ? Quid ista ratio est ? Magna, ni fallor; plus enim videt quam Jesus tangit.* (1) Tactus dominicæ carnis, visum acutiorem reddit, magnamque menti præbet virtutem ad superna et divina contemplanda. Tandem lutum fecit Christus ostendere se volens hominis in primordio plasmatorem. Per lutum enim designatur limus de quo formatum est corpus humanum ; per salivam vero quæ ex ore procedit, significatur inspiratio per quam Deus in mundi exordio animam homini infudit. *Et finxit Deus hominem, limum de terra. Jam homo, qui adhuc limus. Et insufflavit in faciem ejus, flatum vitæ; et factus est homo, id est, limus, in animam vivam.* (2) Ad formandum hominem tria adhibuit Deus : lutum ex pulvere et aqua confectum : *nam ipsius quoque hominis figulandi opus, sociantibus aquis absolutum est. De terra materia convenit, non tamen habilis, nisi humecta et succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam superstite humore, limo temperarant.* (3) 2. Limus ille ex quo formatum est humanum corpus, fuit Dei contactu figulatus. *Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur.* (4) Tandem, 3. Deus in formatione hominis suam demonstravit potentiam, sapientiam et affectionem. *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, et ipsa in primis affectione.* (5) Christus in sanando cæco a nativitate velut resculpsit primi hominis formationem ; uti enim in mundi exordio Deus sumpsit limum, ita in præsenti miraculo sumpsit lutum : ibi limum Dei manus contrectavit, et hominem finxit : hic lutum Dei manus supra oculos extendit, et cæco contulit visum. *Sumpsit Dominus limum de terra et plasmavit hominem; quapropter Dominus exspuit in terram, et fecit lutum, et superlinivit illud oculis, ostendens antiquam plasmationem, et manum Dei ostendens; nec jam alteram requiramus manum* (6) quam manum Christi, quæ etiam cæcum a Bethsaida illuminavit.

(1) D. Ambr. Lib. 9. Ep. 75 — (2) Tert. L. de Res. Carn. 5. — (3) Tert. Lib. de Bap. 3. — (4) Tert. L. de Res. Car. 6. — (5) Tert. ibid. — (6) D. Iren. L. 5. cap. 15.

Eodem fere modo sanat Christus cæcum a Bethsaida ac cæcum a nativitate, eademque adhibet remedia. In quo autem hujusmodi curæ conveniant et disconveniant, eloquenter ostendit Chrysologus : 1. Exspuit Dominus, et suo sputo cæci linit oculos. *Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, divino ore luciferam dat salivam, ut sancti roris gutta baptizaret oculos peccatoris, ut aperiat venia, quos clauserat culpa.* (1) Inde divinæ salivæ virtutem colligit Chrysologus, quæ cum sit efficax ad tollendam cæcitatem, valet arefacta reviviscere membra. *Nemo ergo dubitet divino imbre tota arefacta mortalia membra posse reviviscere ; cum videat parva dominici sputi gutta arentes cæcitate oculos subito sic suscitatos in lucem.* 2. Divinæ manus quæ primum plasmarant hominem, quæ cæci a nativitate linierant oculos, cæci a Bethsaida operantur etiam sanitatem. Et imposuit illi manus, ait Evangelista. *In faciendo, in reparando, in componendo hominem dominicæ manus curatrices semper adsunt.* (2) « Manus tuæ, inquit, fecerunt me, et plasmaverunt me. (3) » Cæcus a nativitate perfecte visum recepit mox ut divinæ manus super ejus oculos apposuerunt opem. Misit Christus ad fontem Siloe cæcum a nativitate. Cæcus etiam a Bethsaida, etiam post appositum per Christi manus super oculos sputum, *non lumen, sed auroram quamdam, lucemque erumpentem, datam sibi adhuc qui curabatur, Domino interrogante respondit :* Video, inquit, homines, ut arbores ambulantes. Et quare sicut arbores, non ut columnæ; neque stantes, sed ambulantes ? Respondet Chrysologus : *Quia post curam Christi, viderat quod homines velut arbores transirent in hoc seculo, non manerent : temporalem plantationem germinis humani esse in hac vita, mox videt, quem curaverit Christus ;* in his tribus convenit cura cæci a Bethsaida cum sanatione cæci a nativitate, sed multum adhuc disconvenit.

Nam, 1. Christus, apprehensa manu cæci, eduxi eum foras extra vicum, non *quasi eum curare non potuerit in loco, aut beneficio loci indiguerit, universis quibus contulit visum*, sed præsertim ob duplicem eamque mysticam rationem : vicus extra quem educitur est Bethsaida, potenti igitur divinaque manu educitur de Bethsaida, id est, ut interpretatur Magnus Gregorius, *e*

(1) Serm. 176. — (2) Marc. 8. — (3) Job. 9.

domo frugum, domo divite, opulenta, frumento, vino, oleoque plena : in quo difficillime curari poterat; vix enim divites erigi et attolli possunt, ut altiora videant et æterna contemplentur. Nam *quomodo proponent ante oculum suum Deum, ante quorum oculum non est nisi seculum.* (1) Unde belle ad propositum ait Philosophus Moralis: *In Ægypto nemo aratorum respicit cœlum.* Cujus pulchram subministrat Philo Judæus (2) rationem : « Nilus fluvius celeberrimus, cœlum est Ægypti. Quemadmodum enim cœli aqua reliquas regiones, ita Nili aqua Ægyptum irrigat. Itaque quod reliquis regionibus est cœlum, id Ægypto est Nilus : nam illud superne terram compluit, hic inferne pluens, arva irrigat. » (3) Ægyptus denotat mundum. *Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud Deum, superstitionis et maledictionis elogio.* (4) In Ægypto nullus aratorum cœlum suspicit, neque cœli rorem et pluvias desiderat, sed tantummodo Nili fluentis irrigantes aquas exoptat. Nemo amatorum mundi ad res cœlestes et divinas aspirat : totus additus terræ terrenisque bonis, cœlestia non videt, non contemplatur, non amat. *Pulvis, pituita, fumus, peccata et iniquitates sunt : tolle ista omnia, et videbis.* (5) Fumus et pulvis significant res terrenas, divitias, voluptates venereas, honores et seculi glorias, quæ spiritualem impediunt visum. Nam, ut ait Magnus Gregorius expendens istud Sapientis, « Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. (6) » *Quanto mens circa terrena plus satagit, tanto in his quæ sunt cœlestia, minus videt.* Inde merito concludit D. Augustinus : *Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur.* (7) Inordinato autem terrenorum amore, tollitur cordis mundities et puritas. Chrysolog. aliam suppeditat rationem, eductumque censet cæcum ob loci perfidiam et infidelitatem. Etenim e cæcorum loco et habitatione educi debuit, qui mox luci visuique erat restituendus. Bethsaida autem erat civitas cæcorum, civitas incredulorum : cujus perfidiam Dominus exprobrat, dicens : « Væ tibi, Chorozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone virtutes factæ fuissent quæ in vobis factæ sunt, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent ! » (8) *Ergo apprehensa manu ejus, de domo infidelitatis educit, levat eum de perfidiæ sessione, ut ante fidem, quam oculos daret ; ante menti, quam corpori, redderet sanitatem; ante præberet humani ducatus obsequium, quam divinæ virtutis operaretur insigne.* 2. Educto de Bethsaida, de domo frugum, vel de civitate perfidiæ et incredulitatis, cæco, « interrogat eum Dominus si quid videret. » Cæcus est peccator, ait Glossa, « quia non videt quod est, quod fuit, quod erit ; » Christus autem *interrogat ut homo, operatur ut Deus : qui videt abdita terrarum, qui cordis intuetur occulta, cui omnia sunt nuda, quæ sunt tecta omnibus, in opere suo, in oculis suis, videre quærit, laborat scire, alio referente cognoscit ? Absit, sed interrogat, ut præsentes scirent, futuri cognoscerent, cæcitatis hujus non esse simplicem, sed mysticam curam.* (1) 3. Semel duntaxat linivit Christus oculos cæci a nativitate ; cæco vero a Bethsaida iterum posuit manus super oculos ejus, et cœpit videre : et restitutus est, ita ut clare videret omnia. *Iteranda est ergo cura Christi, ut perfecti oculi, futura, certa, manentia videant, et æterna.* 4. Per cæcum a nativitate denotatum volunt D. Augustinus et Cyrillus Alexandrinus omne genus humanum, ut dictum est in superioribus ; per cæcum vero a Bethsaida Judæorum perfidiam ostensam existimat Chrysol. « Aperiatur jam spiritualis intelligentia, ut qui sit iste cæcus cognoscamus, et quare non sponte venit, sed ab aliis adducitur et ducitur manu Christi, et educitur extra vicum, et alibi recipit visum, qui diu apud suos longam sui pertulerat orbitatem, et exspuit in oculos ejus, et iteratur divinæ manus impositio, et cui videre extra domum datur, quid viderit, quomodo viderit, per quem viderit. Fratres, cæcus iste est Judæus, qui in Synagoga, hoc est, in perfidiæ domo, et in vico, hoc est, in conventu malignantium, ignorantiæ cæcitate tenebatur et sedebat oppressus. Hinc est quod non veniebat ad Christum, sed venit ad eum Christus, et apprehendit manum ejus, ut dono vocantis, non beneficio legis, non proprio curatum se gloriaretur arbitrio. Educit eum foras, ut in Ecclesia, lucem fidei videat per libertatem gratiæ, qui sub legis velamine nihil videbat. Imponit ei primum manum, ut videat transire umbram legis ; ut sacerdotes, scribas, pharisæos, et figuram totam judaicæ observantiæ videat velut arbores præterire : quæ ut nascuntur, virescunt, florescunt, fructificant in tempore, sic cum tempore senescunt, pereunt, evanescunt. Iterum imponit ei manum, ut

(1) D. August. in Psal. 35. — (2) Lib. 4. qu. Natur. — (3) Lib. de profug. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 13. — (5) D. Aug. Tract. 1. in Joan. — (6) Sap. 9. — (7) In Psal. 35. — (8) Matth. 11.

(1) Chrysol.

resurgens non jam caduca videat, sed æterna : et videat quidquid est divini luminis ; honoris et gloriæ ; sicut ille magnus ex ipsis Paulus, qui extra vicum, et in via, Judæus cecidit, ut resurgeret Christianus, et cæcatus est in lege, ut videret in gratia, sicut ab ipso perhibetur : Nunc videmus in speculo et in ænigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem. » Fuse Chrysologus Judæis aptat cæci a Bethsaida historiam, quæ cuivis peccatori excæcato nullo negotio accommodari potest. Ex his autem quæ operati sunt cæci, videamus quid agere debent peccatores, ut mentis recuperent visum.

3. Prodit Tertullianus : *Helenam exitiosissimam Stesichori oculis, quem excæcasset, ob convitium carminis, dehinc reluminasset, ob satisfactionem laudis* (1), quod a fortiori de Deo dici potest, qui convitiantes sibi excæcat peccatores ; et econtra cæcos illum laudantes ejusque misericordiam implorantes, reluminat : ad instar cæci a nativitate, et cæci secus viam sedentis, quorum quilibet specialiter aliquid egit ut facilius a Deo visum reciperet : nam, 1. Cæcus sedens et mendicans secus viam, *humanam opponit necessitatem, tanquam deprecatricem* (2), alta voce clamans : « Jesu, Fili David, miserere mei, » erudiens excæcatos peccatores visum mentis ardenter desiderare : nam *in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus. Quippe animarum verba sunt ipsa desideria.* (3) Inde colligit D. Ambrosius : *Cor ergo prius clamet ut sermo possit audire* (4) : et ut fatur aliorsum Mediolanensis Antistes : *Clamet fides, clamet affectus, clament passiones.* (5) Sic cæci sedentis secus viam clamavit ipsa quam patiebatur oculorum orbitas, ingens clamavit sanitatis affectus : oris clamore velut quodam animi interprete, manifestatus, quem audiens Christus dixit : Quid tibi vis faciam ? Cui cæcus : Domine, ut videam : *Atquin adhuc in auribus omnium vox illa cæci : Miserere mei, Jesu, Fili David : et omnis populus laudes deferebat Deo.* (6) Clamavit fides, qua et Christum, verum Messiam in lege positum cognovit, et sibi visum redditurum magna cum fiducia credidit, cum Tertulliano teste, *hæc fuerit cæci illius fides, qua crediderit in voce Jesu, filii David :* neque sua fuit fiducia frustratus ; Christus namque dixit ei : Respice, fides tua te salvum fecit.

(1) Tert. de An. 34. — (2) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 22 — (3) D. Bern. Serm. 6. in Ps. Qui habitat. — (4) In Psal. 118. — (5) Lib. 1. de Cain. cap. 9. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 37.

Neque minor fuit cæci a nativitate fides, quam verbo et opere demonstravit, aiens : Credo, Domine, et procidens adoravit eum. Cui Dominus : Vade, *lava in natatoria Siloe :* Euthymius legit : *Lava in piscina Siloe.* Syriacus habet : *Lava in baptisterio.* Vatablus vero vertit : *Lava te in fonte Siloe.* Christus absque ullo dubio statim curare poterat hunc cæcum, oculis tamen luto delinitis, ad fontem Siloe abluendum mittit, ut tantum divulgaretur miraculum ; et Christi potentia agnosceretur a cunctis, qui videbant cæcum luto oculis imposito, per mediam civitatem incedentem, et post lotionem aquæ perfecto oculorum lumine pollentem : illum autem misit Salvator ad fontem Siloe, tum quia fons Siloe, qui, ut ait Evangelista, interpretatur missus, figurabat Christum, a Patre missum ; tum quia fons Siloe omnes Jerusalem irrigabat campos : Christus etiam gratiarum fluminibus omnes Ecclesiæ irrigat et fecundat hortos ; tum quia fons Siloe, vel baptismum aquæ, vel baptismum lacrymarum et pœnitentiam denotabat : in qua illuminantur peccatores qui animas suas per veram criminum confessionem lavant : inde peccatorem hortatur D. Augustinus : *Tu ergo noli tenebrare tenebras tuas, et Deus illas non tenebrat, sed magis illuminat. Qui tenebrant tenebras suas, quas Deus non tenebrat? Homines mali, homines perversi. Cum peccant, utique tenebræ sunt, dum non confitentur peccata sua quæ fecerunt, sed insuper defendunt, tenebrant tenebras suas. Ergo jam si peccasti, in tenebris es, sed confitendo tenebras tuas, mereberis illuminari tenebras tuas. Defendendo autem tenebras tuas, tenebraberis tenebris tuis. Et quando evades a duplicibus tenebris, qui in simplicibus laborabas ? Unde autem Dominus non tenebrat tenebras nostras ? quia non sinit impunita habere peccata. Flagellat nos in istis laboribus et erudit nos.* (1) Peccata, quæ tenebræ sunt, et tenebrantur, et illuminantur. Tenebrantur tum a peccatore, tum a Deo : a peccatore, qui illa non confitetur, sed potius defendere nititur. A Deo etiam, qui tenebratas peccati tenebras a peccatore peccata non confitente, sed defendente, punit vel in seculo laboribus et flagellis, vel in inferno exterioribus tenebris. Illuminantur vero delictorum tenebræ, dum eas peccator pœnitens non defendit, sed confitetur : *Homo habet diem, habet et noctem : habet solem in die, habet lunam in nocte. Dies hominis est vita justitiæ, nox hominis est vita nequi-*

(1) In Psal. 138.

tiæ : sol in vita justitiæ est charitas : luna vero in vita peccatoris est pœnitentia. O quam clarus sol est charitas ! O quam clarum est pœnitentiæ jubar, quod noctem peccati removet, quod conscientiæ nubilum tergit ! (1) Peccatores igitur excæcati *currant, credant, accipiant lutum de saliva factum : lavent faciem per pœnitentiam et veram confessionem* (2) ; sic mundati illuminabuntur lumine fidei et gratiæ, in hoc seculo lumine gloriæ, et visione Dei in cœlo.

CONCIO SEXTA.

Obstinatio interdum sumitur pro constantia quam animus in re virtutis et pietatis immobiliter ostentat : *Erunt nobis in testimonium feminæ quædam seculares, ob univiratus obstinationem, famam consecutæ, ut Dido* (3), ubi obstinatio sumitur pro firmo proposito post viri interitum, secundas denuo non ineundi nuptias. Ad hanc piam obstinationem demonstrandam etiam in tormentis, terrenorum abdicatione erudiebantur primiceri Christiani. *Sunt qui existimant Christianos, expeditum morti genus, ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri* (4), ad hoc invitabantur Christi exemplo qui «faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem,» (5) id est, ut explicat Venerabilis Beda, *sponte crucifigendus, locum quo crucifigendus erat, firmata facie, id est, obstinata, atque imperterrita mente petiit.* Christus imperterrita mente, constanti animo et obstinata facie operans humanæ redemptionis negotium, nec deflectens oculos a proposito, sed eos obstinans, ne aliud respicerent quam viam in Jerusalem, est Christianis pietatis typus, exemplar eos ad constanter patiendum et stimulans. Nam, ut subjungit Tertullianus, *tanta obstinatio disciplinæ debebat obsequium*, scilicet Christo prædocenti, suoque exemplo præeunti. Illam virtutis obstinationem in Noe miratur Magnus Basilius : *Atque etiam Noe justus ille, cum in illa pessimorum hominum colluvie versaretur, non dixit Deo, propterea oportere se exire de mundo, quod reliqui omnes improbi essent, sed eo magis, more generosi ac fortis athletæ, ad hæc concalescens se obduravit, et in profundissimo vitiositatis pelago pietas, a tempestate incolumem conservavit.* (6) Ne Noe a colluvie vitiorum, quæ salacissimum turpabat seculum, ullatenus contaminaretur, ad virtutem flecti nescius et pie obstinatus existit ; in præsentiarum autem non sumitur obstinatio, pro firmo et constanti in re virtutis proposito, sed pro pertinacia qua peccator in sceleribus perseverat, et obstinate induratur. Consuetudine namque peccandi paulatim ducitur : *Quæris quo ? ad cor durum.* (1) Duri autem cordis seu obstinationis in peccato, est, 1. Origo investiganda ; 2. Natura declaranda ; 3. Insensibilitas demonstranda.

(1) Part. Dam. Serm. 70. — (2) D. August. L. 50. Hom. hom. 43. — (3) Tert. L. de Exh. Cast. 13. — (4) Tert. L. de Spect. 1. — (5) Luc. 9. — (6) In Constit. Monach. c. 22.

I. PARS. *De durissimo populo* (2) concionaturi, eum non intelligimus qui barbarie et inhumanitate devenustatur, cujusmodi fuerunt alias Ponti Euxini incolæ, ubi *gentes ferocissimæ inhabitant.* Nam, ut subjungit Tertullianus de suo ævo loquens, *nihil illic nisi feritas calet* (3) : cujusmodi sunt etiam nunc avari erga egenos inhumani ; domini erga suos subditos duri; pluresque alii ad immisericordiam et sævitatem proni : sed per populum durissimum peccatores intelligimus, divinas inspirationes repudiantes, et prava cordis affectione, ita peccato adhærentes, ut vix ab eo dimoveri possint. Prava autem illa induratio suam sumit originem a, 1. Divina æquitate ; 2. Humanæ mentis cæcitate ; 3. Scelerosæ voluntatis pravitate.

1. *Post solis receptum* (4), in die et in luce debent ambulare Christiani. *Nam et lucere in mundo Christianos oportet ut filios lucis.* (5) Trinam discriminavimus in justis lucem, scilicet lucem rationis, lucem fidei, lucem gratiæ : Christiani non sunt filii Dei per rationem, quæ est communis fidelibus et infidelibus : neque etiam per lucem fidei, quæ etiam in catholicis scelerosis reperitur, quia non per peccatum, sed duntaxat per hæresim aut infidelitatem deperditur ; sed sunt filii Dei per gratiam sanctificantem, qua fiunt divinæ consortes naturæ. Ideoque Guerricus Abbas alloquitur Christianos justitia et sanctitate decoratos : *Fratres, vos filii Dei estis, et filii lucis.* Sunt filii lucis, quia sunt filii Dei. Subjungit : *Non sumus noctis nec tenebrarum filii* (6), sicut peccatores, qui cum sint filii diaboli, qui est primus peccator et tenebrarum princeps, consequenter sunt filii noctis et tenebrarum. Etenim *peccata tenebræ animarum sunt.* (7) Quapropter in sceleroso vitiis assueto, peccatorum nocte obtenebrato, *dies nunquam patens, sol nunquam lucens* (8), quia non

(1) D. Bern. L. 1. de Consid. c. 2. — (2) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 18. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (4) Tert. L. de Orat. 10. — (5) Tert. L. adv. Prax. 15. — (6) Serm. 3. de Epiph. — (7) D. Aug. L. 1. de Pœn. 11. — (8) Tert. L. 1. adv. Marc. 1.

lucet lux rationis, fidei et gratiæ. Non quidem lux rationis; nam *ad hoc quandoque peccati usu homo perducitur ut ipso quoque rationis lumine privetur.* (1) Non lucerna fidei, quæ accensa est ut operemur in nocte hujus seculi. Inde scriptum est in laudem mulieris fortis: « Non exstinguetur in nocte lucerna ejus. » (2) « Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed exstinguitur cum fiunt: qui enim male agit, odit lucem: ideoque exstinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei, non est timor Dei ante oculos ejus, et de tenebris quas sibi fecit, arbitrorumque absentia blanditur sibi, dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem verear? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. » (3) Non tandem sol gratiæ, seu dies justitiæ et sapientiæ. Hoc lumen a Deo postulat Guerricus: *Dedisti lumen veræ fidei, da et lumen veræ justitiæ, da lumen divinæ scientiæ, da etiam et divinæ sapientiæ.* Nam, ut subjungit doctissimus Abbas, his gradibus filii lucis ad regnum claritatis perveniunt. *Qui igitur jam per fidem sumus in lumine, ex ea et per eam in amplius, et serenius lumen progrediamur. Primo justitiæ, deinde scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum per justitiam, post intelligendum per scientiam, ac postremo contemplandum per sapientiam.* Tantum abest ut peccator inveteratus his gradibus progrediatur ad regnum lucis, quinimo ab illo recedit, et ad tenebrarum accedit regionem. Nam, 1. In lumine fidei non ambulat, quia vel non credit fidei mysteria, vel si credit, ad ea nullatus attendit. In eo, 2. Non est lumen justitiæ, quia ejus opera sunt fidei contraria. Neque, 3. Scientiæ illustratur lumine, vera scientia est sui ipsius cognitio, non cognoscit neque suæ naturæ miseriam, ut eum hortatur D. Bern. *Cogita unde veneris, et erubesce; ubi sis, et ingemisce; quo vadas, et contremisce.* (4) Neque delictorum suorum malitiam: unde Guerricus: « Quam misericorditer mecum ageretur, quam feliciter mihi viderer illuminatus, si peccata mea possem videre! Multum utique illuminatus est qui delicta ad liquidum intelligere potuit et voluit: » (5) Peccator autem *noluit intelligere, ut bene ageret.* (6) Neque quid sibi desit recogitat; attamen ut subjungit Guerricus, « hic modus est adhuc illuminationis nostræ, ut in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum potuerit nosse, et scire quid desit sibi. » Neque, 4. Judicio practico inter bona et mala discernit; cum, ut fatur Guerricus, *nec ad discretionem boni et mali, veri et falsi, sensus exercitatos habeat.* Tandem, 5. Sapientiæ non fulget splendoribus, quia ad Dei notitiam non elevat oculos mentis: quod innuit Dilectus Discipulus: *Omnis qui peccat non cognovit eum* (1): scilicet practice, quia infinitam Dei non considerat neque existimat majestatem; non cognovit Deum sapide, nimirum notitia sapida et affectuosa, cum amore et charitate conjuncta, non cognovit eum vere. Nam, ut ait Didymus præfatum versans locum, omnis qui peccat factus est extraneus Christi, non habet participium nec scientiam ejus internam. » Itaque peccator non illuminatus fidei, justitiæ, scientiæ et sapientiæ lumine, plectitur cæcitate mentis et in obstinationem labitur.

Ex omnibus morientium sensibus, oculi primi deficiunt: mox capitis exstinguuntur lumina, postmodum totum corruit corpus: oculus est intellectus, cor voluntas, mors peccatum, quod ab intellectus incipit deliquio, excæcato autem intellectu, voluntas induratur. Nam, ut belle ad propositum fatur Rupertus, *cæcitas est mater obstinationis:* gratiæ actuales et internæ reducuntur ad irradiationes, quæ mentem illustrant, et pias affectiones, quæ voluntatem movent. Sicut autem in naturalibus cognitio intellectus præcedit voluntatis affectum: quia nihil volitum quin præcognitum, eo quod voluntas sit potentia cæca, quæ nequit aliquod velle objectum, nisi prius sit a notitia intellectus demonstratum: ita in supernaturalibus, illustratio gratiæ qua illuminatur mens, præcedit piam affectionem qua movetur voluntas: sublata autem gratiæ illustratione, pie non excitatur voluntas; voluntas autem neque illustrata, neque excitata gratiæ auxilio, induratur, et ita *cæcitas est mater obstinationis.*

In homine justo tria luminis genera recognoscit Doctor Angelicus. (2) Primum est naturale, in ratione consistens; secundum est supernaturale, estque vel gratia habitualis, vel proprietas ab ea inseparabilis; tertium est adhuc supernaturale, nihilque est aliud præter actualis gratiæ auxilium quod intellectum illuminat et pie voluntatem movet. Primum competit homini, quatenus homo est; secundum convenit homini, in quantum justo; tertium vero potest homini com-

(1) D. August. quæst. 18. in Exod. — (2) Prov. 31. — (3) Guerr. Serm. 3. Epiph. — Eccles. 23. — (4) Serm. 12. de Diversis. — (5) Serm. 5. de Epiph. — (6) Psal. 35.

(1) 1. Joan. 3. — (2) 22. Quæst. 15. art. 4.

petere, sive sit justus, sive peccator. Primum lumen est de essentia hominis, quia est ipsamet ratio, quæ est illi essentialis; neque ab eo separari potest, saltem quoad principium: licet interdum rationis impediatur operatio, usus et exercitium. *Quidam vel modico tempore viduant animam intellectu* (1), ut ex amentibus, phrœneticis et furiosis comprobatur. Secundum lumen est velut justi proprietas, quia a gratia habituali dimanat, ab eaque est inseparabile. Gratia autem habitualis est velut essentia justi. Tertium autem lumen est velut accidens commune, quod potest adesse et abesse absque subjecti corruptione. Gratia enim actualis potest adesse et abesse justo, absque justitiæ destructione. Similiter potest adesse et abesse peccatori, absque peccati corruptione. Privatio primi luminis, nempe rationis, non est causa obstinationis, quia homo induratus remanet rationalis, semperque habet rationem, saltem quod ad principium. Neque adhuc privatio secundi luminis, quod a gratia habituali est inseparabile, est causa obstinationis; alias omnes peccantes lethaliter essent obstinati, quia sunt gratia sanctificante privati. Theologia tamen non omnes peccatores induratos declarat, sed peccatores induratos discriminat a simplicibus peccatoribus, qui vel cogitatione duntaxat peccant; vel si opere semel vel iterum cadunt in delictum: tertii igitur luminis privatio est indurationis origo. Peccator etenim gratiæ actualis lumine destitutus, est etiam sine cœlesti calore, existens sine calore induratur; depravata autem peccatoris voluntas, rejiciens solis justitiæ tum lumen, tum calorem, mentem excæcat, et indurationi etiam originem præstat.

2. *Expandi manus meas tota die ad populum contumacem contradicentem mihi. Qui ambulant viam non bonam, sed post peccata sua.* (2) Hæc verba feriunt Judæos, de quinque criminibus reos. Queritur Deus, 1. Quod in suis sceleribus fuerint adeo pervicaces ut oblatas gratias semper rejecerint; 2. Quod divinæ voluntati temere contradixerint; 3. Quod in viis mandatorum ejus non ambulaverint; 4. Quod per inveteratam consuetudinem, post peccata sua abierint; 5. Quod in suis sceleribus indurati fuerint? Illa quinque sigillatim demonstrat aliorsum Tertullianus: 1. Divinæ gratiæ recusationem: *Dei declinaverant vocationem.* 2. Divinæ voluntatis contradictionem, postulantes fictitios deos *dicentes, ad Aaronem: Fac nobis deos qui præeant nobis.* 3. Divinorum mandatorum contemptum et violationem: quare prodit Deum sic apud Jeremiam loquentem: *Audite, inquit, vocem meam, et ero vobis in Dominum, et vos mihi in populum, et ibitis in omnibus viis meis quascunque mandavero vobis: Ecce invitatio Dei. Et non audierunt, inquit, et non adverterunt aurem suam. Ecce recusatio populi.* 4. In via peccatorum suorum ambulationem. *Sed abierunt in iis quæ concupierunt corde suo malo.* 5. In sceleribus suis indurationem. *Et non audivit populus, et non intendit auribus suis, et obduruit collum suum.* Quid inde secutum sit declarat ipse Deus. 6. *Avertam faciem meam ab eis.* Judæos, tanta ingratitudine contumaces et obstinatione reos, derelinquens, *derelicta Sioni tanquam specula in vinea et in cucumerario casula, posteaquam et novissimam in Christum invitationem recusavit.*

Sex illa in scelerosis Christianis videamus, qui, 1. *Dei illuminari nolunt gratia* (1): tum ex stupiditate eam negligentes et non recipientes. *Atque adeo marcessimus, et devigescimus cum lucis detrimento* (2): tum ex malitia eam temere rejicientes, insolenterque Deo dicentes: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* (3) 2. Deo contradicunt, in ejusque contemptum et contumeliam falsos deos venerantur et colunt. *Principale crimen generis humani, summus seculi reatus, tota causa judicii, idololatria.* (4) 3. In viis mandatorum Dei non ambulant, sed contra unusquisque *adstitit omni viæ non bonæ.* (5) 4. In suis sceleribus per diuturnam consuetudinem inveterantur. Etenim *omnia genera vitiorum, ex aliquo malæ voluntatis affectu, vel malæ consuetudinis usu. Suam singula ducunt matricem originem: quæ quanto diutius menti inolita est, tanto fortius hæret; et fortioribus remediis eget; et curam requirit diligentiorem.* (6) 5. In suis sceleribus indurantur, fiuntque *obstinati.* (7) Uti virtutes morales, sic vitia gradatim acquiruntur; et peccatores per incuriam et consuetudinem paulatim ducuntur: *Quæris quo? Ad cor durum.* (8) Quod asseverat ipsemet Deus, peccatorem apud Jeremiam sic alloquens: *Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua*; illico subjungens: *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, et dura pec-*

(1) Tert. Lib. de An. 19. — (2) Tert. Lib. adv. Jud. 13. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 31.

(1) Guerr. Serm. 3. de Epiph. — (2) Tert. Lib. de An. 27. — (3) Job. 21. — (4) Tert. Lib. de Idol. 1. — (5) Psal. 35. — (6) D. Bern. Tract de Vit. Solit. c. 15. — (7) Tert. L. 1. ad Nat. 19. — (8) D. Bern. L. 2. de Consid. c. 30.

cata tua hæc feci, id est, punivi te cordis obstinatione, quæ etiam a mea æquitate ducit originem.

3 *Duritia de cœlo quoque* (1) et a divina justitia procedit : Deus etenim peccatorem indurat non positive, ut falso docet Calvinus, sed vel permissive, permittens illum propria voluntate obstinari, *ut intelligatis quia obduratio non Dei potentia compellente perficitur, sed Dei remissione ac indulgentia generatur. Hoc ergo firmitissime credite, Fratres, et hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit : Ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit nisi, ego suspendo plagas et flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto* (2) : vel negative *subtractis charismatum roribus* (3), justo judicio puniens peccatoris ingratitudinem, contemptum et contumaciam, denegando ei non auxilia sufficientia, quæ induratis largitur, ut fuse aliorsum demonstravimus (4), explicantes quomodo Deus Pharaonem indurasse dicitur, sed gratias efficaces. *Obduratio Dei est nolle misereri ut non ab illo irrogetur aliquid quo fit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur.* (5) Vel tandem occasionaliter: cum ex divina bonitate, patientia et misericordia peccatores fiunt deteriores diutius in suis sceleribus perseverant et indurantur. Quod explicat D. Augustinus adducens exemplum *de filiis delicate nutritis, quibus peccantibus frequenter indulgemus : cum enim pejores ipsa remissione redduntur, solemus exprobrando eis dicere : Ego te talem feci, ego tibi parcendo, proterviam tuam, negligentiamque nutrivi.* (6) Inde concludit D. Augustinus : *Quærimus meritum obdurationis, et invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est : nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur : ac potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.* (7)

Ex terræ duritia peccatoris obduratio probe declaratur : terræ durities ex caloris absentia procedit ; nunquam enim induratur terra, nisi dum condensatur, nec condensatur nisi per frigus, neque rarefit, nisi per calorem solis, qui ab ejus luce dimanat, estque ab eo inseparabilis. *Sol enim corpus, siquidem ignis.* (8) Itaque terræ duritia a solis distantia et elongatione dimanat, sicut ejus mollities ab ejus præsentia et approximatione procedit. Inde est quod *æstas dissolvat animas, et hiems quodammodo obduret* (1), quia scilicet sol æstivo tempore accedit et approximatur, hiemis vero tempestate recedit, et elongatur. Eodem modo philosophandum est de peccatoris induratione, quæ ex animæ frigore procedit ; quod condensatur ex absentia charitatis, quæ est cœlestis calor a sole justitiæ dimanans, valens tum rarefacere et dilatare cor, ut de semetipso fatetur Regius Vates : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (2), scilicet per charitatem, tum liquefacere et mollire animam, ut Sponsa experimento docta testatur : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est.* (3) Ex his constat cordis duritiem ex divini solis absentia procedere sicut cordis mollitiem ex ejus præsentia. Quod D. Augustinus ex similitudine solis sensibilis et visibilis demonstrat. *Sicut enim quotiens nimio frigore aqua constringitur, solis calore superveniente resolvitur, et discedente eodem sole iterum obduratur, ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, et velut glacies obduratur, et cum eis iterum calor divinæ misericordiæ supervenerit resolvuntur.* (4) Hoc calore glaciem sui pectoris dissolutam recognoscit D. Augustinus : *Gratiæ tuæ, Domine, deputo, et misericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti : gratiæ tuæ deputo quæcunque non feci mala.* (5) Peccator ob suam pertinaciam caloris illius patiens absentiam, est *nubilo obscurior, hyeme frigidior, gelu fragilior.* (6) Hanc frigiditatem tolerat ex defectu lucis et caloris gratiæ, quam merito ei Deus denegat : quomodo istud Davidicum intelligit D. Augustinus : Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ? *In faciem frigoris ejus. Cujus ? Dei. Unde est ejus frigus ? Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam, hoc est frigus illius* (7) Deus peccatori gratiam denegat quia prius peccator illam neglexit, aut rejecit. A Deo est frigus, quia frigidus peccator gratiæ calorem contempsit. Quod a Christianis serio considerandum exoptat D. August. (8) « Charissimi, diligenter attendite, quia etsi non quantum debemus, certe vel quantum possumus, breviter volumus charitati vestræ suggerere qualiter obdurationem illam debeamus accipere. Primo hoc fideliter et firmiter credat dilectio vestra; quia

(1) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 1. — (2) D. August. Serm. 88. de Temp. — (3) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 23. — (4) Tert. Præd. tom. 3. Tract. de Gratia. Conc. 2. — (5) D. Aug. L. 1. qu. 24. Simpl. quæst. 2. — (6) Serm. 88. de Temp. — (7) Epist. 103. ad Sixtum. — (8) Tert. L. de An. 8.

(1) Tert. L. de An. 48. — (2) Psal. 118. — (3) Cant. 5. — (4) Serm. 88. de Temp. — (5) Lib. 2. Conf. 7. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (7) In Ps. 147. — (8) Serm. 88. de Temp.

nunquam prius Deus descrit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cum enim semel, et secundo, et tertio, unusquisque gravia peccata commiserit, exspectat tamen illum Deus, sicut per Prophetam (1) dicit, ut convertatur et vivat. Cum vero in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur : » frigusque Dei efficacem gratiam denegantis, supponit frigus peccatoris gratiam contemnentis, et peccatis contumaciter adhærentis.

Cui probe competit documentum quod Jerusalem præbet Jeremias propheta : *Erudire Jerusalem. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* (2) Desiderat Propheta ut erudiatur Jerusalem, et ex metaphora cisternæ profundam malitiæ suæ dignoscat enormitatem. Quasi dicat : Sicut lapidea cisterna aquam in se stantem conglaciat, ita anima in qua diu insedit peccatum, per consuetudinem concrescit in glaciem, et instar cristalli, vel adamantis ita obdurescit, ut neque ab igne, aut sole emolliri, neque malleo conteri, aut frangi queat : nam, ut belle ad propositum ait Galfridius, *frigidam facit cisterna aquam, quoties in quadam insensibilitate perpetratam conservat mens obstinata malitiam.* Neque tantum conservat, sed adhuc instar cisternæ frigus malitiæ auget et incrementat. Quo enim profundior est cisterna, eo plures et frigidiores habet aquas, et quo peccator est in peccatis inveteratior et obstinatior, peccati malitia profundius in corde defossa, eo magis illam auget et incrementat. Ni dicamus quod sicut profunda cisterna æstatis tempore, quo terra solis ardore succensa magis æstuat, per antiperistasim, quam continet, aquam frigidiorem efficit ; quasi ardentior solis calor, sit velut mensura frigoris aquæ, quæ in cisterna continetur : sic peccator quo sol justitiæ nitidius et ardentius lucet et ardet, quo gratiæ suæ emittit lucidiores et ardentiores radios, eo magis frigescit et in peccatis suis induratur.

Pontus Euxinus sic a Tertulliano describitur: *Unus aër, nebula; totus annus, hibernum ; omne quod flaverit, Aquilo est. Liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur; omnia torpent, omnia rigent.* (3) Idipsum de peccatore dicit D. Bern. (4) : Dinumerans quot vitia, quot strages et clades oriantur a frigore peccati, etiam in domibus religiosis, et animabus in justitia et pietate educatis « ab Aquilone panditur vestrum malum. A facie frigoris ejus quis sustinebit? (1) Hoc frigus si semel animam, «animæ ut assolet incuria, spiritu dormitante pervaserit, ac nemine deinde, quod absit, inhibente, ad interiora ejus pervenerit, descenderit in viscera cordis et sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit consilii semitas, perturbaverit judicii lumen, libertatem addixerit spiritus : mox, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus exstinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura ? dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus ; plenus ille ignominia et confusione saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de sole in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in seculum, de paradiso in infernum.

Fuse dinumerat D. Bernardus mala quæ a frigore peccati dimanant. Brevius D. Thomas refert gradus quibus peccatoris anima gelascit. *Peccati frigus primum exstinguit colorem dilectionis* (2) ; mox ut peccati frigus occupat animam, divinæ gratiæ lux expellitur, divini amoris ardor exstinguitur. *Tum deinde congelat humorem devotionis*, mentem non amplius veritas illustrat, pietas amplius cor non sufflammat. *Retardat motum bonæ operationis.* Uti ad motum corporis et membrorum requiritur calor, necessariique sunt ignei quidam spiritus a cerebro in nervos effluentes, qui si frigore solvantur et pereant, illico stupidum hæret, et rigescit corpus. Dum enim hyemalis aura est inclementior, frigidique regnant et spirant Aquilones, ita quandoque rigescunt artus et membra, ut motus omnis sint expertia : a frigore etiam geluque patitur animus, suos habens spiritus, suis indigens ad bene operandum ignibus et caloribus : dum autem peccati frigore hujusmodi consumuntur spiritus, exstinguuntur ignes, necessarii calores removentur, deficit illico motus omnis operationis dignæ cœlo : et quod prorsus stupendum, et maxime lugendum, anima illa

(1) Ezech. 33. — (2) Cap. 6. — (3) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 1. — (4) Serm. 63. in Cant.

(1) Ps. 147.

quam peccati frigus reddit ad bonum operandum stupidam et velut immobilem, est ad patrandum malum expedita, atque studiose et assidue intenta, ut acute animadvertit D. Chrysostomus, expendens istud Geneseos: Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. (1) *Verbum cogitat, multum habet momenti: non enim ex subreptione hoc illis accidit, sed ex corde cogitant, et hæc per singulas horas volvunt, in hæc studium suum collocant. Et neque semel et iterum, vel fortuito supplantati a peccato, a militia sibi temperant, sed diligenter eam exerunt, et mala operantur. Hoc est magno studio, nihil obiter, nihil negligenter ab eis fit.* (2) Quod confirmat aureum eloquentiæ flumen, elucidans verba ipsiusmet Dei loquentis de temerariis turris Babel structoribus : Nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. (3) *Ecce quomodo monstravit malitiæ eorum excellentiam.* Insignis malitiæ excellentia est, in facinore alte cogitato, consulte meditato, ex condicto patrato assuescere, et contumaci indurari obstinatione, cujus natura nunc est declaranda.

II. PARS. Peccatores *obstinati et vani* (4) difficillime convertuntur, quia nec sunt ad suscipiendam disciplinam bene dispositi, cum sint in suis sceleribus indurati. Ut enim ait Doctor Seraphicus, *durum est, quod est inhabile ad suscipiendum, stabile ad permanendum, et forte ad debellandum, sive resistendum.* (5) Aliter cordis duritiam declarat D. Bernardus, plures easque horribiles indurationis referens proprietates : *Cor durum ipsum est quod nec compunctione scinditur; nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis induratur : ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum præter socias injurias nihil omnino præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi forte ad ulciscendum prospectio seu præparatio est. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.* (6) Tædiosum foret cuncta elucidare quæ de corde duro refert Bernardus : ut inter tot mala horribilia, quibus scatet, quæ magis sunt ad propositum faciunt, eligamus, et assueto ordine procedamus, faciem nobis præbebit Doctor Mellifluus (1), qui tres dies nobis observandos proponit, nimirum diem doloris, diem pudoris et diem timoris. Dies doloris, de commissis peccatis dolet et ingemiscit; dies pudoris, de nefandis facinoribus erubescit; dies timoris, pœnas criminibus debitas pertimescit : seu, ut ipse aliorsum (2) indurati cordis considerat primordia, media, novissima. Inter quæ *illa dolorem ingerunt, ista pudorem adducunt, hæc metum incutiunt.* Quis enim a peccato potissimum retrahitur propter tria, scilicet ob pœnitentiam et dolorem, verecundiam et pudorem, metum et timorem. Peccator autem induratus, ut plurimum in sua obstinatione persistit, neque ab ea dimovetur, 1. Dolore; 2. Pudore; 3. Timore.

1. Peccatorem Deus *multis bonitatis suæ largitionibus fovit, et ingratissimum totiens expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est.* (3) Pœnitentiam amplectitur, et, ut fatur D. Bernardus, in die doloris incedit *dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ, et nec tam laborat declinando futura quam præterita plangendo deplorat.* (4) Pœnitudo qua a peccato quis retrahitur ex parte pœnitentis duo importat, scilicet dolorem de peccato commisso, et propositum amplius non peccandi. Neutrum habet peccator induratus. Non quidem dolorem, quia firmiter suis adhæret sceleribus, in iisque delectatur : juxta istud Proverbiorum : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* (5) Non etiam propositum non amplius peccandi, cum obstinatio consistat in proposito ulterius peccandi, et pertinaciter vocanti Deo ejusque gratiæ resistat, de quo conqueritur ipsemet Deus animam in peccatis induratam alloquens : *Mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis* (6): quia contumax tuum peccandi propositum voluntati meæ sese opposuit : *In quo mundabo cor tuum ?* (7) Deus nostro concipiendi modo ab anima obstinata, quæ diu multisque inspirationibus ad pœnitentiam invitata, nec obsecundata, expostulat modum quo illum valeat emundare, et ad conversionem adducere. Subjungit Propheta : *Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.* (8) Christus Dominus pro ea multo sudore laboravit, san-

(1) Cap. 6. — (2) Hom. 22. in Gen. — (3) Gen. 11. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (5) In 1. Dist. 40. qu. 1. — (6) L. 1. de Cons. c. 2.

(1) Serm. 4. de Assumpt. — (2) Serm. 12. de Divers. — (3) Tert. L. de Pœn. 2. — (4) Serm. 4. de Assumpt. — (5) Cap. 2. — (6) Ezech. 24. — (7) Ezech. 16. — (8) Ezech. 24.

guinem fudit, animam posuit, gratiam meruit : Spiritus Sanctus in igne apparuit, interius eam suis inspirationibus et affectionibus mollire tentavit, exterius per suam gratiam multipliciter vocavit, et *non exivit ex ea rubigo abominationis et obstinationis.* (1) Inde concludit D. Bern. (2) *Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est : nisi quem forte miserans Deus abstulit ab eo cor lapideum, et dedit cor carneum.* (3) Et ratio hujus est, quia neque ob dolorem ingemiscit, neque ob pudorem erubescit.

1. *Diligo verecundiam* (4) in viris, in feminis, et generaliter in cunctis Christianis : in viris quidem, nam *gratissima sane gemma, rubor in facie hominis verecundi.* (5) In feminis etiam, nam *pudor est in mulieribus amabilis flos, et rubor delectabilis.* (6) Tandem generaliter in cunctis Christianis, quibus *magis disciplina verecundiæ incumbit.* (7) Tertulliano arridens D. Bernardus pudorem multis elogiis commendat. *Pudor est gemma morum, virga disciplinæ, soror continentiæ, lampas pudicæ mentis, gloria conscientiæ, famæ custos, virtutis sedes et insigne totius honesti.* (8) Pudor est frænum retinens Christianum ne labatur in peccatum ; est etiam calcar lapsum peccatorem ad conversionem et pœnitudinem stimulans. Quapropter ex D. Bernardo diem doloris *sequitur dies pudoris ; quando jam horribili confusione, operitur anima miseranda, dum considerat quæ et quanta deliquerit, et in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum.* (9) Illa autem peccati turpitudo et deformitas quam serio contemplatur, est ratio pœnitendi, ei pudorem ingenerans, illamque ob verecundiam retrahens a peccato, et ad conversionem stimulans : peccator autem induratus, est impœnitens, quia suis criminibus excæcatus non conspicit turpitudinem et deformitatem quæ est in actu peccati. Tantum abest ut pudore afficiatur ; quinimo, de peccato impudenter gloriatur, et, ut fatur Tertullianus, *delicti durior frons est, ab ipso et in ipso delicto impudentiam docta.* (10)

Basilius Seleucus attente considerans perseverantiam qua mulier Chananæa Christum pro liberatione filiæ a dæmone possessæ deprecatur, lepide ait : *Verecundiam omnem calamitas excutit, et ingenitum a natura pudorem mali vis captivum ducit.* (11) Toleranda est quodammodo pudoris jactura, quam adducit calamitas : at intolerabilis est peccati malitia, quæ omnem adimit verecundiam, et de delictis scelerose lætatur. *O detestanda lætitia, et in sempiterni doloris tristitiam demutanda, in peccatis sicut in virtutibus exsultare !* (1) Nam si, ut vult Tertullianus, *facies occultorum, ea quæ apparent* (2), impudentia de foris apparens in fronte, in vultu, in incessu, in opere, evidens est animæ sceleratissimæ indicium. Ut enim ait D. Damascenus, *impudens aspectus, et pudenda cervix, ac continua superciliorum agitatio, et superbus incessus, et nulla ex re turpi rubore affici, fœdissimi animi indicia sunt, obscuras probrorum suorum formas, in conspicuo corporis insculpentis.* (3)

Ignitum Pentapoleos excidium Deus velut deliberans, Abrahamo dixit : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. » (4) Omne peccatum habet vocem, quæ auctorem suum accusat, sed non omne peccatum habet clamorem quæ justitiæ divinæ rigores expostulat. Ex Magno Gregorio *peccatum cum voce, est culpa in actione ; peccatum cum clamore, est culpa cum libertate et jactantia.* (5) Cujusmodi fuit peccatum habitantium Sodomæ et Gomorrhæ : *quæ enim injustitiæ species, quis modus intemperantiæ non inter eos versabatur ? quæ legum pravitas non apud eos pro lege statuebatur ?* (6) Scelerosi Judæi Sodomitarum æmulantes malitiam et inverecundiam, *peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt et absconderunt.* (7) Quasi diceret Propheta : Non fuerunt contenti suam ab oculis hominum intemperantiam removisse, et clam deliquisse pudore peccandi, nunc autem absque ulla verecundia delinquunt, suaque peccata impudentissime prædicant, quasi laude ducentes sua crimina in conspectu hominum propalare. Quam multi sunt hac ætate qui Sodomitarum instar absque ullo pudore delinquunt, de suisque criminibus laudem et honorem captare moliuntur? *hoc enim omnium gravissimum est ; ubi vitium non turpe, sed honorificum existimatur* (8), et peccatum publice perpetratur absque ullo pudore et timore.

3. *Omne malum aut pudore, aut timore natura perfudit.* (9) Quare D. Bernardus post diem pudoris quæ peccatorem ex fœditate et turpitudine delicti, ad pœnitudinem stimulat, subjungit diem timoris *qua irradiante cordibus nostris peccato morimur.* (10)

(1) Hæb. lect. — (2) L. 1. de Consi. c. 2. — (3) Ezech. 36. — (4) Tert. L. de Pœn. 7. — (5) D. Bern. Serm. 7. de B. Virg. — (6) Gregor. Naz. Carm. 63. — (7) Tert. L. de Bapt. 17. — (8) Serm. 86. in Cant. — (9) Serm. 4. de Assumpt. — (10) Tert. L. de V. Virg. 2. — (11) Orat. 20.

(1) D. Bern. de Nat. Dom. Serm. 3. — (2) Tert. L. de An. 18. — (3) Lib. 3. Parall. cap. 56. — (4) Gen. 18. — (5) Lib. 5. Mor. cap. 7. — (6) Basil. Seleuc. Orat. 5. — (7) Isa. 5. — (8) Gregor. Naz. Orat. 44. — (9) Tert. Apol. 1. — (10) Serm. 4. de Assumpt.

Timor namque divinæ justitiæ peccata punientis, peccatorem a sceleribus dimovere debet. « O homo, si pudorem perdideras ad nobilem creaturam pertinentem; si dolorem non sentiebas afflictionis, quod est etiam carnalium; vel timorem non omittas, quoniam ille est etiam jumentorum. Oneramus asinum, et fatigamus in laboribus plurimis, et non curat, quia asinus est: at si in ignem impellere, si in foveam præcipitare velis, cavet quantum potest, quia vitam diligit et mortem timet. An non tibi ergo justum videtur, ut qui modo jumentis insensibilior fuerit, post jumenta ipsa compellatur abire, et in tormentis positus locum teneat posteriorem? Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? Gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Time ergo, o homo, quod in morte separandus es a bonis omnibus hujus corporis, et tam dulce carnis et animæ vinculum amarissimo secandum divortio erit. Time quod in terribili judicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere; et eo examinante quem nihil latet; siquidem inventa fuerit in te iniquitas, alienandus ab universitate quietis et gloriæ, et segregandus a numero beatorum. Time quod in gehenna cruciatibus immensis et æternis exponendus es, in sorte diaboli et angelorum ejus, in igne æterno, qui præparatus est eis. Hic ergo timor initium sapientiæ dicitur, non pudor, non dolor, quia neuter eorum sic initiat ad sapientiam; neuter tantam habet efficaciam. Validior enim est et vehementior spiritus timoris ad resistendum peccato, quam pudor et dolor: quia pudor de multitudine, et dolor de qualicunque hujus mundi consolatione capit solatium; timor vero non invenit unde consoletur. Nam in morte non magnum, non parvum aliquid de bonis hujus mundi tecum delaturus es: in judicio nec fallere, nec resistere possibile erit: in gehenna penitus nulla consolatio, sed perpetuum væ, ululatus, et fletus, et stridor dentium. » (1) Tot metuenda non pertimescit peccator; nam in suis sceleribus induratus, neque spe gloriæ ad bonum incitatur, neque metu supplicii a malo revocatur; cui idem dicendum est quod Isidorus Pelusiota cuidam Zozimo pravo sacerdoti, in vitiis inveterato et indurato: *Nec regnum te incitat, nec gehenna rursus terret: feram et indomitam belluam incantamus.* (2)

Non solum tanquam bellua ferocissima, sed adhuc velut dæmon humanatus existimandus est obstinatus peccator absque ullo timore vivens: non secus ac Sodomitæ ad thronum divinæ justitiæ peccatorum suorum clamorem mittentes. *Clamorem Scriptura sacra solet ponere pro tanta impudentia et libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec timore abscondatur* (1); quale fuit Sodomæ et Gomorrhæ peccatum, quale est adhuc peccatoris indurati vitium. Ut enim ait Magnus Gregorius Esaiæ versans locum: Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. *Peccatum enim suum absconderet Sodoma, si adhuc cum timore peccaret, sed funditus fræna timoris amiserat, quæ ad culpam nec tenebras requirebat.* (2) Non dissimiliter peccator induratus amittens fræna timoris, nec Deum metuit, nec homines reveretur, sed impudenter atrocissima quæque crimina committit; et ut fatur Cæsarius (3), *de multitudine peccatorum disperatio nascitur, et ex desperatione absque ulla reverentia peccatorum fræna laxantur; et impletur illud quod scriptum est: Impius cum in profundum venerit, contemnit.* (4)

Verum quid contemnit obstinatus peccator? 1. Contemnit conscientiam (5), quam scelerose fœdat; animam suam, salutem suam, quam pro re vili dat; avarus pro terrenis divitiis, libidinosus pro voluptatibus momentaneis, superbus pro honoribus vanis; 2. Contemnit peccatum, bibens quasi aquam iniquitatem. (6) Ut autem commentatur Lyranus, « iniquitatem sicut aquam bibit, qui committit peccata absque fræno timoris; ille enim qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperate, sed bibens aquam hoc non timet. » (7) 3. Contemnit pœnitentiam, omnemque medicinam qua posset a suis sanari sceleribus. (8) 4. Contemnit media salutis consequendæ, sacramenta, pietatis opera, augustissima religionis mysteria. (9) 5. Contemnit correptiones et supplicia, sive ab humana, sive a divina justitia inferenda. 6. Contemnit ipsummet Deum, ejus majestatem, præsentiam, potentiam et bonitatem, proinde tanquam *abominabilis homo* (9) habendus est. Scelerosi qui vero Deo derelicto, fictitia colunt numina, ab Osea *abominabiles* (10) nuncupantur: digni profecto qui ab omnibus horreantur. Peccatores quoque indurati *abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* (11) Cassiodorus legit *abominatos*; D. vero Augustinus *exhæredatos.* Cum enim

(1) D. Bern. Serm. 1. de Diversis. — (2) Lib. 1. Epist. 139.

(1) D. August. qu. 5. in Exod. — (2) Par. 3. Pastor. c. 32. — (3) Hom. 13. de Pœn. — (4) Prov. 18. — (5) Hug. Card. — (6) Job. 13. — (7) Lyr. — (8) Lyr. — (9) Job. 15. — (10) Cap. 9. — (11) Psal. 52.

Deum contemnant, non parentem illum, sed potius criminum vindicem et punitorem debent experiri, neque Dei sunt hæreditate ditandi, sed inferni suppliciis cruciandi, præsertim cum ex Apostolo sint *abominati incredibiles*, *et ad omne opus bonum reprobi.* (1) Ad rem nummariam alludit Paulus. Nummus enim adulterinus dicitur reprobus : quo sensu Jeremias impios nuncupat *argentum reprobum* (2), falsam monetam, qui cum auri argentique speciem præ se ferant, sunt plumbei, nihilque boni habent, nisi principis effigiem, pretio cassi, inutiles, reprobi. Inutilis est reprobus peccator induratus : nam *nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus, abstulit ab eo cor lapideum, et dedit cor carneum.* (3) Quod si quæramus a B. Bernardo, quodnam est cor durum, respondebit : *Solum est cor durum quod semetipsum non exhorret qua non sentit.* Ejus autem insensibilitas est impræsentiarum denotanda.

III. PARS. *Anima nostra meditabitur timorem* (4), ne peccatis assuescat, sed cito ab eis resipiscat : *more medicorum sæviori-bus morbis accelerata remedia tribuamus ; quando et hoc pietatis genus est, cernere infantiam criminis, ne juvenescat augmentis.* (5) Cito crimini est medendum ne remedii dilatione incrementetur, et ægrotus per diuturnam morbi consuetudinem fiat insensibilis. *Plaga recens dolore non caret, neque enim jam obcalluit vulnus, aut in tam brevi versum in insensibile est.* (6) At e converso ubi temporis diuturnitate obcalluit vulnus, insensibile efficitur, et eo magis irremediabile quo insensibile. Quod asseverat D. Bernardus, *sciens longius absistere a salute membrum quod obstupuit, et ægrum sese non sentientem periculosius laborare.* (7) Idem accidit in animæ morbis. Mox ut ægrotat et in peccatum cadit, sanabilis est, quia sensibilis est : at ubi obduruit, est fere insanabilis, quia insensibilis : his autem gradibus ad hujusmodi insensibilitatem devenitur : scilicet, 1. Inveterata consuetudine; 2. Gratiæ efficacis substractione; 3. Mentis cæcitate ; 4. Inverecunda sceleris perpetratione ; 5. Pertinaci desperatione : tandem, 6. Insensibili obstinatione, quæ denotatur per, 1. Lapidem et saxum; 2. Centrum; 3. Lethargicum.

1. *Aliud est autem substantia, aliud natura substantiæ. Siquidem substantia est propria rei cujusque, natura vero potest esse communis. Suscipe exemplum. Substantia est lapis, ferrum : duritia lapidis et ferri, natura substantiæ est. Duritia communicat, substantia discordat.* (1) Quod apud philosophos dicitur essentia, vocitatur a Tertulliano substantia ; quod ab illis nominatur accidens commune, ab ipso appellatur natura substantiæ. Essentia est propria cujuslibet speciei, neque est communis rebus alterius speciei, natura substantiæ communis est rebus diversæ speciei : lapidis et ferri prodit exemplum ; quorum substantia cuivis propria est, neque alteri competit ; non enim essentia lapidis est essentia ferri, neque essentia ferri essentia lapidis : natura substantiæ est illis communis, nempe durities, quæ est qualitas seu accidens utrique commune. Eodem modo ratiocinandum de peccatore obstinato, qui non convenit cum lapide in substantia seu essentia : alia est enim essentia hominis, alia essentia lapidis : sed convenit cum lapide in natura substantiæ seu qualitatibus, et ut fatur Tertullianus, *pariant naturalia eorum, substantiva non pariant.* Quatuor autem sunt lapidis qualitates : scilicet frigiditas, sterilitas, durities, gravitas. In iis qualitatibus peccator obstinatus convenit cum lapide : est enim frigidus, sterilis, durus et gravis. 1. Frigidus : similis illi gemmæ ex sua natura adeo frigidæ ut projecta in ignem non comburatur, sed ne incalescat quidem, sed frigiditatem suam constanter conservet : et quia calor est fecunditati terræ necessarius, peccator frigidus luce et calore cœlesti destitutus est; 2. Sterilis : lapis est sterilis, quia non habet humorem ad producendum requisitus, peccator etiam obstinatus ad bonum sterilis est, licet multimoda mali prole fecundetur. Hanc in bono sterilitatem Judæis olim exprobrabat Deus : *Retribuebant mihi mala pro bonis : sterilitatem animæ meæ.* (2) Addit Eutychius : *Judæorum enim sterilitatem sibi ipsi adscribebat : tanquam paterfamilias et agricola.* Peccatori contulerat naturam boni capacem; illum adhuc in baptismate in bonis operibus creaverat ; ei adhuc largitus fuerat semen verbi, gratiæ lucem et ardorem, ut bonos virtutis produceret fructus, et tamen Deo retribuit mala pro bonis, scilicet animæ suæ sterilitatem, quæ, 3. Est dura sicut lapis. Alberto Magno teste, est in Germania fluvius in quem *quidquid projicitur durescit in lapidem.* Quidquid projicitur in peccatorem obstinatum durescit in lapidem ; sicut lutum

(1) Epist. ad Tit. 1. — (2) Cap. 6. — (3) D. Bern. L. 1. de Consid. c. 2. — (4) Tert. L. adv. Jud. 16. — (5) Cassiod. L. 5. Var. Epist. 39. — (6) D. Bern. L. 1. de Consid. 1. — (7) D. Bern. ib.

(1) Tert. L. de An. 32. — (2) Psal. 34.

ad solis aspectum induratur, ita ex luce et calore gratiæ durescit peccator. Quod de Israëlitis asseverat Jeremias propheta : *Domine, percussisti eos, et renuerunt accipere disciplinam ; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti* (1) : annon hæc exprobratio cadit in peccatores obstinatos, qui erga Dei gratiam ingrati *cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem?* (2) Belle Propheta peccatores ad æterna divinaque insensibiles, ad resistendum gratiæ induratos, componit cum adamante. « De adamante illud mirandum quod cum sit tantæ duritiæ, solo percussus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissolvitur : unde congrua similitudo est valde. Cor suum posuerunt ut adamantem; quia cum durissimæ cervicis et cordis indomabilis essent contra Deum, mollissimi erant in omnium libidinum fluxum. » (3) Peccatoris obstinati cor est molle et durum : molle ad vitium, durum ad virtutem ; molle per respectum ad seculum, durum per respectum ad Deum. Habet lanæ seu ceræ mollitiem, nec ullo modo resistit mundi honoribus, carnis voluptatibus, terrenorum cupidinibus, circa gratiam habet ferri vel lapidis duritiem, resistitque obstinate Spiritus Sancti inspirationibus. Tandem, 4. Lapis gravis est : sunt enim *gravia delictorum pondera* (4), et peccatores obstinati graves sunt, quos non secus ac Philisthæos sacer alloquitur textus ; *Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus et Pharao cor suum?* (5) Verum uti lapis non gravitat in centro, ita peccator obstinatus peccati non sentit gravedinem, quia in peccato quiescit velut in centro, quo ejus denotatur insensibilitas.

2. *Cur perseverant* (6) in suis sceleribus peccatores obstinati, nisi quia sunt insensibiles? At cur sunt insensibiles, nisi quia in centro quiescunt ? Unde juxta quorumdam versionem *peccator, cum in centrum venerit, contemnit.* In centro tria habent elementa, scilicet quietem, conservationem et unionem : 1. Quietem, cujus obtinendæ gratia moventur ad centrum, neque ab eo obtenta quiete, nisi per violentiam ejiciuntur ; 2. Conservationem, nam in centro nullam patiuntur contrarietatem, extra centrum, contrariorum exponuntur impugnationibus; 3. Unionem, centro namque tanquam loco sibi connaturali uniuntur, a quo ob qualitatum sympathiam, novas mutuantur vires. Peccator obstinatus, in peccatis velut in centro existens, reperit quietem, conservationem et unionem : 1. Quietem, quia scelerosa pace potitur, neque synderesi et stimulis conscientiæ pungitur ; 2. Conservationem, quia assuetis firmiter adhæret peccatis, neque a contumacia sua gratiæ auxilio dimovetur ; 3. Unionem, quia magis ac magis in peccatis inveteratur et in sceleribus induratur, et ultimam impietatem assecutus sedet, talentum plumbi tenens in manu, adhucque massam plumbeam habens in ore, juxta visionem Zachariæ (1) prophetæ.

(1) Cap. 5. — (2) Zachar. 7. — (3) Rupert. — (4) D. Ambr. L. 2. Ep. 7. — (5) Lib. 1. Reg. 6. — (6) Tert. L. Apol. 8.

3. Per lapidem et centrum, peccatoris obstinati insensibilitas significatur, sed adhuc per lethargici *cor tædians tabescentem animum* (2) magis denotatur : lethargicus somno ita sepelitur ut non doleat, neque cujusquam sensus usum habeat : adeo est somno immersus et stupidus ut non doleat : nam juxta Sapientis oraculum, *erit sicut dormiens in medio mari ; et quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dicet : Verberaverunt me, et non sensi.* (3) Lethargicus ustulatur, dissecatur, verberatur, tamen est insensibilis, nec dolet : *Consuetudo callum jam obduxit stomacho meo*, ait Cicero ad Varronem. Sicut consuetudo sensui quasi callum inducit, ut non sentiat morbum et dolorem, cui assuevit, sic et animo callum inducit, ut non sentiat remorsum aut dolorem in peccatis quibus assuevit. Itaque ex prava consuetudine oritur impudentia peccandi; ex impudentia peccandi nascitur obstinatio, ex obstinatione, indolentia, et dedolentia, qua animus ita obduratur in malo ut peccata non sentiat ; ut cum peccat, omnem conscientiæ remorsum amittat, et quasi conscientia amputata, non pœniteat, nihil doleat, sed tanquam brutum in omne id quod libet, quantumvis turpissimum et abominandum, præceps ruat. Quales fuerunt Gentiles, *qui desperantes semetipsos* (4), ut fatur Apostolus, in omnem immunditiam, iniquitatem et impietatem prolapsi sunt. *Desperantes*, id est, non credentes animam immortalem, Deum criminum vindicem, nec ullam sperantes post hanc vitam, virtutis mercedem, æternam felicitatem. D. Chrysostomus ex græco legit *indolentes;* seu, ut vult D. Hieronymus, *indolorios*, scilicet dolere desinentes, omnem doloris sensum deponentes et amittentes, quasi desperantes et dinolentes sint termini synonymi. Desperantes itaque et dolentes tradiderunt se omni immunditiæ. Vide in quod barathrum deducat hominem inveterata peccandi consuetu-

(1) Cap. 5. — (2) Tert. L. adv. Jud. 11. — (3) Prov 23. — (4) Ephes. 4.

do, cordis induratio, cui annexa est insensibilitas, indolentia, desperatio; 2. Lethargicus nullius sensus habet usum. In anima metaphorice loquendo, sunt veluti quinque sensus respondentes sensibus corporis. Peccatores autem obstinati nullo sensu animæ utuntur ad bonum. Deum enim in aperto positum non vident, vocem ejus non audiunt, cœlestia non afflant, æterna non sapiunt, gratiæ motibus insensibiles sunt: similes fictitiis Gentilium diis, qui pedes habent, et non ambulant; manus habent, et non operantur; os habent, et non loquuntur; oculos habent, et non intuentur; aures habent, et non audiunt. Eodem modo indurati peccatores sunt *aurium cæci*. (1) Alludit Tertullianus ad Apostolum dicentem: *Fides ex auditu*. Fides quæ mentem illuminat, per aures pervenit ad intellectum; at obstinati peccatores sunt aurium cæci, quia auribus non percipiunt verbum Dei, neque Deo vocanti præbent auditum, *hiant aures, nec audiunt, cor stupet saliens*. (2) Peccatorem induratum pictor egregius repræsentat sub adolescentis effigie, cui pro lectulo erant vepres hirsuti, cruentæ spinæ, jacebat tamen, et profunde dormiebat: aderant tibicines duo a lateribus, buccinatas tubas auribus admoventes, et ne quid deesse videretur ad ejus excutiendum soporem, imminebat vertici sol altus radios in ipsius oculos perpendiculariter immittens: inter hæc omnia dormiebat miser, et patenti narium orisque meatu ducebat ronchos. Adolescens est peccator a teneris annis vitiis assuetus; spinæ sunt conscientiæ stimuli; tibicines buccinantes sunt tum Angeli, tum concionatores; immissi radii solares, sunt gratiæ illustrationes; lethargicus tamen nec præbet auditum tubis evangelicis, nec conscientiæ pungitur stimulis, nec Solis justitiæ excitatur radiis.

Verum etsi periculosissima sit obstinatio, quantumvis indurati peccatores ad bonum insensibiles videantur, « de illis (3) non est desperandum qui adhuc mala sua, non solum corrigere nolunt, sed etiam defendere non erubescunt. Sic nec illa civitas desperata fuit, de qua dictum est: Adhuc triduo, et Ninive subvertetur. (4) In ipso triduo idonea fuit converti, orare, plangere, et de pœna imminenti misericordiam promereri. » Quapropter « si quis jam lapsus, et nimio sceleris pondere oppressus desperare jam cœpit, attendat vulneris magnitudinem, sed non desperet medici potestatem; peccatum enim cum desperatione certa mors est. Nemo dicat: Ego si jam aliquid mali feci, jam damnatus sum: Deus malis talibus non ignoscit. Cur non addo peccata peccatis? fruar seculo in voluptate lasciva, in cupiditate nefaria? jam perdita spe reparationis, vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo. Deus enim noster, sicut cautos fecit qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult qui ceciderunt. » (1) Ex D. adhuc Augustino, *prima salus est declinare peccatum, secunda non desperare de venia; nam ipse se in æternum punit qui apud misericordem judicem, ad pœnitentiæ remedia non recurrit*. (2)

Ideoque ne peccatores obstinati in desperationem cadant, et desperantes æternam salutis incurrant jacturam, sex præstare tenentur: 1. Sedulo vacare orationibus, divinamque implorare misericordiam, ut ab eis auferat duritiam cordis. *Non est desperandum de malis, sed pro ipsis ut boni fiant studiosius supplicandum: quia numerus Sanctorum semper de numero auctus est impiorum*. (3) 2. Divinam non amplius negligere, aut rejicere gratiam. *Videte, Fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. (4) Hodie hic significat tempus præsentis vitæ, gratiæ et pœnitentiæ, quod cuique datur: quandiu enim spiramus et vivimus, est hodie; quandiu licet audire, credere et converti, est hodie: qui ante centum, ducentos, trecentos, mille annos, vixerunt, habuerunt suum hodie, id est, suum tempus audiendi Dei vocem, suum tempus procurandæ salutis, illis jam transiit, nobis adhuc superest hodie. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. (5) His verbis Regius Vates hortatur Judæos, ut molli corde excipiant Dei sermones. Ipsissimis Davidis verbis Christianos hortatur Apostolus, ut ad divinam vocationem non obdurentur, nec surdi fiant: *Hodie si vocem ejus audieritis*. Animadvertendum est quod tum Propheta, tum Apostolus hodie a vocatione Dei distinguunt: innuentes et tanquam certum præsupponentes posse esse hodie, in quo non audiatur Dei vox et vocatio, licet enim toto vitæ tempore per *hodie* significato detur gratia sufficiens; gratia tamen efficax per totum illud vitæ tempus non vocat, neque diuturna est

(1) Tert. Lib. de An. 10. — (2) Tert. L. 2 ad Nat. 1. — (3) D. Aug. L. 50. Hom. hom. 2. — (4) Jonas. 3.

(1) D. August. 50. Hom. hom. 21. — (2) Lib. de Ver. Innoc. 5. cap. 200. — (3) D. August. L. de Ver. Innoc. c. 184. — (4) Hebr. 3. — (5) Psal. 94.

hujusmodi vocatio, sed cito *in modum fulguris priusquam illustret oculos, jam refugit: nec dat lucem videntibus, sed pavorem,* (1) quod divino efficitur judicio ut homines sint semper de sua salute solliciti, et quovis momento ad audiendam Dei vocem intenti. *Sane persuaderer divinitus factum: congruere enim hominem seu moneri, seu terreri a Deo, velut fulgure rapido, momentaneæ mortis ictu* (2), vel subitanea alia divinæ gratiæ illustratione; 3. Divinæ gratiæ fideliter respondere et obtemperare tenentur: quod innuit Salvator, dicens: Tollite lapidem quo quatriduani Lazari claudebatur sepulcrum. *Præcepit ergo ut Judæi ex se cor lapideum tollant, evolvant perfidiæ saxum, silicem duræ incredulitatis excludant, quatenus animæ per infidelitatem mortuæ de sepulcro pectoris prosilirent.* (3) In persona Judæorum Christianis obduratis præcipit Salvator, ut tollant obstinationis lapidem, et revoluto lapide, 4. Per veram peccatorum confessionem, de sepulcro in quo jacebant mortui, egrediantur: si enim *pœnitentiam intellexissent* (4), et sæpe ad pœnitentiæ tribunal accessissent, in suis peccatis non obduruissent; 5. Quia inveterati morbi non una medicina sanantur, sed plures requiruntur, ut pertinaces humores valeant expelli. Multoties etiam adhibendum est pœnitentiæ remedium, ut peccaminosi tollantur habitus, ex inveterata consuetudine comparati. *Non infert nobis Deus bona sua, nisi mala nostra, scilicet peccata auferat, et in tantum illa crescunt, in quantum ista minuuntur: nec illa perficiuntur, nisi ista minuantur.* (5) 6. Sublato obstinationis lapide, aperto per confessionem pectore, sanato pœnitentia medicinali sæpe repetita, calloso animi vulnere, interdum adhibendum est remedium præservativum, ne rursus in morbum incidant: nam *malum animæ, ex obventu spiritus nequam superstruitur* (6); ab eo itaque præservanda est anima. Quod præfiguratum videtur in remedio a Tobia juniore adhibito (1), ne a dæmone interimeretur, qui septem primos Saræ maritos enecaverat: Tobias ad fluvium Tigris volens lavare pedes, piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me. At de Raphaelis Archangeli mandato, apprehendens piscem et in siccum attrahens, tunc dixit ei Angelus: *Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter:* quod fuit fausto eventu comprobatum. Nam partem jecoris ponens super carbones vivos Raphael Angelus (2) apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti; et ex felle liniens cæci parentis oculos, mox recuperavit visum. Piscis ille *Calionimus* (3) dictus, id est, decori nominis, Christum præfigurat, qui supra Calvarium in suo natavit sanguine, in suaque circumcisione pulchrum Jesu suscepit nomen, ob salutem humanam per suam in cruce passionem consummandam. A mystico illo pisce sumendum est jecur, cor et fel: jecur, id est, vitam quam pertransiit benefaciendo; cor, id est, charitatem, qua ardentissime nos dilexit; fel, id est, acerbissimos quos pro nobis passus est cruciatus. Ex his conficiendum est pharmacum, quo molliatur obstinati peccatoris durities, et sanetur inveteratus animæ morbus. Attente consideranda est ejus vita, et virtutes ejus exemplares imitandæ: cor ejus in fornace amoris ignitum adhibendum est cordi nostro, ut ejus expellatur frigus, et igne divinæ dilectionis incalescat: apponendum est fel super oculos, ut expulsa mentis cæcitate oculis fidei et religionis conspiciamus veritates: passionis percipiendus est fructus, per accessum ad sacramenta, qui cum contineant Dominicæ passionis merita, bene dispositis conferunt simul cum gratia, semen gloriæ et æternæ felicitatis.

(1) Chrysol. Serm. 64. — (2) Tert. Lib. de An. 44. — (3) Chrysol. Serm. 65. — (4) Tert. L. 3. adv. Marc. 23. — (5) D. August. Serm. 11. de Verb. Dom. — (6) Tert. L. de An. 41.

(1) Tob. 6. — (2) Tob. 8. — (3) Tob. 11.

PECCATI CULPA
ET ATROCITAS.

SCHOLIUM.

Consideranda est peccati, 1. *Oppositio et contrarietas;* 2. *Depravatio et perversitas;* 3. *Sævitia et crudelitas;* 4. *Depopulatio et vastitas;* 5. *Macula et fœditas;* 6. *Peccati venialis periculosa labilitas.*

CONCIO PRIMA.

Itaque *si de aliquo bono sermo est, res postulat contrarium quoque boni recensere. Quid enim sectandum sit, magis illuminabis, si quod vitandum sit, proinde digesseris.* (1) Deus et peccatum ad invicem opponuntur. Nam Deus ens supremum est, peccatum nihil; Deus summa pulchritudo, peccatum summa turpitudo; Deus summa justitia, peccatum summa injustitia; Deus summa perfectio, peccatum omnimodus defectus; et quia in Deo sunt tres personæ, peccatum adhuc specialiter contrariatur, 1. Patri æterno; 2. Verbo divino; 3. Spiritui Sancto.

I. PARS. *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est.* (2) His verbis denotat Dei Filius se esse ab æterno generatum, et in sua generatione accepisse divinitatem a Patre; qui cum sit prima Trinitatis persona, *totius deitatis principium Pater est* (3), et ob hanc causam ei appropriatur majestas, potestas, auctoritas: peccatum autem opponitur Patris 1. Majestati; 2. Potestati; 3. Auctoritati.

Honor quem Christus ut homo semper æterno Patri reddidit, est *argumentum divinæ majestatis.* (4) Hoc exemplo stimulantur homines ad honorandam æterni Patris majestatem: peccatores ex adverso Christum imitantes tantum abest ut ei suos deferant cultus, quinimo eum inhonorant. Nam *peccare est Deum exhonorare: quod homo facere non debet; etiamsi necesse esset perire quidquid Deus non est.* (1) Peccatores tamen divinæ majestatis immemores, eam contemnentes a Deo se avertunt, et ad creaturam convertuntur; quia *peccatum est a præstantiore conditore aversio, et ad condita inferiora conversio* (2), in quo sese imprudentes, insolentes et impios demonstrant. Imprudentes, Deum infinite perfectum deserere, ut vili et imperfectæ creaturæ adhæreant. Insolentes, contemnere Deum sommo honore dignum: in peccato etenim Dei contemptus virtualiter continetur. *Mala bestia est peccatum, in ipsam Domini gloriam effundens malitiam.* (3) Impios, cultum soli Deo debitum vitiis exhibentes: *Peccare in Deum, est in iis peccare, quæ ad Dei cultum pertinent.* (4) His, aliisque modis peccatum contrariatur majestati Patris, ejusque adhuc opponitur potestati.

2. *Cujus potestas summa, nisi Dei solius* (5) quæ mirum in modum elucet: tum in mundi creatione: cuncta namque creata Dei ostendunt *potentiam qua tanta, et quidem ex nihilo* (6): tum in rerum creatarum conservatione quæ redirent ad nihilum de quo

(1) Tert. L. de Pat. 1. — (2) Tert. L. adv. Prax. 22. — (3) D. August. L. 4. Trin. 20. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 25.

(1) D. Aug. L. de Medit. c. 7. — (2) Aug. L. 1. quæst. ad Simplic. qu. 2. — (3) D. Chrysost. Homil. 14. in Matthæum. — (4) D. August. Lib. quæst. sup. Deut. qu. 53. — (5) Tert. Lib. de Test. An. 2. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 5.

productæ sunt, nisi Dei potentia conservarentur; tum in operatione cujusvis creaturæ quæ absque concursu primæ causæ nihil agere potest; peccatum autem opponitur divinæ potentiæ, non solum quia est infirmitas. Unde passim theologi omnia peccata ad peccata infirmitatis, ignorantiæ et malitiæ reducunt, quia *nemo peccat, nisi aut ignarus, aut victus, aut contemnens.* (1) Peccata infirmitatis, offendunt potentiam Patris; peccata ignorantiæ, sapientiam Filii; peccata malitiæ, bonitatem Spiritus Sancti: *Sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas enim et imperitia contrariæ sunt virtuti et sapientiæ, malitia vero contraria est bonitati.* (2) Non solum adhuc quia peccatum magis est contrarium Deo, quam nihil, majorque requiritur Dei potentia ad convertendum peccatorem, quam ad producendum mundum de nihilo: quia ad productionem mundi, nihilum non obstitit virtuti Dei, sed absque ulla resistentia obtemperavit: peccator autem innata abutens libertate, Deo sæpe sæpius resistit: sed peccator Patris præsertim offendit potentiam, quia, 1. Ab ea se fuisse productum negat, dicens cum Pharaone: *Ego feci memetipsum.* (3) 2. Neque in sui conservatione eam necessariam existimat, aiens: *Nullius egeo.* (4) Ejusque, 3. Influxu abutitur ad patranda atrocissima quæque scelera. De quo ipsemet conqueritur Deus: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis,* (5) concursum meum adhibens ad materiale tuorum peccatorum, meæque bonitati tua perversitate facescens negotium; nam inde hæretici me proclamant auctorem peccati: at immerito quia *nec idem habendus est delicti auctor, qui invenitur interdictor, imo et condemnator* (6); attamen tuis iniquitatibus tete opponis meæ auctoritati, quæ malum et peccatum prohibet, bonum et virtutem præcipit.

3. *Ad exhibitionem obsequii, prior est majestas divinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis.* (7) Plura sunt quæ Christianos ad divinæ legis observationem stimulant: 1. Æterna merces observantibus promissa: *Habes legem et salutem de observatione legis.* (8) 2. Gehennæ supplicium legis transgressoribus comminatum. *Cui severitati declinandæ tanta obsequii diligentia opus est, quanta sunt ista, quæ severitas comminatur.* (9) 3. Suprema Dei imperantis auctoritas, quam ipsemet præ se fert hominibus imperans. *Sed nec quotidianum illud omnium prophetarum: Hæc dicit Dominus. Ipse enim erat Dominus coram, ex sua auctoritate pronuntians: Ego autem dico vobis.* (1) Peccatum autem divinæ contrariatur auctoritati: ex D. namque Augustino, *alia sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta.* (2) Peccata contra naturam sunt naturæ defectus, ut dum quis nascitur cæcus, claudus aut gibbosus; peccata contra præcepta sunt ea quæ opponuntur divinæ legi bonum præcipienti et malum prohibenti. Nam, ut docet D. Aug, *peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum aliquid contra æternam legem, lex vero æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturæ, conservari jubens, perturbari vetans.* (3) Peccator, bonum quod Deus præcipit omittens, malum quod prohibet committens: propositam cœli mercedem nihili ducens, comminatum inferni supplicium non metuens, auctoritatem contemnit. *Hominem divinæ legis voluntarium contemptorem* (4) merito increpat Apostolus. *Per prævaricationem legis, Deum inhonoras* (5); eo magis criminosior quo te opponis, non solum Patri æterno, sed adhuc Verbo divino.

II. PARS. Divinum Verbum *ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiæ* (6); qui cum per viam intellectus naturaliter a Patre generetur, intellectus proprietates ei appropriantur, diciturque Lux, Sapientia, Veritas. Peccatum est Verbo divino contrarium, opponiturque ejus, 1. Luci; 2. Sapientiæ; 3. Veritati.

Divinum Verbum procedit a Patre, *ut lumen de lumine* (7), estque *manatio* (8) *quædam claritatis omnipotentis Dei sincera. Ibi autem quod manat, et de quo manat unius ejusdemque substantiæ est. Neque enim sicut aqua de foramine terræ aut lapidis manat, sed sicut lux de luce. Nam quod dictum Candor est enim lucis æternæ* (9); *quid aliud dictum est quam lux est lucis æternæ? Candor quippe lucis, quid nisi lux est? Ideo coæterna luci, de qua lux est. Maluit autem dicere candor quam lux lucis, ne obscurior putaretur ista quæ manat, quam illa de qua manat.* Peccata autem divinæ opponuntur luci, quia sunt tenebræ et nox: ut superiori tractatu fuse demonstra-

(1) D. August. L. quæst. sup. Num. qu. 25. — (2) D. Aug. L. 83. quæst. qu. 26. — (3) Ezech. 29. — (4) Apocal. 3. — (5) Isai. 43. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 9. — (7) Tert. Lib. de Pœn. 4. — (8) Tert. L. de Præsc. Hær. 14. — (9) Tert. L. de Pat. 4.

(1) Tert. L. de Car. Ch. 14. — (2) L. 2. Contra Faust. 27. — (3) Ibid. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 14. — (5) Rom. 2. — (6) Tert. Apol. 21. — (7) Tert. ibid. — (8) D. August. L. 4. Trinit. 20. — (9) Sap. 7.

tum est. (1) Illa autem divini Verbi lux offenditur, 1. Ab iis qui eam lucentem nolunt recipere ut bene agant, quantumvis ad bonum operandum eis necessaria sit. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *ad peccandum namque non adjuvamur a Deo, justa autem agere, vel justitiæ præceptum etiam ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur a Deo. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus aversusque discedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino nisi illa adjuverit, potest; ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostrum mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemur.* 2. Offenditur ab his qui quærunt tenebras, quasi Deus non conspiciat facinora quæ perpetrantur in nocte. Cujusmodi erat stultus ille sic loquens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, et nemo circumspicit me, quem verear? Et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, hominum corda intuentes, in absconditas partes. » (2) Verum *esto nemo te videat, non tamen nullus. Videt te Angelus; videt te Angelis major Deus; videt et ipse judex, cujus te oportet assistere tribunali.* (3) Considera si ejus possis vitare conspectum qui omnia videt, nam *omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus.* (4) Basilius Magnus expendens istud Davidicum : Deus de cœlo prospexit, vocat Deum *sublimem inspectorem* (5) ex alto res mortalium conspicientem. Nec mirum, quia, ut fatur Chrysolog. (6) *totus oculus* est quocunque pergas, o homo. Subjungit Basilius, quodcunque opus efficias sive, in tenebris, sive in diei luce, semper habes *oculum Dei superintendentem*; qui abscondita quæque detegit, et latebrosa illustrat; *quantascunque tenebras factis tuis, superstruxeris, Deus lumen est.* (7) Tandem ab iis offenditur, qui Dei non verentur conspectum, qui, ut ait Propheta Evangelicus, *provocant oculos majestatis* (8); qui in ejus præsentia peccant impudenter, et, ut fatur Tertullianus, *de passivitate vitæ et diligentia delictorum, generositatem sibi vindicant.* (9) Tanto criminosiores, quanto major est Dei majestas, et quanto certiores sunt de ejus præsentia, quam fides docet et ratio demonstrat. *Hoc verissimum est longe gravius esse peccatum ejus qui sciens quam ejus qui nesciens, peccaverit* (1), uterque Deum offendit, et tum luci, tum sapientiæ Verbi sese opponit.

2. Verbum divinum *apud Scripturas etiam in nomine sophiæ ostenditur. Quid enim sapientius sermone Dei?* (2) Sermo Dei est Verbum divinum : nam, ut fatur aliorsum Tertullianus, *et sermo autem, virtus et sophia, ipse erit Dei filius.* (3) « Qui etiam figura substantiæ ejus, et verbum, et sapientia dicitur. » (4) De sapientia ab æterno genita indubitatus loquitur Augustinus : *Deus omnium quæ sunt causa est, ergo et sapientiæ suæ causa est sempiterna : nec tempore prior est, quam sua sapientia.* (5) Sumit autem D. Augustinus causam late pro principio, non proprie. Causa enim proprie sumpta producit effectum, qui dependentiam importat, habet naturam ab illa saltem numero distinctam, estque illa posterior ad minus posterioritate naturæ. Dei autem filius independens a Patre, cum eo habens individualem et indistinctam essentiam, non est posterior natura, sed duntaxat origine. Idcirco ab illo procedit, non tanquam a causa, sed tanquam a principio. Peccatum autem divinæ sapientiæ oppositum ideo stultitia nuncupatur a Regio Vate : Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, *a facie insipientiæ meæ*, scilicet peccati lethalis, quod stultitiam appellat, quia stultitiam sapit, et ab stultitia procedit, ut commentatur Magnus Basilius : *Omne peccatum per stultitiam fit, nec sapit, nec mentem habet, qui peccat.* Quod de semetipso fatetur Sapiens : *Salomon omni sapientia donatus a Domino* (7), postquam in peccatum prolapsus est, *stultissimus sum virorum* (8), inquit. Impii etiam qui dum viverent sese existimabant, et probos et bene moratos velut stultos despiciebant, post mortem se errore deceptos recognoscunt, probos de sapientia commendant, seseque de insania condemnant : *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* (9)

Ut evidentius pateat quantum peccatorum stultitia sit contraria sapientiæ Verbi, *opponemus contrarietates sapientiæ et insipientiæ* (10) : siquidem contraria juxta se posita magis elucescunt. Sic monent philosophi contrariorum unam esse scientiam, ut ægritudinis et sanitatis : album et nigrum, lux et tenebræ ad eamdem referuntur potentiam. Sensus quoque audiendi æque de sono et silentio

(1) Tert. Præd. tom. 5. Tract. de Peccatore Conc. 5. — (2) Eccles. 23. — (3) D. Bern. Serm. ad Cleric. c. 16. — (4) Hebr. 4. — (5) Ps. 32. — (6) Serm. 34. — (7) Tert. L. de Pœn. 6. — (8) Isa. 3. — (9) Tert. L. adv. Valent. 30.

(1) D. August. L. 4. de Bapt. 5. — (2) Tert. L. adv. Prax. 6. — (3) Tert. L. adv. Prax. 19. — (4) D. August. Lib. 1. de Incarn. c. 19. — (5) Lib. 87. quæst. qu. 16. — (6) Psal. 37. — (7) Tert. Lib. de Præsc. hær. 3. — (8) Prov. 30. — (9) Sap. 5. — (10) Tert. L. de An. 29.

dijudicat : *Nihil non parum grate, sine comparatione laudatur.* (1) Profecto ex oppositione vitiorum, virtutis laus et prædicatio fit illustrior, et quanta sit illius dignitas et pulchritudo melius dignoscitur. Sic ex oppositione sapientiæ et insipientiæ illius decor micantius coruscat, istius dedecus magis manifestatur. Multiplex est autem *sapientiæ testimonium.* (2) 1. Dei timor : siquidem *divina alias enuntiatio Salomonis, Initium, inquit, sapientiæ, metus in Deum* (3) : 2. Dei vera cognitio, nam *quis sapiens, expers veritatis, qui ipsius sapientiæ ac veritatis patrem et Dominum Deum ignoret* (4) 3. Submissa mysteriorum fides ; quantumvis sensibus contraria et rationi absurda videantur. *Non eris sapientior, nisi stultus in seculo fueris, Dei stulta credendo.* (5) *Quoniam sicut sapientia mundi stultitia est penes Deum, ita et sapientia Dei, stultitia est penes mundum. Sed nos scimus stultum Dei, sapientius hominibus.* (6) 4. Boni amor et sapor, veri namque sapientes charitatis æstuant ardore et *bonum sapiunt* (7) ; et ob hanc scientiam sapientia dicitur *sapida scientia.* Ut enim ait D. Augustinus, *sapientia est amor boni sive sapor boni, a sapore siquidem dicitur.* (8) 5. Virtutis operatio, in qua multum Christianos Gentilitatis sapientibus præponit Tertullianus, quia sapientiæ notiones redigunt ad praxim et bene agentes fidei integrant veritates : *Christiani necessario appetunt veritatem, et integre præstant, ut qui salutis suæ curant.* (9) Sapientia christiana non est mere speculativa, sed partim speculativa, partim practica : nam *docet veritatem contemplationis et actionis probitatem.* (10) 6. Futura providet, mentisque et fidei projicit oculos *in eum diem quem solus Pater novit, ut pendula exspectatione sollicitudo fidei probetur ; semper diem observans, dum semper ignorat ; quotidie timens quod quotidie sperat.* (11) 7. Discretione pollet, probe sciens *quid cuique præponendum, vel postponendum sit, judicare.* (12) 8. Ad beatitudinem respiciens, ejus obstacula removens, mediaque quæ ad illam conducunt consultissime eligens, et diligentissime quærens, *sapientia est rerum divinarum et humanarum quæ ad beatam vitam pertinent, non scientia tantum, sed diligens inquisitio.* (13)

Peccatores ejusmodi sapientiæ testimonia non habent. Non, 1. Dei timorem. *Sapiens timet, et declinat a malo, stultus transilit et confidit.* (1) Non, 2. Dei ejusque veritatum notitiam ; quemadmodum enim *qui Deum timuerit, omnium notitiam et veritatem assecutus, plenam atque perfectam sapientiam obtinebit* (2) : ita qui non timuerit Deum, veram non assequitur sapientiam, sed duntaxat *sapientiam humanam affectatatricem, et interpolatricem veritatis.* (3) Non, 3. Submissam mysteriorum religionis fidem : nam de tumidis peccatoribus *quis dicendi magis affinis quam præsumendi ; et credendi diligentior, quam contendendi ; et divinæ potius sapientiæ religiosus, quam suæ libidinosus* (4) ; ut constat ex sciolis illis qui tumore inflati, inscrutabilia Dei secreta investigare et culpare præsumunt. *Censores Divinitatis, dicentes : Sic non debuit Deus, et, Sic magis debuit : quasi cognoscat aliquis quæ sint in Deo, nisi Spiritus Dei. Mundi autem habentes spiritum, non agnoscentes in sapientia Dei, per sapientiam Deum, consultiores sibimet videntur Deo* (5) ; ejus sermonibus in Scriptura sacra contentis non deferentes, Ecclesiæ ab ipso fundatæ auctoritatem despicientes, veritates supernaturales impugnantes, sensus experientiam et rationis lucem fidei divinæ præferentes. Ut constat ex hac ætate, in qua præsumptio et iniquitas *novam hæresim induxit.* (6) Non, 4. Boni et Dei amorem et saporem, *cum universa delicta adversus Deum sapiant* (7), ejusque odium contineant et fastidium ingenerent. Ut autem docet D. Thomas (8) ad stultitiam pertinet, quod homo habeat fastidium de Deo et de donis ipsius. Non, 5. Virtutis operationem, nam scelerose vivunt et *facinora tributa sunt vitæ* (9) quam ducunt. Non, 6. Futurorum providentiam ; quia de morte, judicio, inferno, nullatenus recogitant. Quare sapienter Sapiens : *Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit providere in posterum.* (10), Non, 7. Prudentiam, quia discretione non pollent, neque probe judicant, quid sive in doctrina, sive in moribus præponendum et postponendum sit ; nam errorem veritati præponunt, et veram Ecclesiæ doctrinam deferentes, novitates et hæreses amplectuntur. *Solent quidem infirmiores etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam. Quare ille vel ille fidelissimi, prudentissimi et usitatissimi in Ecclesia, in illam partem trans-*

(1) Plin. in Pan. Trajan. — (2) Tert. Apol 46. — (3) Tert. L. 2. ad Natio. 2. — (4) Tert. ib. — (5) Tert. L. de Cor. Chr. 5. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (7) Tert. L. de Spect. 19. — (8) L. de Spir. et An. c. 1. — (9) Tert. Apol. 46. — (10) D. Aug. L. 1. Retract. 7. — (11) Tert. L. de An. 33. — (12) D. Aug. L. 12. Trin. 15. — (13) D. Aug. L. de Academicis. c. 8.

(1) Prov. 14. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 2. — (3) Tert. L. de Præsc. hær. 7. — (4) Tert. Lib. de Res. 32. — (5) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 2. — (6) Tert. Lib. de Præsc. Hær. 6. — (7) Tert. L. de Idol. 1. — (8) 2. 2. qu. 45. a. 3. — (9) Tert. L. de An. 35. — (10) Eccl. 4.

ierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, Neque prudentes, neque fideles, neque usitatos existimandos, quos hæreses potuerint demutare? (1) Non, 8. Æternam cœli beatitudinem desiderant, neque media ad eam comparandam quærunt : quia totum suum studium adhibent in transitoria mundi felicitate : *in ea gaudent, in ea avocantur, in ea gloriantur.* (2) Ut autem fatur nonnemo, « stultus est qui quærit quod non potest invenire : qui quærit quod nocet inventum, et qui ad finem quem sibi Æneas proponit, deteriorem eligit viam. » (3) Quam stultus peccator qui in seculo quærit felicitatem : qui bona terrena quærit, quorum possessio ut plurimum noxia est; et qui beatitudinem assequi præsumit per crimina, quæ ad miseriam, infelicitatem et damnationem ducunt. Placuit *contraria contrariis redarguere* (4), et vario sapientiæ testimonio confundere peccatores, quorum peccata opponuntur divini Verbi sapientiæ et veritati.

3. Uti divinum Verbum est æternum, *æque veritas sempiterna et antiqua res* (5) ab æterno producta. Ut enim ait D. Augustinus (6), *ipsa veritas est Verbum Dei, Deus apud Deum, unigenitus Filius : hæc veritas carne induta est propter nos, ut de Maria Virgine nasceretur, et impleretur prophetia : Veritas de terra orta est.* (7 Ad quid autem humanatum fuerit divinum Verbum, et veritas sempiterna de terra Virgine oriri voluerit in tempore, declarat ipsemet Dei Filius carne indutus : *Ad hoc natus sum, et veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (8) : trinamque afferam veritatem, scilicet veritatem doctrinæ, veritatem loquelæ, veritatem vitæ. Trina hac veritate se insignitos gloriantur Christiani : *Quid enim insigne præferimus, nisi ipsam veritatem?* (9) Veritatem quidem doctrinæ : nam *dilucidata per Christum veritate, projecimus idola* (10), et veram professi sumus disciplinam. Veritatem etiam loquelæ, dum enim illis incumbit loquendi negotium, *simplicitas veritatis in medio est.* (11) Tandem veritatem vitæ, opere exsequentes quod docet fides. Quare Christianus nuncupatur a Tertulliano *integrator veritatis* (12), quia ducit vitam veritati doctrinæ conformem.

Peccatum trinæ illi veritati opponitur; error seu hæresis, veritati doctrinæ; mendacium, veritati oris seu loquelæ; iniquitas seu opus scelerosum, veritati vitæ : 1. Hæretici seu novatores offendunt veritatem doctrinæ; ad quod ut plurimum vanitate et odio incitantur. Valentini exemplum prodit Tertullianus : *Speraverat espicopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio. Sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit* (*ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi*) *ad expugnandam conversus veritatem : et cujusdam veteris semen nactus, Colarbaso viam delineavit.* (1) Idipsum egit olim Arius, et superiori seculo tentavit in Germania Lutherus, in Gallia Calvinus. *Conversus ad veritatis expugnationem, quasi pro solatio ultionis.* (2) 2. Mendaces oris seu loquelæ offendunt veritatem : « nullum enim mendacium quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux et tenebræ, pietas et impietas, justitia et iniquitas, peccatum et recte factum, sanitas et imbecillitas, vita et mors, ita inter se sunt veritas mendaciumque contraria. » (3) 3. Scelerosi et peccatores depravatam vitam ducentes, vitæ offendunt veritatem, suntque *prostitutores christiani sacramenti* (4); quod infidelium exponunt censuræ. *Arcentur a religionis proprietate* (5); quia scilicet sunt *desertores bonæ vitæ* (6), per quam religio christiana dignoscitur, et insuper Spiritui Sancto opponuntur.

III. PARS. *Pater, et Filius, et Spiritus, tres crediti, unum Deum sistunt* (7); quia unam et eamdem habent deitatem, licet sint tres personæ realiter inter se distinctæ : Pater est prima Trinitatis persona, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia. Ideoque Tertullianus eum vocitat *tertium nomen divinitatis, et tertium gradum majestatis.* (8) Patri tanquam improducto attribuuntur majestas, potestas et auctoritas; Filio, per intellectum seu memoriam fecundam Patris generato, appropriantur lux, sapientia et veritas; Spiritui Sancto, per ardentem voluntatem Patris et Filii producto, conveniunt sanctitas, charitas, gratiarum largitas. Vidimus quæ sint contraria Patri, quæ sint opposita Filio : *Spiritui vero contraria* (9) conspiciamus; scilicet peccatum est contrarium ejus 1. Sanctitati; 2. Charitati; 3. Gratiarum largitati.

1. Trina ratione Spiritus Sanctus sic nominatur : 1. Quia *sanctitas natura est ejus*

(1) Tert. Lib. de Præsc. Hær. 3. — (2) Tert. L. de Spect. 28. — (3) Silv. Ep. 166. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (5) Tert. Lib. de Vel. Virg. 1. — (6) Tract. 41. in Joan. — (7) Ps. 84. — (8) Joan. 18. — (9) Tert. L. 1. ad Nat. 4. — (10) Tert. L. adv. Jud. 13. — (11) Tert. Apol. 23. — (12) Tert. Apol. 46.

(1) Tert. L. adv. Valent. 4. — (2) Tert. L. de An. 34. — (3) D. August. Cont. Mendac. c. 3. — (4) Tert. L. de Pudic. 10. — (5) Tert. Apol. 24. — (6) Tert. Lib. 1. ad Nat. 4. — (7) Tert. L. adv. Prax. 31. — (8) Ibid. 30. — (9) Tert. L. de An. 32.

(1), eique non secus ac Patri et Filio sanctitas essentialiter competit; 2. Quia est terminus spirationis sanctæ; et, ut fatur D. Ambrosius, *genitorem, genitique sanctitas spiritusque* (2); 3. Quia homines sanctitatis efficit participes: unde D. Augustinus: *Non est sanctus ut Deus noster, qui est sanctus sanctificans, sicut justus justificans.* (3) Peccatum sanctitati Spiritus Sancti opponitur, qui collatam destruit sanctitatem, cui magis contrariatur quam calor et frigus in summo, quæ sese mutuo expellunt; ab uno subjecto, neque in eo simul possunt permanere: *Omne delictum voluntarium in Domino grande est* (4), tum quia gratiam sanctificantem destruit, tum quia Spiritum Sanctum ab homine in quo habitabat ejicit: tum quia ejus charitati sese opponit.

2. *Ecclesia exuritur de figura rubi.* (5) Alludit ad rubum ignitum et non combustum, quem vidit Moyses, et ad linguas igneas, in quibus Spiritus Sanctus supra Apostolos in cœnaculo congregatos descendit. Ignis symbolum est charitatis, et consequenter Spiritus Sancti, qui proprio charactere est charitas, seseque cum habitu charitatis donat eis quos sua gratia sanctificat: *Deus Spiritus Sanctus* (6), *qui procedit ex Deo, dum datus fuerit homini accendit eum in dilectionem Dei et proximi, et ipse est dilectio. Non enim habet homo unde diligat Deum, nisi ex Deo: propter quod Apostolus ait: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* (7), ubi Paulus charitatem ab Spiritu Sancto tanquam effectum a sua causa distinguit. Itaque in justificatione duplex donatur charitas: increata una, nempe Spiritus Sanctus, qui in homine justificato tanquam in suo templo inhabitat: creata altera, scilicet virtus charitatis, quæ est *summum fidei sacramentum, christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Sancti Spiritus commendat.* (8) At cur Apostolus tot encomiis commendat charitatem? quia scilicet est donum Spiritus Sancti; quia Spiritus Sanctus simul cum illa sese communicat; quia est nobilior virtutum quæ cæteras ad Deum refert, quem propter semetipsum diligit; quia hominem cum Deo et proximo unit; quia hominem Dei amicum charum et dilectum efficit.

Peccatum vero charitati est oppositum, quia, ut docet D. Thomas, est odium Dei (1), ideoque peccatorem odiosum reddit; *malitia nunquam non Domino odiosa* (2): imo de facto illam aversatur. Nam *si omnem malignitatem, et si tantum malitiam excogitatam, Deus exactor innocentiæ odit* (3); quanto magis scelera opere consummata? Unde Siracides: *Altissimus odio habet peccatores.* (4) Quod etiam asseverat ipsemet Deus: *Iniquos odio habui* (5), non solum odio inimicitiæ, sed adhuc odio abominationis. *Abominatio Domini est via impii.* (6) Major est oppositio quæ intervenit inter Deum et peccatum quam quæ reperitur inter aquam et ignem: contrarietas aquæ et ignis fundatur non in eorum substantia, sed in calore et frigore, quæ sunt qualitates quæ absoluta Dei potentia possunt esse simul absque ulla alteratione; at oppositio Dei ad peccatum in propria ipsius substantia fundatur, a qua nequit divelli etiam per absolutam Dei potentiam. In incarnatione, Deus univit æternitatem et tempus, magnitudinem et parvitatem, immortalitatem et mortem, ens et nihil; at nequit fœderare ad invicem essentialem Dei sanctitatem cum peccato, quod naturaliter odit: eadem necessitate naturæ qua Deus sese infinite amat, eadem odit peccatum.

Odium quo Deus aversatur peccatum et peccatorem, oritur, 1. Ex sanctitate sibi essentiali, quæ naturaliter opponitur peccato; 2. Quia peccatum est solus Dei inimicus, quem destruere molitur, et quantum est ex se *totum quod Deus est, aufert.* (7) 3. Ex contemptu peccatoris, Deum peccata prohibentem offendentis. *Talis igitur excetra delictorum, cur non Dominum offendat, improbatorem malorum?* (8) 4. Ex contumacia hominis qui innata abutens libertate, committit peccatum, quod cum gratiæ auxilio vitare potuit: *Quanto enim potestas vitandi fuit, tanto contumaciæ crimine oneratur.* (9) 5. Ex damno quod peccatum affert homini quem Deus ad sui formavit imaginem, et in baptismo opulenter gratiæ ditavit gazis. 6. Ex amore quo Deus se amat. Nam, ut ratiocinatur D. Thomas, *odium ex amore nascitur, quia illud odio habetur, quod adversatur bono convenienti, quod amatur.* (10) Deus naturaliter propriam amat bonitatem: et quia *omne peccatum iniquitas est* (11), Deus naturaliter odit peccatum sibi oppositum, et bonitatis suæ hostem infen-

(1) Tert. L. de Monog. 3. — (2) Lib. de Symb. Apost. cap. 1. — (3) Lib. 17. Civ. 4. — (4) Tert. L. 2. ad Ux. 3. — (5) Tert. Scorp. 1. — (6) D. Aug. L. 17. Trin. 7. — (7) Rom. 5. — (8) Tert. L. de Pat. 12.

(1) 2. 2. qu. 37. a. 1. — (2) Tert. Lib. de Pat. 10. — (3) Tert. L. de Spect. 2. — (4) Eccli. 12. — (5) Psal. 116. — (6) Prov. 15. — (7) Tert. L. adv. Hermog. 1. — (8) Tert. L. de Pat. 5. — (9) Tert. L. 2. ad Ux. 3. — (10) 1. 2. qu. 99. a. 1. — (11) D. August. Tract. 4. in Ep. Joan.

sissimum. Deus summe amat bonitatem suam infinite amabilem, ergo summe odit peccatum infinite odibile : odium quo Deus odit peccatum commensuratur, et cum essentiali sua bonitate, et cum infinito amore, quo semetipsum diligit.

Ex his trinum colligitur odii incentivum: unum, Dei exemplum, qui peccatum velut hostem suum infensissimum odit : *Quando ne nos quidem ipsi, servulis nostris ea quibus offendimur non odisse permittimus.* (1) Alterum, conformitas nostræ voluntatis cum divina voluntate, quæ ex adverso peccato opponitur, illudque naturaliter odit. *Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est.* (2) Tertium, amor quo Deum diligimus : *Qui diligitis Dominum, odite malum* (3), quod Dei majestatem contemnit, bonitatem odit, et Sancti Spiritus liberalitati se opponit.

3. *Neque Spiritum Sanctum indulget, nisi solus Deus.* (4) Spiritus Sanctus donum est etiam ab æterno, quod Pater et Filius in tempore dant hominibus. Prorsus *magna est misericordia Dei, quia donum dat æquale sibi : nam donum ejus Spiritus Sanctus est.* (5) Sed non minor Spiritus Sancti liberalitas, qui semetipsum dat hominibus, et simul cum seipso abunde largitur dona gratiarum. Peccatum tamen Spiritus Sancti largitati opponitur : nam receptas ejus gratias annihilat; vel ne recipiantur impedit et obstat. Homines de justitia in peccatum labentes sanctificantem gratiam destruunt, et Spiritum Sanctum de cordibus suis ejiciunt. *In quibus jam Spiritus Sanctus non immoratur* (6), sed malignus spiritus hospitatur. Peccatores adhuc oblatam gratiam insolenter despiciunt: utrique Spiritui Sancto injuriosi sunt; illi ejus donum destruentes, isti non acceptantes, sed despicientes : et ita quivis peccator *Dei dono contumeliam facit : respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet ? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet.* (7)

Quanta sit peccatoris ingratitudo et quam sit Spiritui Sancto injuriosus, tribus in locis denotat Apostolus : 1. *Spiritui gratiæ contumeliam facit* (8), id est, acceptam vel in baptismate, vel in pœnitentiæ sacramento gratiam, qua Deo gratus, sanctus, Deique amicus, et filius, effectus, contemnens, conculcans, destruens, contumeliam facit Spiritui Sancto, qui est gratiæ auctor et largitor; 2. Spiritum Sanctum in semetipso exstinguit. *Spiritum nolite exstinguere.* (1) Spiritus Sanctus proprie nequit exstingui, utpote essentialiter immortalis: lethali tamen peccato velut exstinguitur, et moraliter moritur in mortua anima peccatoris, in qua media gratia sanctificante vivebat et residebat. Unde de renato per baptismum sic fatur Tertullianus : *Excipitur a Spiritu Sancto, sicut in pristina nativitate a spiritu profano. O beatum connubium, si non admiserit adulterium !* (2) Quanta, quæso, contumelia ab infideli uxore suo viro illata, cui denegat thorum, ut in suo sinu recipiat adulterum. En verum peccatoris specimen, qui in baptismo inierat cum Spiritu Sancto connubium: adulterans tamen cum diabolo, Spiritum Sanctum ejicit, et diabolum in se habitantem recipit; et, 3. Sua perfidia Spiritum Sanctum tristitia afficit : *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* (3) Proprie loquendo, in Spiritum Sanctum non cadit tristitia, dolor, aut aliqua passio ; sed peccator dicitur eum contristare, dum eum offendit, dum ejus gratiam destruit. Homo ab amico injuriam aut contumeliam accipiens, ea offenditur et contristatur. Sic Spiritus Sanctus a peccatore quem beneficiis et favoribus sibi obligaverat offensus, injuriose et contumeliose tractatus, contristaretur, si in eum cadere posset tristitia, et nisi esset Deus imperturbabilis : quod enim non contristetur, procedit non ex defectu causæ, sed ex perfectione Spiritus Sancti : peccator enim quantum est ex sua parte, illum contristat, quia dat causam quæ nata est contristare, quæque de facto contristaret Spiritum Sanctum, si tristitiæ capax esse posset. *In primis ergo, benedicti, nolite contristare Spiritum Sanctum, qui vobiscum introiit carcerem. Si enim non vobiscum introïsset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideo date operam ut illic vobiscum perseveret : ita vos inde perducat ad Dominum.* (4) Hæc verba quibus Tertullianus alloquitur martyres, Christianis probe possunt aptari : 1. Fratres, nolite vestris sceleribus contristare Spiritum, qui vobis largitus est suam gratiam, et in vobis habitare dignatus est; 2. Nisi vos sanctificasset in baptismate, gratia signasset, et in corda vestra ingressus, fuissetis christianam dignitatem adepti. Quapropter, 3. Sedulo fugite peccata, conservate gratiam, ut in vobis remaneat;

(1) Tert. Lib. de Pœn. 4. — (2) Tert. ibid. — (3) Psal. 96. — (4) Tert. L. de Bapt. 10. — (5) D. August. Serm. 43. de Verb. Dom. — (6) Tert. Lib. adv. Jud. 13. — (7) Tert. L. de Pœn. 5. — (8) Hebr. 10.

(1) 1. Thessal. 5. — (2) Tert. Lib. de An. 41. — (3) Ephes. 4. — (4) Tert. L. ad Mart. 1.

Nam si in gratia perseveratis, Spiritus Sancti præsentia fruemini, deducet vos in cœlum, ubi æternam possidebitis felicitatem.

CONCIO SECUNDA.

Omne *delictum voluntarium grande est.* (1) Varia nomina quibus denotatur, ejus gravitatem et enormitatem denotant. Dicitur autem ab irrefragabili Doctore, *macula*, *vitium*, *crimen*, *culpa*, *nefas*, *scelus*. 1. *Macula* (2), quia animam contaminat; 2. *Vitium*, quia potentias naturales infirmat; 3. *Crimen*, quia est vituperio dignum; 4. *Culpa*, quia est pœnæ obligatorium; 5. *Nefas*, quia est illicitum; 6. *Scelus*, quia est injuria Dei, quem graviter offendit. Duodecim peccatorum nominationes refert adhuc Guillelmus Parisiensis, « quibus apparent anxietas, fœditas, horribilitas, cæteraque mala peccatorum : » (3) quibus brevitatis causa prætermissis, *delicta quis intelligit?* (4) Quasi dicat Regius Vates : Quis delictorum considerat atrocitatem? Non impudens peccator, qui de suis sceleribus gloriatur. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* (5) « Sermo est ad Doeg, quem oportuerat prius malitiam suam obtegere, quam de ea gloriari. » (6) De fœdo scelere gloriatur. Scelus vile, infame, scelestum, propudiosum, ipse laude dignum et gloriosissimum reputat. Doeg similis est inverecundus peccator, qui de suo peccato gloriose se jactat. Multum a Tertulliano discriminatus qui in suis delictis præstantiam agnoscit, non ut de illis impudenter glorietur, sed humilietur, erubescat et pœniteat. *Pœnitentiam tu, peccator, mei similis (imo me minor, ego enim præstantiam in delictis meam agnosco), ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem.* (7) Porro, *initium est salutis notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes.* (8) Qui peccata sua agnoscit, corrigere ea potest; qui autem delicta sua non videt, aut videre negligit, remedium non quærit; qui autem gloriatur in malitia, non se cognoscit, nec emendat, quia delicti malitiam non reputat pœnitendam, sed illustrem gloriosam : quod D. Augustinus Davidis exemplo demonstrat, qui ante admonitionem Nathan prophetæ non pœnitebat, quia peccatum suum non conspiciebat. *Peccatum ejus non erat coram eo, post dorsum erat, quod fecerat, suam iniquitatem nondum agnoscebat: sed Propheta ad hoc missus, abstulit a dorso peccatum, et ante oculos posuit* (1) : mox ut fuit a Nathan correptus et admonitus, Dei offensam, quam ante non satis inspexerat, penitus intuens, humiliter ejus misericordiam deprecatur : « Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. » Quasi dicat, subjungit D. Augustinus : *Non posui post dorsum meum quod feci*, sed coram me. Fratres, imitemur Prophetæ exemplum; peccatum intueamur; recogitemus quam grandis sit 1. Deordinationis perversitas; 2. Injustitiæ iniquitas; 3. Malitiæ infinitas.

I. PARS. *Ordo semper a principalibus deduci exposcit, ut de ipso prius constet, a quo dicatur dispositum.* (2) Duplex est mundus, a Deo utriusque auctore ordinatus. Quidquid est in universo mundo, *totum hoc judicato dispositum et ordinatum est.* (3) Deus namque cunctas creaturas de nihilo productas distinxit, ordinavit. Magno autem *ordinato per elementa mundo* (4), trinum in homine, qui est parvus mundus constituit ordinem : primum, intra ipsum; secundum, supra ipsum; tertium, extra ipsum. Primus est per comparationem ad regulam rationis: secundus per comparationem ad regulam divinæ legis; tertius per comparationem ad regulam humanæ societatis. (5) Primus est ordo passionis ad rationem per quam regulanda est passio. Secundus, est ordo rationis, ad divinam legem, cui debet subjici, ab eaque dirigi. Tertius est hominis ad hominem : quia homo naturaliter est politicum et sociale animal, et reipublicæ seu regni subjicitur legibus : liceat loco ordinis illius politici substituere ordinem per comparationem ad finem ultimum, quo homo a divina Providentia *saluti ordinatur.* (6) Ordo passionis ad rationem, convenit homini, in natura, quatenus homo est; ordo rationis ad divinam legem convenit homini in disciplina, quatenus Christianus est; ordo hominis ad suum finem, convenit homini, inquantum *æternitatis canditatus* (7) ad salutem et gloriam destinatus : peccatum autem est inordinatio et perversitas ordinis, 1. Rationis; 2. Legis; 3. Finis.

(1) Tert. L. 2. ad Ux. 3. — (2) 2. p. q. 106. membr. 1. q. penult. — (3) Tract. de vitiis et peccat. cap. 11. — (4) Psal 18. — (5) Psal 51. — (6) Euthym. — (7) Tert. L. de Pœn. 4. — (8) Senec. Ep. 26.

(1) In Psal. 50. — (2) Tert. L. de Res. Car. 2. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (4) Tert. L. de Bapt. 3. — (5) D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 1. — (6) Tert. L. de Res. Car. 59. — (7) Tert. L. adv. Jud. 2.

Homo in semetipso servans ordinem, suæ perfecte respondet naturæ : *Tanto abest ut ratio ipsa in aliquo ordinem amittat* (1), quinimo illum diligentissime conservat, ut rationalem præ se ferat dignitatem : at econverso, *nulla res sine ordine rationalis potest vindicari*, quia scilicet a sua regula degenerat. Quapropter peccatum consideratur a Philosopho, prout rationi contrariatur, definiturque *privatio rectitudinis debitæ inesse actui.* (2) Uti autem rectitudo actus habetur a ratione ordinante et regulante, ita privatio rectitudinis procedit a passione ordinem perturbante. Ut enim ait Theodoretus, *immodicæ deliciæ rationem obruunt*, ut constat ex gulosis et libidinosis, in quibus non servatur neque ordo rationis, neque ordo legis.

1. Deus est, 1. Independens, nec est subjectus regulæ alicujus superioris, sed ipsemet est sua regula per essentiam : homo vero a Deo dependet, ejusque legi tanquam regulæ sibi a superiori datæ, commensurari tenetur. Et ob hanc causam Deus homini dedit legem : *Ne non tam liber quam abjectus videretur, æquandus famulis suis cæteris animalibus; sed ut solus homo gloriaretur, quod solus dignus fuisset qui legem a Deo sumeret; utque animal rationale, intellectus et scientiæ capax, ipsa quoque libertate rationali contineretur; ei subjectus, qui subjecerat illi omnia.* (3) 2. Liberum Dei arbitrium est semper in bono confirmatum, eique immutabiliter adhæret, æternamque habet permanentiam : idcirco nulla indiget regula directiva, quæ illum a malo dimoveat et ad bonum regulet; in homine autem *libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vitando.* (4) Quapropter divina lex ei fuit necessaria, ut eum dirigeret, et in bono sponte servando, et in malo sponte vitando : quam *legem bonitas erogavit, consulens homini quo Deo adhæreret* (5) per fugam mali et operationem boni; 3. Objecto voluntatis Dei non est conjunctum malum, neque etiam per accidens, quia objectum primarium et motivum divinæ voluntatis est essentia divina infinite perfecta ab omni defectu aliena : voluntas autem humana potest ferri in bonum aliquod secundum quid, cui conjunctum est malum simpliciter, verbi gratia, delectatio quæ in actu adulterii reperitur, est bonum secundum quid, cui est annexum malum simpliciter, nempe privatio ordinis justitiæ.

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 23. — (2) 1. ad Tim. c. 5. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 4. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 4.

Ex his sequitur, 4. Quod Deus nullo modo potest esse causa peccati, neque per accidens, quia objecto voluntatis ejus nullum est conjunctum malum; neque deficiens, quia regulæ alicujus superioris non est subjectus, neque consentiens, seu libere agens, quia voluntas ejus bono immutabiliter adhæret. Humana voluntas econtra tripliciter potest esse causa peccati, scilicet per accidens, ut deficiens, et ut consentiens, seu libere agens : 1. Per accidens dum fertur in bonum aliquod secundum quid, cui conjunctum est malum simpliciter : licet enim non velit malum secundum se, eo tamen ipso quod eligit bonum cui semper conjungitur malum, magis vult incidere in hoc malum, quam carere tali bono; 2. Ut deficiens, quia non attendit ad regulam rationis, et divinæ legis, neque ordinem dependentiæ servat. Etenim *nulla in maleficiis ordinis ratio est.* (1) 3. Ut consentiens seu libere agens, quia libere divinam transgreditur legem.

Quod evidentius patebit, examinando varias definitiones quas Patres afferunt de peccato; seu potius nominis notationes, definitio enim proprie sumpta est alicujus rei declaratio, peccatum autem formaliter sumptum in privatione consistit : peccati autem definitiones ex causis efficiente formali, exemplari, materiali et finali desumuntur. Et, 1. Secundum causam efficientem definitur a D. Augustino : *Malum voluntarium* (2) : voluntas enim est causa peccati radicalis, imperans et perficiens : 1. Radicalis, quia sicut radix est causa principalis arborum, ita voluntas est causa principalis peccati; 2. Imperans, quia omnibus animæ potentiis et corporis membris imperat : unde peccatum habet esse in voluntate ut in primo movente et imperante, in aliis autem animæ potentiis, et membris corporis, ut in motis et imperatis a voluntate, quorum actus dicuntur actus voluntatis, non eliciti, sed imperati. 3. Perficiens, quia se sola libere ad peccandum determinat, nec illius malæ voluntatis est alia causa quærenda. *Mala voluntas non habet causam efficientem, sed deficientem : et affectio mala non est affectio, sed defectio* (3) secundum causam formalem. Definitur 2. a D. Anselmo : *Privatio seu carentia justitiæ* (4); peccatum consideratur a Philosopho prout contrariatur rationi, et ideo per contrarium ad rationem definitur, *privatio rectitudinis debita inesse actui.* Consideratur a Theologo, prout contrariatur legi divinæ,

(1) Tert. Lib. de Pat. 10. — (2) Lib. 1. Retract 13. — (3) D. August. Lib. 12. Civ. 7. — (4) Lib. de Casu. diaboli cap. 9.

ideoque per contrarium ad legem definitur *privatio debitæ justitiæ*, ad quam lex dirigit mandans bonum et prohibens malum ; 3. Secundum causam exemplarem potest definiri peccatum : prosecutio eorum quæ contempsit Christus, et fuga eorum quæ sustinuit : hanc definitionem innuit D. Augustinus aiens : *Non enim ullum peccatum committi potest nisi dum appetuntur ea quæ ille contempsit, et fugiuntur quæ ille sustinuit.* (1) 4. Secundum causam materialem peccatum definitur a D. Augustino *dictum, factum, vel concupitum, contra legem æternam* (2); dictum enim, factum, vel concupitum sunt materia circa quam peccatum versatur, complectiturque instrumenta quibus exercetur, nimirum cor, linguam et manum : quia omne peccatum committitur corde, ore aut opere : 5. Secundum causam finalem definitur a D. Augustino, *privatio boni* (3), nimirum vel Dei, qui est finis ultimus hominis, ideo anima rationalis naturaliter nuncupat *malum hominem, quod a Deo bono abscesserit* (3), vel æternæ felicitatis ad quam Deus hominem ordinavit. Itaque *peccatum est hominis inordinatio atque perversitas* (5), quia pervertit ordinem rationis, legis et finis.

3. Homini Deus *finem posuit* (6), nempe immortalem cœli beatitudinem, in qua velut primarium felicitatis objectum, sese beatis præbet possidendum. Ad illam autem beatitudinem consequendam duo sunt necessaria, unum fugere malum quod contrariatur rationi, et lex divina vetat; aliud facere bonum, quod ratio dictat, et lex divina præcipit : peccatum autem contrariatur ordini finis, *propter omnimodam divinæ et humanæ disciplinæ eversionem.* (7) Nam consistit tum in commissione mali quod lex divina prohibet, estque, ut fatur D. Augustinus, *voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat* (8), id est lex divina quæ est *lex tota justitiæ* (9); tum in omissione boni quod lex divina præcipit. Quapropter *legis prævaricatores sumus, cum id non facimus quod faciendum esse jam scimus* (10), per rationem et legem quæ nos docent et bonum faciendum, et malum fugiendum : unde peccatum dicitur a D. Ambrosio : *Prævaricatio legis æternæ, et cœlestium inobedienta mandatorum.* (11) In hac autem definitione duo continentur : primum privatio dirigentis in finem, cum dicitur *prævaricatio legis æternæ*, quod est formale in peccato, quod habet rationem mali, vel faciendo quod lex prohibet, vel omittendo quod lex præcipit : sive enim in natura, sive in moribus, de ratione peccati est præterire regulam actionis, quæ a malo removet et ad bonum inducit. Idcirco in ratione naturali et lege divina continentur præcepta negativa, quæ malum prohibent; et affirmativa, quæ præcipiunt bonum. Alterum, quod continetur in prædicta definitione, est deordinatio a fine, cum dicitur *cœlestium inobedientia mandatorum ;* finis enim hominis est æterna beatitudo : ad illum finem lex dirigit, docens media quibus potest assequi, et inclinat, tradens præcepta quibus potest comparari. Deus qui est *finium arbiter* (1), hominem ad æternam beatitudinem ut ad finem ordinavit, eique dedit legem, quæ eum ad hujusmodi finem consequendum dirigeret removeretque obstacula : media vero præstaret ad illius assecutionem. Peccatum autem est inordinatio amovens hominem non solum a mediis quæ conducunt ad finem, sed etiam a fine, imo ab ipsomet Deo. Ex D. namque Augustino, peccatum est *privatio modi, speciei et ordinis.* (2) Modus seu mensura voluntatis est, ut Deus super omnia diligatur : species seu rectitudo voluntatis est, ut Deus diligatur prout est omnium principium et finis : ordo voluntatis seu amoris est, ut Deus ametur propter se, et omnia alia propter ipsum. Peccatum est privatio ordinis, seu amoris voluntatis, cum Deus non amatur propter se, neque alia propter illum : peccatum est privatio speciei seu rectitudinis voluntatis, cum Deus non amatur ut principium et ut finis. Peccatum est privatio modi seu mensuræ voluntatis, cum creatura tanquam Deus et plusquam Deus amatur : et hæc est præsertim deordinationis perversitas et injustitiæ iniquitas.

II. PARS. Deus commendatur majestate, bonitate et judiciaria potestate : 1. Majestate, qui est *summum magnum* (3) in magnitudinis apice et fastigio constitutus; 2. Bonitate, quia est *summum bonum* (4) infinitam bonitatis perfectionem in sua essentia continens ; 3. Judiciaria potestate : nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *merito judex, quia Dominus* (5), suprema pollens auctoritate et potestate. Ratione summæ magnitudinis Deus

(1) Lib. de Ver. Relig. 16. — (2) Lib. 22. Cont. Faust. 27. — (3) Lib. de Nat. Boni. — (4) Tert. L. de Test. An. 2. — (5) D. August. L. 1. quæst. ad Simplicium q. 2. — (6) Tert. L. 1. ad Uxor. 7. — (7) Tert. L. de An. 35. — (8) Lib. de Duab Animab. cap. 11. — (9) Tert. L. de Pud. 6. — (10) D. August. in Enchir. cap. 81. — (11) Lib. de Parad. 8.

(1) Tert. L. de Pall. 2. — (2) Lib. de Nat. Bon. cap. 4. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 3. — (4) Tert. L. adv. Herm. 11. — (5) Tert. L. de Res. Car. 14.

est honorandus ; ratione infinitæ bonitatis est amandus ; tandem ratione judiciariæ potestatis est timendus, nam judex est *nomen etiam potestatis timendæ*. (1) Quam iniquus peccator, qui, 1. Supremam Dei majestatem non honorat ; 2. Infinitam Dei bonitatem non amat ; 3. Judiciariam Dei potestatem non formidat !

1. *Deo honorem* (2) reddere tenentur homines ob summam ejus magnitudinem : excellentiæ etenim debetur honor : summum magnum summam habet excellentiam ; itaque est summo honore dignum : peccatum autem debitum Deo honorem impedit ; *eripiens Deo hominem, domino famulum, patri filium* (3) : filius patrem honorare tenetur, famulus dominum, homo auctorem suum. Peccatum, 1. Eripit cœlesti Patri filium, efficiens hominem peccatorem diaboli servum ; et consequenter eripit honorem quem cœlestis Pater a justo, tanquam a filio accipiebat : eripit 2. Domino famulum : nam homo peccator non subditur Deo, neque ejus agnoscit dominium, sed ejus injuste transgreditur legem, voluntatem suam opponens divinæ voluntati. *Solius Dei est propriam habere voluntatem, qui igitur propria voluntate utitur, ad similitudinem Dei, per rapinam utitur, et Deum propria dignitate et excellentia privare, quantum in ipso est, convincitur.* (4) Deus est ex se omnium creaturarum præsertim hominis dominus. Nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *merito Dominus, quia auctor* (5) ; homo econtra naturaliter Dei servus, quia est ab eo productus. Deus Dominus est independens, independentia est illi essentialis ; homo, Dei servus, est ab eo dependens, dependentia ita est illi naturalis ut ab ejus essentia separari non possit. Deus utpote supremus Dominus et independens auctoritate pollet, et propria utitur voluntate ; homo, Dei famulus et a Deo dependens uti non debet propria voluntate, sed supremi Domini obtemperare voluntati ; Deus suam homini demonstravit voluntatem imponens ei legem ; peccator de suo dominio Deum deturbare nititur, insolenter transgrediens traditam sibi a Deo legem. Nam, ut jam diximus, peccatum est prævaricatio divinæ legis. *Porro voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnet audiant et timeant servi propriæ voluntatis : primo namque seipsam et subtrahit et subducit ejus dominatui, cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta hac injuria ? Addit adhuc, et quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt tollit et diripit.* (1) Quanta sit injuria Deo a peccatore illata, colligi aliquomodo potest ex rebellione subditi adversus suum regem : 1. Rebellis subditus regi obsequium denegat ; 2. Adversus eum belligerat ; 3. Bona ad regem pertinentia sibi appropriat ; 4. Alios subditos adversus regem rebellat. En verum specimen peccatoris, qui, 1. Deo denegat obsequium audacter dicens : *Non serviam.* (2) 2. Adversus Deum pugnat, et, ut fatur Job, *audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.* (3) 3. Bona ad Deum pertinentia sibi appropriat : *Quid non Dei est, quod Deum offendit ? sed cum offendit, Dei esse desiit ; et cum desiit, offendit.* (4) 4. Adversus Deum suos subditos sublevat et ex Dei bonis eum impugnat. *Cæterum omnes species malorum, quæ etiam Ethnici ut indubitata et prohibent et defendunt, ex operibus Dei constant.* (5) Tandem, 5. Peccatum eripit Deo hominem. Homo est veri Dei cultor ; at per peccatum a cultu veri Dei desciit, et in idololatriam cecidit. *Sine dubio idololatriam admittit, quicunque delinquit : id enim facit quod ad idolorum mancipes pertinet* (6), et quod est adhuc injustum magis ex Dei donis idololatrandi captat occasionem. De ingratis Judæis conquerebatur Deus : *Dedi eis frumentum, et vinum, et oleum, argentum multiplicavi et aurum, quæ fecerunt Baal.* (7) Quantum a fortiori posset hac ætate conqueri Deus de peccatoribus scelerosis, qui tanto sunt irreligiosiores, quanto locupletiores, et quo majora a Deo accepere bona, plura sibi fingunt idola ? *Proinde aurum, æs, argentum, ebur, lignum, et quæcunque fabricandis idolis materia captatur, quis in seculo posuit, nisi seculi auctor Deus ? Nunquid tamen ut hæc adversus ipsum adorentur ?* (8) Peccator tamen adversus beneficum Deum ingratus, de Deique bonis insolescens debitum ejus magnitudini cultum et honorem tribuit cunctis rebus quas Deo præponit. Nam *hoc Deum omnes esse consentiunt, quod cæteris rebus omnibus anteponunt* (9), cuncta quæ colit peccator Deo præponit, debitum ejus bonitati denegans amorem.

2. *In Deum competit amor propter pietatem* (10) : plura sunt quæ hominem ad Dei amorem stimulant : 1. Dei bonitas infinite

(1) Tert. L. de Res. Carn. 14. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 23. — (4) D. Ansel. L. de Incarn. Verb. c. 3. — (5) Tert. Lib. de Res. Carn. 14.

(1) D. Bern. Serm. 3. de Temp. Pasch. — (2) Jerem. 2. — (3) Cap. 22. — (4) Tert. L. de Spect. 2. — (5) Tert. ib. — (6) Tert. L. de Idol. 1. — (7) Osee. 2. — (8) Tert. L. de Spect. 2. — (9) D. Aug. L. 1. de Doc. Chr. 7. — (10) Tert. L. 1. adv. Marc. 27.

amabilis : bonum etenim est objectum amoris, et quo majus, eo magis est amabile : Deus autem est bonum summum et infinitum, *et ita bonus, cum Deus* (1), et consequenter infinito amore dignus ; 2. Pietas qua Deus dignatus est hominem amare. *Certe Christus dilexit hominem : propter eum descendit ; propter eum prædicavit ; propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, et mortem crucis.* (2) 3. Dei munificentia et largitas, quam erga hominem demonstravit, quem constituit *liberalitatis suæ hæredem.* (3) 4. Prælatio, qua Deus hominem præ Angelo amavit et redemit: *Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa, scilicet ad restituendum quod perierat. Homo pericrat, hominem restitui oportuerat. Ut Angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est ; nam et si Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum diabolo et angelis ejus, nunquam tamen illis restitutio repromissa est.* (4) 5. Dei auctoritas, qui suiipsius mandat dilectionem, hominemque ad eum ex toto corde diligendum obligat. *Et utique qui imponit præceptum, extorquet obsequium.* (5) 6. Hominis diligentis Deum utilitas. *Porro plene bonum hoc antecedit, quod non modo non obest, sed insuper prodest : malle namque debes quod prodest, quam quod non obest.* (6) Quædam sunt quæ obsunt et multum nocent ut peccata ; quædam sunt indifferentia quæ ex se nec prosunt nec nocent, ut bona temporalia : quædam quæ non obsunt, sed prosunt, cujusmodi est Dei amor. Quare *ut sit homo aliquid, convertat se ad illum a quo creatus est : recedendo enim frigescit, accedendo fervescit ; a quo enim habet ut sit, apud illum habet ut bene sit : ergo qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat.* (7) Peccator tamen suum Deo denegans amorem, ad Deum non accedit, sed potius ab eo recedit : et quod omnem injustitiam superat, denegatum Deo cordis affectum apparenti bono tribuit. Ex D. namque Augustino, « peccatum est aversio voluntatis ab incommutabili bono, et indebita conversio ad commutabile bonum. » (8) De hac injusta aversione, et indebita conversione conqueritur Deus apud Hieremiam, cujus verba tantillum immutata refert Tertullianus. *Quoniam duo hæc mala fecit populus meus. Me, inquit, dereliquerunt fontem aquæ vitæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere* (1) ; ubi de duobus conqueritur Deus: 1. De aversione et derelictione Dei, non quidem noxii, neque inutilis, neque parum utilis, sed multum utilis : nam in ejus unione et amore consistit et perfectio justorum in terra, et beatitudo Sanctorum in cœlo : ideo comparatur fonti aquæ vivæ, tum propter eminentiam; nam sicut fons non aliunde, sed ex seipso habet aquas, sic Deus ex seipso bonitatem habet infinitam : tum propter influentiam, nam sicut fons rivis influit aquas, ita Deus cunctis creaturis largitus est bona quæ habet : tum propter efficientiam, quia sicut fons tribuit aquam vivam, ita Deus gratiam, cujus aquæ in cœlum prosiliunt, ut Samaritanæ testatur Salvator : « Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. » (3) 2. Conqueritur Deus de adhæsione seu indebita conversione ad creaturas : Et foderunt sibi cisternas dissipatas, non valentes continere aquas. Per cisternas quæ ex se non habent aquas, denotatur creaturas nihil habere a semetipsis ; deinde per cisternas dissipatas innuuntur idola vel objecta quibus peccator inordinate adhæret ; tandem per cisternas non valentes continere aquas, significatur quam sint inutiles et noxiæ peccatori res quas, Deo derelicto, inordinate diligit. Quam injustus sit inordinatus peccatoris amor, inde colligitur, quia est contra innatam cordis inclinationem, quæ in majus fertur bonum minori relicto : quia est contra gratitudinem, quæ adstringit hominem ad Deum amandum ob tot et tanta beneficia ab illo accepta : quia est contra ipsius hominis utilitatem, cui multum nocet ; quia cedit in Dei injuriam et contumeliam, cui vilem creaturam anteponit. Nam *prælatio alterius sine alterius contumelia non potest procedere, quia nec electio sine reprobatione.* (3) Peccator terrenum bonum Deo præferens, contumeliosus est in Deum, et idola in Deos eligens, verum Deum reprobat. Quantum autem hujusmodi electio et prælatio sit Deo injuriosa, inferendum est, tum ex infinita Dei bonitate, in qua neque minima reperitur umbra defectus, ut Judæis idololatris exprobrat Deus : *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis : quia elongaverunt se a me, et ambulaverunt post vanitatem?* (4) Tum ex rerum quas Deo præponit indignitate : si Deum derelinqueret pro alio Deo (si possibilis esset) ejusdem potentiæ, bonitatis et sapientiæ, adhæsio

(1) Tert. Lib. adv. Herm. 16. — (2) Tert. L. de Car. Chr. 4. — (3) Tert. L. de Res. Car. 9. — (4) Tert. L. de Car. Chr. 14. (5) Tert. Scorp. 4. — (6) Tert. L. 1. ad Uxor. 3. — (7) D. August. in Psal. 70. — (8) L. de Lib. Arbit. 16. Cap. 2.

(1) Tert. Lib. adv. Jud. 13. — (2) Joan. 4. — (3) Tert. Apol. 13. — (4) Jerem. 2.

foret tolerabilis; at relinquere Deum pro vili creatura, bonum incommutabile pro bono commutabili, supremum ens pro nihilo, injusteque ei præponere objectum vile et abominabile, quanta sit ejusmodi injuria et contumelia neque concipi, neque dici potest. Nam, ut ratiocinatur Guillelmus Parisiensis, « quanto minus bonum est Deo, quod ei præfertur, sive propter quod ipse deseritur, tanto major ei contumelia irrogatur. Quia igitur omne quod est, vel esse potest in infinitum minus bonum est ipso, quidquid ei præferatur, aut pro quocunque alio deseratur, infinita ei contumelia irrogatur. In omni autem peccato mortali, aliquid ei præfertur et pro illo deseritur, quare omni peccato mortali infinita Dei contumelia irrogatur. Hoc autem est manifeste videre ex proportionibus; si enim præferret Deo duplo minus bonum quam ipse sit, quanta ei contumelia irrogaretur? Si autem quadruplo minus bonum eidem præferretur, duplo major injuria eidem irrogaretur, et ita in infinitum. Quia igitur non est reperire aliquid quod non sit eo in infinitum minus bonum, manifestum est quia quidquid ei præferatur, aut pro quocunque alio deseratur, infinita ei contumelia sive injuria irrogatur. » (1) Vide quanta sit peccatoris injustitia qui infinitam Dei bonitatem non amat: quanta ejus temeritas, qui supremam Dei judicis potestatem non formidat.

3. In Deum supremum Judicem *competit timor, propter potestatem.* (2) Tria sunt quæ reo timorem ingenerant, scilicet judicis præsentia, scientia et potentia: illa tria a peccatore in supremo Judice sunt pertimescenda: 1. Ejus præsentia; nam *plena et occupata sunt omnia suo auctore* (3), qui ratione suæ immensitatis, ubique est per essentiam; 2. Scientia, qua cuncta clare conspicit; et ut fatur Tertul. *quia videt, judex est.* (4) 3. Potentia, cui nemo resistere potest: *unde judicium, nisi de potestate? cujus potestas summa, nisi Dei solius?* (5) Homines judiciaria auctoritate pollentes, neque sunt ubique, neque, omnia vident, neque omnia possunt: verum *Deus totus oculus, totus manus, totus pes, quia omnia videt, omnia operatur, ubique est.* (6) Quod non ignoravere etiam Gentiles, solo lumine naturali edocti, inter quos Philosophus Moralis sic ad Lucilium amicum scribit: *Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos.* (1) Ex Dei præsentia, scientia et potentia in cunctis locis, ejus cultum et venerationem ubique exhibendam colligit Tertullianus: *Deum existimo ubique præsentem, ubique dominantem, ubique colendum, omnibus demerendum.* (2) Deus cunctis colitur virtutibus, sed potissimum *timor hominis, Dei honor est.* (3) Extimescenda est Dei præsentia: idcirco Thales Milesius, e septem Græciæ sapientibus unus, dicere solebat: *Homines sibi persuadere debent deorum omnia esse plena, ut coram iis caste et sancte vivant;* metuenda est ejus potentia, cui nullus resistere potest: *Deus in omnia sufficit: quia non ignorat, nec omittit, quominus in judicium decernat.* (4) Terreni judices non sufficiunt neque ad ferendum judicium, neque ad latas sententias exsecutioni mandandas; at Deus in omnia sufficit: tandem formidanda est ejus cogitatio et scientia, quia *nihil a conspectu ejus remotum; unde omnino delinquitur.* (5) Olim imperatores aspicere et intueri solebant reos, non palam et aperte, sed furtim et per cancellos. Testis est D. Athanasius de Sancto Martino Summo Pontifice aiens: *Ubi eum impius accusator et judex imperatori sistendum esse duxit, in solarium auferri jussit, ut eum imperator per cancellos inspiceret.* Merito reorum vultus, animos et crimina inspiciunt imperatores, non explicatis et patentibus portis, sed per cancellos: qui vident per cancellos, non perspicue intuentur; aliquid eos latet, eorumque oculos fugit; homines quoque quantumvis perspicaces semper aliquid latet ac fugit, Dei vero conspectum nihil fugit, cuncta nuda et aperta sunt oculis ejus: *Oculos Dei simul universa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludunt; nec solum et acta et cogitata, verum et agenda, et cogitanda sunt cognita. Ista vero scientia summi Judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum et apertum omne secretum; cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur.* (6)

Peccator divinam præsentiam, potentiam et scientiam non recognoscit neque formidat. Non præsentiam, nam ejus immensitatem restringit, nube involvit, cœli cancellis claudit, aiens: *Nubes latibulum ejus, circa cardines cœli ambulat* (7); quasi non sit extra illos, neque terram involvat ejus immensi-

(1) L. de Leg. c. 21. — (2) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 27. — (3) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 11. — (4) Tert. de Spect. 20. — (5) Tert. L. de An. 2. — (6) D. Aug. Ep. 5. ad Fortunat.

(1) Sen. Ep. 41. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (3) Tert. L. de Pœn. 7. — (4) Tert. Lib. de Pœn. 3. — (5) Tert. ibid. — (6) D. August. Serm. 2. Tem. — (7) Job. 22.

tas; non judiciariam potentiam, aiens: *Dereliquit Dominus terram* (1); quasi nullo modo curet quæ fiunt in terra, neque ullum virtuti decernat præmium, nullum vitio supplicium; non denique conspectum et scientiam, aiens: *Non videt Dominus* (2); Dei tollens omniscientiam, oculumque ejus semper apertum, semper vigilem, aut clausum, aut sopitum fingens. Ni dicamus quod peccator divinam offendit præsentiam, quia peccatum committit intra Deum, intra ejus immensitatem, quæ est ab essentia divina inseparabilis, et una et eadem res cum ipso: scientiam offendit coram Deo peccans, ejusque oculis objiciens peccatum, monstrum horribile quod naturaliter aversatur. Offendit potentiam, qua criminose abutitur, generalem ejus concursum, paratum in bonum, detorquens in malum: tandem peccator offendit præsentiam, sapientiam et potentiam supremi Judicis, volens eum neque esse ubique, neque omnia intueri, neque omnia posse. Tollere autem a Deo immensitatem, omniscientiam et omnipotentiam, est velle Deum destruere. *Nunc autem et ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria: omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ (quantum in ipsa est) vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane et omnino exsecranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat.* (3) Belle Bernardus peccati malitiam crudelem et horribilem nuncupat: crudelem, quia Deum destruere quantum in ipso est, tentat; horribilem, quia infinitatem importat.

III. PARS. Infinitas intrinseca et essentialis propria est Dei: unde omnes theologi Deum in quantum possunt describentes, *immensum, æternum, infinitumque definiunt* (4); quia neque sui esse habet initium, neque habiturus est finem *qui sine fine est.* (5) Peccatum quod initium habuit a prava peccatoris voluntate, habet quamdam malitiæ infinitatem, ut passim docent theologi cum eorum antesignano Angelico Doctore, *peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet, ex infinitate divinæ majestatis. Tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur.* (6) Illa autem peccati infinitas non est intrinseca, quia procedit a voluntate hominis, quæ est limitata et finita, non secus ac natura cujus est potentia, sed duntaxat extrinseca, quæ trina ratione investiganda est, scilicet, ex 1. Dei offensi majestate; 2. Christi satisfacientis dignitate; 3. Hominis offendentis pœna et infelicitate.

1. Sunt nonnulli *qui in defensionem delicti contendunt* (1) peccati malitiam, neque etiam extrinsece esse infinitam: verum huic sententiæ non adhærent Doctores, qui ex dignitate ejus qui offenditur, colligunt peccati gravitatem: in eo autem qui offenditur attendenda est bonitas, dignitas et auctoritas: quanto enim ille qui offenditur, est melior, potentior et dignior, tanto peccatum in illum commissum est gravius, majoremque importat malitiam: quod etiam in humanis apparet, ubi ex personæ dignitate crescit et augetur injuriæ gravitas: ut enim docent humanæ leges, infligere colaphum æquali, contumelia est; superiori, flagitium; magistratui, scelus; principi, regi, perduellionis crimen, et culpa læsæ majestatis; et, quod est stupendum magis, ipsas regum imagines luto aspergere, deformare, dilacerare, perduellionis est scelus, crudeli et infami supplicio puniendum. Quod si inter homines, ex eodem luto formatos, ex eadem massa corrupta natos, ejusdem naturæ et speciei, et fortunæ duntaxat bonis inter se discriminatos, tanta habetur personæ et dignitatis ratio, ut fere in immensum excrescat et augeatur injuria, quid dicendum est de incomprehensibili Dei majestate? Omnis humana dignitas quam regibus et imperatoribus contulit fortuna, futilis est, umbratilis, ludicra, scenica, finita, limitata: divina vero majestas est immensa; æterna, immutabilis, infinita. Deus per peccatum offensus, est infinitæ bonitatis, auctoritatis et dignitatis, ergo malitia peccati ex Dei offensa est infinita. Minor patet, et satis superque in superioribus probata est: majorem probant D. Thomas et Guillelmus Parisiensis (2); et quidem D. Thomas: « Cum peccat homo, legem Dei transgreditur, et sic quantum est in se, injuriam Deo facit, qui est majestatis infinitæ: tanto autem est major injuria, quanto major est is in quem committitur: patet enim quod major injuria est, si quis percutiat militem quam rusticum, et adhuc major si principem vel regem: habet ergo peccatum contra legem Dei commissum quodammodo injuriam infinitam. » (3) Eodem fere modo ratiocinatur Antistes

(1) Eccles. 8. — (2) Eccl. ibid. — (3) D. Bern. Serm. 3. de Tem. Pasch. — (4) Tert. Lib. adv. Valent. 7. — (5) Tert. L. de Car. Chr. 5. — (6) 3. p. quæst. 1. art. 2. ad 2.

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (2) Opusc. 3. cap. 7. — (3) Tract. de Legib. cap. 21.

Parisiensis : « Si aliquis peccaret in aliquem æqualem sibi, procul dubio aliquantum peccaret in eum, et si idem vel simile peccatum committeret in majorem, magis, et quando in majorem, tanto magis verbi gratia si in sacerdotem suum quam si in æqualem, et iterum in archidiaconum gravius, et deinde in Episcopum, et ita de gradibus superioribus; quare manifestum est, quia quanto in majorem peccatur, tanto magis : quare si in infinitum, et in infinitum magis; quia igitur Deus in infinitum major est quocunque alio, in infinitum magis peccatur, quoties peccatur in Deum, quam peccetur in hominem eodem genere peccati: verbi gratia, si occiditur Deus et occiditur homo, qui non est Deus, in infinitum majus peccatum est occisio Dei quam occisio hominis. Eodem modo si conspuitur Deus et conspuitur homo, vel percutitur, vel vulneratur. Quare si contemnitur Deus et contemnitur homo, vel offenditur Deus et offenditur homo, in infinitum majus peccatum est tam offensa quam contemptus Dei, offensa vel contemptu hominis, quia omni peccato mortali offenditur et contemnitur Deus, quia ejus voluntas et mandatum præteritur. Manifestum est omni peccato in Deum infinite peccari. » Malitiæ adhuc peccati infinitas probatur ex Christi satisfacientis pro peccato dignitate.

2. Dei Filius humanam assumpsit naturam, æternoque Patri *quem non ipse vexaverat satisfecit* (1), mediumque pietatem Deum ab hominibus separantem solvit : *Peccata sola separant inter hominem et Deum, quæ solvuntur Christi gratia per quem reconciliamur Deo.* (2) Hanc reconciliationem operatus est, acerbam crucis sustinens passionem, corpus suum innocuum doloribus, cruciatibus et vulneribus exponens, *ut destruatur corpus peccati.* (3) Et ob hanc causam Christianos hortatur Apostolus ut serio recogitent eum qui tot et tanta sustinuit tormenta, ut eos lavaret a peccatis in sanguine suo : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus contradictionem.* (4) Quem, quæso, intelligit Paulus per eum, nisi *fidelissimum sequestrem Dei et hominum, Jesum Christum, qui et homini Deum, et hominem Deo reddidit* (5), utrumque in sua persona uniens et confœderans? Inde duo colligit D. Augustinus, et magnum Dei amorem erga hominem, et gravitatem peccati quo homo Deum offenderat. *Pretiosum sibi esse hominem pretii ipsius dignitate perdocuit Deus: ut hinc quoque intelligeremus quam grandes apud se æstimet humanorum criminum causas; propter quas non Angelum, non Archangelum, sed Deum misit ad terras.* (1) Tanta est unius peccati lethalis malitia et atrocitas ut omnia bona opera cunctorum hominum qui sunt in mundo, nequeant ex rigore justitiæ satisfacere Deo pro injuria sibi ab uno peccato mortali irrogata. Adde omnes virtutes quas ob origine mundi usque adhuc operati sunt Patriarchæ et Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, Regulares, Seculares, impares sunt ad satisfaciendum Deo perfecte pro offensa unius peccati mortalis. Adjunge illis omnes Hierarchias, Ordines et Choros Angelorum, cunctos qui regnant in cœlo homines Beatos, ipsamque Deiparam Virginem Mariam, omnes simul nequeunt ex rigore satisfacere Deo pro offensa lethali peccato illata. Producat Deus de novo plures mundos, in quibus tot sint homines quot sunt stellæ in firmamento, atomi in aere, guttæ aquæ in mari, folia in arboribus, arenæ in terra, illique homines tanto excessu multiplicati continuo studeant pietati, non possent adhuc ex æquo satisfacere Deo pro offensa sibi a peccato facta : quia omnia bona opera quæ unquam operati sunt homines, sunt finita; injuria autem Deo per peccatum facta est saltem objective infinita; finiti autem ad infinitum nulla est proportio.

Hoc autem est discrimen inter injuriam et satisfactionem, quod quantitas injuriæ sumitur ex objecto quod offenditur; quantitas vero satisfactionis mutuatur ex subjecto, id est, ex persona quæ satisfacit : ideoque quanto dignius est objectum, tanto ejus offensa est major, præsertim si ab offensi dignitate remotissime distet vilitas offendentis. Magna est equidem regis injuria si offendatur a principe regiæ stirpis; major si offendatur a nobili, qui non sit princeps; maxima si a rustico offendatur. At e converso satisfactio tanto est major, quanto persona satisfaciens est dignior : maxima est satisfactio, qua rex æqualis dignitatis alteri regi satisfacit; major qua nobilis satisfacit regi sibi superiori; minima vero, qua rusticus satisfacit regi. Cuncti autem mortales, infinite magis distant a Dei majestate quam rusticus a regis dignitate : quapropter nequeunt ex æquo satisfacere Deo pro injuria sibi a peccato irrogata. Quod belle denotatur per parabolam regis illius qui servum sibi debentem decem millia talenta, nec unde sol-

(1) Tert. L. de Pat. 3. — (2) D. August. L. 1. de Peccat. Merit. cap. 20. — (3) Rom. 6. — (4) Hebr. 12. — (5) Tert. L. de Res. Car. 63.

(1) Serm. 29 de Temp.

veret habentem, jussit venundari, et uxorem, et filios, et omnia quæ hebebat (1) : *Debitum autem in Scripturis delicti figura est, quod perinde judicio debeatur et ab eo exigatur.* (2) Servus ille debitor repræsentat peccatorem, qui debitum contrahit cum Deum offendit. *Debitum contrahitur quotiescunque delinquitur.* (3) Decem millia talenta quæ sexagies centies mille conficiunt aureos ; « quodvis namque talentum sexcentis nummis aureis respondet. Denotant magnitudinem et enormitatem peccati. Insufficientia servi non valentis tantum solvere debitum, innuit quam dispares sint homines ad satisfaciendum Deo per peccatum offenso, quia debet esse proportio inter satisfactionem et offensam. Offensa fuit infinita, satisfactio debet esse infinita ; satisfactionem infinitam Deo solvere nequeunt puri homines : solus Christus hanc præstare potuit ob infinitam Verbi dignitatem, in quo natura divina et humana subsistunt. Nam, ut fatur Tertullianus, *videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum et hominem Jesum* (4), cujus actiones cum sint infiniti valoris utpote theandricæ, sunt ex rigore justitiæ Deo satisfactoriæ. *Sic et Apostolus etiam Dei et hominum appellans sequestrem, utriusque substantiæ confirmavit.* (5) Si homines serio recogitarent quanta injuria per peccatum irrogatur Deo, non tam leviter peccata committerent. O quantum distant scelerosi hujusce ætatis a D. August. peccatum magis quam infernum horrente ! *Si hic peccati pudorem, et illic cernerem inferni horrorem, et necessario uni eorum haberem immergi, prius me in infernum demergerem quam peccatum in me committerem. Mallem enim purus a peccato et innocens gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus, cœlorum regna tenere : cum constet solos bonos in cœlesti beatitudine foveri, et solos malos in inferno torqueri* (6), et in pœnam infinitæ malitiæ peccati, sustinere supplicii infinitatem.

3. Deus, mundi opifex et hominis plasmator, *ævum ita destinata ac distincta conditione conseruit, ut prima hæc pars ab exordio rerum quam incolimus, temporali ætate ad finem defluat : sequens vero, quam exspectamus, in infinitam æternitatem propagetur* (7), qua justi præmiantur et injusti puniuntur. « Cum enim nec minor nec minus æterna sit Dei justitia, quam ejus misericordia, nec minor, nec minus æternus esse debet ipsius effectus in damnandos et puniendos, quam effectus misericordiæ in salvandos et beatificandos. Quapropter sicut salus et beatitudo æternæ sunt in prædestinatis, ita damnatio et pœnalitatis miseria æternæ erunt in reprobis. » (1) Deinde, ut ratiocinatur D. Thomas, « pœna proportionatur peccato : in peccato autem duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum : unde ex hac parte peccatum est infinitum. » (2) Aliud est conversio ad commutabile bonum, et etiam ex hac parte peccatum est adhuc infinitum ; quia Deum infinitum offendit ei præferens creaturam ab ipso infinite distantem. « Ex parte aversionis respondet peccato pœna damni quæ est infinita : est etiam amissio infiniti boni, scilicet Dei, » (3) ex parte conversionis respondet pœna sensus, quæ est etiam infinita. Nam, ut subjungit Parisiensis Antistes, « omnis peccans mortaliter infinitam contumeliam vel injuriam irrogat Deo : infinitæ autem injuriæ vel contumeliæ infinita de jure debetur pœna. Hoc autem intelligitur de infinita duratione ; cum enim omnis virtus humana ad agendum et patiendum finita esse videatur, non videtur ei posse infligi infinita in acerbitate pœna : quapropter infinitate durationis compensabitur ex necessitate acerbitatis infinitæ. » Æterna tamen pœnæ duratio qua puniuntur in inferno reprobi, non compensat ex æquo injuriam Deo per peccatum factam : quamtumvis sint acerba quæ sustinent tormenta, patiuntur citra meritum, in æternis illis cruciatibus elucet aliquid divinæ miserationis, quæ etsi infelices illas animas æternum cruciet, cruciat tamen citra condignum : ideoque in inferno peccatum non tantum punitur, quantum ejus gravitas et malitia postulare videtur : et quod est prorsus stupendum, Deus per suam absolutam potentiam non potest damnatis inferre supplicium, quod ex æquo respondeat et satisfaciat injuriæ sibi a peccato factæ.

Chrysologus, serio recogitans quam Deo injuriosum et homini noxium fuerit originale delictum, hæc verba imo ex pectore promit : *O si tunc vel levis turbo arborem mortiferam dejecisset ! O si nebulæ fumus illius mulieris tenebrasset aspectum ! O si peccati diem tenebrasset nox injusta, et lamenta mundi, et incrementa mortis, et creatoris injuriam tunc tulisset !* (4) Si peccatores attenderent ad damna quæ incurrerunt

(1) Matth. 18. — (2) Tert. de Orat. 7. — (3) D. Aug. Serm. 126. de Temp. — (4) Tert. L. adv. Prax. 27. — (5) Tert. ibid. — (6) Serm. 9. commun. Serm. — (7) Tert. Apol. 48.

(1) Guillel. Tract. de Leg. c. 21. — (2) 1. 2. q. 87. a. 4. — (3) D. Thom. ib. — (4) Serm. 74.

per actualia peccata, et ad injuriam quam Deo intulerunt, nonne deberent dicere : O si mundi blanditiæ quæ me allexerunt ad peccandum nunquam fuissent ! O si ab infantia fuissem cæcus et surdus, nec vidissem seculi vanitates, nec aurem præbuissem diaboli persuasionibus ! O si gravis me tenuisset infirmitas, neque carnis servissem concupiscentiis ! O si nudatus fuissem fortunæ bonis, quæ mihi fuerunt incentiva vitiorum ! O si nunquam præbuissem consensum peccato, quod subdit rationem passioni, divinam legem transgreditur, et dimovet ab æterna beatitudine, ad quam ex Dei providentia fueram ordinatus ! O si semper divinam honorassem majestatem, amassem bonitatem, metuissem judiciariam potestatem ! O si quasi faciem colubri vitassem peccatum, quod infinitam Deo irrogat injuriam, et intolerabilem meretur pœnam ! O si sedulo vacassem pietati, et divino cultui totus fuissem additus ! Verum quia *quod factum est, factum non esse non potest* (1), pro commissis delictis divinam implorabo misericordiam, amaras fundam lacrymas, et vera pœnitentia, divinæ justitiæ pro modulo satisfacere conabor, quia *omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit.* (2) Pœnitentia autem præsumptionem et desperationem fugiens, inter timorem et spem perseverat : timor Dei justitiam formidat, spes in ejus misericordia fiduciam collocat. *Læva ejus sub capite meo, dextera illius amplexabitur me.* (3) Ut autem commentatur Hugo Cardinalis : *Læva sponsi iustitia est quæ per timorem fulcit Ecclesiam ne corruat in peccatum, et dextera sponsi est misericordia, quæ per spem amplexatur et consolatur Ecclesiam, ne desperet.* Si læva nos fulciat, si dextera amplexatur, timebimus Dei justitiam, sperabimus in ejus misericordia, timebimus inferni pœnam peccato debitam, sperabimus cœli gloriam, virtutis præmium.

CONCIO TERTIA.

Quidam *de iniquitate sævitiæ gloriantur.* (4) Non solum tyranni atrocissimi de inhumanitate commendati, vel potius dedecorati cujusmodi fuerunt *Diogenes, et cruenta præsepia Busiris et bustuaria altaria* (5) : sed etiamnum scelerosi qui malitia obcæcati, de suis criminibus impudenter gloriam captare nituntur, quos per Pharaonem denotatos vult D. Bernardus, cujus currum describit quatuor rotis rotatum : *Accipe quales suis principibus Pharao præparavit currus ad persequendum populum Dei. Habet namque malitia currum suum, rotis quatuor consistentem, sævitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde etenim velox est currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore.* (1) Egimus de impudentia peccatoris in suis sceleribus inveterati et obdurati, infinitam peccati demonstravimus malitiam ; in præsentiarum disserendum est de sævitia peccatoris, crudelis in 1. Semetipsum ; 2. Christum ; 3. Deum.

I. PARS. Diabolus, qui *ipsum Adam et Evam morti immerserat, docuit et filium ab homicidio incipere.* (2) Neque duntaxat Cainum diabolus homicidium docuit, sed cæteros adhuc homines in idem scelus perpetrandum inducere satagit. Quod denotatum vult D. Augustin. (3) « Quando dictum est diabolo : Terram manducabis, dictum est peccatori : Terra es, et in terram ibis (4) : datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari a serpente. Sicut enim quod manducamus in nostrum corpus convertimus ; ut cibus ipse secundum corpus, hoc efficiatur quod nos sumus : sic malis moribus, per nequitiam, et superbiam, et impietatem hoc efficitur quisque quod diabolus est, id est, similis ejus. » Qualis autem sit diabolus declarat Dilectus Discipulus, *ipse ab initio erat homicida* (5) : suo namque peccato, et rebelles Angelos, et seipsum interficit. Diabolo similis, peccato interficit, 1. Proximum ; 2. Seipsum.

1. Cain fuit *primus homicida et fratricida* (6), innocui fratris effundens sanguinem : peccator, etsi fratris corpori non semper inferat mortem, multoties tamen ejus interimit animam, vel impietatis et detractionis sermonibus, vel pravis exemplis : ut enim animadvertit Antistes Parisiensis, ex peccatis oriuntur « debita damnosa irreparabilium, neque numerum, neque mensuram habentia, maxime quidem ut mulierum publicæ turpitudinis, quarum fornicationum incogitabilis numerus est. Similiter et animarum quæ per eas Deo auferuntur, et diabolo acqui-

(1) D. Bern. L. 5. de Consid. 12. — (2) Tert. L. de Pœn. 4. — (3) Cant. 2. — (4) Tert. Apol. 48.—(5) Tert. L. de Pall. 3.

(1) Serm. 30. in Cant. — (2) Tert. L. de Pat. 5. — (3) Lib. de Agon. Chr. c. 4. —(4) Gen. 3. — (5) Joan. 8.— (6) Tert. L. de Pat. 5.

runtur, non solum cum quibus opere peccant, sed quos etiam suo aspectu et apparatu ad peccandum inflammant. Sic se habet, et de aliis, quæ palam exempla perditionis spectantibus et audientibus dant. Tot enim mortium unusquisque est reus, quot exempla perditionis transmittit ad alios. Horum autem numerum quis novit? Eodem modo se habet, et de his qui malos præficiunt, vel prælatos, vel potestates seculares, vel etiam magistros, in immensum extenditur corruptela, quæ ab hujusmodi hominibus derivatur. Vel in ecclesias, quas de malis hominibus ædificant, vel in subditos, vel in discipulos, quos nefando abominationis vel opere, vel verbo docent. Quis ergo damna tot millium animarum restituet, quando nec animæ propriæ semel Deo oblatæ et diabolo traditæ restitutionem et liberationem efficere quisquam prævalet? » (1) Plures modos refert Guillelmus quibus homo animam proximi sui suis peccatis interimit; quæ ut ipsemet subjungit, « nominantur cruentationes ut manus vestræ sanguine plenæ sunt. (2) Et qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem. (3) Et iterum in alis ejus inventus est sanguis animarum pauperum et innocentium (4): maxime autem horrifica cruentatio est ex peccatis malignitatis, sicut ex nece et proximorum odio, invidia, detractione: hujusmodi enim peccata sanguinolenta dicenda sunt, qui odit ergo fratrem suum quoniam homicida est, cruentatus est sanguine fraterno intus (5); quia vero generaliter omne peccatum sanguis dicitur, propter hoc dicebat David: Libera me de sanguinibus (6): et maledictum, mendacium, homicidium, furtum et adulterium inundaverunt, et sanguinem tetigit. Qui ergo operti sunt iniquitate et impietate sua, sanguine suo ipsi operti sunt, » (7) qui sibi etiam necem intulerunt.

2. *Idem homicida est. Quæris quem occiderit? Non inimicum, non extraneum, sed ipsum se: quibus insidiis? erroris sui: quo telo? offensa Dei: quot plagis? quotquot idololatriis.* (8) Quotquot peccatis, peccata namque idololatriæ sunt: nam, ut subjungit Tertullianus, *procul dubio idololatriam admittit, quicunque delinquit;* crudelis equidem est qui fratrem occidit, sed absque comparatione crudelior qui semetipsum interimit. Peccator *Scytha tetrior, Massageta inhumanior.* (9) Scythæ namque hostilem, non proprium, effundunt sanguinem; inimicis, non sibi, inferunt necem: at scelerosus proprium effundit sanguinem, et sibimet comparat mortem. Romanos olim Gentiles *ad omnem sævitiæ iniquitatem* (1) temperabat diabolus, quam demonstrabant: tum in *circi furoribus* (2), ubi feras ad invicem pugnantes magno cum gaudio conspiciebant; tum de *arenæ atrocitatibus* (3), id est, gladiatorum pugna et cruenta morte voluptatem capientes; tum maxime ex sævitia in Christianos quos feris dilaniandos et devorandos objiciebant. Ut enim fatur Tertullianus, *paulatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam et crudelitatem, quia ferarum voluptati satis non fiebat, nisi et feris humana corpora dissiparentur.* (4) Peccator in semetipsum longe crudelior quam idololatræ in Christianos: Gentiles aversabantur christianum nomen: *hæc etenim est revera ratio totius odii adversus nos: Nomen in causa est.* (5) Peccator vero animam suam aversatur: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* (6) Gentiles sæviebant in corpora Christianorum, quibus adimebant vitam duntaxat naturalem; peccatores sæviunt in suas animas, quibus tollunt supernaturalem gratiæ vitam, quos ideo nuncupat D. Augustinus, *immisericordes corrumpendo in se templum Dei* (7), et adhuc sæviendo in Christum.

II. PARS. Quam crudelis fuerit Nero belle denotat Tertullianus, a quo multum inhumanus *Domitianus portio Neronis de crudelitate* (8) dicitur. Nam tanto Domitiano crudelior fuit Nero, quanto totum ex pluribus partibus compositum, unam excedit partem. Constat autem *primum Neronem in hanc sectam cummaxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse.* (9) Per hanc sectam intelligit religionem christianam, quam imperatorum primus persecutus est: *Vitas Cæsarum legimus; orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit.* (10) Nam et sub ejus imperio, Paulus Doctor Gentium decollatus, et Petrus apostolorum Princeps cruci fuit affixus. Peccatores non sæviunt in discipulos, sed in magistrum; non in Petrum et Paulum, sed in ipsum Christum: tanto Nerone crudeliores, quanto Apostolis antistat Christus. Christianorum in Christum crudelitatem demonstrat venerabilis Beda in istud: « Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum. » *Quot malas cogitationes quis assumit, tot lapides in Jesum mittit; ac deinde quantum ad se*

(1) Tract. de vitiis et peccat. cap. 11. — (2) Isa. 1. — (3) Is. 30. — (4) Hier. 2. — (5) 1. Joan. 3. — (6) Ps. 10. — (7) Osee. 4. — (8) Tert. L. de Idol. 1. — (9) Tert. L. 1. adv. Marc. 1.

(1) Tert. Apol. 27. — (2) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 7. — (3) Tert. ib. — (4) Tert. L. de Spect. 12. — (5) Tert. Lib. 1. ad Nat. 3. — (6) Psal. 10. — (7) Lib. de Fide et Oper. cap. 15. — (8) Tert. Apol. 5. — (9) Tert. ib. — (10) Tert. Scorp. 15.

pertinet, si ad deliberationem transit, Jesum exstinguit. (1) Quid peccatore inhumanius Christicidii reo? ex mente namque V. Bedæ, Christum lapidat quisquis scelera meditatur; in Christum furit quisquis agitur malitiæ furore; Christum quantum ad se pertinet exstinguit, quisquis atrociora delicta committit; estque simul et semel, et crux in qua denuo crucifigitur Dominus, et carnifex qui illum cruci affigit. Quapropter Christianum ab immani illo facinore nititur removere Petrus Damianus: *Vide ne rursus tibimet ipsi crucifigas Filium Dei, rursus fabricans crucem in qua crucifigatur ille qui resurgens ex mortuis jam non moritur. Intuere ne mortiferam crucem afficias, in qua facias Filium Dei amaris doloribus interire.* (2) Crux namque quam in temetipso fabricas et cui Christum patibulas, non est minus acerba quam ea in qua a Judæis patibulatus fuit: *Et Judæi qui viderunt Christum, crucifixerunt; tu quia non vides Christum, verbo ipsius resistis. Nunquid ergo qui verbo resistis, carnem non crucifigeres si videres? Contempsit Judæus in ligno pendentem; contemnis tu in cœlo sedentem.* (3)

Apostolo teste (4) quicunque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Dimini, seu, ut expendit D. Chrysostomus, *reus est cædis Dominicæ, ac si Dominum occidisset, et Christi sanguinem effudisset.* (5) Cædis adhuc Dominicæ rei sunt cæteri peccatores suis sceleribus, Christum denuo crucifigentes. Quod declarat D. Bernardus, expendens istud Davidicum: « Infixus sum in limo profundi. » *Fortasse crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus.* (6) Christi caput in nobis spinis pungitur, dum in capite nostro cogitationes volvuntur superbiæ et vanitatis; genæ ejus in nobis conspurcantur, cum lasciva præbemus oscula; os ejus in nobis felle et aceto potatur, dum comessationibus et ebrietatibus indulgemus; manus ejus in nobis clavis transfiguntur, dum manus nostræ rapacitati vel violentiæ addictæ sunt; corpus ejus in nobis flagellis dilaceratur, dum caro nostra in sordido impudicitiæ volutatur cœno; cor ejus in nobis perforatur, dum cor nostrum inordinato terrenorum æstuat amore; Christus in nobis denuo crucifigitur, dum lethale committimus peccatum. Ezechiel propheta Hierusalem Sodomæ ac Gomorrhæ comparans, ait: *Sceleratiora illis fecit* (1), quia scilicet Dei Filium interfecit. Scelerose Christiane, sceleratiora Judæis committis, quia illi semel Christum crucifixerunt, tu toties illum recrucifigis quoties mortalia peccata committis.

Multa sunt quæ peccatoris Christum recrucifigentis demonstrant crudelitatem: 1. Conjunctio: quanto enim quis est propinquior vel conjunctior offendenti, tanto crudelior est offensa. Inter conjunctiones præcipuæ sunt illæ quæ intercedunt, vel inter amicos, vel inter fratres, vel inter sponsum et sponsam, vel inter patrem et filium. His omnibus modis Christus nobis est conjunctissimus, tanquam noster amicus, frater, sponsus et pater; 2. Bonorum largitio: quo enim offensus plura largitus est dona, eo offendens est magis ingratus, et consequenter sævior. Christus Christianis innumera largitus est naturæ et gratiæ dona, quos insuper proprio corpore et sanguine pascit in Eucharistiæ sacramento. *Quid injustius et improbius quam ut servus adversus caput domini sui subornetur, et quidem quod iniquius est, in ipsa adhuc domo domini, de ipsius adhuc horreis vivens, sub ipsius adhuc plagis tremens.* (2) 3. Acerbissima passio quam pro nobis sustinuit Christus. Ut enim fatur Apostolus, *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (3), seu, ut habet græca lectio, *maledictio et exsecratio.* Tantam Christi benignitatem nonnisi cum stupore considerat Tertullianus: *Dominus ipse maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus.* (4) Christus Dominus, in se suaque persona benedictus, factus maledictio, quatenus personam subiit peccatorum, quorum peccata et exsecrationes in se luendas suscepit: non secus ac si quis debitum tertii in se suscipiat, debitor fit, et dicitur: Sic et hic Christus pro nobis fit et dicitur maledictum. Quemadmodum alio in loco (5) dicitur factus pro nobis peccatum, id est, hostia pro peccato, cui olim manuum impositione peccata omnia imputabantur; sic hic dicitur factus maledictum pro nobis, hoc est maledictus, exsecrabilis, sustinens pro nobis infame et exsecrabile crucis supplicium, ad denotandam tum suam admirabilem charitatem, tum atrocissimam peccati enormitatem. *Grande nescio quid æstimari oportet, cujus compensatio tantarum atrocitatum tolerantia constat* (6); tum ad ingenerandam hominum cordibus peccati animadversionem et fugam.

(1) Joan. 8. — (2) Serm. 47. — (3) D. August. in Ps. 84. — (4) 1. Cor. 11. — (5) Hom. 83. in Matth. — (6) Serm. 4. in Virg. Nat. Dom.

(1) Cap. 16. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 6. — (3) Galat. 3. — (4) Tert. L. de Pat. 8. — (5) 2. Cor. 5. — (6) Tert. L. 1. ad Nat. 7.

Quo argumento utebatur alias Tertullianus ad dimovendam christianam mulierem a luxu et cultu vestium : *Propter tuum meritum, id est, mortem, etiam Filius Dei mori habuit; et adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas?* (1) Eadem ratione arcendus est a suo scelere quivis peccator Superbe, propter tuam vanitatem Dei Filius exinanitus est usque ad mortem crucis, et adhuc tumore inflaris? Avare, propter insatiabilem tuam cupiditatem etiam Dei Filius in præsepio pauper natus et in Calvario nudatus est, et adhuc avaritia æstuas? Impudice, propter tuam lasciviam, etiam Dei Filius fuit toto corpore dilaniatus, et adhuc post venereas anhelas voluptates? Peccator, propter tua crimina etiam Dei Filius fuit pugnis vapulatus, sputis conspurcatus, aceto potatus, spinis coronatus, flagellis dilaceratus, clavis perforatus, in cruce patibulatus, et adhuc peccare desideras? Profecto nihil est quod magis confundat peccatorem, a peccatis deterreat et ad pœnitentiam inducat, quam seria tormentorum quæ pro peccatis pertulit Christus consideratio : ideo Christum crucifixum Galatis nobisque objicit Apostolus, « ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus. » (2) Versio syriaca legit : *Ecce quasi pingendo depictus fuerat coram oculis vestris Jesus crucifixus.* Galatarum oculi diuturno et infelici tenebantur fascino; quod ut explicet et tollat Paulus objicit Christi e cruce pendentis imaginem, cui pro tabella crux fuit, rude et immane lignum; pro colore, pro purpura et murice, sanguis; pro penicillo, flagella, clavi, lancea. Hujus imaginis pictor fuit quilibet peccator, peccatum namque est Christicidium. Christiane, hæc imago tibi proponitur, in qua sanguineis coloribus depictus est Christus; illam inspice, et vide ex una parte incomprehensibilem Christi charitatem, ex altera atrocem peccatorum tuorum crudelitatem, et vel ex hoc objecto oculis tuis proposito, noli Christum recrucifigere. Quanta peccatoris crudelitas, qui neque ex hac imagine ad compassionem movetur, sed in sua sævitia perseverans, etiam Deo immortali mortem inferre conatur.

III. PARS. *Periculum status sui Deo nullum est* (3), utpote per suam essentiam immortali : quo sensu apud Apostolum Deus *solus habet immortalitatem.* (4) Sicut enim Deus solus dicitur potens et sanctus, ita solus immortalis prædicatur, scilicet a seipso plenissime et absolutissime, ita ut a nulla re mors et interitus inferri Deo possit : in quo multum ab animabus nostris et Angelis discriminatur, qui licet sint etiam ab intrinseco immortales, utpote spiritales substantiæ, absoluta tamen Dei potentia destrui et annihilari possunt. Nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *quod factum constiterit, ejus natura capiat demutationem : infectum autem immobile est : quod cum soli Deo competat, ut soli infecto, et idcirco immortali et inconvertibili, cæterorum omnium factorum convertibilem et demutabilem esse naturam.* (1) Omnes creaturæ, etiam spiritales, cum sint de nihilo productæ, licet via ordinaria nequeant destrui, absolute tamen loquendo, annihilari possunt. Deus autem cum non sit factus, neque alicui superiori subditus, neque ordinarie, neque etiam absolute destrui et annihilari potest. Immortalem Deum peccator interficere conatur; minime contentus perverse creaturis in contemptum Creatoris adhæsisse, in ipsum insurgit Creatorem. Quod D. obplorat Bernardus de propria aiens voluntate : *Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum, horribile dictu, desæviret auctorem* (2), quem, 1. Audacter aggreditur, et quantum in se est, 2. Interficere nititur.

1. *Bellis quoque plurimum licuisse* (3), tum veteres, tum modernæ testantur historiæ. *Quis enim ense operabitur, et non contraria lenitati et justitiæ exercet? id est, dolum et aspiritatem et injustitiam, propria scilicet negotia prœliorum.* (4) Sed in nullo prælio adeo elucet injustitia et acerbitas, quam in eo quod adversus Deum agit peccator. Idcirco D. Chrysostomus peccatum nuncupat *nihil rebelle et in Deum armatum.* (5) Trinam in peccatore injustitiam agnoscit Parisiensis Antistes : « Prima est non servire Deo; secunda, debitum Deo servitium alii impendere; tertia, Deum impugnare, » eique lethale indicere bellum, ad instar Luciferi, qui in cœlo adversus Deum pugnare ausus est. *Prœlium magnum in cœlo factum* (6) in sua Apocalypsi refert Dilectus Discipulus. Rebellium Angelorum æmulantur audaciam et temeritatem peccatores, *qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prœlia* (7) : seu, ut legit D. Hieronymus, *tota die versati sunt in prœlio.* Ut enim qui prœlia minitantur et parant, aciem instruunt, militem suo quemque or-

(1) Tert. L. 1. Cult. Fem. 1. — (2) Galat. 3. — (3) Tert. L. de Car. Chr. 3. — (4) 1. Tim. 6.

(1) Tert. Lib. de An. 21. — (2) Serm. 3. de Temp. Pasch. — (3) Tert. L. de Pall. 2. — (4) Tert. L. adv. Jud. 9. — (5) Tract. de Leg. c. 21. — (6) Apocal. 13. — (7) Psal. 139.

dine collocant, atque in hostem immittunt, sic peccatores adversus Deum pugnantes, tot veluti acies instruunt, quot peccata actualia committunt, et illorum parvus non est numerus; nam *abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum* (1): pervicaces illi in Deum impii, in seipsos injurii, in proximum infensi, divinis mandatis suas opes, voluptates, dignitates, præferentes, ex corde suo velut quamdam armorum efficiunt officinam, quibus propugnatur vitium, impugnatur virtus, ipseque Deus ad pugnam provocatur. *Sicut enim sunt quædam arma Dei in quibus esse dicitur lorica justitiæ, et gladius spiritus, et scutum fidei, ita etiam sunt arma diaboli, quibus indutus homo peccator* (2), in Deum rebellare non erubescit, sed impudenter eum aggreditur. Quomodo istud Davidicum intelligit Origenes: « Gladium evaginaverunt peccatores. » Quomodo autem putandi sunt peccatores evaginare gladium? Dum jam impudenter et absque ullo verecundiæ velamento, iniquitates suas perpetrant, nec erubescunt, aut reverentur, nec tanquam in vagina nequitiam suam recondunt et contegunt, sed superbo et elato spiritu, velut gladium quemdam denudant; » quo Deum aggrediuntur quantum est ex se, illique necem afferre moliuntur.

2. *Malitiæ redundantia servi quoque scelestissimi dominos suos interficere non dubitant* (3): grande profecto crimen, sed absque comparatione majus peccatoris scelus, qui Deum quasi ad singulare certamen provocans, *tetendit adversus Deum manum suam et contra Omnipotentem roboratus est; cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est* (4), ut Deum confodiat et mortem ei afferat. Verum si Deus ex sua natura est absolute immortalis; si, teste Morali Philosopho, *nec injuriam Deo sacrilegus possit facere quem extra ictum Divinitas posuit* (5), qua ratione, homo luteus, pulvis, umbra, vanitas, in Deum valet insurgere, bellum ei intentare, cum eo velut singulari certamine congredi, eumque suis armis confodere? Id quomodo fieri possit sciscitatur Malachias propheta: *Si affiget homo Deum suum.* (6) Septuaginta vertunt: *Si supplantabit homo Deum suum.* Pagninus legit: *Si rapiet, fraudabit, extorquebit homo Deum suum.* Vatablus scribit: *Si spoliabit homo Deum suum.* Rabbi Abraham habet: *Si corrumpet, perdet homo Deum suum.* Syrus tandem et Arabicus cum stupore fantur: *Nunquid opprimit homo Deum suum?* Quod quomodo fiat varie declarant auctores: 1. Athæi qui nullum existimant esse Deum, hoc ipso, quantum est ex se, Deum defraudant, spoliant, configunt et destruunt, juxta istud Davidicum: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. » (1) Ut autem animadvertit D. Bernardus, *affectio est cordis locutio.* Desideraret impius ut Deus non esset: huic similes sunt 2. Peccatores inveterati, qui ut liberius suis vacarent sceleribus, vellent Deum impotentem, injustum et insipientem: *Crudelis plane et omnino exsecranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat.* (2) 3. Ex D. Augustino peccator Deum aggreditur, graviterque illum offendit dum imaginem suam sceleribus fœdat et corrumpit. « Dices, o peccator: Unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis? Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corruperis in te, non attendis cujus imaginem violas? » (3) 4. Ipsemet Deus apud Malachiam declarat quomodo illum peccatores affigant: *Quia vos configitis me, et dixistis: In quo configimus te? in decimis et in primitiis* (4), quas non juste solvitis, et in aliis meis mandatis, quæ non custoditis, sed insolenter contemnitis, et absque ullo mei honore aut timore transgredimini. 5. Deus duplicem habet vitam: unam naturalem, alteram moralem. Vitam naturalem habet in semetipso per suam essentiam; vitam moralem habet in hominis mente, per æstimationem quam habet de Deo, et in ejus anima, per gratiam sanctificantem, qua mediante unitur justo, et in eo velut in suo templo specialiter habitat et vivit. Peccator nequit tollere Deo suam vitam naturalem, quia est illi essentialis; sed de facto tollit vitam moralem, immutans Dei æstimationem in contemptum, et destruens gratiam, et rumpens unionem, qua in justo vivebat et specialiter habitabat. Tandem, 6. Peccator est reus Deicidii, quia etiam ad Dei vitam naturalem attentavit, habens voluntatem illum interficere, ni obstitisset qua pollet essentialis immortalitas: *Voluntas facti origo est; quæ ne tum quidem libera-*

(1) Job. 14. — (2) Orig. Hom. 2. in Psal. 36. — (3) Tert. L 5. adv. Marc. 6. — (4) Job. 15. — (5) Lib. 7. de Beneficiis. — (6) Cap. 3.

(1) Psal. 13. — (2) D. Bern. Serm. 3. de Temp. Pasch. — (3) Lib. 1. de decem. Chordis cap. 10. — (4) Cap. 3.

tur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat. (1) Peccatum autem potissimum in voluntate consistit : idcirco *vere omnis homo malus quantum ad voluntatem suam, et mittit manum in Deum, et occidit eum.* (2) Quod enim Deum non interficit, procedit ex Dei immortalitate, non ex mala voluntate, operata quod suum fuerat : quemadmodum regicida existimatur vel qui voluit interficere regem nec potuit, vel qui adversus regem emisit sagittam quæ eum absque dubio enecasset, ni impedisset lorica qua armatus est, ita Deicida censendus est, qui voluntatem habuit occidendi Deum, et qui vel lingua, vel manu in illum emisit sagittas juxta Prophetam : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum.* (3) Quot namque proferunt lingua sua blasphemias, quot in corde suo pravas deliberate concipiunt cogitationes et affectiones, quot manibus suis perpetrant facinora, tot sunt sagittæ in Deum jaculatæ.

Cum ergo voluntas facti origo sit, *nonne tanto potior ad pœnam est, quanto principalis ad culpam* (4), quod etiam in Jure Civili decernitur : *Affectus sine effectu in crimine læsæ majestatis punitur.* (5) Quod si voluntas pro facto cedit, et ut reus læsæ majestatis punitur qui occidendi regem habuit voluntatem, quanto magis qui instrumento ad illum occidendum usus est? Nam, ut habetur adhuc in Jure Civili : *Qui hominem non occidit, sed vulneravit ut occideret, instrumento ad occidendum apto, puniendus est ut homicida.* (6) Inde colligendum est qua pœna puniendus sit peccator reus homicidii, Christicidii et Deicidii. Reus homicidii, enecans suam animam, *cujus nomine totius hominis mentio titulata est* (7), reus Christicidii, Christum denuo suis criminibus crucifigens ; reus Deicidii, voluntatem habens Deum destruendi. Peccator est magna pœna mulctandus, ob homicidium, majori ob Christicidium, maxima ob Deicidium ; præsertim cum voluntas qua voluit Deum destruere, importet consequenter voluntatem destruendi in universum cuncta quæ existunt in mundo : quæ absque dubio perirent, si per impossibile non esset Deus, cujus conservatione indigent ad sui conservationem. Peccator nequit concipere crudele illud propositum destruendi Deum, nisi velit destruere omnia entia inanimata, omnia vegetantia, omnes homines, omnes Angelos, omnes justos, omnes beatos, Beatissimam Mariam Virginem, Christi Domini humanitatem, et generaliter omne ens creatum, quod non potest existere nisi a prima causa conservetur. Si autem per impossibile Deus non esset, non posset entia creata conservare. Vide, peccator, quam atrocissima sit crudelitas tua, et quanta sit pœna punienda : si supplicium vitare desideras, noli sævire, noli peccare ; sed animæ tuæ vitam sedulo conserva ; maculas conscientiæ tuæ Christi cruore lava, Deum religiose honora, qui glorificantes se in cœlo glorificat.

(1) Tert. L. de Pœn. 3. — (2) D. Chrysost. Hom. 40. in Matthæum. — (3) Isai 3. — (4) Tert. L. de Pœn. 3. — (5) Leg. Quisquis ff. ad leg. Jul. Majest. — (6) §. 3. ad Leg. Cornel. de Sicariis. — (7) Tert. L. de An. 13.

CONCIO QUARTA.

Peccata *facere nobis nefas est* (1) : tum quia *a Domino damnantur* (2), quod autem Deus prohibet, nobis non est licitum : tum quia Deum offendunt : nam *quæ Domino non placent, utique Dominum offendunt* (3) ; Deum autem offendere fas non est nobis : tum quia, ut subjungit Tertullianus, *a malo conciliantur,* tanquam exitiosa homini. Dæmonis namque *operatio est hominis eversio* (4) : quod exsequitur dum eum incitat ad peccatum ; quod est, 1. Malum naturæ ; 2. Devastatio gratiæ ; 3. Impedimentum gloriæ.

I. PARS. *Malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominis exitium* (5) ; protoparentem inducens ad peccatum, quod tum Adamo, tum nobis multum fuit exitiosum. Adamo quidem, quia eum justitia originali despoliavit, Dei amicitia et familiaritate privavit, a paradiso voluptatis fugavit, in exilium terræ relegavit, tandem ærumnis, doloribus et morti mancipavit. Lugendum illud Adæ exitium sic declarat Tertullianus : *Innocens erat, et Deo de proximo amicus, et paradisi colonus. At ubi descivit Deo sapere, exinde homo terræ datus, et ab oculis Dei ejectus* (6), cunctis denudatus gratiæ donis : nam *quod videbatur habere, ademptum est illi : paradisi gratia et familiaritas Dei* (7), scientiæ lumen, rectitudo voluntatis, corporis immortalitas, et, ut fatur D. Augustinus, *turpes pannos suscepit Adam, quando a diabolo expoliatus pudicitia, accinctus est impudicitia ; amissa temperantia, intemperans effectus est ; perdita charitate, malus*

(1) Tert. L. de Idol. 16. — (2) Tert. L. 2. ad Uxor. 7. — (3) Tert. ib. — (4) Tert. Apol. 22. — (5) Tert. Apol. 22. (6) Tert. L. de Pat. 5. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 2.

inventus est; expoliatus immortalitate, morti propinatus est (1), criminososque generavit filios, communicans illis naturam, 1. Peccato depravatam; 2. Plagis vulneratam; 3. Concupiscentiæ fomite ustulatam.

1. *Princeps generis et delicti Adam, voluit quod deliquit* (2): et quia posterorum voluntates implicite in ejus voluntate continebantur, *exinde proficiunt delicta cum pœnis, et pereunt jam omnes qui paradisi nullum cespitem norunt.* (3) Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, « ex quo nostra natura in paradiso peccavit, ab eadem divina providentia, non secundum cœlum, sed secundum terram, id est, non secundum spiritum, sed secundum carnem, mortali generatione formamur: et omnes una massa luti facti sumus, quod est massa peccati. » (4) Ideoque, ut belle animadvertit D. Augustinus, « parentum peccata quodammodo dicuntur aliena; et rursus modo quodam reperiuntur et nostra: aliena quippe proprietate sunt actionis, et nostra sunt contagione propagationis. » (5) « Ac per hoc non ob aliud est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat (6): *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* (7) Neque dixit in iniquitate vel in peccato; sed iniquitates et peccata maluit dicere: quia et in illo uno, quod in omnes transiit, reperiuntur plura peccata, et alia parentum, quæ reatu obligant filios. » Quibus parentes communicant naturam multis plagis vulneratam.

2. Diabolus *Dei æmulus universam conditionem cum ipso homine corrupit.* (8) Adeo autem per peccatum corrupta est humana natura, ut alia esse videatur ab illa quæ fuerat a Deo instituta: *Naturæ corruptio alia natura est, habens suum deum et patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem.* (9) Quam diversa sit corrupta hominis natura, a natura integra evidenter apparebit, si serio consideretur quid esset in homine originalis justitia. Originalis justitia erat donum supernaturale, quo velut aureo quodam fræno pars inferior superiori, et superior Deo subjectabatur. Supernaturale illud donum Adamo pro veste collatum est: nam, ut fatur Ecclesiasticus, *Deus creavit de terra hominem, et secundum se vestivit illum virtute* (10); et ob hanc causam licet Adam et Eva in prima sui molitione nudi essent, non tamen eos pudebat, tædebatque illius nuditatis, *quia gloria, quæ superne venerat, vestiti erant* (1), scilicet originalis justitia, et quæ ex illa sequebatur gloria erat illis pro veste: itaque *nec Adam nudus erat, quando eum innocentia vestiebat* (2); at ubi ab innocentia defecit et justitiam originalem amisit, *despoliatus et nudus inventus est* (3), nuditatem suam criminosus Adam animadvertens cum ingenti pudoris sensu, *exutus prævaricatione, indumentum quod habebat amiserat.* (4)

Qualis sit strages et quanta sit vastitas protoparenti a peccato illata declarat ipsemet Salvator in parabola hominis illius qui « descendebat ab Hierusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis, abierunt semivivo relicto. (5) » Homo ille adumbrat Adamum, et in illo omne genus humanum: qui, 1. Descendit ab Jerusalem, « quæ mons erat pacis, et amœnæ pacis blanda visio, » id est, de paradisi sede ac deliciis, de summo divinæ amicitiæ gratiæque gradu. Descendit in Jericho, scilicet in sterilem et inconstantem peccati regionem, cujus symbolum est Jericho, quæ lunam significat. Hoc primum et ingens malum secutum est alterum: nam scelerosus Adam, 2. Incidit in latrones, hoc est dæmones, qui eum despoliaverunt veste justitiæ originalis, omnique ornatu gratiæ, charitatis et virtutum, qua induebatur. 3. Gravia illi inflixere vulnera, quæ ad quatuor potissimum capita reducit Doctor Angelicus (6), e quibus et alia pullulant; nimirum ad ignorantiam, malitiam, infirmitatem et concupiscentiam. *Ignorantia residet* in intellectu, illumque male afficit. *Malitia* est in voluntate, illamque evertit ac depravat. *Infirmitas* apparet in appetitu irascibili, qui ab ea marcescit ac deficit. *Concupiscentia* sedem habet in appetitu concupiscibili, eumque ab æquitatis lege detorquet.

D. Thomas quam gravia fuerint illa vulnera colligit ex discrimine quod intercedit inter statum naturæ integræ et statum naturæ corruptæ. In statu justitiæ originalis, potentiæ omnes inferiores suberant rationi, et ratio Deo; in statu naturæ corruptæ, facultates animæ quas Deus rationi subdiderat, ei non obediunt, nec ratio Deo obtemperat; et hinc immane vulnus in eo est positum, quod

(1) Lib. Cont. Jud. pag. et Arian. c. 2. — (2) Tert. L. de Exh. cast. 2. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 22. — (4) Lib. 83. quæst. qu. 68. — (5) Lib. 6. Cont. Julian. 3. — (6) D. August. in Enchir. c. 46. — (7) Psal. 50. — (8) Tert. L de Cor. Mil. 6. — (9) Tert. L. de An. 41. — (10) Cap. 17.

(1) D. Chrysost. Hom. 15. in Gen. — (2) D. Ambr. L. de Isaac. c. 6. — (3) D. Ambr. L. 2. de Jacob. c. 5. — (4) D. Ambr. L. de Helia c. 4. — (5) Luc. 10. — (6) 1. 2. quæst. 85. art. 1.

omnes animæ vires abierunt ab ordine sibi constituto, quo potentiæ virtutum sedes, serviebant rationi, ratio virtuti, virtus Deo: hic ordo sublatus est per Adami peccatum, quod singulis animæ potentiis suum inflixit vulnus. Intellectui quidem ignorantiæ vulnus, ubi destitutus est suo ordine ad verum, ad quod natura duce ferebatur : et inde labefacta est prudentia rerum agendarum magistra et moderatrix. Voluntati impressum est malitiæ vulnus, ubi aversa est a bono, ad quod suapte natura, et insita quadam inclinatione propendebat : et hinc æqui rectique tenax justitia, qua totus regitur orbis, exstincta penitus atque eversa. Appetitui irascibili suum vulnus infirmitatis adhæsit; ubi revocatus est ab objecto arduo ac difficili, ad quod summo conatu, validoque impetu enitebatur : et inde fortitudo, quæ omnem adversæ fortunæ molem, casus omnes sustinebat, digressa omnino atque abjecta. Tandem et appetitui concupiscibili suum illatum est vulnus, cum ita a seipso, a recta ratione elabitur, ut a bono moderate delectabili discedat, et immoderatione quadam in concupiscentias suas trahi sese rapique patiatur. Et hinc etiam deficit temperantia, quæ cuique modum suum ponebat atque finem. Hæc sunt a peccato, seu romphæa exitiabili, impressa nostris animis vulnera : e quibus effunditur immensa quædam velut malorum omnium eluvies : cum enim in quatuor virtutibus cardinalibus vertatur, velut cardo vitæ ac felicitatis ; ubi illæ fuerint non destructæ, sed debilitatæ, victæ atque oppressæ, necesse est, et vinci, et opprimi virtutes omnes, et assurgere et attolli, atque regnare vitia omnia, sublato rationis, virtutis, Deique in animam humanam imperio: et quatuor illa vulnera ab uno originali peccato sunt impressa, non Adamo soli, sed cunctis adhuc hominibus, qui in sua generatione accipiunt naturam corruptam concupiscentiæ fomite sufflammatam.

3. *Concupiscentiæ seculi damnantur* (1), quibus voluntas inordinate adhæret. Seculi autem concupiscentias ad tres principales et radicales reducit dilectus Discipulus: nimirum ad concupiscentiam oculorum, seu avaritiam ; concupiscentiam carnis, seu lasciviam ; concuspiscentiam honoris, seu superbiam. Nam, ut subjungit Tertullianus, *sicut pecuniæ, vel gloriæ, ita et voluptatis concupiscentia est* : quæ nuncupatur fomes, origo et seminarium peccati, quia obscurat intellectum, imaginationem sufflammat, passionem ingenerat, voluntatem sollicitat, ut bonum sensibile etiam contra ordinem rationis et justitiæ amet et prosequatur. Unde vocitatur a D. Ambr. *lena vitiorum*. (1) Sicut enim lena adolescentem tentat abstrahitque ab uxore ad fornicandum secum, sic et concupiscentia animam a Deo sponso suo abstrahit, ut cum bonis creatis delicietur. Ut enim ait in sua Canonica Jacobus Apostolus, *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*. (2) In græco habetur *inescatus*, id est, esca captus, illecebris delinitus et deceptus : sicut pisces et aves capiuntur esca ; et sicut Esau (3) illectus esca lentis vendidit primogenita sua ; et sicut Eva et Adam pomi pulchritudine illecti, contra Dei mandatum illud comederunt, ideoque mortem incurrerunt. *Tria sunt quibus impletur peccatum : suggestione, delectatione, consensione ; tria hæc similia sunt illi rei gestæ quæ in Genesi scripta est : ut quasi a serpente fiat suggestio et quædam suasio : in appetitu autem carnali tanquam in Eva delectatio : in ratione vero tanquam in viro consensio : quibus peractis tanquam de paradiso, hoc est de beatissima luce justitiæ in mortem homo expellitur.* (4)

Belle Jacobus metaphora sumpta ex generatione humana describit peccati generationem et prosapiam : « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ; deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. » Nam mater peccati est concupiscentia : pater est libera voluntas : semen matris est vel suggestio *mali multiplicia spiritus incitamenta jaculantis* (5), vel voluptas quam ingerit excitatque concupiscentia, mediis externis sensibus : siquidem *concupiscentia oculis arbitris utitur, et communicat placitum* (6) : semen patris est ipse consensus voluntatis, prout consideratur in facto esse, scilicet ipsum peccatum. Illa autem proles, 1. Est imperfecta, velut embrio et fœtus imperfectus : talis est consensus semiplenus sive peccatum veniale ex indeliberatione ; 2. Est proles omnino formata et perfecta : talis est consensus plenus, sive peccatum mortale deliberatum. Nepos peccati est actus externus. Pronepos consuetudo peccandi. Abnepos est mors in peccato. Trinepos est æterna gehennæ mors. Ecce *mali operatio lata et diffusa* (7) : ecce quantum mala et misera peccati soboles incrementata et multiplicata est suam mutuans

(1) Tert. L. de Spect. 14.

(1) Lib. 4. in Luc. 4. — (2) Cap. 1. — (3) Gen. 25. — (4) D. August. Lib. 1. de Serm. Dom. in Mont. c. 23. — (5) Tert Lib. de Pat. 11. — (6) Tert. L. de An. 38. — (7) Tert. L. de Cor. Mil. 6.

originem ab originali culpa. *Consequens est ut quia prima, idcirco et sola sit matrix in omne delictum, defundens de suo fonte varias criminum venas.* (1) Christiane, recogita quantum malum sit originale peccatum, quod tot in humano corpore generat morbos; tot potentiis animæ infligit plagas; tot fames, ærumnas, neces et scelera parturit; quot millionum hominum propter illud damnantur, et interminabilem patiuntur mortem : et vide quam exitiosum sit peccatum, quod est malum naturæ, et vastitas seu depopulatio gratiæ.

II. PARS. Merito Tertullianus nuncupat *crimina, exitiosa, et devoratoria salutis.* (2) Quasi peccatum sit malorum abyssus, et immensa vorago, qua salus et omne hauritur animæ bonum. Sic Greg. Nazianz. pestilentissimæ luis profundum nominat *exitii voraginem.* Sunt in maris finibus sirtes, et in fluminibus etiam loca periculosa, in quibus ob depressum hiatum est vortex aquarum sorbentium, quæ res omnes deglutiunt : inter maris scopulos de periculo famosos, Scylla et Charybdis potissimum decantantur, tum primum exortæ, *cum Italiæ quondam latus, Hadria Tyrrhenoque quassantibus mediotenus interceptum, reliquias Siciliam facit : cum tota illa plaga dissidii, contentiosos æquorum coitus angustis retorquens, novum vitii mari imbuit, non exspuentis naufragia, sed devorantis.* (3) Verum inter omnes sirtes et scopulos, inter omnes vortices, nullus est adeo periculosus ac devoratorius sicut peccatum. Cui probe aptari possunt ea quæ de idololatria fatur Tertullianus: *Cæterum inevitabile excussis profundum est, inextricabile impactis naufragium est, inrespirabile devoratis hypobrichium in idololatria : quicunque fluctus ejus offocant. Omnis vortex ejus ad inferos desorbet.* (4) Censet Rigaltius, ea quæ scripsit Tertullianus de hypobrichio, de fluctibus efforantibus, de vortice desorbente scripsisse cum respectu ad Charybdin ex naufragandi periculo notissimam, imo ex crebris naufragiis famosissimam : at quænam est Charybdis comparatio cum vortice peccati quod, 1. Gratias devorat; 2. Virtutes dissipat; 3. Acquisita merita devastat ?

1. Omnes qui de vorticibus ac voraginibus tractant, *devorationem ad perditionem arripiunt.* (5) Unde ut animadvertit aliorsum Tertullianus, *devoratum non aliud existimant, quam interceptum, quam abolitum, quam omni sensu ereptum.* (1) Plures ejusmodi voragines tum profana, tum sacra testatur historia, quas in præcipuis mundi partibus accidisse refert Tertullianus. Et quidem in Europa *vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegavit.* (2) Neque cladibus et voraginibus immunis fuit Africa, quas sæpesæpius experta est. *Utinam et Africa semel voraginem paverit, unicis castris fraudatis expiata!* (3) Alludit Tertullianus ad Cambysis, Persarum regis, exercitum, in Lybicis sirtibus, immensis arenarum cumulis coopertum atque obrutum : prosequitur de Asia loquens : *Utinam et Asia secura jam sit de soli ingluvie!* Loqui intendit de insula, quæ juxta quorumdam sententiam, exstitit olim in mari Atlantico, tantæ magnitudinis ut Asiam aut Libyam adæquasse ferant. *Cum in Atlantico Libyam aut Asiam adæquans quæritur.* (4) Hujus opinionis fuisse Platonem refert Tertullianus : *Memorat et Plato majorem Asiæ vel Africæ terram Atlantico mari ereptam.* (5) Sed omnes clades quæ urbes afflixerunt, provincias, regna everterunt, et majores mundi absorbuerunt partes, non sunt comparabiles universali diluvio. Sane *ante cataclysmum editam, post eum casum orbis, omnium rerum abolitorem* (6), grandes non videntur strages quæ in Europa, Asia et Africa evenerunt. Quanto majus est totum suis partibus sigillatim sumptis, tanto totius orbis vorago est absque comparatione major quam destructio unius partis : porro *totum orbem cataclysmus abolevit.* (7) Verum si serio recogitemus cladem quam homini affert devoratorium salutis peccatum, illam adhuc inveniemus majorem, quam stragem quam attulit mundo cataclysmus omnium rerum abolitor : tum quia homo cujus salus per peccatum devoratur, est absque ulla comparatione dignior atque pretiosior quam sint omnes res quas in universo orbe abolevit diluvium. Et ob hanc causam Gregorius Nazianzenus vocitat hominem non microcosmum, sed *magnum mundum in parvo.* (8) Proclus etiam apud D. Epiphanium illum vocitat *mundum quemdam mundi* (9), id est, alterum mundum, universo orbe longe perfectiorem, bonis majoribus adornatum : Clemens quoque Romanus asseverat Deum fecisse hominem *mundi mundum.* (10); hoc

(1) Tert. L. de Pat. 5. — (2) Tert. L. de Idol. 1. — (3) Tert. Lib. de Pall. 2. — (4) Tert. L. de Idol. 24. — (5) Tert. L. de Res. Carn. 54.

(1) Tert. L. de Res. Carn. 42. — (2) Tert. Apol. 40. — (3) Tert. L. de Pall. 2. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. Apol. 40. — (6) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 3. — (7) Tert. Apol. 40. — (8) Orat. 38. — (9) Lib. 2. Contra Hæret. — (10) Lib. 7. Const. 35.

est uniuersi decus, et cunctarum rerum quæ continentur in orbe præclarum et pretiosum ornamentum; tum quia lethale peccatum destruit et devorat gratiam sanctificantem. Ut autem docet D. Thomas, *bonum gratiæ unius majus est quam bonum naturæ totius universi.* (1) Ratio est evidentissima, quia ea quæ sunt in ordine superiori, superant fere in infinitum ea quæ sunt in inferiori ordine: hæc enim cum in infinitum multiplicarentur, nunquam illorum attingent perfectionem: gratia autem sanctificans est superioris ordinis ad omnia quæ sunt in mundo, confertque homini justificato esse supernaturale et divinum. Idcirco *gratia Dei, non solum omnia sidera et omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos supergreditur* (2), scilicet in ordine naturæ spectatos.

Inde gradatim colligenda est gratiæ sanctificantis nobilitas: 1. Magnum quid est mundus universus ex elementis et cœlis compositus; de quo D. Augustinus: *Visibilium omnium maximum est mundus* (3); verum quantumvis commendetur mundus, 2. Homo universo mundo major et perfectior est. Cujus dignitatem conspiciens Philosophus, ait *hominem, rerum quæ in mundo sunt, unam omnium præstantissimam* (4): ad hominis perfectionem stupefactus Plato vocat eum *divinum miraculum.* (5) Protagoras apud Sixtum empiricum docet *omnium rerum mensuram esse hominem.* (6) Neque minoribus encomiis a Patribus honoratur. Ab Andrea namque Hierosolymitano nuncupatur *ingens creationis specimen* (7); a D. Hilario, *homo maxime mirabile opus Dei* (8) recognoscitur; a Gregorio Nysseno prædicatur *pulchrum ac præclarum Dei opus, factumque ad ea quæ sunt pulcherrima atque optima.* (9) Ex D. Ambrosio, *processit postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis, ut omni esset creaturæ miraculo* (10): ab oraculo Pythii, *omnium morientium et resurgentium dominus.* (11) Cui consonat Vates Regius, Deum alloquens, *omnia subjecisti sub pedibus ejus* (12): a Sinesio *pretiosum animal* appellatur (13); a Jacobo Apostolo, *initium creaturæ Dei.* (14) Non quidem productione, sed perfectione, et ut explicat OEcumenicus, *primum et honoratissimum.* Nam, ut docet Philosophus, *initium nobile est maxime honoratum.* (15)

(1) 1. 2. q. 115. a. 9. ad. 2. — (2) D. August. L. 1. ad Bonif. cap. 6. — (3) Lib. 2. Civ. 4. — (4) Lib. 6. Eth. 7. — (5) Plato L. 1. de Legib. — (6) Lib. 1. Pirrhon. Hyp. — (7) Serm. de Salut. Ang. — (8) In Psal. 143. — (9) Orat. Catech. c. 8. — (10) Ep. 35. ad Hortensium. — (11) Tert. Apol. 48. — (12) Psal. 8. — (13) Epist. 57. — (14) Jac. 1. — (15) Lib. de Incess. An. c. 5.

Et quasi tot elogia non sufficiant ad declarandam eminentem hominis dignitatem, illam incomprehensibilem et ineffabilem existimat D. Bernardus (1), expendens istud Jeremiæ: « Homo est, et quis cognovit eum? » (2) Ac si dicat: *Super excellentiam ejus quis enarrabit?* Tot honoris retuli titulos quibus auctores hominis extollunt perfectionem, ut colligam, 3. Maximam gratiæ sanctificantis dignitatem: quæ homini tot titulis glorioso multum antistat. Nam, ut fatur Gregorius Nazianzenus, *quemadmodum nos Deus primum creavit, ita creatos nos restauravit ac refinxit, et quidem figmento diviniore, primumque figmentum multis partibus superante.* (3) Per figmentum divinius gratiam intelligit, qua homo mutuatur esse supernaturale et divinum, longe nobilius esse naturali quod a Deo accepit in sua creatione, « quoniam melior est misericordia tua super vitas (4); » seu, ut ex hebræo legit Cajetanus, *melior est gratia tua quam vita*, vegetans scilicet, sentiens et rationalis. Omnes has vitas homo habet ab anima: animæ autem rationali a Deo creatæ, gratiam sanctificantem præponit D. Augustinus, homini objiciens gratiæ perfectionem: *Melius est te justum esse quam te hominem. Si hominem te fecit Deus, et justum tu te facis, melius aliquid facis quam fecit Deus.* (5) Tanta est gratiæ sanctificantis præstantia et nobilitas, ut cuncta quæ sunt in terra et in cœlo, solo Deo excepto, in excellentia superet.

Finge tibi hominem fortunæ bonis opulentissimum, in aliorum æstimatione famosissimum, corporis robore fortissimum, venustate formosissimum, ingenii acie præstantissimum, omnium artium et scientiarum magistrum eruditissimum, totque corporis et animæ dotibus a Deo præditum, ut cæteros homines magnis post se relinquat intervallis: terris ille et regnis omnibus dominetur; maria temperet, insolentesque ejus regat æstus, in æthera, si fieri potest, cœlestesque machinas potentiam efferat; habeat velim jus in magnos superiorum orbium motus, intelligentiasque motrices: demus illi in manum et fulmina, et fulgura, et tonitrua, et omnem, si voles, hujus mundi dominatum. Existimabis absque dubio nullum posse dari in terris, non solum illi parem, sed neque secundum: attamen hoc homine tantis fortunæ bonis, tot naturæ donis prædito, præstantior est vel minimus Angelorum et hominum, gratia sanctificante decoratus, quia

(1) Hom. 5. de Villico. — (2) Cap. 17. — (3) Orat. in Sanct. Baptisma. — (4) Psal. 62. — (5) Serm. 15. de Verb. Apost.

bonum gratiæ majus est quam bonum naturæ totius universi.

Supponamus adhuc hominem gratiis gratis datis famosissimum, qui vel difficillimos nullo negotio interpretetur sermones, omnibus loquatur linguis; futura prospiciat longo tempore priusquam eveniant; multa operetur miracula; ægrotis conferat sanitatem; mortuos revocet ad vitam; montes transferat, paludes siccet, luis contagionem eluat, aliaque edat mirabilia quæ inter homines famam et admirationem conciliant. Homo hujusmodi in omnium mente, corde et ore versaretur, velut omnium æstimatione, amore et præconio dignus: huic tamen si desit sanctitas, longe superior est homo justus, etsi miraculorum operatione non sit famosus, quia gratia gratum faciens est multum nobilior gratiis gratis datis: hæ enim per se non assurgunt ad Divinitatis participationem; illa vero efficit hominem divinæ consortem naturæ.

At cum in terra et in ordine naturæ nihil reperiatur quod gratiæ non cedat dignitati: mente assurgamus in cœlum, et videamus si sit aliquid supernaturale, quod gratiæ superet excellentiam. In cœlo est lumen gloriæ quod sepernaturaliter elevat beatorum mentes, estque adhuc visio beatifica, qua clare et intuitive essentia divina conspicitur. Verum licet lumen gloriæ intellectum elevet ad operationem beatificam; et beatitudo saltem initiative in visione consistat; gratia tamen est perfectior tum lumine gloriæ, tum visione beatifica; utpote utriusque velut principium: sine gratia enim neque lumen gloriæ consisteret, neque haberetur visio Dei, sicut non colligitur granum et frumentum, nisi semine prævio. Nec dicas visionem beatificam censeri infinitam a D. Thoma, eo quod infinitam Dei attingat essentiam: nam etiam gratia de infinitate commendatur: quia hominem efficit divinæ naturæ participem, eumque cum Deo conjungit; quo nihil illustrius, nobilius et augustius potest excogitari. Ut enim fatur Apostolorum Princeps, *maxima et pretiosa nobis donantur, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* (1) Gratia autem gratum faciens, est donum illud maximum et præstantissimum per quod divinam participamus naturam, idcirco vocitatur ab Apostolo donum maximum: quia Angelorum et hominum naturam superat, eisque est supernaturalis: neque ulla creata dari potest substantia, cui gratia sit connaturalis: eo quod ipsa omnem naturam creatam transcendat, proximeque et summe divinam participet naturam.

(1) 2. Pètr. 1.

Effectus nobilissimos quos animæ confert gratia, ejus excellentiam mire demonstrant. Nam, 1. Omne mortale peccatum expellit; 2. Hominem Deo gratum ejusque amicum efficit; 3. Hominem justum, sanctum, Deoque similem reddit; 4. Hominem ad Dei filiationem attollit; 5. Hæredem regni cœlestis constituit; 6. Dona Spiritus Sancti secum adducit; 7. Gloriam parturit; idcirco dicitur semen gloriæ: nam sicut ex semine nascitur arbor et fructus, sic ex gratia, æterna nascitur felicitas; 8. Pro præteritis culpis satisfacit; 9. Augmentum gratiæ et gloriæ acquirit; 10. Hominem supra Angelos ad ordinem divinum attollit.

Quam devoratorium salutis peccatum, quod est privatio gratiæ! Dum dico privationem gratiæ, una etiam pronuntio privationem quamdam divinæ lucis, virtutum fere omnium stragem, meritorum ruinam, animæ mortem, vitæ exterminium, gloriæ jacturam, denique profusionem eorum omnium quæ, vel in terris magna, vel in cœlis ardua habentur: adeoque privari gratia majus aliquid est, quam privari luce, virtutibus, meritis, anima, vita, lumine gloriæ, bonis omnibus, imo etiam et seipso. Et hæc omnia infelix peccator prodigit pro vano honore, pro nefanda et momentanea voluptate, pro terreno lucro: non secus ac prodigus qui patris dissipavit substantiam vivendo luxuriose. *Christianus est qui acceptam a Deo patre substantiam (utique baptismatis: utique Spiritus Sancti, et exinde spei æternæ), longe evagatus a patre prodigit ethnice vivens.* (1) Quantum vero miser tibi afferas damnum, aliquo modo conjicies, si fingas hominem, in cujus arca sint omnium rerum gazæ et opes universi; in cujus manu sceptra omnia, in cujus capite omnia Cæsarum diademata, in cujus corpore omne gigantum robur, in cujus anima omnes omnium scientiarum thesauri; et si quæ sint alia, seu corporis, seu animæ ornamenta, in illo uno reperiantur collecta: si homo ille tot prærogativis decoratus, ludat, et uno jactu aleæ, omnes illas opes effundat, sceptra abjiciat, diademata ponat, robur exuat, scientias excutiat, fiatque e ditissimo pauperrimus, e superbo rege abjectissimus servus, e fortissimo imbecillimus, e sapientissimo quam maxime ignarus. Hæc omnia ubi videris, ubi senseris, quantum ab uno jactu aleæ illatum damnum clamitabis, aleatorem stultissimum prædicabis. Scelerose peccator, majus absque ulla comparatione damnum a peccato tibi affers, nec mentis aperis oculos, ut tantam

(1) Tert. L. de Pud. 9.

bonorum stragem consideres : in quo pueris assimilaris, qui dum latrones conspiciunt paternam domum deprædantes rident; lacrymantur vero, si eis auferatur pomum. Non absimiliter enim tristaris, ingemiscis, ploras, dum tibi auferuntur luteæ domus, villæ et hæreditates, aurum et argentum, excrementa terræ : non sentis autem neque doles quando gratiam, gloriam, cœlum, ipsumque Deum per peccatum amittis : senties aliquando, sed summo tuo malo, ubi mors stuporem illum excusserit, et peccatum te in inferni profundum projecerit.

Peccatum omne casus spiritualis est (1), ut asseverat Sapiens, dum ait : « Septies in die cadit justus. » (2) Quod si justus cadit in peccata venialia, quæ non tollunt gratiam, sed duntaxat minuunt fervorem charitatis, peccator peccata lethalia committens gravius cadit. Ex Parisiensi autem Antistite, *considerandum est unde cadit et in quid cadit.* (3) Scilicet, 1. Ex gratia cadit in peccatum; 2. Ex amicitia Dei, in ejus odium; 3. Ex Dei similitudine, in imaginem bestiæ; 4. Ex Dei Filio, in diaboli mancipium; 5. Ex Dei templo, in diaboli habitaculum; 6. Ex cœlo, in infernum. Nam *de sublimitate cœlesti Satanam Dominus quoque decidisse testatur : nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes siderum ardentium radios, unde etiam quasi fulgur dejectus est Satanas.* (4) Idem accidet peccatori cadenti in peccatum, quod gratias devorat et scelerosum virtutibus despoliat.

2. Charitas est *christiani nominis thesaurus.* (5) Gratia namque sanctificans secum adducit omnes virtutes theologicas, scilicet fidem, spem, charitatem; virtutes etiam morales supernaturales, puta prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam; dona quoque Spiritus Sancti, donorum auctorem : formalis namque justificatio, quæ in gratia et charitate in nobis inhærente consistit, præfata complectitur, affertque secum Spiritum Sanctum, gratiæ et charitatis datorem. Neque gratia justificans seu charitas a Spiritu Sancto, neque Spiritus Sanctus a gratia et charitate divellitur; sicut nec radius a sole, nec sol a radio, ut lux a calore, vel calor a luce separatur. Ut enim ait Apostolus *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* (6) Homo tanto thesauro ditatus dicitur *pretiosus* (7) a Sapiente : seu, ut vul Propheta Evangelicus, *pretiosior erit vir auro, et homo mundo obryzo.* (1) Quod dictum censet Magnus Basilius ad ingens justi pretium denotandum. In hebræo habetur : *Gloriosus et magis honoratus erit homo quam aurum purissimum : et homo magis quam aurum ex Ophir* : Septuaginta cum auro addunt et gemmas : Et *homo magis honoratus erit quam lapis qui de Suphir.* Lapides intellige pretiosissimos, quales de Ophir petebantur, loco in India, ut vult Basilius (2), seu in Africa, ut censet Origenes (3), clarissimo, ubi magna excellentis auri et gemmarum celebrium fuit copia. Tantus namque est hominis justificati valor et decor ut omnia quæ sunt in orbe terrarum pretiosissima et pulcherrima, ejus decori et valori facile cedant. Symmachus legit : *Aurum primum*, hoc est omnium præstantissimum ; Aquila vero vertit : *Aurum coloris optimi et sanguinei*, quia anima justi Christi sanguine opulenter ditatur, vivido colore purpuratur, et pretiosissima veste induta, decoratur. Josephus (4) fuit a Jacobo patriarcha vestitus tunica polimita, et anima justi est adornata veste polimita, hoc est omni virtutum genere ac varietate ditata : quam sub reginæ typo Vates Regius repræsentat : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* (5) Quam pretiosa vestis, murice, auro, gemmisque pretiosior ! Quam decora vestis, non humana, sed divina arte contexta ! Quam stupenda et rara vestis, cujus sartor est Spiritus Sanctus; cujus pretium Christi merita; cujus tinctura et murex, Verbi humanati sanguis; cujus decor est gratia; cujus materia est charitas cæteras fere virtutes secum habens annexas ! *Vestes nostræ, virtutes sunt : bona vestis, charitas; bona vestis, obedientia est. Beatus qui custodit vestimenta hæc ut non ambulet nudus.* (6)

Quam felix justus pulchra illa et pretiosa veste indutus ! quam infelix peccator variegata illa et deaurata veste exutus ! Per peccatum namque *despoliantur interiores homines* (7), id est, animæ scelerosæ de justitia in iniquitatem cadentes, exuuntur gratia sanctificante, charitate, cæterisque virtutibus moralibus supernaturalibus, quibus velut gemmis et auro intexta erat pretiosa et decora justitiæ vestis. Cujus illustre habemus exemplum in Lucifero, per principem Syr ab Ezechiele propheta repræsentato. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, sume planctum super principem Sor :*

(1) Guillel. Par. 2. p. q. 2. de Univers. cap. 61. — (2) Prov. 24. — (3) Lib. de Vitiis et peccat. cap. 11. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (5) Tert. L. de Pat. 12. — (6) Rom. 5. — (7) Prov. 20.

(1) Isa. 13. — (2) In cap. 13. Isa. — (3) In cap. 23. Job. — (4) Gen. 37. — (5) Psal. 44. — (6) D. Bern. Serm. 3. de Quadrag. — (7) Tert. L. adv. Valent. 32.

et dices : hæc dicit Dominus : Tu es resignaculum similitudinis ; qui scilicet integritatem imaginis et similitudinis resignaveris ; Plenus sapientia , corona decoris. Lapidem optimum indutus es ; sardium, topazium , smaragdum, carbunculum, sapphirum, jaspin, lyncurium, achaten, amethystum, chrysolithum, beryllum, onychinum; et auro replesti horrea tua, et thesauros tuos , donec inventæ sunt læsuræ tuæ. (2) Quandiu Lucifer servavit divinæ imaginis et similitudinis integritatem , tanto fuit valore ornatus et decore venustatus, ut ad ejus donotandam pulchritudinem, pretiosissimas quasque acervet Propheta gemmas; at mox ut per peccatum divinam resignavit similitudinem, pretioso illo et decoro exutus est indumento, et adeo horribilis et deformis effectus, ut conspicientibus horrorem et timorem incutiat. En verum hominis justi et peccatoris specimen. Homo justus est auro, gemmisque indutus , id est, gratia et virtutibus decoratus. Hac supra re audiatur Jeremias propheta : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, candidiores Nazaræi ejus nive , nitidiores lacte, rubicundiores ebore, antiquo sapphiro pulchriores.* (2) Ecce unde venustas et magnificentia animæ justæ : primum ab auro charitatis, quod dicitur primum, id est, purum et præstantissimum : deinde a mirabili gratiæ candore , per lac et intactam nivem denotato : denique a luce nitoreque margaritarum, « nempe virtutum moralium, » et imprimis sapphiri, cœlestem colorem referentis, notisque aureis, ut micantibus stellulis , intexti , parvum velut cœlum , et amictum splendidum et cœlestem in anima sanctificata innuentis. Verum uti anima innocua et charitate decorata, sapphiri splendet luce , gemmarum micat splendore, nivis et lactis candore nitet, et auri decore fulget , ita anima scelerosa denigrata est super carbones , nec omnino potest agnosci : tantum mutata est ab illa quæ ante fuit. *Quomodo obscuratum est aurum , mutatus est color optimus; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Filii Sion inclyti , et amicti auro primo ; quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* (3) A peccato scilicet immutati ita a seipsis defecerunt, ut qui prius fuerant candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, denigrata est super carbones facies eorum , et non sunt cogniti in plateis. Peccatum denigravit nivis candorem , obscuravit auri fulgorem , gemmarum sordidavit nitorem , charitatis et virtutum abstulit decorem. Habitus naturales per varios acquisiti actus , nonnisi per varios actus contrarios destrui possunt : at habitus supernaturales virtutum a Deo infusi, uno actu peccati contrario destruuntur : sic fides destruitur hæresi, spes desperatione, et charitas quovis peccato lethali.

(1) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 10. — (2) Thren. 4. — (3) Thren. ibid.

Profecto *saluti nocentissima* (1) sunt scelera; nam, ut docet Antistes Parisiensis, *peccata mortalia nihil aliud sunt quam incendia.* (2) Incendium domos , urbes, silvas, terrasque devorat : peccatum est *ignis usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* (3) Ex mente D. Hieronymi per ignem cuncta eradicantem et devorantem Propheta probrosum lasciviæ crimen intelligit : *omnia bona virtutum devorans, atque universa in homine sanctarum rerum incrementa consumens.* Sed de omni potest peccato lethali intelligi, quod gratiam et charitatem devorat et consumat : nam, ut fatur Galfridius, *sine charitate animus inextinguibilem sibi flammam de ardore suæ obstinationis accendit* (4) quæ gratiam, charitatem , virtutesque morales supernaturales depopulatur , et in cineres redigit. Præceperat olim Deus Judæis *ut si quam civitatem constitisset suasu iniquorum hominum transisse ad deos alios , ut interficerentur omnes incolentes eam , et devoramenta fierent universa ejus , et colligerentur omnia spolia ejus in omnes exitus ejus, et igni cremarentur cum omnibus vasis suis, et cum omni populo in conspectu Domini Dei. Et non erit habitabilis , inquit, in æternum, non reædificabitur amplius, nec adhærebit quidquam manibus tuis ex devoramento ejus.* (5) Habes, infauste peccator, ad unguem repræsentatum incendium quod in te accendis, et depopulationem quam efficis : nam quando peccas lethaliter, vero Deo spreto falsos deos colis ; ignem gehennæ in temetipso accendis, qui a dæmone sufflammatus, gratiam, charitatem et supellectilia virtutum ad nihilum redigis , et dum in peccato animam efflas, æternum in inferno toleras ignem , neque unquam devoratam gratiam et charitatem cæterasque virtutes depopulatas possidebis.

Luxerunt olim Romani suæ urbis incendium (6), cum Nero, imperator inhumanus et sævus, Trojanum suis oculis volens in urbe Roma repræsentare incendium , jussit intempesta nocte per crudeles cupiditatum sua-

(1) Tert. L. de Pudic. 9. — (2) Lib. de Sacram. Pœnit. cap. 2. — (3) Job. 31. — (4) In cap. 4. Sap. — (5) Tert. Scorp. 2. — (6) Sueton. in Neron.

rum ministros, in celeberrima urbis loca injici ignes, qui majorem urbis depasti sunt partem, et innumeras absumpserunt divitias. Cum primum rubescente die, ruinas et damna quæ nox absconderat, conspexerunt Romani, amare illacrymati sunt : tam improvisa immanisque crudelitas etiam virorum fortium lacrymas traxit, et præ dolore linguam et vocem ademit : doluerunt Romani, publicæ calamitatis dolore afflicti, nec ullum præ commiseratione verbum effari potuerunt. Peccator vero, ad propriam miseriam insensibilis, gravioribus malis oppressus, in consideratione stupendæ calamitatis, nec stupore attonitus hæret, nec lacrymulam effundit, nec gemitum edit, nec ullo dolore concutitur : quæcunque Neronis malitia, igne depopulata sunt, fuere fortunæ spolia; neque aliud consumptum præter luteas domos; supellectilia ex lino, lana, vel serico confecta; arcas, cubilia, mensas ligneas vel eburneas; argentum et aurum magno labore et metallorum fodinis extractum; gemmas, aut terræ partus, aut maris excrementa. Peccatori autem ab una lethali noxa longe gravior incumbit ruina, jacturaque multo major, spolium scilicet, non luteæ domus, sed templi Deo sacrati; damnum, non fortunæ, sed gratiæ; amissio, non terrenorum, sed cœlestium bonorum.

Neque minus lugubre fuit miserabile Saguntiæ urbis incendium, cum fulminante ad portas Hannibale (2), jamjamque cum ingentibus copiis, per disrupta mœnia irrupturo, desperatis Romanis auxiliis, miserandæ illius urbis cives, ne in infensissimi hostis venirent potestatem, ingentem in medio foro exstruxerunt ignem, et quidquid in urbe vel argenti, vel auri, vel gemmarum fuit, in flammas vorandum projecerunt, et se invicem una cum prole, in ardentissimos præcipitarunt ignes. Ardebat opulenta civitas, consumebantur ædes magnificæ, superba tecta, multorum seculorum opus et labor; ardebat opulenta suppellex, plurimorum millionum pretium; ardebant et corpora, et cum patribus ac matribus, tenera et innoxia puerorum et puellarum ætas; ardebant universaliter cuncta, et quidquid secula coacervarant, uno fere momento ardens consumpsit flamma : spectaculum sane lamentabile, quod absque lacrymis nec legere, nec audire quis possit. Verum a peccato habetur spectaculum longe lamentabilius per quod excitato in anima incendio, perit gratia sanctificans, cujus pretio et dignitati cuncta quæ sunt in mundo nequeunt comparari; perit charitas, pretiosissimus christianæ religionis thesaurus; pereunt Christi merita, tantis doloribus et cruciatibus comparata; pereunt Spiritus Sancti dona, quibus quasi pretiosis margaritis decorabatur anima; pereunt virtutes morales supernaturaliter infusæ, quæ velut sidera splendidissima fulgebant; uno verbo, perit omne donum gratiæ quod non tempori, sed æternitati servierat : tot bona, tot decora, tot ornamenta pereunt peccatori, mox ut peccato præbuerit assensum. Utinam ad tantam jacturam, ad immane illud incendium attenderent Christiani, et quoties vel caro, vel mundus, vel dæmon allicit ad peccatum, ponerent in bilance momentaneum et apparens voluptatis, honoris et divitiarum bonum quod inordinate prosequuntur, et incomprehensibile bonum quod amittunt, per peccatum quod gratiam devorat, charitatem cæterasque virtutes absumit, et acquisita merita devastat.

3. *Vastitas ingens* (1) peccati, quod omnia depopulatur et devastat. Anima scelerosa est *sicut civitas quæ vastatur*. (2) Quam triste spectaculum opulenta civitas repentina hostium irruptione capta, in quam ingressi armati milites absque ulla misericordia auferunt supellectilia, incendunt domos, mulieres et virgines insolenter violant, cives crudeliter enecant, neque sexui, neque ætati parcunt; sanguinem senum cum infantili cruore crudeliter miscent; et si quid eorum fugit immanitatem, ignibus et incendiis devastant. Ejusmodi civitatis clades et ruina, probe demonstrat vastitatem quam a peccato patitur anima : stragem civitatis Jerusalem cum dolore et stupore considerans Jeremias propheta, gemens ac plorans, exclamat : *Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.* (3) Ad litteram loquitur Propheta de urbe Jerusalem, quæ ab hostibus expugnata, dominationem amittens, Assyriorum imperio subdita est; facta est quasi vidua : nam cives ejus translati in Babylonem, longam et immanem passi sunt captivitatem. Sanctæ illius et opulentæ civitatis stragem luctuoso stylo describit adhuc Propheta Evangelicus Deum alloquens : *Civitas Sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata. Domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te, Deus, patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in*

(1) Plutarch. in Vit. Hannib.

(1) Tert. L. de Pall. 2. — (2) Esau. 2.— (3) Thren. 1.

ruinam. (1) His duobus locis censet D. Hieronymus prophetas per cladem civitatis Hierusalem denotare vastitatem animæ scelerosæ, quæ quondam plena fuit numerositate virtutum, variis imperavit passionum affectibus, dominata est concupiscentiis et desideriis carnis, postea a malignis spiritibus vitiorum flammis succensa, tot tyrannis subdita est quot peccata commisit : quæ velut tot insolentes et immisericordes milites ubi primum animam subintrarunt, omnes ejus divitias sustulerunt, ornamenta dissiparunt, pretiosa monilia diripuerunt, et immensos gratiarum et virtutum thesauros vastaverunt.

Qualis, quæso, agricolæ afflictio, quem grando, in una nocte, totius anni labore frustrat? Qualis dolor mercatoris, qui post longam navigationem, in portu naufragatur, et cunctas amittit divitias quas cum tantis periculis comparaverat? Qualis desolatio civis, fortunæ bonis opulenter ditati, quietam et pacatam cum sua familia vitam ducentis, qui de abundantia cadit in egestatem, et de dominatione in servitutem, et post trucidatam coram oculis prolem, post eversam domum, post incendio devastatam civitatem, a patria exsulat, et alimenta vitæ necessaria cogitur mendicare ? Qualis tristitia Christiani christianam religionem Deique cultum amantis, quem ab hæreticis, ab infidelibus, ab Ottomanis conspicit profanari ? Profecto religionis ruina, Dei gloriam zelantibus, interdum affert vitæ excidium : ut trium Summorum Pontificum exemplo comprobatur. Nam illata Romæ a Longobardis strages Benedicto I intulit mortem. Urbanus quoque III (2), captam audiens a Saladino Hierosolymam, repentino mœrore animam efflavit ; tandem Nicolaus V, ob interceptam a Mahomete II Constantinopolim, illico vitam finivit. Magni animi, boni communis, religionis, divinique cultus amantes, tantum ex reipublicæ et religionis casu concipiunt dolorem ut et ipsi persæpe eadem ruina occidant. Quod si urbium ruina, quam aliquando tempus, et orbis senecta afferre debuit, tantum attulit dolorem hominibus, ut vita excesserint, quanto mœrore debet affici peccator de clade quam patitur a peccato, in qua, non de mœnibus urbis ac fortunæ bonis agitur, non de ærumnosa et brevi hujus seculi vita, non de lutea et terrena corporis mole, sed de cœlesti Jerusalem, de summa et ineffabili beatitudine, de æterna et interminabili vita, de incomprehensibili gloria paradisi, de incomparabili gratia, de magno charitatis thesauro, de cumulatis bonis operibus, quorum omnium jacitur alea ?

Nec attendit infelix peccator quantum sit damnum deperdere, 1. In momento, longo tempore acquisita merita ; 2. Unico peccato, multiplicata merita ; 3. Pro nihilo, pretiosissima merita. 1. Si ad meritorum jacturam longum desideraretur spatium ; si tantum insumeretur temporis ad deperdendum bonorum operum fructum, quantum ad acquirendum, non adeo esset stupendum : at merita longo tempore comparata, brevi temporis spatio pereunt. Volo ut virtuti vacaveris, decem annis, viginti annis, centum annis, mille annis, si ad tot annos sese tua extendisset vita : uno die, uno temporis momento, perdis merita tanto annorum spatio, tantisque laboribus comparata : eaque quantumvis multiplicata. 2. Unico peccato amittis : nam, ut ait Ecclesiastiscus, *qui in uno peccaverit, multa bona perdet* (1), scilicet cuncta bona opera quæ egit. Alia lectio habet : *Bonitatem multam perdet*. Nam quodlibet opus bonum seorsim sumptum, est bonum et cujusdam gradus gloriæ meritorium : omnis tamen eorum bonitas simul sumpta, et gloria eis respondens, unico deperditur lethali peccato quod Deum contemnit, gratiam et charitatem exstinguit, omnes virtutes morales infusas interimit ; et, 3. Pretiosissima bonorum operum merita pro re nullius momenti prodigit.

Multum æstimat peccator fortunæ bona ; in servandis mundi honoribus valde est sollicitus ; perituras divitias parce dispergit, et meritorum adeo est prodigus ut ea pro nihilo pessumdet. Risit Diomedem antiquitas qui arma aurea cum æneis commutavit : at irridendus magis est peccator, qui aureum meritorum cumulum, cœlestes gazas æternitati repositas, cum ærea, cum lutea terræ massa, cum vacuo et vano honore, cum brevi putridaque voluptate commutat. Imprudentem prodit sacer textus Esau, qui primogenituræ jura et paternam benedictionem pro insipido lentis edulio cessit, *parvipendens quod primogenita perdidisset*. (2) Annon stultissimus est peccator, pro gula, pro venere, pro honoris umbra, pro quovis alio scelere cœlorum juri, æternæque renuntians hæreditati ? Infelix peccator, ne de hac re valeas dubitare, audi Ezechielem prophetam dictante Spiritu Sancto, pronuntiantem : *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*. (3) Fingamus hominem,

(1) Esai. 64. — (2) Volat. L. 22.

(1) Eccles. 9. — (2) Gen. 25. — (3) Ezech. 18.

a teneris annis usque ad senium, sedulo bonis studuisse operibus, acerbissima quæque pro Dei honore pertulisse supplicia. Bone Deus! quot et quantas, tot laboribus, tot sudoribus, tot doloribus meritorum acervavit divitias? Fingamus insuper hujusmodi hominem tot meritorum thesauris opulenter ditatum, in ultimo vitæ termino, unicum committere lethale peccatum, illudque primum, cum anteacta vita tota fuerit innoxia: ob primum illud et solum patratum scelus, tot ac tanti longo tempore exantlati labores; tot in eleemosynis, et pietatis operibus exhausti dies; tot in vigiliis et orationibus insomnes pertransitæ noctes; tot afflictiones, mortificationes, jejunia, cilicia, et longa quasi repetita martyria, in ultimo vitæ momento, et momento miserabili, ad nihilum redigentur.

Concipiamus adhuc hominem qui solus tot exantlarit labores quot omnis monachorum, eremitarum et religiosorum cœtus; tot cumulaverit virtutes, quot omnes Patriarchæ, Prophetæ, Virgines, Doctores, Confessores et Apostoli; tot pro Deo passus sit tormenta quot omnes martyres simul; tot abundet meritorum divitiis, quot omnes Sancti qui exstiterunt tum in veteri, tum in novo Testamento; tot sit virtutibus illustris, quot Beatissima Virgo dum inter mortales conversaretur. Quid fingi potest locupletius, quid felicius eo homine in quo uno coacervatæ sunt Cœnobitarum palmæ, Prophetarum et Prophetarum laureæ, Apostolorum triumphi, Martyrum victoriæ, cunctorumque justorum, qui exstiterunt a mundo condito, opes, virtutes, merita: si vel unica lethali inficiatur noxa, illico omnis illa meritorum congeries pro nihilo reputabitur. *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur.* Hoc ita decrevit omnipotens Deus, apud quem stat, stabitque prolatum irrevocabile decretum, quod merito et juste decrevit: uno namque lethali peccato major Deo irrogatur injuria quam a cunctis hominibus et Angelis deferatur honor. Ideoque peccatorem infinitam sibi offensam inferentem aversatur, obliviscens omnes actus virtutum quibus Deum honoraverat, sese æternæ felicitatis dignum præstiterat.

Inde tria sunt colligenda. Unum: tale ac tantum est damnum quod sibi affert homo dum peccat mortaliter; quod multum superat omne malum fortunæ et naturæ, quod potest pati ab hominibus, a tyrannis, a dæmonibus. Homines possunt tollere fortunæ bona, tyranni valent inferre corpori tormenta, dæmones queunt eripere vitam naturalem; at cuncti homines, tyranni et dæmones simul, nequeunt tollere gratiam, charitatem, virtutes, nisi homo velit. Aliud: cum Deus tantopere aversetur peccatum, ut vel ob unum lethale scelus, peccatorem alias sibi amicum, et de se meritum, privet sua amicitia, benevolentia et gratia; odiendum est peccatum, ita Deo infensum et nobis noxium. Tertium, sectandum est bonum ad quod hortatur Apostolus, qui postquam dixit: *Odientes malum* (1), statim subjungit: *Adhærentes bono.* Odium namque peccati ad amoris virtutem inducit; et quantum crescit odium mali, tantum crescit amor boni: quo enim quisque magis a peccato recedit, eo gratiæ, divinisque donis vicinior et Deo plenior efficitur. *Quantum a vitiis recesseris, tantum virtutibus propinquabis* (2), ait Eusebius Emissenus, cujus pulchram reddit rationem *quia abdicatio criminum adeptio meritorum est.* Miser tamen peccator tantum abest ut abdicando crimina, merita acquirat; quin econtra perpetrando crimina, abdicat merita, et gloriæ ponit impedimentum.

III. PARS. Justi in cœlo præmiantur, a loco beatitudinis peccatores tanquam indigni excluduntur. Constat etenim *Deum justitia præcellere, qui nec temere, nec indigne, nec prodige tantum præmium dispensarit.* (3) Temere autem, indigne et prodige dispensaret, si peccatoribus largiretur: nam *virtus gradus ad gloriam, virtus mater est gloriæ.* (4) Peccatores autem non commendantur virtute, sed vitio devenustantur. Ut autem subjungit Mellifluus Doctor, *non recti plane, sed perversi animi, ante quærere gloriam quam exercere virtutem.* (4) Magnum sane est discrimen inter justos et peccatores: justi virtutibus et meritis decorantur, glorioso nomine honorantur, ad esse gratiæ supernaturale et divinum sublimantur; unde eis juste tribuitur gloriæ præmium, quod merito peccatoribus denegatur. Nam, ut fatur D. Bernardus, *frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius non claret virtute;* peccatores autem, non virtute clari, sed vitio obscuri, 1. Nulla merita adipiscuntur; 2. Anonymi efficiuntur; 3. Ad nihilum reducuntur.

1. Tertullianus Gentiles Romanos, qui inter deos, criminosissimos collocarant homi-

(1) Rom. 12. — (2) Hom. 3. de Epiph. — (3) Tert. Apol. 11. — (4) D. Bern. Serm. 1. de S. Victore.

nes, sic redarguit : *Volo igitur merita recensere, an ejusmodi sint, ut illos in cœlum extulerint, et non potius in imum tartarum merserint* (1) : non absimiliter recenseamus peccatoris opera , et videamus si cœlestis præmii sint digna. Opera meritoria procedunt ab homine justificato et gratia sanctificante decorato, quæ est principium meriti. Sicut enim arbor producit bonum fructum, si habeat in radice viriditatem, sic homo facit ejus bonum æternæ vitæ meritorium, si in anima sua habeat gratiam et charitatem : itaque constat in homine justo gratiam *meritorum remunerandorum esse rationem.* (2) Peccatores autem sunt gratia sanctificante et charitate destituti : idcirco eorum opera nequeunt esse gloriæ meritoria. De Sodoma et Gomorrha igne de cœlo misso devastata sic fatur Tertullianus : *Hactenus Sodoma , et nulla Gomorrha, et cinis omnia , et propinquitas maris juxta cum solo mortem vivit.* (3) Propinquitas maris , id est, mare propinquum, quod dicitur Mare Mortuum, quia non vitam, sed mortem vivit. Idem dicendum est de peccatore postquam *impietas ignium meruit imbres* (4) ; post devoratam ab igne peccati , gratiam sanctificantem, post devastatam charitatem *mortem vivit* , mortuusque supernaturali vitæ , opera duntaxat mortua efficit. A mortuo namque nequit fieri opus vitæ , ut tum ratione, tum experientia comprobatur.

Opera mortua sunt in duplici differentia : quædam sunt mortua effective , quia vel mortem afferunt animæ, vel mortem æternam merentur , et nuncupantur a Dilecto Discipulo, *mala opera* (5) ; quia ex sua natura nullam habent bonitatem , neque etiam moralem. Hujusmodi sunt peccata mortalia ; *Porro peccatum , nisi malum dici non meretur* (6) ; alia sunt opera mortua privative propter defectum gratiæ sanctificantis, licet enim ex sua natura habeant bonitatem moralem : quia tamen non procedunt a gratia et charitate , quæ est radix vitæ supernaturalis et principium meriti , nequeunt dici viva , vita supernaturali. De operibus mortuis effective loquitur Paulus : *Sanguis Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis* (7) , scilicet a peccatis. De operibus mortuis privative tantum loquitur Joannes : *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es* (8) , scilicet vacuus es gratia sanctificante et charitate. Peccatores producentes opera mortua effective merentur non vitam , sed mortem : *Stipendia enim delinquentiæ, mors ; donativum autem Dei, vita æterna.* (1) Hunc locum mutuavit Tertullianus ab Apostolo peccatum gratiæ opponente: *Stipendia enim peccati, mors : gratia autem Dei vita æterna.* (2) Quasi dicat : Sicut peccatum hominem ducit ad mortem, quasi ad finem et stipendium suum , ita gratia ducit ad vitam æternam quasi ad finem , terminum et coronam suam. Vita namque æterna datur meritis , merita autem dimanant a gratia tanquam a radice , semine et principio : opera mortua duntaxat privative non merentur mortem æternam , quia ex sua natura habent bonitatem moralem ; sed non merentur vitam æternam, quia non procedunt a gratia sanctificante , quæ est radix vitæ supernaturalis , principium meriti et semen gloriæ. Unde dum peccatores largiuntur eleemosynas , tempore quadragesimali jejunant, assistunt missæ, vacant orationibus , seseque in aliis religionis et pietatis operibus exercent ; ejusmodi opera exterius viva apparent, sunt tamen vere mortua , utpote a mortuo producta , assimilanturque pomis Gomorrhæ et Sodomæ. Nam, ut fatur Tertullianus, *olet adhuc incendio terra , et si qua illic arborum poma conantur oculis tenus , cæterum contacta cinerescunt.* (3) Eodem modo opera pietatis facta a peccatore conantur oculis tenus , digna cœlo apparent, *cæterum contacta cinerescunt*, quia sine gratia, præstantissimæ quæque christianæ religionis actiones nullius sunt dignitatis et pretii ad beatam immortalitatem : nec sacrificium Deo gratum est ; neque dispersæ omnes in egenos divitiæ, neque pallida jejuniis ora , neque tolerata tormenta , sine gratia sanctificante sunt æternæ vitæ meritoria et digna. Da mihi hominem aliquem olim sanctissimum, da Paulos, Antonios , Hilariones, et si quos eremus vidit , non terræ, sed cœlo natos ; da, inquam, illos, et perennes illorum vigilias, preces , jejunia, extenuati corporis afflictiones , macerationes , et quævis alia magnarum virtutum opera. Da quondam in arena christiana martyres fortissimos , Stephanos , Laurentios , Ignatios, Vincentios , aliosque in illo purpurato agmine illustres et famosos. Cum illis profer adhuc in medium, equuleos, catastas , rotas , cruces , ferrum , ignes , aliaque crudelitatis ingenia et instrumenta : si ille homo cum tot apparentibus virtutibus cum tot toleratis tormentis , sit gratia sanctificante destitutus , immortalem cœli non merebitur gloriam , quæ duntaxat debetur

(1) Tert. Apol. 11. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. L. de Pall. 2. — (4) Tert. ibid. — (5) Joan. 3. — (6) Tert. L. de Pœn. 2. — (7) Hebr. 9. — (8) Apocal. 3.

(1) Tert. Lib. de Res. Car. 47. — (2) Rom. 6. — (3) Tert. Apol. 40.

operibus a gratia dimanantibus, et passionibus in statu gratiæ toleratis. Ut enim ait Apostolus : *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (1) Cuncta dinumerat Paulus quæ in christiana religione habentur præcipua, et tamen absque gratia et charitate indigna vitæ æternæ declarat. Detur homo, qui ut olim Demosthenes e pulpitis fulminet, qui deinde e rostris, ut Tullius tonet : qui, ut postea Chrysostomus, sacros eloquentiæ fontes de cathedra fundat; qui omnem humanam supergrediens linguam, Angelorum more loquatur : si illi desit charitas et gratia, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, audientium aures inani et vacuo verberabit sono. *Quomodo enim claritas lunæ nonnisi a sole est, sic absque charitate meritum nullum est.* (2) Adsit illi homini tanta fides, ut solo nutu transferat montes, siccet maria, ventis imperet, cunctos sanet morbos, mortuos suscitet, cui tota obsequatur natura : ecquis ille Apostolo, sine charitate et gratia, nihil. Nam, ut ait D. Augustinus, *illa quidem magna sunt, sed sine charitate non illa, sed ego nihil sum.* (3) Sit homo ille, non solum gratiis gratis famosus, sed eleemosynis et operibus misericordiæ illustris; cum beato Joanne Eleemosynario, in pauperum usus, suas omnes facultates effundat; cum Placida imperatrice Xenochochia perlustret, et Eremitis necessaria abunde subministret; cum Amadeo, Sabaudiæ duce, pauperes pro canibus venaticis alat, legatisque principum ostendat; cum Ludovico, Galliarum rege, singulis sabbatis egenorum pedes lavet, tergat, osculetur, et solemnibus diebus ducentis pauperibus cibos propria manu ministret; cum Usualdo, Angliæ rege, famelicos singulis diebus; opiparo convivio reficiat, et cum illo, in panis ac cibi penuria et egestate, vasa argentea et pretiosam supellectilem concidat atque egentibus distribuat. Ecquod illi a tanta liberalitate meritum; quod præmium illud quod prædictum est ab Apostolo, sine charitate et gratia nihil. *Quia non mentitur Apostolus, dicens : Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, nihil mihi prodest.* (1) Tandem ille homo multa tormenta sustineat pro patria, ut Mutius Scævola manum injiciat ignibus; famæ et gloriæ causa, uti Peregrinus certaminibus olympicis, totum corpus in ardentes rogos immittat; imo pro fide et religione, ferrum, flammam, ipsamque mortem sustineat; si in medio tormentorum, vel proximi odium, vel aliud lethale flagitium in animo retineat, ex atrocibus illis suppliciis, nihil habebit meriti pro immortali acquirenda felicitate : *Ecce venitur ad passionem, ecce venitur ad sanguinis effusionem, venitur ad corporis incensionem, et tamen nihil prodest quia charitas deest* (2): et ut concludam, et omnia simul cum D. Bernardo complectar, quævis actio, quævis passio, *sine charitate, nec pretium habet, nec meritum : nec mirum; quod enim absque illa bonum suscipitur? Fides? sed nec si montes transfert. Scientia? sed ne illa quidem quæ lingua loquitur Angelorum. Meritum? Nec si tradidero corpus meum, ita ut ardeam. Nec absque illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quamlibet exiguum respuitur.* (3)

Verum ne scelerosi peccatores ex eo quod opera mortua non sint vitæ æternæ meritoria, sumant occasionem, non operandi bene moraliter : duo animadvertenda sunt. Unum, quod opera moralia, quæ ex natura sua sunt bona, quia includunt aliquid ordini rationis conveniens, modo fiant bono fine, ut dare eleemosynam, jejunare, aliaque his similia, etiamsi sint mortua, quia sine charitate et gratia fiunt, non sunt inutilia, licet enim non valeant ad vitam æternam, valent tamen ad octo hoc versu contenta :

..... Aptat, minuit, dat,
Occupat, assuescit, delectat, mitigat, arcet.

1. *Aptat :* nam disponit animam ad gratiæ divinæ susceptionem; 2. *Minuit*, scilicet pœnam in inferno patiendam, novum scilicet subtrahendo peccatum; 3. *Dat*, id est, confert bona temporalia; 4. *Occupat*, impediendo ne homo sit interius exteriusque otiosus; 5. *Assuescit*, ad bene operandum habilitat hominem; 6. *Delectat*, quietando conscientiam, quæ sibi complacet in bono quod fit; 7. *Mitigat*, reprimendo ardorem concupiscentiæ ne illiciat ad malum; 8. *Arcet*, repellendo occasionem peccati. Unde de hujusmodi operibus moralibus sic ratiocinatur

(1) 1. Cor. 13. — (2) D. Bern. Serm. 28. in Cant. — (3) Serm. 15. de Verb. Dom.

(1) D. Aug. in Enchir. c. 75. — (2) D. August. Serm. 50 de Verb. Dom. — (3) Tract. de morb. et Offic. Episcop et Prælat.

Alexander Alensis apud Bernardinum Senensem : « Opera mortua dicuntur dupliciter, vel quia sunt causa mortis æternæ, cujusmodi sunt peccata mortalia; vel quia non habent vitam gratiæ; habent tamen vitam naturæ, ornatam gratia gratis data, et bonitatem moris, quæ quodammodo sunt Deo accepta, et Deo appropinquantia, et quia hoc tendit ad complementum gratiæ gratum facientis, ut ad suam perfectionem. » (1)

Alterum animadvertendum est, quod licet opera moraliter bona, sine gratia sanctificante facta, sint utilia; attamen sacra Scriptura declarat non esse gloriæ de condigno meritoria : idcirco peccatores operantes comparat Isaias araneis : *Telas araneæ texuerunt; opera eorum, opera inutilia.* (2) Aggæas propheta comparat illos mercatori *qui mercedes congregavit, et misit eas in sacculum pertusum.* (3) Deinde peccatores alloquitur : *Seminastis multum, intulistis parum :* ex defectu scilicet seminis mortui. Idipsum fatur Oseas propheta : *Laborastis multum, et intulistis parum* (4), quia in peccato laborastis. Ut enim docet D. Thomas, *omnis culpa est corruptio actionis, et omnis pœna est corruptio agentis.* (5) Ad id etiam spectant Joannis verba : *Non invenio opera tua plena coram Deo.* (6) Plena scilicet charitate et gratia, sine qua peccator merita vitæ æternæ non adipiscitur et anonymus efficitur.

2. *Tu homo, tantum nomen, si intelligas te* (7) : ex D. autem Bernardo, *cognitio stat in tribus, ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid amisit?* (8) Peccator, quid fecisti? multa scilicet scelera; quid meruisti? nimirum interminabilem inferni pœnam, tuis criminibus debitam; quid amisisti? gratiam, charitatem, gloriam, nomen etiam, et ita anonymus effectus es. Nomen verum esse declarat : peccator vere non est, quia esse gratiæ amisit, et ita licet sibi arroget nominum phantasmata, ut loquitur Tertullianus, apud Deum anonymus est, et ob hanc causam dives Evangelicus non nominatur, sed dicitur *quidam homo* (9) : Magdelena quoque, quandiu exstitit in peccato, nullo nomine ab Evangelio denotatur, sed duntaxat dicitur *mulier in civitate peccatrix.* Saulis tres filios Scriptura (10) commemorat, quartum vero, nempe Isboseth, reticet. Hujus autem rationem reddit Lyranus : *Non nominatur Isboseth propter defectum magnanimitatis, quia fuit pusillanimis, et ineptus ad prælium.* Quod si Isboseth ex defectu magnanimitatis siletur neque inter filios regis computatur, quantum a fortiori reticendum est peccatoris nomen, qui post acceptam in baptismate stirpem regiam et divinam, a tanta dignitate degenerans, vitiis mancipatur?

Lege receptum erat apud Judæos ne quis ante circumcisionem, in qua divino addicebatur cultui, aliquod haberet nomen. Usitatum est etiam apud Christianos nulli imponendum esse nomen, nisi prius accepto baptismate quo a culpa originali mundatur et gratia sanctificante donatur. Hujus a Theophylacto accipe rationem : *Quia prius suscipiendum est signaculum Dei, et tunc humanum nomen. Seu quia nullus nisi prius adjiciat carnalia, dignus est ut nominetur miles Dei, et in libro cœlorum scribatur nomen ejus.* (1) Hæ autem rationes peccatori non patrocinantur, qui signaculum refert diaboli, qui castra Dei dereliquit, ut orci militiæ adscriberetur, et qui pravam ducens vitam, in libro cœlorum scribi non meretur. Duo sunt insignia quibus denotantur illi qui in libro vitæ scripti sunt : unum est sanctitas : *Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita;* (2) aliud est, victoria de mundo, carne et diabolo relata. *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* (3) Neutrum insigne deferunt peccatores. Non victoriam, quia tot dominis serviunt quot vitiis addicti sunt. Non sanctitatem, quia sunt scelerosi : itaque indigni sunt nomine, neque merentur scribi in libro cœlorum. Imo potius, *deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (4): quia peccata eos anonymos reddiderunt et ad nihilum redegerunt.

3. *Nihil nostrum* (5), nempe peccatum, quod ad nos duntaxat pertinet, non ad Deum; quia nos illius sumus auctores, non Deus. Quod triplici ratione demonstrat incertus Augustinus : tum quia quod Deus producit est ens et aliquid, peccatum autem est non ens et nihil : tum quia quod Deus producit est bonum, peccatum autem est malum, seu privatio boni; tum quia omnia quæ vera sunt, per Verbum facta sunt, sine ipso autem factum est nihil, nempe peccatum. *Omnia per Verbum facta sunt : quæcunque facta sunt et qualia facta sunt.* (6) Vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona. (7) *Omnia quæcunque sunt, per Verbum facta sunt et valde bona sunt. Quare bona sunt?*

(1) Tom. 4. Serm. de Satisfact. pro peccatis. — (2) Isai. 59. — (3) Cap. 1. — (4) Cap. 8. — (5) 1. 2. q. 27. a. 3. — (6) Apoc. 3. — (7) Tert. Apol. 48. — (8) Serm. 40. de Diversis. — (9) Luc. 16. (10)—Lib. 1. Reg. 14.

(1) In cap. 1. Luc. — (2) Isai. 4. — (3) Apoc. 3. — (4) Psal 68. — (5) Tert. Lib. de Pat. 7. — (6) Solil. 5. — (7) Gen. 1.

Quia omnia per Verbum facta sunt. Et sine ipso factum est nihil (1) : *Quia nihil bonum sine summo bono est ; sed malum est, ubi non est illud bonum, quod utique nihil est, quia nihil aliud malum est quam privatio boni : sicut nihil aliud cæcitas quam privatio luminis. Malum itaque nihil est quod utique sine Verbo factum est, sine quo factum est nihil, et per quod facta sunt omnia quæcunque sunt.*

Deus et peccator diverso longe operantur modo. Operatio Dei terminatur ad ens et ad bonum, peccatoris vero operatio tendit ad non ens et ad malum ; 2. Deus entia de nihilo produxit, peccator vero entia ad nihilum reducit ; 3. Deus producendo entia, non desinit esse, imo existentiam suam manifeste demonstrat ; peccator producendo peccatum ad nihilum reducitur. Nam, ut ait D. Augustinus, *peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, dum peccant.* (2) Duplex in homine potest considerari esse, et duplex nihil illi respondens. Unum, ad naturam spectat ; aliud, ad gratiam pertinet. Esse naturæ supponit nihil naturæ, de quo producitur, et in quod reducitur, dum desinit esse. Esse gratiæ supponit nihil peccati quod saltem in Adamo contrahimus, in quod reducitur cum desinit esse. De esse naturali et nihilo ei opposito fatur Tertullianus : *Considera temetipsum, o homo, recogita quid fueris antequam esses. Utique nihil. Qui ergo nihil fueras, priusquam esses, idem nihil factus cum esse desieris.* (3) De esse supernaturali et nihilo illi opposito loquitur D. August. *Quemadmodum peccatum nihil est, ita qui voluntarie peccat, vergit in nihilum, et perseverando efficitur nihil, non substantialiter, sed effective.* (4) Homo peccans cadit in nihilum, non naturæ, sed gratiæ oppositum. Perdit, non esse naturale quod justo et injusto commune est, sed esse supernaturale, et divinum, quod in justo duntaxat reperitur ; amittit, non essentiam hominis, sed essentiam sancti et filii Dei, quæ in gratia sanctificante consistit. Et quia esse supernaturale est naturali longe nobilius, peccator ab Scriptura sacra, non ens, et nihil vocitatur. Sic Lucifer dicitur nihil effectus ab Ezechiele propheta (5), qui postquam retulit insignia gratiæ dona quibus fuerat a Deo insignitus : « Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, et perfectus decore ; tu Cherub extentus in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ; » mox subjungit: *Omnes qui viderint te in gentibus, obstupescent super te, nihili factus es, et non eris in perpetuum.* Nihilum autem Luciferi quod cœli terræque stuporem ingenerat, non est nihilum naturæ, quam nunc habet, et habebit in perpetuum, sed nihilum oppositum gratiæ, quam amisit peccando, et nunquam recuperabit. De Lucifero adhuc Job loquitur : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus qui non sunt* (1) ; seu ut expendit Magnus Gregorius, *habitent in mente impii, mali dæmones, socii Luciferi, qui ex quo bene esse perdidit, ad non esse tetendit* (2) ; perdidit non esse naturæ, sed bene esse quod mutuabatur a gratia, tetendit quoque, non ad non esse naturæ, quod non amisit, sed ad non esse gratiæ, quam perdidit : quo sensu intelligenda est Estheris deprecatio : *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt,* (3) nimirum Gentilibus, idololatris, regibus scelerosis, qui sunt et non sunt : sunt homines, sed non sunt justi, neque Dei amici. Idipsum de semetipso fatetur Regius Vates : *Ad nihilum redactus sum, et nescivi.* (4) Quando scilicet adulterium commisi cum Bethsabea, et virum ejus Uriam occidi gladio filiorum Ammon, et generatim cuncti peccatores, *in nihilum redacti sunt.* (5)

Ludovicus Quintus nuncupatus fuit *Ludovicus nihil* ob patratum incestum, et quivis peccator multiplici ratione vocandus est nihil : 1. Quia per peccatum separatus est a Deo. *Tandiu est aliquid homo, quandiu hæret illi a quo factus est homo. Nam recedens ab illo nihil est homo.* (6) Deus est summum ens et bonum infinitum : unde quanto aliqua res est Deo proximior, tanto magis de ente et bono participat : et e converso, quo magis a Deo distat, eo minus de ente et de bono participat : peccatum autem infinite a Deo distat. Tria sunt quæ multum a Deo distant : 1. Materia prima quæ modicæ est entitatis ; 2. Nihil oppositum naturæ, quod infinite a Deo distat, unde solus Deus potest creare, quia potest superare distantiam infinitam quæ est inter ens et non ens ; 3. Nihil peccati, quod opponitur gratiæ. Materia prima multum distat a Deo, quia, ut ait Philosophus, est prope nihil : nihil naturæ magis adhuc distat a Deo, quia major est distantia inter ens et purum nihil, quam inter summum ens et entitatem materiæ quantumvis minimam. At maxima omnium distantia est inter Deum et peccatum, quia tanquam nihil opponitur summo enti, in

(1) Joan. 1. — (2) Tract. 1. in Joan. — (3) Tert. Apol. 48. — (4) Tract. 1. in Joan. — (5) Cap. 28.

(1) Job. 18. — (2) Lib. 24. Mor. 4. — (3) Esther. 24. — (4) Psal. 72. — (5) Job. 16. — (6) D. August. in Psal. 75.

quo convenit cum nihilo naturæ, et tanquam malum opponitur infinitæ Dei bonitati, in quo differt a nihilo naturæ. Quapropter maluisset hominem nunquam fuisse et æternaliter remansisse in nihilo naturæ, quam peccasse et cecidisse in nihilum gratiæ; *bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* (1) 2. Peccator fit nihil, quia esse gratiæ annihilat: etenim quandiu est justus, potest gloriari cum Apostolo: *Gratia Dei sum id quod sum.* (2) Peccans autem, et *nihil faciens præceptum legis* (3), nihil efficitur, quia annihilat gratiam qua erat id quod erat; 3. Peccator est nihil, quia ejus opera nihil sunt in esse gratiæ et meriti : *Scimus quia nihil est* (4) : ens etenim nequit produci a non ente. Opera meritoria et viva a duobus comprincipiis producenda sunt : scilicet a voluntate humana et a gratia habituali et sanctificante: a voluntate habent quod sint humana et moralia ; a gratia autem habent quod sint supernaturalia, viventia, sancta et proportionata cœlesti gloriæ, quæ est supernaturalis, immortalis et sancta, *cui nihil facere possis* (5), si sis in peccato, gratia destitutus ; 4. Peccator est nihil, quia velut annihilat totum vitæ tempus quo existit in peccato, quod in Dei censu non computatur : *Novit Dominus dies immaculatorum* (6), impiorum vero non supputat, sed ea *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* (7) Unde licet Saul viginti regnaverit annis, attamen *duobus annis regnavit super Israël* (8) ; quia computantur duntaxat duo anni, quibus fuit justus et Deo gratus, non vero octodecim anni quibus fuit Deo inobsequens et criminosus. « Solemus annos nostros et temporum spatia quibus vivimus supputare. Non te fallat, quicunque est numerus ille dierum quos hic relicto corporaliter seculo consumpsisti : illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates tuas abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla regulæ transgressione duxisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non invidia, non superbia commaculavit; qui peccato non cessit, qui diabolo repugnavit. Illum diem vixisse te computa, qui pietatis et sanctæ meditationis habet lucem; illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cujus usus pervenit ad animam. » (9) Dies vero qui vitæ carnali luxit, qui sceleri servivit, in dierum numero reponendus non est ; et ut fatur Job : *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* (1) Tandem, 5. Peccator est nihil, quia peccatorem peccatum ducit ad infernum, ubi in æternum summo bono privabitur. *Est nihil quod ducit ad nihilum.* (2) Privatio gloriæ sequitur privationem gratiæ, in æternum a Deo separabitur peccator, qui ab eo recessit in tempore, de nihilo culpæ transibit ad nihilum pœnæ. Sed *nihil amarius* (3): quo per cuncta retro secula, summo bono privabitur, et in horribili illo tormentorum ergastulo vociferabitur: « Væ mihi misero toties obcæcato, quia tu es lux, et ego sine te ! Væ mihi misero toties vulnerato, quia tu es salus, et ego sine te ! Væ mihi misero toties oberrato, quia tu via, et ego sine te ! Væ mihi misero toties mortuo, quia tu vita, et ego sine te ! Væ mihi misero toties annihilato, quia tu es Verbum per quod facta sunt omnia, et ego sine te, sine quo facta sunt nihil ! Toties nihil factus sum, quoties a te separatus sum : quia bonum quod tu es oblitus sum, ideo malus effectus sum. » (4)

Christiane, si non vis lamentari, sed frustra, in inferno, tria præsta quandiu vivis in seculo : 1. *Nihil obstrepere* (5), id est, non opponas peccatum gratiæ, neque illam destruas scelerose vivendo ; 2. Noli vivere peccato, carni et mundo, ne dies ducas inanes, præsertim quia *nihil nostra refert in hoc ævo, nisi de eo quam celeriter excedere.* (6) Tandem, 3. Stude diligenter servare unionem quam mediante gratia habes cum Deo, *ne nihil sis, si ab uno excideris.* (7) Ut enim peccator a Deo separatur, et *nihil exspectat* (8) in inferno, ita justus cum Deo unitur in terra per gratiam, in cœlo per gloriam, ubi sperat summo frui bono.

(1) Marc. 16. — (2) 1. Cor. 15. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (4) D. August. Solil. 5. — (5) Tert. L. ad Scap. 4. — (6) Psal. 36. — (7) Psal. 89. — (8) Lib. 1. Reg. 13. — (9) Euseb. Emiss. Hom. 9. ad Monachos.

(1) Job. 3. — (2) D. August. Solil. c. 5. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 18. — (4) D. August. Solil. c. 4. — (5) Tert. L. de Spect. 1. — (6) Tert. Apol. 41. — (7) D. Paulin. — (8) Tert. Apol. 1. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (10) Tert. L. de An. 41. — (11) Tert. L. de Præsc. hær. 3.

CONCIO QUINTA.

Deus nullis delictorum sordibus potest inquinari, *incontaminabilis scilicet* (9), utpote essentialiter sanctus, et ex sua natura immunis ab omni peccatorum inquinamento. Ex Tertulliano etenim *solus Deus sine peccato.* (10) Et quia Christus est simul Deus et homo, est etiam ratione unionis hypostaticæ incontaminabilis, quia impeccabilis : *Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere.* (11) Homines vero qui vel ex privelegio non

sunt exempti ab originali, uti fui Beatissima Virgo, vel confirmati in gratia quemadmodum Apostoli post Spiritus Sancti descensum, possunt cadere, et multoties de facto labuntur in mortale peccatum : cui est annexa *malitia et turpitudo* (1), seu macula, qua anima scelerosa efficitur, 1. Contaminata seu sordida; 2. Deformis seu horrida; 3. Male olens seu fœtida.

I. PARS. *Perstringere non pigebit, delictorum quædam esse corporalia, quædam vero spiritalia. Nam cum ex hac duplicis substantiæ congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit quam unde constat. Exinde spiritalia et corporalia nominantur, quod delictum omne, aut agitur, aut cogitatur: ut corporale sit quod in facto est: quia factum, ut corpus et videri et contingi habet: spiritale vero, quod in animo est, quia spiritus neque videtur, neque tenetur.* (2) Tria præstat Tertullianus : 1. Delictum in spiritale et corporale discriminat; 2. Hujus distinctionis rationem subministrat; 3. Quid sit peccatum tum spiritale, tum corporale pulchre declarat. Quia vero lingua est mentis interpres, et sermo ore prolatus est sensibilis, peccatum oris ad delictum corporale reducitur. Unde peccatum passim dividitur a theologis in peccatum cordis, oris et operis, seu cogitationis, locutionis et operationis : *Tria genera delictorum sunt, quibus humanum subjacet genus. Aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus.* (3) Odium enim v. g. corde concipitur, sermone declaratur, opere consummatur. Idipsum de quovis alio peccato dicendum est, in quo consideranda est cordis cogitatio, seu peccati conceptio; cordis manifestatio seu oris locutio; cordis completio, seu peccati operatio. Anima, 1. Maculatur peccato operis, seu, ut fatur Tertullianus, *fœdis operationibus.* (4) 2. Sordidatur peccato oris: nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *nullius rei aut atrocis, aut vilis commemoratio melior est : quod in facto rejicitur, etiam in dicto non est recipiendum.* (5) Tandem, 3. Contaminatur peccato cordis : *quia origo sordidior capit* (6): peccatum autem tum oris, tum operis, a corde ut ab origine procedit. Prætermissis autem peccatis oris et operis, de peccato cordis seu pravis cogitationibus disserendum est, quibus anima, 1. Maculatur; 2. Scelerose culpatur; 3. Pœna mulctatur.

(1) Guillel. Par. Tract. de vitiis et peccatis. cap. 1. — (2) Tert. L. de Pœn. 3. — (3) D. Hier. c. 43. Ezech. — (4) Tert. L. de Pat. 16. — (5) Tert. L. de Spect. 18. — (6) Tert. L. adv. Hermog. 22.

1. *Vice sordium delictis inquinamur.* (1) Sicut enim macula in corporalibus proprie dicitur, quando corpus nitidum ex contactu alicujus rei suum perdit nitorem, ita metaphorice loquendo, anima ex alicujus rei inferioris contactu maculatur : uti autem *sol et in cloacam radios suos defert, nec inquinatur* (2), ita anima humana non maculatur per virtutes rerum sibi inferiorum, sed semetipsam maculat per inordinatum earum amorem, qui animam cum eis conjungit, et conglutinat. Actio namque voluntatis consistit in motu ipsius versus objectum : unde sicut amor ordinatus objecti nobilis et perfecti perficit et nobilitat animam, ita inordinatus amor objecti vilis et infimi, vilificat et maculat animam. Idcirco peccatores *facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt* (3), contra ordinem rationis et legis divinæ. Magnum sane est discrimen inter intellectum et voluntatem. Intellectus non maculatur ex consideratione quarumcunque rerum quantumvis vilium, sed magis perficitur, quia rerum etiam materialium in semetipso format species intelligibiles : actio autem intellectus perficitur secundum quod res sunt in intellectu per modum ipsius intellectus : voluntas autem non allicit objectum materiale intra semetipsam, neque ei confert aliquod esse intentionale et spirituale, sed potius velut extra semetipsam exiens, movetur circa illud in quod quodammodo sese transformat, ejus velut proprietates imbuens, juxta commune istud D. Augustini effatum : *Talis quisque est, qualis est ejus dilectio : terram diligis, terra eris ; cœlum diligis, cœlum eris ; Deum diligis, Deus eris.* (4) Peccatoris anima maculatur, non ex amore Dei, sed ex inordinato terræ et terrenorum affectu.

Corporalis macula ut plurimum contrahitur ex contactu rubiginis, bituminis et picis. Ferrum maculatur ex rubigine; lutum ex bitumine, vestis ex pice : per rubiginem avaritia denotatur. *Aufer rubiginem de auro, et vas erit mundissimum.* (5) Per bitumen luxuria designatur. *Pejores immunditias exspirat mundus, libidines hominum.* (6) Per picem significatur vel superbia, vel superborum conversatio : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* (7) Ut enim sententiose ait D. Bernardus : « Auctoritate Scripturarum male cogitare prohibemur : in male cogitare, vel immunditia est cum res

(1) Tert. L. de Bapt. 4. — (2) Tert. L. de Spect. 20. — (3) Osee 9. — (4) Tract. 2. in 1. Joan. — (5) Prov. 25. — (6) Tert. L. ad Mart. 2. — (7) Eccles. 13.

sordidæ et impuræ memoria revolvuntur : vel superbia, cum animus quasi superior super proximos suos erigitur et inflatur ; vel avaritia cum diabolo instigante contra præceptum Dei res proximi concupiscitur. » (1)

Neque solum pravis superbiæ, luxuriæ et avaritiæ cogitationibus contaminatur anima, sed adhuc *septem maculis capitalium delictorum*. (2) Multo plures adhuc cogitationum maculas refert D. Bernardus : « Cogitationes vero aliæ onerosæ, aliæ affectuosæ, aliæ obscœnæ, aliæ otiosæ, aliæ curiosæ, aliæ suspiriosæ, aliæ distentoriæ. *Onerosæ*, cum ex officio Marthæ suscepto, sollicitus homo turbatur erga plurima, erga plurimos, ut habeant unde in divino officio sustententur. *Affectuosæ*, quando circa carnis suæ curam afficitur, sicut in victu et vestitu. Tangitur etiam sæpe homo affectione propinquorum suorum secundum carnem. *Obscenæ*, quando carnis delectatio titillat et pungit : sed hæ tanquam sordes immundissimæ longius in ipso principio propulsandæ sunt. *Otiosæ*, quando illis nec delectatur, nec afficitur. *Curiosæ*, quando proponit explorare proximorum secreta. *Suspiciosæ*, quando nullum argumentum habens, male de proximo suspicatur, et ea quæ in utramlibet partem inclinari possunt, in deteriorem interpretatur. *Distentoriæ*, quando de longinquis rebus, et regnis, et regionibus, disponit et tractat, quando distenditur in quæstionibus, et rationibus hujusmodi. (3) » Alias adhuc cogitationes dinumerat D. Bernardus, quæ magis animam maculant : « Cogitationum vero multiplex varietas esse cognoscitur. *Aliæ* namque cor inflant, *aliæ* elevant, *aliæ* perturbant, *aliæ* dissipant, *aliæ* confundunt, *aliæ* distendunt, *aliæ* ligant, *aliæ* inquinant, *aliæ* contrahunt, *aliæ* corrumpunt. Inflant, ut superbæ ; elevant, ut vanæ ; perturbant, ut invidæ ; dissipant, ut iracundæ ; confundunt, ut acediosæ ; distendunt, ut ambitiosæ ; ligant, ut gulosæ ; inquinant, ut luxuriosæ ; contrahunt, ut timidæ ; corrumpunt, ut malitiosæ.

Plures dinumerat D. Bernardus cogitationes quæ quodammodo animam contaminant. Verum si *hominis delictis commaculati* (3) cunctas recensere velimus maculas, tot forent dinumerandæ quot lethalia peccata commisit : sicut enim unum peccatum causat in anima maculam, ita diversa peccata varias maculas inducunt, quæ remanent etiam in anima, transacto actu peccaminoso: sicut enim cessante motu non tollitur localis distantia, ita neque cessante actu peccati tollitur macula. Unde animam scelerosam alloquitur Deus : *Maculata es in iniquitate tua coram me* (1) ; quæ tanto magis apparet, quanto nitidior in baptismate fueras effecta. *In veste candida atque munda, vel minima macula perspicua est.* (2) Anima scelerosa, munditiam in baptismo vel in pœnitentiæ sacramento amittens, gloriam suam commaculat, ut illi exprobrat Ecclesiasticus : *Dedisti maculam in gloria tua* (3), et peccatis nitorem tuum contaminans, criminosa et rea effecta es.

1. *Ita et ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti.* (4) Peccata autem sive oris, sive operis, a prava voluntate procedunt : *De corde enim exeunt cogitationes malæ* (5) : his vero *homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, avaritiæ, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, superbia, stultitia.* Adde ex Marco Evangelista : *Omnia hæc mala ab intus procedunt* (6), scilicet a prava cogitatione. Ut enim ait D. Augustinus, *nihil est certe istorum malorum, quod cogitatio non antecedat mala.* (7) Quare Dominus Jesus Pharisæos de pravis cogitationibus redarguit : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* (8) Ipsemet etiam Deus Judæis mandat vanas et malas tollere cogitationes, quas in corde volvunt : *Tollite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* (9) Peccatum a Deo separat : *Perversæ cogitationes separant a Deo* (10) ; quas ideo Deus abominatur : *Abominatio Domini cogitationes malæ* (11), quæ Deum offendunt, et animam in qua suam depinxit imaginem contaminant : *In templis qui manufactis canes, aut lutum immittat, contra eum valde indignamur, quid faciet Deus, cum in animabus nostris, quæ templa Dei sunt, pejores immittimus, cogitationes immundas ?* (12) Quare illas velut scelerosas prohibet Christus : *Si quis adulterium in osculis, et in amplexibus, et in ipsa carnis congressione censendum : aut homicidium in sola sanguinis profusione, et in animæ ereptione reputandum. At enim Dominus quam extentius ista disponat certi sumus, cum adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinose, et animam commoverit impudice : cum homicidium etiam in verbo maledicti vel convicii judicat, et in omni impetu iræ, et in negligentia charitatis in fratrem ; sicut Joannes*

(1) L. Sententiar. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (3) Tract. de Conscientia. c. 6. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 9.

(1) Jerem. 2. — (2) Arist. Lib. 5. de Gener. Animal. cap. 1. — (3) Eccles. 47. — (4) Tert. L. de Bapt. 4. — (5) Matth. 15. — (6) Marc. 7. — (7) Lib. de Contin. cap. 2. — (8) Marc. 9. — (9) Esai. 1. — (10) Sap. 1. — (11) Prov. 15. — (12) Cæsar. Hom. 3.

docet homicidam esse qui oderit fratrem. (1) Ingens agnoscit Magnus Gregorius discrimen inter Moysem et Christum. *Per Moysem luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ, luxuria cogitata damnatur.* (2) Tantum abest ut præcepta naturalia et moralia legis Mosaicæ abdicaverit Christus: quinimo ea quæ a Moyse fuerant prohibita, *nunc novo Testamento interdicta etiam cumulatiore præcepto prohibentur. Pro, Non mœchaberis, Qui viderit ad concupiscentiam, jam mœchatus est in corde suo.* (3) Christus itaque cogitatus etiam interdictionem, adjunxit legi Moysis vetantis duntaxat mali operationem. *Denique Dominus, quemadmodum se adjectionem legi superstruere demonstrat, nisi et voluntatis interdicendo delicta? Cum adulterium, non eum solum definit, qui cominus in alienum matrimonium cecidisset, verum etiam illum, qui aspectus concupiscentia contaminasset.* (4) Cogitationes quæ inquinant hominem, quæ scelerosæ, Deo abominabiles, et a Christo prohibitæ sunt, ex D. Bernardo, *diabolicæ, mundanæ et carnales.* (5) Cum aliquis se alio meliorem æstimat; cum alii similis videri vult, qui eo major est; vel cum non vult subjectus esse ei, qui sibi prælatus est, *diabolicæ* sunt cogitationes, quæ a diabolo irruente, et ab ipso cæteris familiarius usurpatæ, ita ut proprie character diaboli sit superbia. Cogitationes *mundanæ* sunt illæ quæ animam concupiscentiis rerum illaqueant; ut illis acquirendis nimis sollicite insistat, et acquisitis nimis delectetur; ne proximorum necessitatibus erogentur. Cogitationes *carnales* sunt, quæ homines ad luxuriam pertrahunt carnis, utpote quando inordinata dilectione et delectatione cogitant viri de mulieribus, seu mulieres de viris. »

Plura concurrunt ad pravas illas cogitationes cordi ingerendas: 1. Res prohibitæ et ad malum allicientes, quæ ultro audiuntur et videntur. *Quod si nobis omnis impudicitia exsecranda est; cur liceat audire quæ loqui non licet, cum etiam scurrilitatem et omne vanum verbum judicatum a Deo scimus? Cur æque liceat videre quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos et aures admissa non videantur hominem communicare: cum spiritui appareant aures et oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur?* (6) 2. Corruptio naturæ depravatæ, cujus cogitatio intenta est in malum. Alius inimici ruinam cogitat; alius villas et prædia; alius dignitates et honores; alius venereas carnis voluptates: et ut fatur Regius Vates, *omnes cogitationes eorum in malum.* (1) Qui autem cogitat vel avaritiam, vel invidiam, vel inimicitiam, vel lasciviam, vel superbiam, *non cogitat quæ Domini sunt.* (2) 3. Dæmones qui imaginationi vitiorum repræsentant phantasmata, præsertim nocturno et matutino tempore. *Est e spiritibus unus, qui præcursor dicitur, qui nos ex somno surgentes protinus excipit, hic primum nostrum cogitatum inquinare dicitur* (3): præoccupatus autem a maligno spiritu animus, totum se adhibet in cogitando malo, ideoque *non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* (4) 4. Instabilis et divagatio intellectus; *etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Totum hominem animus circumfert, et quo vult transfert.* (5) Illam cordis et spiritus mobilitatem obplorat D. Bernardus: « Dum orare volo, nescio cujusmodi stulta cogitatio cor meum rapit, et ducit per diversa loca. Cumque illud ad me revoco, tenere non possum, sed illico elabitur, et huc illucque dispergitur, et per innumera effunditur. Idcirco crebra terrenarum rerum illecebra, et vanitatum effusio, ita cor meum occupant, ut quod vitare studeam, hoc cogitem, animoque volvam. Non enim est in potestate mea cor meum et cogitationes meæ, quæ improviso effusæ, mentem meam animumque confundunt, atque alio trahunt, quam ego proposueram, ad secularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa contexunt: ipsoque in tempore quo levare mentem meam ad te paro, inanibus cogitationibus infectus, ad terrena plerumque dejicior. Hujusmodi perstrepentium cogitationum tumultus a corde quotidie amovere volo nec valeo; sed visa et audita, dicta et facta ad memoriam revocant, et in ea cum magna importunitate perstrepunt. Cogitanda cogito, cogitata recogito, et eadem iterum atque iterum replicare non cesso: et cum diu multumque quidquid potero cogitavero, sine cogitationibus esse non possum, sed intrant et exeunt, atque aliæ alias introducunt, et excludunt. Ita mens mea semper mobilis et nunquam stabilis, semper vaga, et velut ebria, per diversa distrahitur. » (6) 5. Memoria præsertim præteritorum criminum. Nam, ut

(1) Tert. L. de Idol. 2. — (2) L. 21. Mor. 12. — (3) Tert. L. de Pud. 6. — (4) Tert. L. de Pœn. 4. — (5) Tract. de pass. Dom. cap. 9. — (6) Tert. L. de Spect. 17.

(1) Psal. 55. — (2) 1. Cor. 7. — (3) Gregor. Naz. Orat. in Cypr. — (4) Osec. 5. — (5) Tert. L. ad Mart. 2. — (6) Tract. de inter. Dom. c. 16

subjungit D. Bernardus : « Sæpe nocuit mortifera delectatio, quæ ex recordatione præteritorum peccatorum nasci solet, sed maxime ex recordatione libidinis. Hæc enim pestis quo præ cæteris vitiis est familiarior, eo ad nocendum proclivior, et ad repellendum difficilior : nam nolenti se ingerit ; blande onerosa, displicendo placens, subtiliter intrat, et mentem occupat, et nisi subito repellatur, allicit et incendit, et quasi virus pestilentiæ per totum corpus paulatim se diffundit. Cogitationes pravas multiplicat, affectiones malas generat, delectatione illicita mentem afficit, et ad consensum pravitatis animum inflectit. » 6. Ipsa voluntas quæ pravæ cogitationi libere consentit. Nam, ut fatur D. Bernardus, « ipsa voluntas in omni cogitatione princeps; et necessario principium voluntatis sequitur omnis tenor cogitationis. Tria enim sunt quæ cogitationes faciunt : voluntas, memoria et intellectus. Voluntas cogit memoriam ut proferat materiam; cogit etiam intellectum ad formandum quod profertur, adhibens intellectum memoriæ, ut inde formetur ; intellectui vero aciem cogitantis, ut inde cogitetur. Quæ quia in unum cogit voluntas, et facili quodam nutu copulat, a *cogendo* cogitatio nomen accepisse videtur. Hinc fiunt cogitationes omnes, aliæ bonæ, et sanctæ, et dignæ Deo ; aliæ otiosæ et vanæ, a quibus aufert se Deus ; aliæ malæ et perversæ, quæ separant a Deo. » (1)

Christiane, *usquequo morabuntur in te cogitationes malæ* (2), quæ a Deo separant, cui de jure *præparantur cogitationes* (3) ut in mente hominis velut in templo habitet? In libertate tua positum est pravis consentire aut dissentire cogitationibus, non secus ac protoparentibus, quibus asserit D. Augustinus : *Liberum fuisse ingestam cogitationem ac sensum respuere : aut cogitationi consensum præbere. Debuit Eva non consentire, etsi non potuerit non sentire.* (4) Si cogitationi denegas voluntatis consensum, Deo cogitationes præparas ; si deliberatum vero das illi consensum, a Deo te separas, graviterque peccas. *Reprobis mentibus, magnum non est immunda cogitare, sed coram Deo peccatum parvum non est, in templo Dei, hoc est, in regenerato spiritu, immunda reponere.* (5) Aliter censet D. Augustinus, qui delectationem in cogitationibus pravis non excusat, sed condemnat. *Nec sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda : tenens tamen et volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animam respui debuerunt, negandum est esse peccatum* (1), æterna pœna mulctandum.

(1) Tract. de Vit. Solitar. c. 15. — (2) Jerem. 4. — (3) Lib. 1. Reg. 2. — (4) D. August. Lib. 3. de Lib. Arb. 25. — (5) D. Greg. L. 6. in 1. L. Reg. 6.

3. *Omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, pœnam per judicium destinavit Deus.* (2) Unusquisque sibi attendat quas in animo cogitationes admittat ; cum non solum operum ac verborum, sed cogitationum omnium sit supremo Judici reddenda ratio. Quod teste Joanne Damasceno, Baarlamus Josapharum Abenner Indiarum regis filium edocuit : *Non enim actiones duntaxat, sed etiam cogitationes nostræ apud Deum, in numerato sunt, coronasque aut supplicia conciliant.* Sanctis cogitationibus prætermissis quibus sempiterna debetur corona, pravæ cogitationes judicandæ et pœna æterna mulctandæ, sunt in duplici differentia : quædam deliberate delectantur in malo etiam post intellectus advertentiam : voluntas tamen vel ob pudorem, vel ob timorem, non vult opere externo consummare peccatum, quod in corde concipit, et in quo morose delectatur. Aliæ non solum important moralem delectationem, sed adhuc deliberationem voluntariam peccatum opere consummandi, licet de facto illud non consummet, vel quia non potuit, vel quia impedita fuit. Duæ illæ pravæ cogitationes sunt de suo genere peccata lethalia, et æterna pœna dignæ. De secundis cogitationibus, quæ ultra delectationem morosam annexam habent voluntatem de facto et opere consummandi, loquitur Tertullianus : *Cum ergo voluntas facti origo est, non tanto potior ad pœnam est, quanto principalis ad culpam : quæ ne tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat.* (3) Tertulliano arridet D. Augustinus aiens : *Mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit affectus, id est, si non habeat potestatem* (5), externo opere consummandi peccatum. Subjungit Tertullianus objectioni occurrens: *Vanissimum est dicere : Volui, nec tamen feci. Atquin perficere debes, quia vis ; aut nec velle, quia nec perficis. Sed ipse conscientiæ tuæ confessione pronuntias. Nam si bonum concupisceres, perficere gestisses. Porro sicut malum non perficis, ne concupiscere debueras. Quaque te constitueris,*

(1) Lib. 12. Trin. 12. — (2) Tert. Lib. de Pœn. 4. — (3) Tert. Lib. de Pœn. 3. — (4) Lib. de Spir. et Anim. c. 31.

crimine adstringeris, quia aut malum volueris, aut bonum non adimpleveris.

De cogitationibus pravis primi generis, in quibus *nonnisi voluntate delinquitur* (1), quæ sola delectatione morosa contenta, externum non desiderat opus, loquitur adhuc Tertullianus : *Adeo quod prohibetur administrare, satis periculose animus sibi repræsentat, et temere per voluntatem expungit effectum. Cujus voluntatis cum vis tanta sit, cur non solatium sui saturans pro facto, cedat ? pro facto ergo plectitur.* De venerea cogitatione loquitur, quasi dicat : Qui alienam concupiscit uxorem, mœchatur in corde suo, imaginaria illius uxoris præsentia et voluntaria animi oblectatione fruens. Unde cum voluntatis vis tanta sit, ut per ipsam animus imaginario fructu delectetur, pro facto cedit, et pro facto plectitur : quia animus apud semetipsum per voluntatem fecit et adeptus est quod libuit, nimirum moræ delectationis potitus et saturatus est solatio ; nam quod superest, nempe externum peccari opus, non est animi, sed corporis. Itaque *damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tantum cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* (2) Ex illa propositione D. Augustini subsumit Doctor Angelicus : *Sed nullus damnatur nisi pro peccato mortali, ergo consensus in delectationem est peccatum mortale* (3), quia intellectus plane advertit quid agat, opus esse illicitum probe cognoscit, post intellectus advertentiam, voluntas deliberate consentit ; et in prava cogitatione delectatur, quæ delectatio morosa dicitur, quia illi post plenam mentis considerationem immoratur, etsi brevissimo tempore, æterna tamen punienda est pœna.

In foro, in curia humana, non cogitata, sed facta puniuntur. At supremus Judex, *discretor cogitationum et intentionum cordis,* (4) perverse cogitata longe atrocius punit quam judices mortales gravissima quæque facinora. Ex Magno namque Basilio, *cordis peccata subito committuntur, nec indigent tempore, ut externæ corporis operationes,* et tamen interminabili puniuntur supplicio. *Quis illam sortem damnatorum non fleat ?* (6) Ob vanam et obumbratilem sola mente delibatam voluptatem, præcipitari in omnium miseriarum abyssum ; ob momentaneam delectationem sempiternis excludi paradisi gaudiis ; ob pravam unam cogitationem igne inexstinguibili in æternam torqueri? *Quam lugenda perversitas, ut animam quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem diabolo vendat ? Vere nimium plangenda et miseranda conditio, ubi cito præterit quod delectat, et manet sine fine quod cruciat.* (1) Momentaneæ tribulationes pro Deo toleratæ interminabilem gloriæ merentur coronam, ut fatur Apostolus : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (2) At e converso quod est momentaneum lubricæ cogitationis, lividæ cogitationis, elatæ cogitationis, cupidæ cogitationis, sempiternam cœlestis gloriæ affert jacturam, et æternum tormentorum pondus operatur in nobis. Ut enim ait aureum eloquentiæ flumen, alludens ad verba Apostoli : *Quod momentaneum est et leve delectationis nostræ, æternum ignis ac tormentorum pondus operabitur in nobis.* (3) Et quia per quæ quis peccat per hæc et punietur ; « cogitatio cruciabitur vehementissima quadam comprehensione eorum tormentorum in quibus tunc et corpus et animus versabuntur. Et cogitatio dolores acuet, et dolores cogitationes excitabunt. Istic erunt perpetuæ contemplationes eorum qui dum hic fructuose possent hæc meditari non voluerunt, et qui his utilissimis cogitationibus, tanquam fræno libidinis uti dedignantur, eas tunc ut crudelissimos carnifices patientur. » (4)

D. Augustinus ex gravitate pœnæ originalis delicti, pluribus exaggerat, et Adami lapsum, et pomi vetiti morsum. *Quisnam satis explicet quantum malum sit, non obedire in re facili, et tantæ potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio ?* (5) Quanto magis est culpandus peccator, qui ob volaticæ delectationis momentum immensum cœli patitur damnum, et interminabile inferni tolerat supplicium ? Alia flagitia sectantur mundi honores et dignitates, lucrum et opulentas fortunæ facultates, sensibiles carnis voluptates ; at peccator pravis cogitationibus delectatus, pro imaginaria gaudii scelerosi umbra interminabili cœli beatitudine privatur, et nunquam finiendis gehennæ suppliciis mulctatur. Protoparens merito de stultitia culpatur, terrenum paradisum pro pomo cedens : *Diabolus porrigit pomum, et surripit paradisum.* (6) At multo stolidior qui ob

(1) Tert. L. de Pœn. 3. — (2) D. Aug. L. 12. Trinit. 12. — (3) 1. 2. q. 74. a. 8. — (4) Hebr. 4. — (5) D. Basil.

(1) D. Aug. Serm. 150. de Temp. — (2) 2. Cor. 4. — (3) L. de Repar. Lapsi. — (4) Bellarm. Serm. 3. de Pœn. Infer. — (5) Lib. 14. Civ. 15. — (6) D. Bern. Grad. 1. superbiæ.

voluptatem momento cogitatam, cœlestem vendit paradisum. Tantam stultitiam magnus obplorat Basilius : *O sortem lugendam! post jejunia multa, post durum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post uberes effusas lacrymas, denique post* 20, *vel* 30 *annorum abstinentiam, ob brevem et imaginariam delectationem, nudum omnibus, ac tot laborum mercede privatum reperiri, et similem omnino fieri mercatori cuidam diviti, qui in portu naufragium facit omnium quæ tanto labore et sudore sunt parta.* (1) O sortem lugendam! seculares virtutum studiosi, post tot annos in bonis operibus consumptos; sacerdotes et Ecclesiastici, post divinas laudes tanto tempore decantatas; virgines Deo dicatæ, post conservatam tam diu angelicam puritatem; regulares, post vitam per innumera austeritatis et mortificationis exercitia traductam, unica prava cogitatione, momentanea imaginariæ voluptatis delectatione, tot meritorum faciunt jacturam, æternæ felicitatis patiuntur damnum, et acerbissimos, et nunquam finiendos gehennæ sustinent cruciatus.

Verum si quis nimium existimet justitiæ rigorem quo momentanea voluptas, vel sola cogitatione delibata acerbissimas et æternas inferni sustinet pœnas, audiat D. Augustinum hac supra re sic disserentem : *Quisquis hujusmodi damnationem, vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit quanta fuerit iniquitas in peccando.* (2) Pœna etenim debet aptari delicto, delictum vero commensuratur injuriæ Deo factæ. At prave cogitans, etiam tempore orationis, Deo rejecto, idola colit. « Omnis homo in tempore orationis, quidquid attentus cogitat, hoc pro Deo adorat. Si forum cogitat, forum adorat; si domum fabricare, vel vineam, vel agrum colere, ante oculos cordis proposuerit, hoc in illa oratione pro Deo habebit. Taceo de malis et forte turpibus cogitationibus, » (3) quæ longe majorem Deo irrogant offensam. Nam, ut fatur aliorsum D. Augustinus, *si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra ipsos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei; vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, et in ruinam vertaris.* (4) Tuis autem pravis cogitationibus, templi habitatorem offendis, illum a templo suo ejicis, ipsumque templum polluis, et tanquam habitatoris Dei offensor, et templi sibi sacrati corruptor, pœnas merito luis. *Non scitis vos templum Dei esse, et in vobis Dominum habitare; qui et templo sanciendo, purificandoque æditualem legem scripsit, si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos?* (1) Seu, ut fatur Apostolus (2), cujus verba tantillum immutata retulit Tertullian. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, æternis damnando gehennæ incendiis. Vide, infelix peccator, qui fœdis cogitationibus templum Deo dicatum profanas, qui templum Dei sanctum corrumpis et vitias, quantis cruciatibus sis in inferno puniendus.

Domus Dei cogitatio sapientis. (3) Hanc domum æterna Sapientia subit, hanc habitat, in hac suaviter requiescit, et ad bona opera dirigit. « Non potest fieri ut habeat mala facta, qui habet cogitationes bonas : facta enim de cogitationibus procedunt. Nec quisquam aliquid facere, vel ad aliquid faciendum membra movere, nisi primo processerit jussio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid jusserit imperator per imperium Romanorum emanat; quidquid videtis agi per provincias; quantus motus sit ad unam jussionem imperatoris intus sedentis; sic et ab unoquoque nostrum: intus est imperator, in corde sedet : si bonus, bona jubet et bona fiunt; si malus, mala jubet et mala fiunt. Cum tibi sedet Christus, quid potest jubere nisi bona? Cum possidet diabolus, quid potest jubere nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo, an diabolo. » (4) Beatus eris si in corde tuo Deum habueris dominantem; infelix si diabolum in te habueris inhabitantem. Domus Dei, cogitatio sapientis; habitaculum dæmonis, stulti cogitatio. Ut sis sapiens, et cogitatio tua sit domus, non diaboli, sed Dei, tria debes præstare : 1. Nascentem diaboli suggestionem repellere : *Si diabolus tuum calcaneum observat, tu caput illius observa. Caput illius est initium malæ suggestionis, quando incipit mala suggerere, tum repelle antequam surgat delectatio et sequatur consensus.* (5) Pharao omnes Hebræorum masculos vix in lucem editos suffocabat aquis, ne si vitæ fuissent superstites, ei bellum intulissent. *Dum parvus est hostis, interfice : ut cœperis cogitare sordida, statim interfice cogitata* (6), ne forte si adoleverint, tibi bellum inferant et afferant mortem : « Et ideo quacunque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non con-

(1) Homel. 21. in Prov. — (2) Lib. 14. Civ. 15. — (3) D. August. in Serm. Commun. Serm. 31. — (4) Serm. 16. de Ver. Dom.

(1) Tert. L. de Pud. 16. — (2) 1. Cor. 3. — (3) Philo Judæus. L. de Migrat. Abraham. — (4) D. August. L. 50. Hom. hom. 16. — (5) D. August. in Ps. 48. — (6) D. Hieron. Ep. 22. ad Eustoch.

sentias illi : nec sinas eam in corde tuo manere, sed illico repelle. In initio cogitationis iniquæ resiste, et fugiet a te. Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. Sicut vipera a filiis suis in utero positis lacerata perimitur, ita nos cogitationes nostræ intra nos nutritæ occidunt. » (1) 2. Serio recogita Deum cogitationum tuarum inspectorem et judicem. *Nullus vult in publico a meretrice osculari, ita in secreto conscientiæ, sordidas cogitationes velut immundissimas meretrices, nullus debet suscipere, vel inhabitare permittere.* (2) Respuis, Christiane, complecti meretricem in conventu populi, quia hominum revereris et formidas oculos : noli pravis cogitationibus in secreto conscientiæ committere adulterium, reverere et pertimesce Dei oculos. *Quales oculi, qui contemplantur cogitationes !* (3) 3. Mentem tuam bonis reple cogitationibus. *Vitare turpes cogitationes non prævalet, qui honestas in se non habet.* (4) Intellectus nequit simul diversa cogitare, ideoque a pravis cogitationibus est dimovendus et bonis occupandus. Nam *sicut amor amore vincitur, sic cogitatio cogitatione tollitur. Locum ergo quem in corde libidinosa cogitatio tenebat, castitas occupet.* (5) Mens bonis cogitationibus occupata, habet Spiritum Sanctum in se manentem ; mens pravis cogitationibus contaminata, patitur in se malignum spiritum inhabitantem. *In cogitatione sua cadit quisque, vel stat. Si bona cogitas, cogitatio tua sancta bona custodit te. Si mala cogitas* (6), Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu : *Eritque templum Dei spelunca diaboli : quoniam quem Deus deserit, diabolus arripit. Spiritus Sanctus suggerit bona et dulcia : spiritus malus, mala et amara ; vana, inutilia et injucunda.* (7) Christiane, vis impedire ne diabolus hospitetur in corde tuo et ne mens tua pravis repleatur cogitationibus, « quoties hujusmodi consiliarios improbos et iniquos in unum convenire sentis, non eis consentias, sed illico excute te, nunc ad orationem, modo ad operationem ; sæpe autem ad meditationem : nec prius cesses, donec illi evanescant. Intuere quomodo Christus stetit in cruce ; considera quomodo morieris ; vel ubi, vel quando : statue te ante terrificum tribunal tremendi judicis, descende usque ad infernum inferiorem, et ibi cerne quomodo pro peccatis suis animæ puniuntur. Talis etenim cogitatio probatissimum remedium est contra turpes cogitationes. » (1) Ad ingerendas bonas cogitationes multum servit trina recordatio, *scilicet recordatio professionis propriæ ; recordatio gehennæ ; recordatio cœlestis patriæ.* (2) Recordatio professionis propriæ nos stimulat ad cogitationes hominis et Christiani dignas; recordatio gehennæ ingerit timorem qui cum sit initium sapientiæ, parturit bonas cogitationes et spiritum salutis ; recordatio cœlestis patriæ ad cœlum elevat mentis cogitationes et cordis affectus : *Hæc sæpe cogita. Ibi namque est cogitatio tua ubi est affectio tua ; ibi cor tuum, ubi est desiderium tuum : quoniam illud sæpius in cogitatione volvimus, cujus amore plus affecti sumus.* (3) Si hujusmodi cogitationes occupant cor tuum, non erit peccato maculatum et sordidum, neque difforme et horridum.

II. PARS. Trina potissimum ratione pulchritudo commendatur a Tertulliano, scilicet, *ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis bona.* (4) Duplex est animæ vestis, utraque decore ornata, una exterior, quæ hominum apparet conspectibus ; altera quæ a divinis et angelicis oculis conspicitur : de illa intelligendus est Tertullianus, dum dicit quod corpus decorum et pulchrum est *animæ aliqua vestis bona* : de ista loquitur christianas alloquens et hortans mulieres : *Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ.* (5) Quanto anima est dignior corpore, tanto major est ejus pulchritudo, de qua disserendum est ex analogia corporeæ venustatis : tria autem concurrunt ad corporis pulchritudinem, scilicet membrorum integritas, apta partium dispositio, vividus et lucidus color; eadem ad animæ pulchritudinem desiderantur : debet enim esse, 1. Integrata ; 2. Ordinata ; 3. Colorata.

1. Christus Dominus *pulchra documenta præmittens* (6), docet virtutum integritatem ad decorem animæ pertinere, non secus ac membrorum integritas ad corporis pulchritudinem requiritur : unde in lege mosaica a sacrificiis arcebantur illi quibus vel deerat aliquod corporis membrum, vel imperfectum et vitiatum erat. *Nec accedet ad ministerium*

(1) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. c. 22. — (2) D. Aug. in Serm. Com. Serm. 17. — (3) D. Bern. Ep. 42. — (4) D. Greg. L. 5. in Lib. 1. Reg. c. 14. — (5) D. Aug. quæst. 14. in Gen. — (6) D. Bern. Tract. de Inter. Do. c. 22. — (7) Sap. 1. D. Bern

(1) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. c. 30. — (2) D. Bern. Serm. 68. de Diversis. — (3) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. c. 22. — (4) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 2. (5) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 13. — (6) Tert. Scorp. 10.

Dei, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. (1) In novo quoque Testamento, jure canonico (2), ab aris et sacris arcentur qui monstruoso sunt et informi corpore, qui manu mutili, qui vel utroque, vel etiam altero oculo male capti, vel alio affecti vitio, quod et corpori enorme, et aris sit indecens et absonum. Sane quemadmodum est turpe pecus mutilum, turpis sine frondibus arbor, et sine flore frutex, et sine crine caput; ita anima destituta virtutibus et turpata vitiis: quod non ignoravit Plato, animam *effigians intellectualibus formis.* (3) Intellectuales autem formæ quibus depingitur anima, vel sunt formæ virtutum, vel sunt formæ vitiorum: formæ virtutum, decoram animam repræsentant; formæ vitiorum, turpem illam et deformem ostentant, *pulchram justitia et disciplinis philosophiæ; deformem vero contrariis artibus.* (4) Pulchritudo homines ad sui amorem allicit; nam, ut divine fatur Plato, *pulchritudo maxime omnium amabilis* (5), quod si pulchritudo corporis est oculorum voluptas; si quisquam nostrum ea delinitur ac capitur, adeo ut vere dixerit Sinesius: *Natura omnes formæ ac pulchritudinis desiderio tenemur*, quanto amabilior est animæ pulchritudo venustata virtutibus. Ut enim ait romanæ eloquentiæ Princeps: *Virtute nihil amabilius, quippe cum propter virtutem eos etiam, quos nunquam vidimus, amamus* (6), et ne sacris misceamus profana, sacer Sponsus sponsam de pulchritudine amabilem prædicat: *Quam pulchra es et quam decora, charissima in deliciis!* (7) In Hebræo habetur: *Quantopere pulchruisti, quantopere dulcuisti, amor in deliciis.* Aquila legit: *Amor, filia deliciarum.* Septuaginta vertunt: *Quam pulchra es, et quam suavis facta es, charitas in deliciis!* Sed unde sponsæ tanta pulchritudo, tanta amabilitas, tanta dulcedo, ut ipsa sit amor, sit charitas in deliciis, sit amor ipse, filia deliciarum? Eam omnem a gratia, a virtute, audies derivari. Quæ adeo est pulchra et amabilis ut ejus specie et amore captus naturæ genius, et purioris philosophiæ facile Princeps dicat: *Melius est mori quam aliquid facere contra bonum virtutis.* (8)

Ut pulchritudo amorem, ita deformitas odium parit, et quemadmodum animæ, gratia et virtutibus decoratæ multum sunt amabiles, ita animæ vitiis et sceleribus turpatæ *abominabiles* (1) fiunt oculis Dei, qui eas nonnisi cum horrore conspicit: *Si quis stigmata in nostrum vultum, et sputa projiciat, qualem nobis horrorem incutiet? in templis qui manufactis porcos, vel canes, aut lutum immittat, contra eum valde indignamur, quid faciet Deus cum in animabus nostris, quæ templa Dei sunt, pejores immittimus cogitationes immundas?* (2) Quot peccata etiam committit peccator, tot immundas belluas ingerit in Dei templum; et quot perpetrat facinora, tot *stigmata delictorum* (3) in mente sua imprimit, quæ animam abominabilem et Deo odibilem reddunt. Adeo turpe et horrendum Senecæ videbatur peccatum, ut hanc protulerit sententiam aureis litteris æternitati consignandam. *Etsi scirem homines ignoraturos et Deum ignosciturum, tamen adhuc peccare nollem ob ipsam peccati turpitudinem:* et Christianus, Ethnico longe irreligiosior Dei justitiam non timet, hominum non veretur oculos, non horret turpitudinem peccati, quod deturbat requisitam ad pulchritudinem dispositionem et proportionem.

2. *Monstris et portentis naturalium forma turbatur.* (4) Monstrum apud philosophos dicitur et est peccatum naturæ, fitque vel dum deficit aut abundat materia, ut dum proles nascitur cum duobus capitibus, aut duntaxat cum brachio, aut pede; vel cum ordo et dispositio partium corporis pervertitur; ut dum os est ubi debent esse oculi, et oculi econverso ubi deberet esse os: quemadmodum corpori ita et animæ suum est monstrum, nimirum peccatum, quod, ut ait nonnemo, est monstrum naturæ rationalis, destruens proportionem et ordinem necessarium ut animam rationalem et christianam ducat vitam. Etenim *omne quod contra naturam est monstri meretur notam penes omnes; penes nos vero etiam elogium sacrilegii in Deum, naturæ Dominum et auctorem.* (5)

Corporis pulchritudo ex debita membrorum dispositione et proportione resultat; corporis turpitudo et difformitas ex indebita partium dispositione procedit. Nihil turpius homine pedes in capite habente et pedibus sursum et capite deorsum ambulante: pulchritudo animæ desumitur ex servato ordine, quo passio rationi obtemperat; ratio Deo, ejusque legi obsequitur. Anima deformis efficitur, dum ejusmodi ordo pervertitur. *Non*

(1) Levit. 21. — (2) Can. Illitteratos Dist. 36. — (3) Tert. Lib. de An. 9. — (4) Tert. ibid. — (5) Lib. 6. de Republic. — (6) In Lælio. — (7) Cant. 7. — (8) Ethic. 3.

(1) Osee 9. — (2) Cæsar. Hom. 3. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (4) Tert. Apol. 20. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 5.

enim est quidquam pulchri in confuso ordine (1); major est autem ordinis perversitas dum caro animæ dominatur, passio rationi, concupiscentia voluntati, quam si homo incederet pedibus sursum, capite deorsum. *Quidquid legitime, utique juste, et quidquid juste, non utique turpiter agitur.* (2) Ubi servatur apta dispositio a natura et a Deo indita, ibi servatur justitia : ubi autem est ordo et justitia, ibi apparet, non turpitudo, sed venustas ; econtra ubi nullus servatur ordo, neque justitia, ibi conspicitur, non pulchritudo, sed difformitas. Protoparens decorus formatus a Deo, *turpis factus est voluntate* (3), per inobedientiam pulchritudinem amittendo, quam *Dei præceptis obtemperans possidebat.* Scelerosum Adamum imitantur peccatores, amittentes tum naturalem, tum supernaturalem animæ pulchritudinem. Naturalem quidem : constat enim *vitam eorum contrariam humanæ vitæ* (4), utpote passioni, non rationi conformem. Omnes actiones quæ a passione procedunt, belluam sapiunt, suntque *indecentissimæ ac turpissimæ propter discrepantiam suam naturalem, ad naturam humanam.* (5) Supernaturalem etiam, dum Dei transgreditur mandata, et acceptam tum in baptismate, tum per pœnitentiam, destruit sanctificantem gratiam. *Omnia vitia et peccata velut impressiones, et signacula diabolicæ turpitudinis.* (6) Quam difformis facies stigmatibus defigurata, quam turpis anima tot habens diabolicæ turpitudinis impressiones, quot peccata ; et ut verius loquar, *non sunt delicta, sed monstra* (7); quia tollunt decoram proportionem, et lucidos et vividos gratiæ et charitatis delent colores.

3. Color vividus et nitidus non parum corporis pulchritudinem commendat : neque minus venustatur anima cœlestibus gratiæ et virtutum coloribus. Homines munditiam amantes, eam in corpore, in vestibus, in picturis sollicite curant : et cum aliqua imago etiam supra tabulam depicta tantisper contaminatur ; *quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas.* (8) Laudanda est equidem munditiæ cura ; superfluam tamen et immoderatam ejus sollicitudinem non approbat Tertullianus : *Non supergrediendum ultra quam simplices et sufficientes munditiæ concupiscunt* (9), et quod est culpandum magis, peccatores qui in vestibus et picturis munditiam sectantur, eam nullatenus in anima curant, imo suis sceleribus fœdant, efficiunturque *turpes* (1) et difformes.

Malus pictor, Hermogenes, *pingit illicite* (2) : quod irrisorie de Hermogene asseverat Tertullianus, vere de quovis sceleroso dici potest. Peccator *plane sine lumine dicitur pictor* (3), ut suam adimpleat picturam, tria præstat : 1. Vividos et lucidos gratiæ colores de anima delet ; *egressus est a filia Sion decor ejus.* (4) 2. Denudatam animam gratiæ decore, criminum maculis contaminat ; *maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* (5) Animam candore et lumine gratiæ privatam, sceleribus turpatam squalida orci nigredine colorat, *denigrata est super carbones facies tua* (6) ; anima sic denudata, maculata, denigrata adeo turpis et horrida apparet Deo et Angelis, ut merito dicat D. August. *Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius et deformius, et quod minus bonorum possit ferre aspectus, et verum dicunt.* (7) Nec mirum si peccatores deformes et horribiles appareant, quorum deformitas investiganda est ex Christo moriente, corpore mortuo, et diabolo oculis corporis repræsentato.

Christus Dominus *tempestivus decore citra filios hominum* (8), innocens et segregatus a peccatoribus, gratia et sanctitate decoratus ; quia tamen effectus est hostia pro peccato, et speciem et apparentiam habuit peccatoris, delens suo sanguine peccati maculas, et solvens in cruce pro pœna sceleribus debita, ita in sua passione defiguratus est ut videatur amisisse speciem atque decorem. *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species ejus inhonorata, deficiens citra filios hominum.* (9)

Corpus anima informatum et vivificatum pulchrescit : ab illa enim mutuatur motum, colorem et nitorem. Ideo vitam, status innocentiæ, æternæ et cœlestis vitæ similitudinem nuncupat Gregorius Nyssenus : *Haud dubie mors in homine non erat. Nec enim præclarum quiddam fuisset homo, si tristem illum mortis characterem habuisset. Enimvero cum æternæ vitæ simulacrum et similitudo esset, revera pulcher erat hilari vitæ charactere cohonestatus.* (10) Characterem vitæ characteri mortis opponit Nyssenus. Character vitæ est hilaris, character mortis est tristis; character vitæ confert pulchritu-

(1) Philo Jud. L. de Opifi. Mundi. — (2) D. August. L. 6. de Mul. c. 11. — (3) D. August. ibid. — (4) Tert. Lib. de An. 52. — (5) Guilelm. Par. Tract. de vitiis et peccat. c. 1. — (6) Guillem. Par. Tract. de Morib. c. 9. — (7) Tert. L. de Pud. 4. — (8) Tert. Lib. de Pall. 5. — (9) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 5.

(1) Tert. Apol. 6. — (2) Tert. Lib. adv. Herm. 1. — (3) Tert. L. adv. Herm. 2. — (4) Thren. 1. — (5) Jerem. 2. — (6) Thren. 4. — (7) Lib. 5. Civ. 20. — (8) Tert. L. 5. adv. Marc. 7. — (9) Tert. L. adv. Jud. 14. — (10) Hom. 12. in Can..

dinem, character mortis difformitatem affert, ut ex uno et eodem corpore comprobatur. Nam quamdiu animæ unitur, pulchritudine decoratur; at mox ut ab anima separatur, pallescit, colorem vividum amittit et difforme efficitur. Uti unio animæ confert corpori decorem, et separatio affert difformitatem, ita anima gratia vivificata est miro decore prædita : at per peccatum a gratia separatur, et adeo fit difformis ut de tanta mutatione obstupescat Jeremias propheta : « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum ? » (1) Quomodo autem hoc factum sit, belle declarat Magnus Gregorius : *Aurum obscuratur, cum consequentibus iniquitatum tenebris, justitiæ pulchritudo deseritur. Color optimus mutatur, cum splendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ.* (2)

Luciferum propria manu pinxerat supremus artifex Deus, eique contulerat eximium naturæ et gratiæ decorem. Pulchros et admirabiles ejus colores refert Ezechiel propheta : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius, jaspis, chrysolitus, et onix, et berillus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus ; aurum opus decoris tui.* (3) Quid illa tabella pulchrius ? quid Lucifero vel elegantius vel augustius excogitari potest ? Quidquid terra cœlumque decoris habet, quidquid gemmarum maris, quidquid alicujus pretii universus orbis, id ei omne liberali prodigaque manu videtur contulisse Deus. Attamen Lucifer *excultus omni gloria angelica* (4), et tanto naturæ et gratiæ fulgens decore, mox ut deliquit, licet angelicæ naturæ non amiserit dignitatem, donorum gratiæ quibus mire decorabatur, perdidit excellentiam, ut ei exprobrat ipsemet Deus : *Cum Cherub posui te in monte sancto Dei : fuisti in medio lapidum igneorum ; fuisti invituperabilis in diebus tuis, ex qua die conditus es, donec inventæ sunt læsuræ tuæ. De multitudine negotiationis tuæ promas tuas replesti, et deliquisti* (5) : tuoque delicto, pretiosos gratiæ colores amisisti. Quantam ab uno peccato passus est jacturam Lucifer, quem superbia de pulcherrimo fecit fœdissimum, de angelo multum amabili et mentis oculis gratioso, dæmonem aspectu horribilem, et fœditatis turpitudine adeo formidolosum et terribilem, ut una ex maximis morientium pœnis sit conspectus et fœditas dæmonis, in aliena mentitaque specie apparentis ? Quod si aliqua dæmonis facies, etiam ementita, etiam adultera, et in assumpto corpore, tantum turpitudinis atque horroris habere potest, ut justorum etiam animas in ultima vitæ periodo exterreat, affligat, excruciet ; quale et quantum erit præscitorum tormentum, non unum dæmonem, sed omnes in propria specie et difformitate dæmones intuentium ? Tale, tam atrox et immane erit illud supplicium, ut damnati majorem a dæmonum aspectu quam ab ignibus angorem patiantur.

At unde supernis mentibus ex sua natura speciosissimis tanta turpitudo ; talis horror et fœditas, quam nec humanus oculus valet aspicere, neque damnati poterunt sustinere ? Ab uno peccato, a quo derivatur id omne quod est in dæmonibus vitiosum, turpe, truculentum, odibile, horribile. Illa dæmonum turpitudo fœditatem designat peccatorum, qui, ut animadvertit Antistes Parisiensis, *nominantur Ægyptii, quod est dicere gens tenebrarum, quoniam lucem gratiæ exstinguunt et mentem obtenebrant : similiter Chaldæi, quod interpretantur quasi dæmones, quoniam similes dæmonum sunt, et diabolicæ turpitudinis characteres seu impressiones imitantur.* (1) Et licet illorum turpitudo et fœditas quam cum horrore Deus et Angeli etiam conspiciunt, modo hominibus non appareat, in ultimo tamen judicio Angelorum, dæmonum et hominum patebit conspectibus. *Mens nostra velut pictor est ; in animo, velut in tabula, cogitationes prout vult format. Et sicut pictor quod in obscuro pinxit, postea in medium profert, et deducto velo spectandum proponit, ita post vitæ exitum, corpore velut velo amoto, ea quæ a se in anima seu tabula, picta sunt in occulto, in lucem prodibunt ; tunc videre erit animæ tabulam, varia historia refertam, et omnibus in spectaculum propositam ; si igitur ex divinis litteris historiæ et virtutes conspectæ fuerint, laude dignus judicabitur ; si vero turpes et indecoræ, turpibus historiis, monstruosa specie apparuerint ; Deus bone ! pudore ac confusione pictus dignus judicabitur.* (2) Si illa serio recogitarent homines, tam facile peccata non committerent ; non amarent in animabus suis turpitudinem quam in corporibus aversantur, et in dæmonibus horrent. Teterrima orbis spectra cacodæmones, fœdæ quoque et horribiles imagines peccato-

(1) Thren. 4. — (2) Lib. 3. Mor. 9. — (3) Cap. 28. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (5) Tert. ibid.

(1) Tract. de Vitiis et peccat. c. 9. — (2) D. Basil. L. de Ver. Virg.

rum, *quorum tot sunt venena, quot ingenia; tot pernicies, quot et species; tot dolores, quot et colores* (1); tot in inferno patientur dolores, quot delictorum pinxerunt colores, scelerose ob turpitudinem horridi, et ob tetrum odorem fœtidi.

III. PARS. *Puto autem naturæ Dominus Deus noster est, qui figuravit hominem : et fructibus rerum appetendis, judicandis, consequendis, certos in eo sensus ordinavit per propria membrorum quodammodo organa. Auditum in auribus fodit, visum in oculis accendit, gustum in ore conclusit, odoratum in naribus ventilavit, contactum in manibus extimavit. Per hæc exterioris hominis administrantia, munerum divinorum ab anima deducuntur adsensus.* (2) Dinumerat Tertullianus quinque sensus externos humani corporis, unicuique proprium designat objectum : quatuor aliis sensibus prætermissis, de odoratu duntaxat disserendum est. Sedes illius sunt nares ; objectum vero odor : ut enim ait D. Bernardus, *odor cum omni facilitate superiora petit, cerebro illabitur, sensum sedem dum occupat, recreat.* (3) Quia cum ex sua natura sit calidus, cerebri temperat frigus ex humorum abundantia proveniens. Odorum autem tria sunt genera: quidam sunt studiosi, nonnulli voluptuosi, alii fœtidi. Primos, exhalant virtutes ; secundos, flores aliaque mundanæ voluptatis odoramenta; tertios, peccata. Odores, 1. Virtutum sunt proficui et delectabiles; 2. Mundialium voluptatum, noxii et despicabiles; 3. Peccatorum, fœtidi et intolerabiles.

1. Manna *cœlum fragrare* (4) asseverat Tertullianus: quod verius de virtute dici debet, a qua ineffabiles dimanant odores, miram suavitatem et dulcedinem exspirantes, præsertim si a gratia sanctificante procedant. *Bona quidem sunt odoramenta virtutum, et per se redolere videntur, sed cumulatiore gratia fragrant, cum de unctione spiritus suavitatis asperguntur odore.* (5) Hujusmodi erant sacræ sponsæ odores, quos ideo sacer sponsus cunctis præponit aromatibus: « Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » (6) *Etenim qualiacunque aromata fuerint, non meræ suavitatis spargunt odorem, nisi cum in eis spiritualis gratiæ redolent, et redundant unguenta.* (7) En principium a quo dimanat suavis ille odor : ecce subjectum quod tantam exspirat fragrantiam, scilicet myrrha, thus, pulvis pigmentarius, ut divini sponsi constat testimonio, dum æstu quodam amoris stuporisque percitus exclamat : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* (1) Per myrrham quæ innatam habet amaritudinem, denotatur mortificatio, quæ dum domat corpus, animæ confert decorem, suavemque emittit odorem, qui in cœlos ascendens, recreat sponsum. Per thus significatur oratio, quæ ardenti charitatis igne succensa, sacram evaporat nebulam instar virgulæ fumi, seu, ut habet hebræa lectio, *sicut virgula palmæ*, quæ recto tramite sursum ascendit, nec ullo ventorum, id est, vanitatis et inanis gloriæ afflatu, sese deflecti infringique patitur : « Oratio enim humiliantis se, ipsas nubes penetrat (2): Vides quomodo ascendit odoramentum humilis orationis? Ascendit Pharisæus ille in templum ut oraret, sed orationis ejus odor nescivit ascendere : (3) » Unde subjungit Bernardus Pharisæum alloquens : « Duo quædam in oratione tua non tam redolent quam fœtent, tumor et tepor. Tumor est in eo quod Publicano improperas. Tepor, quia omnino nihil rogas. Quomodo enim non tepebit oratio, elationis vento et inanitate satiata? Pharisæe non oras, sed effers teipsum. » Tandem per pulverem pigmentarium, e variis aromatum generibus compositum, omnium prope virtutum permixtus odor designatur, qui sua fragrantia delinit cœlum, recreat Angelos, Deumque delectat. Bonus odor pœnitentia, quæ peccatorum delet fœtorem : *Bene redolet quod veteris corruptelæ et peccati ab antiquo inoliti, sub momento delet.* (4) Quod D. Bernard. Magdalenæ declarat exemplo : *Fœtida erat quando accessit ad pedes Jesu. Quantum ipsi fœtebat Simoni, qui præsentiæ ejus non sustinuit horrorem portare! quam fœtida, inquam, accessit ad Jesum! et ecce jam in toto mundo, et pœnitentiæ, et dilectionis; et gratiæ, quam reportavit, spargitur odor.* Bonus odor misericordia, quæ pauperibus largitur eleemosynas, eorumque subvenit egestati : *Quis odor in Ecclesia suavius fragrat odore misericordiæ?* Subjungit D. Bernardus : *Bonum ergo misericordiæ unguentum, quod peccata remittit, prævenit merita, comitatur, accumulat, super omnia fragrat aromata, eo quod omnis Ecclesia Sanctorum, plus misericordia quam meritis nititur.* Bonus odor gratiarum actio : ex D. namque Bernardo, *un-*

(1) Tert. Scorp. 1. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 5. — (3) Serm. 35. in Cant. — (4) Tert. L. adv. Jud. 5. — (5) D. Bern. ibid. — (6) Cant. 3. — (7) D. Bern. ibid.

(1) Cant. 3. — (2) Eccles. 35. — (3) D. Bern. ibid. — (4) D. Bern.

guenta sponsæ et unguenta sunt, et odorifera sunt : unguentum, donorum perceptio; odor, de perceptione gratiarum actio. Bonus odor fama probitatis, virtutibus exemplaribus Deum glorificans et proximum ad bonum alliciens; nam, ut ait D. Bernardus, *bene redolet qui providet bona coram hominibus, bene olet per quem Dominus glorificatur coram hominibus.* Refert D. Basilius (1) aucupes quosdam consuevisse columbarum cicurum inficere pennas odore quodam illis columbis gratissimo, qua pleræque allectæ adducuntur in muscipulam : Christianus suarum virtutum odore perditos et scelerosos ad Christum debet adducere.

Bonus odor ex præstantibus herbis, vel pretiosis aromatibus exhalatur : quapropter Sponsa (2) comparatur areolis aromatum, in quibus relucent amœnitas, venustas, et ordo apte dispositus, vernantium herbarum, et odoratorum florum ex quibus fragrantes exhalantur spiritus : *Odor bonus, fama bona est quam quisque bonæ vitæ operibus habuit: dum Christi vestigia sequitur, pedes quodammodo ejus, pretiosi unguenti odore perfundit.* (3) Magdalena Domini pedes pretiosis et odoriferis unxit unguentis, ad instar Magdalenæ Christi pedes ungunt Christiani virtutum exempla præbentes. Nam, ut ait aliorsum D. Augustinus, *odor bonus, fama bona est. Qui male vivunt et Christiani vocantur, injuriam Christo faciunt : de quibus dictum est quod* (4) per eos nomen Domini blasphematur. *Per bonos nomen Domini laudatur, audi Apostolum* (5): « Christi bonus odor sumus in omni loco. » (6) Quasi dicat: Bonam Christi famam verbo et exemplo spargimus in honorem Dei. Talis fuit Apostolorum et prædicatorum fama, gloria et decus ex virtutum splendore, et bonorum operum luce dimanans : unde sic fantur apud Theophylactum : *Sumus velut acerra regia, et quocunque abierimus, odorem spiritualis unguenti circumferimus, cognitionis videlicet Dei bono suffitu in omni loco homines afflamus.* (7) Neque Apostoli et prædicatores duntaxat doctrinæ splendore et virtutum fama, bonum Christi spirant odorem; sed adhuc cuncti Christiani virtutibus famosi, et bonis exemplis conspicui. Nam, ut ait D. Bernardus elucidans istud Canticorum: Ego flos campi et lilium convallium : *Habent mores colores suos, habent et odores : colorem in conscientia, odorem in fama. Colorem operi tuo dat ejus bonitas, et cordis intentio odorem modestiæ et virtutis exemplum. Justus lilium est in se candidum, sed proximo odoratum : nobis debemus et providemus conscientiam, sed proximo famam.* Tandem bonus ordor Christi, passio, crux et martyrium, pro religione, pro fide, pro virtute, pro Deo toleratum. Sicuti enim aromata quo magis conteruntur, eo majorem spirant fragrantiam, ita Christus, Apostoli, Martyres, omnesque Sancti, quo magis persecutionibus et tribulationibus pressi, et quasi contriti fuerunt, eo suaviorem virtutis suæ sparserunt odorem : unde Christianos in ergastulis detentos et cruciatibus afflictos, sic consolatur Tertullianus : *Triste illic spirat, sed vos odor estis suavitatis.* (1)

Subjungit Apostolus : Christi bonus odor, *aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem vitæ in vitam.* Est hebraismus, *odor mortis in mortem*, id est, odor mortifer, ad mortem inducens, *odor vitæ in vitam*, id est, odor vitalis vitam afferens. Quod intelligit D. Augustinus tum de prædicatoribus, tum de auditoribus. Christi doctrina et religio est odor vitæ in vitam, prædicatoribus qui veritatem docent, et doctrinam suam opere et exemplo adimplent : odor vero mortis in mortem, iis vel qui errores prædicando et docendo disseminant, vel qui vera dicendo, vitam ducunt contrariam doctrinæ quam prædicant. Prædicatorum adhuc doctrina, exemplo et virtute auctorata, est odor vitæ in vitam, iis qui ex ea vel vitia deserunt, vel virtutes ad praxim redigunt; odor vero mortis in mortem, iis qui ex ea meliores non fiunt. *Bonus Christi odor est prædicatio veritatis, quo odore vitam capit qui Evangelio bonis moribus servit; mortem autem incurrit omnis qui ab iis quæ bene loquitur, vita dissentit. Quæ conditio et auditores constringit, cum recta prædicatio ab his per incredulitatem auditur in mortem, ab aliis per fidem suscipitur in salutem.* (2) Fragrantia enim et fama vitæ, prædicationes et conversationes Apostolorum bonis aspirabat vitam, improbis mortem : quia illi annuntiatam veritatem recipiebant, exhibitæ virtutis sequebantur exemplum : isti vero tantum veritatis lumen et sanctitatis fulgorem non ferentes, in sua infidelitate, improbitate, invidia, odiove, sese magis obfirmabant. Et, ut fatur ex Nysseno Œcumenius, «sicut fragrantia unguenti, columbam vegetat, scarabæum necat; et sicut lumen solis oculos sanos recreat, debiles offendit; ignis aurum purgat stipulam, absu-

(1) Epist. 175. — (2) Cant. 6. — (3) D. August. L. de Doct. Chr. c. 12. — (4) Tract. 50. in Joan. — (5) Rom. 2. — (6) 2. Cor. 2. — (7) Id est, thuribulum.

(1) Tert. L. ad Mart. 2. — (2) L. de Ver. Innoc. c. 351.

mit; Christus malis in ruinam, bonis in resurrectionem. Eucharistia mors malis, vita bonis; sic Apostoli et probi Christiani vera docentes, bona exempla præbentes, mala constanter pro Dei amore patientes, sunt bonis odor vitæ, malis vero odor mortis, cujusmodi sunt molles et delicatuli Christiani qui mundanos et contemptibiles voluptatis sectantur odores. »

2. Christianus sic apud Tertullianum loquitur: *Canales non odoro.* (1) Canales hujusmodi auctore festo dicebantur *forenses;* quod consisterent circa canales fori, non quidem ubi reddebatur justitia, sed in quo mercimonia, præsertim flores vendebantur et emebantur, ad oblectandum visum et odorem. Nam *quis fructus ex floribus? Aut odor, aut color, aut pariter utrumque. Qui erunt sensus coloris et odoris? Visus et odoratus. Istos sensus quæ membra sortita sunt? oculi et nares.* (2) Gentiles forum frequentabant in quo vendebantur flores, ut ex eorum conspectu et odoratu recrearent oculos et nares. Christiani econtra mundi deliciis et voluptatibus mortui, nec florum conspiciebant decorem, nec suavem afflabant odorem, nec alia odoramenta sectabantur, quibus inungitur corpus, vel aspergitur vestis, vel in cella incenditur, vel aliunde captatur fragrantiæ voluptas: quam ejiciendam e moribus censuerunt: 1. Quia verus odor quem fragrare et afflare debet Christianus, est odor virtutis. Quod præfiguratum vult D. Ambr. in Jacobo adeo suavem redolente fragrantiam, ut ea delibutus pater ejus Isaac exclamaverit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* (3) Hæc autem fragrantia, non tam procedebat a vestibus, quas indulgens mater unguentis probe imbuerat, quam a sanctitate et virtutibus quibus delibuta erat Jacobi anima. *Non vitim, aut ficum patriarcha olebat, aut frugem, sed virtutum spirabat gratiam.* (4) 2. Quia res frivola et vana est odor, et par levibus fumis, quos aura spargit aut dissipat. At *gloria vana et stuporata non congruit professoribus humilitatis ex præscriptis Dei.* (5) 3. Fidelis non debet odorum prosequi fragrantiam, postquam Christus Calvarii tetros passus est odores, nec mulier christiana ambire serta ex *laurea et myrtho, et olea, et illustri aliqua fronde, et quod magis usui est, centenariis rosis, et utrisque liliis, et omnibus violis* (6) confecta, cum Christus sertum detulerit non ex floribus, sed ex spinis et tribulis contextum: *Christus Jesus, quale, oro te, sertum pro utroque sexu subiit? ex spinis opinor et tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.* (1) 4. Quia Christiani denotantur passionibus, erudiunturque ad tormenta pro Christo toleranda, *abdicatione voluptatum.* (2) Fragrantia autem quæ ex floribus aliisque odoramentis captatur, nihil aliud est quam mollis narium voluptas: Christiani eam non abdicantes non sunt satis dispositi ad persecutiones pro fide et Christo constanter perferendas. *Discutiendæ sunt deliciæ, quarum mollitia et fluxu fidei virtus effeminari potest. Cæterum nescio an manus spathalio circumdari solita, in duritiam catenæ stupescere sustineat; nescio an crus periscelio lætatum in nervum se patiatur arctari.* (3) Nescio an nares blandis assuetæ odoribus, fœtidum carceris sustineant odorem. Spathalium est muliebre ornamentum quod deliciari significat; periscilide sive periscelio exornabantur crura vel tibiæ. 5. Quia mollem illam fragrantiæ voluptatem Scriptura Sacra incusat, in eamque Amos propheta maledictionem vibrat: *Væ qui estis unguento optimo delibuti!* (4) Seu, ut legit ex Hebræo D. Hieronymus, *excellentia unguentorum delibuti.* Ut autem animadvertit Tertullianus, *Væ constat imprecationis et comminationis inclamationem intelligendam, et irato et offenso deputandam.* (5) 6. Quia afflata illa odorum suavitas est *conflatio illecebræ* (6) animum emolliens et effeminans et ad lasciviam inducens, unde Martialis:

Posthume non bene olet, qui bene semper olet:

insinuans eum de pudicitia esse suspectum, qui peregrino semper odore, pudendi morbi moliebatur dissipare fœtorem. Etenim *luxuriosi hominis, vel potius non hominis est olere unguentum.* (7) Verum quantumvis odorum blandimenta, christianam religionem dedeceant, et lasciviam sapiant, illa plures curiose sectantur, aliisque eorum consulunt usum. *Utere floribus visu et odoratu, quorum sensuum fructus est. Utere per oculos et nares quorum sensuum membra sunt. Substantia tibi a Deo tradita est, habitus a seculo. Quanquam nec habitus extraordinarius ordinario usui obstrepit. Hoc sint tibi flores, et inserti, et innexi, et in filo, ei in scirpo, quod liberi, quod soluti: spec-*

(1) Tert. L. de Pall. 5. — (2) Tert. Lib. de Cor. Mil. 5. — (3) Gen. 27. — (4) D. Ambr. Lib. 5. in Exam. cap. ult. — (5) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 3. — (6) Tert. Lib. de Cor. Mil. 14.

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (2) Tert. L. de Spect. 1. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 13. — (4) Amos 6. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 41. — (6) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (7) D. Ambr. in c. 7. Luc.

taculi scilicet, et spiraculi. (1) Confice ex illis serta, *ut plures simul portes, ut omnibus pariter utaris*, et quasi non sufficiat in capite habere flores, *jam vero et in sinum conde, si tanta munditia est; in lectulum sparge, si tanta mollitia est, et in poculum crede, si tanta innocentia est : quot modis fruere, quot et sentis.* Fuse refert Tertullianus molles florum odores contemptibiles, restant examinandi fœtidi et intolerabiles delictorum odores.

3. *Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, fumantes aras despuet, et exsufflabit ?* (2) Peccator non fumantes idolorum aras exsufflat, sed fœtidum idololatriæ spargit odorem, *et nunc fere sine idolo opus idololatriæ incendiis odorum perpetratur.* (3) Omne mortale delictum idololatriam sapit, et adeo tetrissimum spirat odorem, ut ad eum denotandum fœtidissimarum rerum non sufficiant maleolentiæ. Joel peccatores comparat jumentis stercore sordidatis et fœtidis. *Computruerunt jumenta in stercore suo.* (4) Isaias confert cum vulnere putrido absque medicamine a quo sanies fluit. *Vulnus et livor; et plaga tumens, non est circumligata; nec curata medicamine, neque fota oleo* (5): ut autem ait Parisiensis Antistes: *Quemadmodum ulcerosi semper sordidi sunt, semper inquinati, semper fœtidi.* (6) Ita anima sceleribus ulcerata est putens et fœtida. Quod de semetipso fatetur David : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ.* (7) Septuaginta vertunt : *Fœtuerunt vibices seu livores* ; qui inflicta plaga non sine tumore et sanguinis aggregatione fiunt. Coacervatam saniem et putorem emittunt, tetrissimum odorem spirant, *qualia solent exanimata cadavera pati*, ait Cassiodorus. Cadaver adeo est putridum et male olens, ut uxor nequeat tolerare fœtorem corporis mariti, nec filius parentis, nec servus domini. Hujusmodi cadavera ejiciuntur e domo, intra terræ viscera sepeliuntur, ne sua putredine aerem inficiant et viventibus mortem afferant. *Quod est anima corpori, hoc est anima Christus. Sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo : recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, et omnia visu detestanda succedunt : discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror.* (8)

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 5. — (2) Tert. L. de Idol. 11. — (3) Tert. ibid. — (4) Joel. 1.—(5) Isa. 1.— (6) Tract. de Vitiis et peccat. c. 9. — (7) Psal. 37. — (8) Chrysol. Serm. 19.

Quod in semetipso recognoscit D. Augustinus : *Ego cadaver putridum, esca vermium, vas fœtidum, cibus ignium* (1) ; et quod est adhuc horribilius, anima peccatrix est *cadavere pejor* et fœtidior. Ut enim experientia constat et philosophia docet, *optimi corruptio pessima.* (2) Quo enim creatura est perfectior, eo privatio pejor et corruptio horribilior : pomum corruptum est fœtidius ligno putrido ; corpus jumenti mortui est putridius pomo corrupto ; cadaver hominis pejus olet quam cadaver pecoris, et anima per peccatum mortua est fœtidior quovis corpore mortuo, adeoque tetrum redolet odorem, ut vix eam justi, angeli, imo et Deus ipse valeant tolerare.

Qui habet sanum olfactum animæ, sentit quomodo puteant peccata. (3) Adeo Catharinæ Senensi gravis erat fœtens peccatorum odor, ut dum quis obscenior et præsertim venereis criminibus sordidatus occurrebat, illico occludebat nares : et cum quadam die ad eam accessisset nobilis cujusdam concubina, neque fama denigrata, neque inverecundia dehonestata, putentis illius animæ graveolentiam ferre non valens, averso vultu, verbulum allocuta, sese ex ejus conspectu eripuit. Pater Raymundus, qui Catharinæ erat a confessionibus, tam subitanei discessus causam sciscitatus, audivit ab ipsa, tantum ex scelerosa et turpi illa anima erupisse fœtorem, ut nullum sterquilinium eo graviorem exhalare posset; quem ferre non valens, sese ab illius mulieris colloquio subduxerat. Neque minus fœtidi sunt cæteri peccatores, quibus probe competit istud Isaiæ : *Erit pro suavi odore fœtor* (4) ; seu, ut ex Hebræo legit Vatablus, *erit pro musco tabes*, non solum in inferno, ubi post resurrectionem et generale judicium, præscitorum corpora putridum et intolerabilem redolebunt odorem, sed etiam in hac vita, ut Judæorum comprobatur exemplo, quos Ammianus Marcellinus *fœtidos Judæos* nuncupat. Ab eo namque tempore quo Christo intulerunt necem, multis retro annis, tantus exibat fœtor e putidis et abominandis eorum corporibus, ut fœdo illo indicio ab omnibus cognoscerentur, et velut humani generis pestes fugerentur ; et ob hanc causam Marco Aurelio imperatori fastidio fuerunt et horrori.

Verum si cæterorum peccatorum corpora non male olent, animæ tamen eorum sunt fœtidissimæ, et ut fatur D. Bernardus, ex peccatis quæ inficiunt animam, *jam sentina*

(1) Solil. — (2) D. Bern. Tract. de Interm. Dom. c. 20. — (3) D. August. in Ps. 37. — (4) Cap. 3.

redundans, *domum omnem intolerabili fœtore contaminat* (1), intelligit animam quæ est domus Dei, quandiu sceleribus non est contaminata. Quo sensu Cyrillus Alexandrinus Satanam *fœtentem* vocitat, ob criminum maleolentiam. Neque suaviorem redolet odorem anima peccatrix. Legitur enim in vitis Patrum, quod Angelus in forma corporea iter cum eremita agens, ad occursum putridi corporis eremitam obturasse nares, Angelum nequaquam : at cum occurrisset adolescens comptulus, illico Angelus obturavit nares, asseverans vix posse putorem ferre ex illius anima scelerosa procedentem.

Nec mirum cum animæ criminosæ fœtorem nec Deus ipse valeat tolerare. *Tolerabilius enim canis putridus fœtet hominibus quam anima paccatrix Deo.* (4) Uti Deus suavem virtutum lætanter afflat odorem, ita tetrum peccatorum odorem respuit. Ex D. Bonaventura, *dicitur peccatum fœtor, eo quod ipsum refugit affectus bene ordinatus :* Dei voluntas, quæ est rectissima et bene ordinata, ideoque refugit peccatum. Homines refugientes cadaveris fœtorem obturant nares, avertunt faciem, et quam cito discedunt ; Deus quoque divertit oculos ne videat fœtidam animam, et ab illa quantocius discedit. Profecto *si bene et juste judicas, incomparabiliter graviorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ quam cloacæ : quia isti fœtores animarum sunt, illi corporum.* (5) Homo a Deo est creatus, a Christo redemptus, et gratia sanctificante in baptismo donatus, ut suavem spiret virtutum odorem Angelis Deoque gratissimum. Quandiu in sanctitate persistit, quam optime fragrat gratamque Deo exhibet suaveolentiam : at ubi peccat, non fragrantiam Deo acceptam, sed graveolentiam Deo exsecrabilem redolet. Quod quam sit indignum declarat D. Chrysostomus : *Si non incensum, sed mordacissimus abs te ac graviter olens fumus ascendat, quibus suppliciis dignus eris ?* (6) Si quis eo audaciæ ac impudicitiæ prorumperet, ut sacras aras odoribus incensurus, pro fragrantissimo suffitu, massam quamdam sulphuream, aut alias sordes in thuribulum injiceret, tetroque illo odoramento sacras aras incenderet, nonne suspectæ fidei, aut omnino sacrilegus haberetur, et ut talis gravissime plecteretur ? Christiane, Deus te constituit *religionis suæ sacerdotem* (7), ut ei adoleas virtutis incensum ; anima tua est thuribulum quæ immittere debet in cœlum thuris fumum, hoc est sanctæ orationis fragrantiam: at dum es lethali peccato contaminatus impurissimas ponis in thuribulo sordes, quæ putridum efficiunt fumum, tetrumque emittunt odorem Deo exsecrabilem. Nam, ut ipsemet fatur, oratio de anima scelerosa procedens, *vanum supplicamentum, exsecramentum mihi est.* (1)

Christiane, vis redolere, non exsecrabilem, sed acceptum Deo odorem ? Stude ut in anima tua ponantur, non sulphureæ sordes, sed suavia aromata. Vasa profecto si bene vel male olent, id accipiunt ab unguentis et fumosis odoribus qui in illis reconduntur. Ut bene oleas, tria tibi præstanda sunt : 1. Divinam expostulare gratiam, *rogans ipsum dulcissimum Jesum ut sui odoris dulcissima fragrantia, cor tuum dignetur aspirare.* (2) 2. Immittere in animæ tuæ vasculum myrrham pœnitentiæ salutaris, quæ illam emundet a corruptione peccati. Nam *ubi Jesus solvit, et remissionis infundit unguentum, statim a facie ejus fugit omnis fœtor antiquæ putredinis; quis enim retractabit quod non imputat Dominus ? Quis tenebit errata, quæ ipse remittit ? non potest male olere, quod ipse abolet* (3) in sacramento pœnitentiæ, sacerdotum ministerio, quibus absolvendi peccatores et dimittendi peccata dedit potestatem ; 3. Per pœnitentiam a delictis emundatus et gratia sanctificatus, odoriferum Christi sume corpus quod *solet ipsum fugare fœtorem* (4), et odorem conferre suavissimum. Fabulantur Gentiles Jovem in Creta Insula educatum, afflasse *jucundissimum nutricis suæ odorem.* (5) Jovis nutrix fuit capra Amalthea, altero cornu ambrosiam, altero vero illi nectar infundens. Non fabulose, sed vere corpus Christi in Eucharistia contentum omne delectamentum in se continet et cœlestem redolet fragrantiam, quæ probos attrahit Christianos currentes in odorem unguentorum illius. « Odorantur (6) enim et odoratu sequuntur Jesum, imitantes bestiam quamdam quæ odore cocti panis et recentis ita delectatur ut ubicunque illum senserit, illum sequatur etiam usque ad interitum. Ecce, ipso teste, *panis vivus qui de cœlo descendit* (7), decoctus duplici igne, charitatis et passionis, odorem suum longe lateque dispergit. Quis hunc non sequatur ? Sequitur irrationalis bestia odo-

(1) Tract. de Convers. ad Cleric. c. 6. — (2) In c. 2. Joel. — (3) Lobb. L. 5. de peccat. Flagello nono. — (4) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. cap. 20. — (5) Cæsar. Hom. 6. — (6) Hom. 74. in Matth. — (7) Tert. Lib. de Res. 9.

(1) Tert. Lib. adv. Jud. 5. — (2) D. Bern. Tract. de Pass. Dom. c. 45. — (3) D. Bern. Serm. 33. in Cant. — (4) D. Bern. ibid. — (5) Tert. Apol. 25. — (6) D. Bern. Tract. de Pass. c. 43. — (7) Joan. 6.

rem panis cocti et consumendi : non sequitur homo rationalis odorem panis Angelorum bis cocti ? Homo stultior est quam bestia, qui illius odoriferi panis odorem non intelligit et honorem. » Quapropter, Fratres, ut suavem spiremus odorem, *Christi odore delectemur*, *unguentis charismatum ejus foveamur*, *pane cœlesti*, *id est*, *corpore suo purissimo confortemur*, *ut corpus ejus edentes*, *sanguinemque pro salute nostra effusum*, *in nostram salutem bibentes* (1), simus participes suavissimi ejus odoris quo fragrat cœlum.

CONCIO SEXTA.

Homo refert in semetipso *humilitatis suæ sarcinam* (2), non solum ob corporis dolores, animæ mœrores, et vitæ miserias quibus obnoxius est, sed præsertim ob peccandi fragilitatem : *Solus enim Deus sine peccato*, *et solus homo sine peccato Christus*. (3) Tertulliano arridens Clemens Alexandr. ait : *Nihil omnino peccare proprium est Dei* (4), utpote per suam essentiam impeccabilis, quia est ipsamet essentialis sanctitas ; at homo qui originalem contraxit culpam, *sine culpa in mundo esse non potuit*, *qui in mundum cum culpa venit*. (5) Beatissima Virgo est quidem impeccabilis, non essentialiter, sed ex privilegio, toto vitæ suæ tempore fuit in mundo sine ullo etiam peccato veniali, quia in mundum venit absque culpa originali : *Hac ergo virgine excepta*, *si omnes illos Sanctos et Sanctas cum hic viverent congregare possemus*, *et interrogare utrum essent sine peccato*, *nonne una voce clamassent* (6): *Si dixerimus quia peccatum non habemus*, *ipsi nos seducimus*, *et veritas in nobis non est ?* (7) Nam, ut docet Ecclesiasticus, *non est homo justus in terra*, *qui faciat bonum et non peccet*. (8) Abelem justum in exemplum prodit D. Augustinus: « Abel quamvis merito justus appellatus est, paulo immoderatius aliquando risit, vel animi remissione jocatus est, vel vidit aliquid ad concupiscendum, vel aliquando immoderatius poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit, vel cum oraret cogitavit aliquid, unde ejus in aliud evocaretur intentio, et quoties illa et similia subrepserint. » (9) Idem de cæteris justis novi Testamenti asseverat D. Augustinus. « Nullus in Ecclesia recte posset ordinari minister, si dixisset Apostolus : Si quis sine peccato, ubi ait sine crimine est. Aut si dixisset, nullum peccatum habentes, ubi ait nullum crimen habentes. Multi quidem baptizati sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus adversum nos inflentur et dirumpantur insania. Non quia peccati aliquid remaneat quod in baptismate non remittatur, sed quia in nobis in hujus vitæ infirmitate manentibus quotidie fieri non quiescunt, qui fidelitur orantibus et misericorditer operantibus, quotidie remittantur. » (1) Quapropter perfecti quique justi, suæ humilitatis et infirmitatis conscii, sibi dimitti debita quotidie deprecantur, hanc orationem fundentes ex præcepto Christi : *Sciebat Dominus se solum sine delicto esse. Docet itaque*, *petamus dimitti nobis debita nostra* (2) : et hoc non in aliena, sed in propria persona, postulamus, ut definit concilium Milevitanum (3) contra Pelagianos, volentes peccata omnia, etiam venialia, sine gratia Christi solis naturæ viribus posse vitari. Contrarium tanquam de fide certum definitum est a Tridentino : *Si quis hominem justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare*, *nisi ex speciali privilegio*, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, *anathema sit!* (4)

Ubi tria animadvertenda sunt : 1. Cum communi gratiæ auxilio, posse justum totam sine crimine et lethali peccato transigere vitam. Quo sensu ex mente Tertulliani, *Christianus nullius criminis nomen est*. (5) Quod confirmat D. August. (6) discriminando crimen a peccato : *Quia peccatum est omne crimen*, *non ideo crimen est etiam omne peccatum*. *Itaque sanctorum hominum vitam*, *quandiu in hac morte vivitur*, *inveniri posse dicimus sine crimine ; peccatum autem si dixerimus quia non habemus*, *nosmetipsos seducimus*. (7) 2. Absque speciali gratiæ auxilio posse justum carere ad tempus omni omnino peccato, ut v. g. cum baptizatur, cum de omnibus ex toto corde conteritur et confitetur, cum indulgentiam plenariam consequitur : sed non per totam vitam, neque etiam ad longum tempus, se contineri ab omni peccato veniali. *Illud quod dicunt sine ullo peccato aliquos homines jam ratione propriæ voluntatis utentes*, *in hoc seculo*

(1) D. Bern. Tract. de Pass. c. 43. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (3) Tert. Lib. de An. 41. — (4) Lib. 1. Pæd. 2. — (5) D. Greg. Hom. 39. in Evang. — (6) D. August. lib. de Nat. et Grat. c. 36. — (7) 1. Joan. 18.— (8) Cap. 7. — (9) Lib. de Nat. et Grat. c. 38.

(1) Lib. Cont. duas Epist. Peleg. 14. — (2) Tert. L. de Orat. 7. — (3) Can. 6. — (4) Sess. 6. Can. 23. — (5) Tert. Apol. 2. — (6) Enchir. c. 64. — (7) 1. Joan. 1.

vixisse, vel vivere, optandum est, ut fiat; conandum est, ut fiat; supplicandum est, ut fiat: non tamen quasi factum fuerit confidendum est. (1) Ratio est, quia concupiscentia qua rapimur ad illicita, remanet post baptismum, et auxilium gratiæ quod Deus ordinarie confert non tollit concupiscentiam, ac proinde non impedit motus illicitos rationem prævenientes; 3. *Non autem quia dico quod non possumus hic esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria vel cætera mortifera peccata, quæ uno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei et spei Christianus.* (2) Neque adhuc peccata venialia potissimum quæ fiunt ex deliberatione. *Quis enim dicat esse peccandum, etiamsi aliud sit damnabile, aliud veniale peccatum?* (3) Quia, ut acute fatur Tertullianus, *nulla est necessitas delinquendi, ubi necessitas est non delinquendi.* (4) Plurima sunt, sed præsertim tria, quæ arcere debent Christianos a peccato veniali: scilicet quia peccatum veniale est, 1. Deo injuriosum; 2. Homini damnosum; 3. Valde periculosum.

1. PARS. Peccatum veniale, quod, ut fatur Tertullian. *veniat de offensa* (5), tribus modis dicitur: scilicet ab eventu, a causa et a materia. Veniale *ab eventu* illud est quod jam consecutum est veniam: at veniale hoc modo est quid commune tum peccatis mortalibus per pœnitentiam et confessionem dimissis, tum *levioribus delictis veniam ab Episcopo* consecutis. Loquitur de benedictione episcopali, quæ inter sacramentalia solet dinumerari. Veniale *a causa* illud est quod in se habet aliquam veniæ causam, non quod non puniatur, sed quod minus puniatur; *quæ casui aut necessitati, aut ignorantiæ deputatur.* (6) Peccatum enim ex ignorantia vel infirmitate minus est puniendum quam peccatum ex malitia. Quo sensu adhuc veniale ex causa commune est, tum magnis tum parvis peccatis: dantur enim lethalia et venialia, ex ignorantia et infirmitate. Veniale *ex materia* est illud quod quantum est ex se non excludit veniam, quo sensu peccatum veniale proprie sumptum, de quo in præsentiarum est sermo discriminatur a mortali: quod quantum est ex se, veniam excludit, æternamque meretur pœnam. Veniale autem ex se pœnam non meretur æternam: quanto minus vitari potest *tanto ignoscibile videri potest, difficilium enim facilis est venia.* (7)

(1) D. August. L. 3. de Peccat. Merit. c. 13. — (2) D. August. Serm. 29. de Ver. Apost. — (3) D. August. Lib. Cont. Mendac. c. 18. — (4) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (5) Tert. Lib. de Pœn. 1. — (6) Tert. Lib. de Pœn. 3. — (7) Tert. L. 2. ad Uxor. 1.

Inde redarguendi sunt Lutherani et Calvinistæ, catholicam rejicientes distinctionem peccati in mortale et veniale: *Dicantur alia magna, alia parva esse peccata, quia verum; nec auscultandum est stoïcis, qui omnia paria esse contendunt.* (1) Præfatam a catholicis usurpatam *distinctionem delictorum Joannes commendavit, quod sint quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes sumus objecti. Cui enim non accidit, aut irasci inique, et ultra solis occasum; aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia, aut necessitate mentiri? in negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu, quanta testamur, ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat? Sunt autem et contraria istis, ut graviora et exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, fraus, negatio, blasphemia, utique et mœchia, et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei.* (2) Plura refert Tertullianus peccata quæ ex se merentur veniam, neque interminabili sunt pœna mulctanda. Multa etiam dinumerat peccata mortalia quæ non sunt venia digna, sed æternam merentur in inferno pœnam. D. quoque August. distinctionem peccati in mortale et veniale ab enumeratione demonstrat: « Capitalia peccata sunt, sacrilegium, homicidium, adulterium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, et si longo tempore teneatur iracundia, et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computantur. Quæ autem sunt minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut in potu plus accipit quam necesse est, quoties loquitur plus quam oportet; quoties pauperem importuna loquentem exasperat, ad minuta peccata noverit pertinere: si plus uxorem, aut proximum, aut filium, aut servum exasperaverit quam oportet; si amplius fuerit blanditus quam oportet; si cuiquam majori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate, adulari voluerit; sese aut in ecclesia aut extra ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die judicii ratio reddenda est, occupaverit; si dum incaute juramus, et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, et si temere aliquid suspicamur. Hæc enim et his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est. » (3)

Ex D. adhuc Augustino *peccata gradus*

(1) D. August. L. de Menda. c. 15. — (2) Tert. L. de Pud. 19. — (3) Serm. 41. de Sanctis.

habent (1), ut patet, non solum in mortalibus, quorum quædam sunt aliis graviora, sed etiam in venialibus, quorum quædam sunt ex indeliberatione actus, ut motus iracundiæ rationis prævenientes advertentiam; quædam ex genere suo venialia quæ fiunt cum cognitione mentis et deliberatione voluntatis, sed malitia eorum ex objecto desumpta est levissima, neque gravi præcepto prohibita; ut verbum adulatorium, vel irrisorium in re parvi momenti, quæ cum drachma perdita comparat Tertullianus : *Licet esse aliqua delicta pro ipsius drachmæ modulo ac pondere mediocria.* (2) Tandem quædam ex materia quæ quidem ex genere suo sunt mortalia, gravique præcepto prohibentur, ob parvitatem tamen materiæ sunt venialia, ut furtum unius assis : istaque peccata ex defectu materiæ, potissimum sunt Deo injuriosa.

Quod ut melius percipiatur, Deus potest considerari tanquam Dominus, tanquam Sponsus et tanquam Deus : Dominus summæ auctoritatis, Sponsus infinitæ amabilitatis, Deus supremæ majestatis. Peccatum autem veniale, præsertim ex genere, vel ex materia, est injuriosum 1. Summæ Domini auctoritati; 2. Infinitæ Sponsi amabilitati; 3. Supremæ Dei majestati.

1. *Augustus, imperii formator, ne dominum quidem dici se volebat, et hoc enim Dei est cognomen.* (3) Suum autem dominium Deus demonstravit legem imponens hominibus qui eum tanquam Dominum recognoscunt, dum ejus mandatis obtemperant. *Quid enim est aliud esse sub domino quam esse sub præcepto?* (4) Inter præcepta divina, quædam sunt affirmativa, quæ ad faciendum bonum adstringunt, quædam negativa, quæ a malo removent. *In prima itaque fronte sanctissimæ legis, in primis tabulis cœlestis edicti, principalium utique delictorum proscriptione signata.* (5) Prohibentur peccata venialia, tum ex materia, tum ex genere suo. Venialia quidem ex materia, quæ juxta D. Thom. (6) differunt duntaxat accidentaliter a mortalibus, secundum majorem vel minorem materiæ gravitatem : ita ut quis *pro diversitate materiarum, peccata discernat, ut alterum altero levius aut gravius existimet.* (7) Furtum v. g. decem aureorum, et furtum unius assis, accidentaliter tantummodo differunt, et secundum gravitatem vel parvitatem materiæ, illud tamen est mortale ob materiæ gravitatem, istud vero veniale ob materiæ parvitatem : peccata etiam venialia ex genere suo lege divina prohibentur, eaque vitare tenentur Christiani : neque excusari possunt ab inadvertentia rationis, quia fiunt cum cognitione; neque a subreptione et infirmitate voluntatis, quia fiunt cum deliberatione. *Domino enim agnito, ultro spiritus a suo auctore respectus, emergit ad notitiam veritatis, et admissus ad Dominica præcepta, ex ipsis statim eruditur id peccato deputandum a quo Deus arceat.* (1) Deus autem arcet, non solum a peccato mortali, sed etiam a veniali deliberato.

Ideoque Christianus de præceptis divinis eruditus, probe sciens veniale sive ex genere suo, sive ex materia, esse lege divina prohibitum, injuriosus est supremi Domini auctoritati dum peccat venialiter : quod intendunt auctores (2) qui docent peccatum veniale esse simpliciter contra Dei legem : quia est contra dictamen rectæ rationis : imo et contra ipsam Dei legem, quæ inhibet furtum et mendacium etiam veniale. *Perfectæ et sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab iis cautissime etiam minima vitari; scilicet ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset christiani hominis vita.* (3) Cui hoc proverbii loco esse voluit : *Serva legem meam ut pupillam oculi tui.* (4) Oculus vel minimo pulvisculo turbatur : lex Dei vel minimo peccato deliberate facto offenditur. Christiane, sanctitatis studiose, serva Dei legem sicut pupillam oculi tui, fuge venialia peccata quæ injuriosa sunt auctoritati supremi Domini et amabilitati sacri sponsi.

2. *Teneo meum Christum in nomine Sponsi* (5), qui Ecclesiæ, quam sibi in sponsam elegit, tria præstitit : 1. Eam adeo ardenter dilexit, ut pro ea sese morti tradiderit; 2. Eam ab omni macula suo sanguine mundavit; 3. Hæc omnia præstitit, ut munditiam sollicite conservans, sese exhibeat cœlestis sponsi amore dignam : *Hæc enim consultata sunt Christi Ecclesiam diligentis, qui se pro ea tradidit uti eam sanctificet, emundans lavacro aquæ in verbo, ut sistat sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam, utique post lavacrum; sed sit sancta et sine opprobrio, exinde scilicet sine ruga vetustatis, ut virgo; sine macula fornicationis, ut sponsa; sine probro vilitatis, ut emundata.* (6) Quod Christus Ecclesiæ in communi, idipsum cuivis animæ christianæ præstitit in particulari. Eam in sponsam elegit, in baptismo

(1) Lib. 1. de Serm. Dom. in Mon. c. 23. — (2) Tert. L. de Pud. 7. — (3) Tert. Apol. 34. — (4) D. August. Serm. 34. de Temp. — (5) Tert. L. de Pudic. 5. — (6) 1. 2. q. 72. a. 5. — (7) Tert. L. de Pœn. 3.

(1) Tert. L. de Pœn. 3. — (2) Durand. Adrian. Vega. Castro. Nav. — (3) Salvian. L. 3. de Prov. — (4) Prov. 7. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (6) Tert. Lib. de Pud. 18

maculis originalis culpæ mundavit, supernaturali gratiæ pulchritudine decoravit. *O beatum connubium, si non admiserit adulterium!* (1) exclamat Tertullianus. Anima quæ labitur in peccatum mortale, cum diabolo adulteratur, neque debitam Deo servat fidem; anima vero quæ abstinet quidem a mortalibus, de venialibus vero nullatenus sollicita est, non est quidem adultera; sacro tamen displicet sponso, estque injuriosa ejus tum amabilitati, tum amori: amabilitati, quia licet venialia non sint contra charitatem, sunt tamen præter charitatem, diminuunt ejus fervorem, et aliquatenus elongant a Deo per tepiditatem et torporem. Torpedo ingentem navem sistit in medio cursu; venialia velut remora impediunt ne anima proficiat alacriter in via virtutis. Peccans mortaliter est velut viator qui recedit a via; peccans venialiter non recedit a via, sed in ea nimis moratur. Et licet anima duntaxat venialiter peccans non amet alia plus quam sponsum, neque ex æquo cum sponso, quia vero illa non amat in ordine ad sponsum, neque actu ad illum refert, quodammodo dividit cor quod totum debetur sponso, qui cum sit *perfectus in omnibus* (2), habeatque amabilitatem infinitam, cor expostulat, non dimidiatum, sed integrum. Anima fugiens mortalia, in venialia vero facile et voluntarie labens, assimilatur uxori quæ adulterium opere non consummat, neque voluntatem habet tale flagitium perpetrandi, displicere tamen sponso non curat in suis sermonibus, vestibus, conversationibus, actionibus, quibus fidelitatis suæ suspicionem inducit. Anima quæ post promissam Deo in baptismate fidem, post abjuratam mundi pompam, levi terrenorum ardet amore, in rebus parvi momenti Dei legem transgreditur, nulloque negotio committit venialia que sponso displicere certo cognoscit: de ejus fidelitate dubitatur. *Cavete, Fratres, ne quis parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia; hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis.* (3) Rigidus est Bernardus adversus eos qui venialia contemnunt, eaque scienter in omni occasione committunt: *Mens Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora; quia a minimis incipiunt, quæ in maxima proruunt* (4), et Dei sponsa, quæ in venialibus delectatur, sponso displicet, efficiturque ejus amori injuriosa.

Dei sponsa studeat illi placere, et, ut fatur D. Ambrosius, *reddat studii vicem, reddat amori gratiam* (1), ornans se gratia et virtutibus, queis se sponso amabilem reddat. Peccata venialia sponsæ diminuunt decorem: uti (2) enim in nostris corporibus duplex splendet nitor, a quo eorum mutuatur pulchritudo: unus ab interiori dimanat, ab anima scilicet quæ eis vividum et nitidum communicat colorem; alter ab exteriori procedit, nimirum a lumine, quod nativum illustrat nitorem et splendidum reddit; ita anima sancta duplici coruscat splendore: unus est internus, nempe gratia habitualis et sanctificans; alter externus, nempe actualis gratia mentem illuminans et ad bene operandum excitans. Peccata venialia non tollunt internum sponsæ splendorem, sed externum auferunt nitorem, eamque minus sponso amabilem et gratam reddunt: quare Richardus a Sancto Laurentio elucidans istud Sponsæ: « Pessulum ostii mei aperui (3) » sic fatur: « Negligentias caverit, quæ offensam provocare potuerunt: in locutione scilicet inutili vel cogitatione, in commodo corporali vel libertate vaga, quæ per pessulum, id est, terram intelligi possunt. Sera enim cum parva sit et angusta, latitudinem tamen ostii concludit », et arcet a dilecto, qui sponsam venialibus aliquatenus turpatam, non adeo ardenter diligit: *quibus peccatis licet occidi animam non credamus, tamen eam velut quibusdam pustulis, et quasi horrida scabie replentia, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cœlestis Sponsi, vix aut cum grandi confusione venire permittant.* (4) Nec mirum si venialia, quæ, ut fatur aliorsum D Augustiuus, *decus exterminant et animam inquinant* (5), ab ejus osculo cœlestem avertunt Sponsum, quia Dei majestati injuriosa sunt.

3. Deus *perfectæ majestatis* (6) est summo venerandus honore: supremam majestatem inhonorant, et offendunt, non solum *mortalia delicta in Deum admissa* (7), sed etiam venialia, præsertim deliberate commissa, sunt injuriosa divinæ majestati: tum quia divinæ bonitati et sanctitati contraria, tum quia aliquomodo contra ejus legem, et præter ejus voluntatem; tum quia Dei offensæ, ut fatur Jacobus: *In multis offendimus om-*

(1) Tert. L. de An. 41. — ( ) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (3) D. Bern. Serm. 1. in Convers. S. Pauli. — (4) D. Bern. Tract. de Ord. Vitæ. c. 11.

(1) Lib. 5. Exam. 7. — (2) D. Thom. 1. 2. q. 89. a. 1. — (3) Cap. 5. — (4) D. August. Serm. 41. de Sanct. — (5) Lib. 30. Hom. bom. 50. — (6) Tert. Apol. 24. — (7) Tert. L. de Pudic. 21.

nes (1); tum quia illa Deus odio habet: *Quoniam cum Deum grande quid boni constet esse; utique bono nisi malum non displiceret, quod inter contraria sibi nulla amicitia est.* (2) Deus autem et peccatum veniale opponuntur ad invicem : Deus est summa puritas; peccatum veniale, macula quæ animam contaminat : Deus summa rectitudo ; peccatum veniale, deordinatio a regula rationis devians : Deus infinita bonitas ; peccatum veniale, malitiam saltem secundum quid infinitam importans.

Unde licet veniale comparatum ad mortale, parvum dicatur, relatum tamen ad Deum quem offendit, non parvum, sed magnum existimandum est. *An possimus leve aliquid peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur ?* (3) Quia injuria crescit ex dignitate offensi et vilitate offendentis, *estque ille prudentissimus qui non tam considerat quantitatem imperii quam imperantis considerat dignitatem.* (4) Itaque minima injuria Deo facta major est quam omnis quantumvis magna, facta homini dignissimo, puta imperatori, aut summo pontifici. Quod non ignorans D. Bernardus Deum alloquitur : *Singuli illiciti motus animi mei, sunt quædam in te, Deus meus, convitia, ut puta iracundiæ motus in mansuetudinem tuam, invidiæ in charitatem; turpitudinis in castitatem, et innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei, etiam nunc incessanter ebulliunt, inundantes et impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui.* (5)

Neque solum venialis peccati velut infinita malitia desumitur ex suprema Dei offensi majestate, et infirma hominis offendentis vilitate, sed adhuc ex eo quod quandiu est in anima, cœlestis Hierusalem ingressum, et Dei impedit conspectum : juxta istud Apocalypsis : *Et non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* (6) Quare de peccato veniali D. Bernardus intelligit istud Dominicum Petro dictum : *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (7) « Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo, nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, si non agnoverit salutare esse mysterium, cum respondit : *Domine, non tantum pedes, sed et manus, et caput?* Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, ablutio ista pertineat ? Ex eo plane quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum, responsum est : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Lotus est qui gravia peccata non habet, cujus *caput*, id est, intentio, et *manus*, id est, operatio et conversatio munda est; sed *pedes*, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati, plus quam oportet cedat animus vel ad horam. » (1) Ex his concludit Bernardus : *Verumtamen nemo contemnat, nemo parvipendat. Impossibile est enim eum cum eis salvari; impossibile est dilui nisi per Christum et a Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam, ut audivit Petrus ab ipso, nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo.* Adeo gravia videbantur Paulæ Romanæ peccata venialia, totque lacrymis ea expiare nitebatur, *ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* (2) Eusebius, apud Theodoretum (3), 40 annis unam mentis evagationem gravissime luxit; compluresque alii servi Dei vel minima peccata tam gravia existimarunt, ut censuerint omne naturæ bonum potius amittendum, et omne pœnæ malum tolerandum quam unum committere scienter et libere veniale peccatum.

Neque immerito justi tantopere in levia animadverterunt delicta, quia, ut est commune in theologia effatum, *minimum malum culpæ, toto ordine superat omne malum pœnæ*, id est, est majus malum quam omnis pœna ; ideo propter nullam pœnam vitandam committendum est; et, ut fatur Joannes Gerson, *potius toleranda esset omnis mors pœnalis, et annihilatio, quam committenda esset quantumlibet parva offensa in Deum* (4), id est, cuncta martyrum supplicia potius essent sustinenda, quam unicum committere veniale peccatum, et satius esset cunctos homines et Angelos annihilari, quam Deum minima noxa veniali offendi. Eadem est mens D. Anselmi, quam facta duplici suppositione declarat. Supponamus imprimis Deum centum mille creasse mundos quos unius hominis imperio subdidisset; supponamus deinde existere dæmonem tanta ad destruendum et annihilandum potestate pollentem, quanta Deus ad creandum et producendum; potentissimus hic dæmon, dicat homini illi tot mundorum domino : illico destruam cunctos mundos tibi traditos, nisi

(1) Cap. 3. — (2) Tert. L. de Pœn. 3. — (3) D. Hier. Ep. 14. ad Celant. — (4) D. Hieron. — (3) Ep. 42. ad Henric. Archiep. Senon. — (6) Cap. 21. — (7) Joan. 13.

(1) Serm. 1. in Cœn. Dom. — (2) D. Hieron. Ep. ad Eustoch. — (3) cap. 4. — (4) De Vit. Solit. lect. 1.

veniale committas delictum, potius illi esset eligenda tot mundorum jactura et destructio quam uno veniali delicto Deum offendere.

Plus audet Nierembergus Doctor asceticus: Si Beatæ Virgini sub crucem dilectissimi Filii delitescenti, et ut loquitur Sanctus Germanus sanguineas lacrymas fundenti, data fuisset optio, num Christum omnibus opprobriis et cruciatibus eripi, et regnantem in cœlis videre vellet, simulque mille mundos nullo damnato salvari, aut in unicum veniale consentire, potius præoptasset denuo videre filium crucifigi (si citra culpam fieret) ac longe graviora pati; imo si liceret propria manu clavos transfigere, et Jesum suum dilectum præ filiis hominum, amantissima Mater morte crudelissima trucidare, ut olim Abraham Isaacum suum, quam minimam noxam admittere.

Subjungit: « Annon summo solatio fuisset Virgini, et Redemptori nostro, si quis ea charitate exarsisset, ut dum ad mortem pergeret, suis ipse humeris crucem Christi subiisset, se illi substituisset, ut in eadem pro Domino suo mortem ebiret, et omnes cruciatus pateretur? hoc tamen indubitatum est majus solatium tali filio ac matri fore, ut vel minimum veniale evitaret, quam nobilissimos illos charitatis exercere actus. Computa jam an parum sit, quod præponderat tanto obsequio, nobilissimis virtutum actibus, imo vel gratiæ et sanctitati omnium hominum et Angelorum. » Hæc, precor, memori in mente repone.

Urget adhuc: Si potestas optioque daretur, aut venialem noxam admittendi, qua Deus offenditur, aut in æternum omnia inferorum supplicia perpetiendi, omnibusque cœli deliciis carendi, ex rectæ rationis dictamine, posterius præeligendum esset. Hic sensus et consensus est omnium, qui rectissimo judicio pollent, cœlitum: qui de facto omni gloria qua perfruuntur, se privari, summaque cum alacritate ad inferos se præcipitari paterentur, potiusquam vel minimum veniale in se admitterent. Quis post hæc leve existimabit veniale peccatum? *Cavete ne quis parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur.* (1) Estne parvum illud peccatum quod augmento gratiarum privat, ardorem charitatis refrigerat, et in via perfectionis retardat? Estne parvum illud peccatum per quod suprema Dei majestas offenditur: *Leve nunquam est, Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem respicit, sed ad personæ contemptum.* (1) Estne parvum illud peccatum pro quo satisfacere non potest homo, et Christus suum sanguinem fudit? Et, ut concludam cum D. Hieronymo, *tu ne leve dixeris in quo offenditur Christus; unde ad judicium pertrahi habes, cum horrendum sit incidere in manus Dei viventis.* Tu ne leve dixeris peccatum quod multiplici pœna mulctatur.

(1) D. Bern. Serm. 1. de Convers. S. Paul.

II. PARS. Nihil adeo ostentat peccati venialis gravitatem quam animadversio qua illud odit et pœna qua illud Deus punit. Marcionem a Deo removentem culpæ tum animadversionem, tum vindictam et punitionem, pluribus rationibus insequitur Tertullianus: tum quia sicut in præmio virtutis, ita et in punitione vitii, *disciplinarum ratio consistit* (2): tum quia frustra prohiberet peccatum, si peccati non puniret auctores: *cur enim prohibet admitti, quod non defendit admissum?* Tum quia stupidus est si non odit quod non amat fieri; neque punit malum quod contra suam voluntatem et inhibitionem committitur. *Et utique non aliud prohibet admitti quam quod non amat fieri. Stupidissimus ergo qui non offenditur facto quod non amat fieri: quando offensa comes sit frustratæ voluntatis. Aut si offenditur, debet irasci; si irascitur, debet ulcisci. Nam et ultio fructus est iræ, et ira debitum offensæ, et ira comes frustratæ voluntatis.* Absit ut Deum credamus stupidissimum, imo potius judicem sapientissimum et æquissimum confiteamur, qui peccatum etiam veniale prohibet, illo offenditur, illud aversatur, tanquam sibi contrarium, graviterque punit, 1. In seculo; 2. Purgatorio; 3. Inferno.

1. *Bona igitur severitas, quia justa: si bonus judex, id est, justus* (3) Deus est judex justissimus, quia, ut fatur Tertul. *justitia est plenitudo divinitatis exhibens Deum perfectum* (4): non enim esset Deus, nisi esset perfectus; neque perfectus, nisi esset justus; neque justus, nisi prohibitum puniret peccatum. Ad potestatem enim superioris pertinet prohibere peccatum, et contra inhibitionem peccantes punire subditos: *Quale est enim, ut præcepta constituat non exsecuturus? ut delicta prohibeat non vindicaturus? quia non judicaturus.* (5) Bona igitur Dei severitas qua veniale punit peccatum, quia justa. Sic Moyses (6), post tot patrata miracula, ab ingressu terræ promissionis privatus est, ob levem diffidentiæ culpam. Sic

(1) D. Hier. — (2) Tert. L. adv. Marc. 26. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 16. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 13. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 26. — (6) Num. 20.

Osa (1) morte mulctatus est, quod non satis reverenter tetigisset fœderis arcam; sic propheta missus ad Jeroboam (2), a leone interemptus est, quod tantillum panis contra Dei inhibitionem manducasset; sic uxor Loth in statuam salis conversa est, quod curiositate muliebri, versus Sodomam conspexisset (3); sic Ananias et Saphira (4) ad pedes principis Apostolorum mortui corruerunt in pœnam mendacii; sic septuaginta millia militum (5) tribus diebus peste perierunt, eo quod David, levi tumore inflatus, suum lustrasset exercitum; sic unus homo (6) jussu Dei lapidibus obrutus est, eo quod die sabbati collegisset ligna, et tamen omnes illi peccarunt duntaxat venialiter, ut asseverant Basilius et Nicenus de Moyse; D. Chrysost. (7) de Osa et uxore Loth; D. Augustinus et D. Hieronymus de Anania et Saphira; D. Isidorus de homine illo qui in sabbato collegerat lignum. Francisca Romana ob exiguum temporis inutiliter deperditum, ab Angelo validam accepit alapam; Maria, soror Moysis et Aaron, ob levem murmurationem lepra percussa est; Lazarus mendicus auctore, D. Chrysostomo, ob leves defectus, ulcere pessimo percussus est; Abbas quoque Moyses, ob duram sermonis reprehensionem, est a dæmone possessus. (8) Hæ pœnæ aliæque ob veniale peccatum inflictæ justissimæ sunt: *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.* (9) Quantumvis magnæ videantur, longe tamen sunt culpis minores. Si Jonathas (10) a parente est morti damnatus quod inobedienter parum mellis gustasset; si Manlius Torquatus victorem filium et de hostibus triumphantem, securi percuti jussit, quod contra suum pugnasset edictum, quis crudelem criminabitur Deum venialem offensam interdum temporali morte punientem? *Quisquis novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quæ sunt peccata venialia; et quisquis novit quid sit bonitas, potest existimare quibus certa pœna debeatur, et hic, et in futuro seculo.* (11) Nimirum in purgatorio ubi animæ pro culpis venialibus cruciantur ab igne divinæ justitiæ ministro.

2. Justus pro peccatis venialibus divinæ justitiæ debitor: *Si non in vitæ hujus commeatu omnibus inlicitis satisfiat* (12), est in purgatorio puniendus. Ut enim ait D. Augustinus: « Si hic dum vivimus pœnitentiam facimus, aut Deo volente vel permittente, multis tribulationibus affligimur, et si Deo gratias agimus, liberamur. Si autem nec in tribulationibus gratias agimus, nec bonis operibus peccata ipsa redimimus, ipsi tandiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quandiu supradicta minuta peccata consummantur. » (1) Tres modos dinumerat D. Augustinus quibus pro venialibus Deo satisfacere valemus. Primus dici potest redemptorius; secundus emendatorius; tertius ultorius: 1. Per pœnitentiam et opera virtutis venialia redimimus; 2. Per afflictiones et correctiones a Deo immissas, et cum dependentia et gratitudine a nobis acceptas, ut dum amittimus parentem, conjugem, prolem, vel temporalia fortunæ bona, venialia emendamus. « Si Deo qui illa auferri velut pius pater permittit, tanquam boni filii gratias agimus, et minus nos pati quam meremur cum vera humilitate proferamus; ita ipsa peccata in hoc seculo purgantur, ut in futuro ignis ille purgatorius, aut non inveniat, aut certe parum inveniat, quod exurat. » (2) Tandem, 3. Si in hoc seculo a nobis non delentur vel per pœnitentiam et opera virtutis, vel per emendationes a Deo immissas et dependenter et gratanter acceptas, tunc ait D. Augustinus, *per ignem purgatorii non capitalia, sed minuta peccata purgantur.*

Legis consultorum dictum est: *De modico non curat Prætor* (3): Deus vero Prætor, Præses et Judex æquissimus suam justitiam exhibet, tum vel minimum bonum præmiando, tum minimam culpam puniendo. Ut enim ait D. Bernardus, *nullum bonum apud Deum esse irremuneratum, nec aliquod malum impunitum.* (4) Potus aquæ frigidæ pro Deo datus præmiabitur, mendacium leve et officiosum punietur. Nam, ut docet D. Augustinus expendens istud Geneseos: *Maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis* (5): « Qui coluerit agrum suum interius, et ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vitæ hujus hunc laborem pati; post hanc vitam non est necesse ut patiatur; sed qui forte agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, et post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. » (6) Igne purgantur venialia in purgatorio, pœna æterna puniuntur

(1) Lib. 2. Reg. 6. — (2) Lib. 3. Reg. 13. — (3) Gen. 19. — (4) Act. 5. — (5) Lib. 2. Reg. 24. — (6) Numer. 15. — (7) Lib. 1. Ep. 181. — (8) Cassian. Coll. 7. c. 27. — (9) Rom. 2. — (10) Lib. 1. Reg. 14. — (11) D. Aug. Lib. 83. q.q. 26. — (12) Tert. L. de An. 35.

(1) Serm. 41. de Sanctis. — (2) D. August. — (3) L. Selo §. de Integ. Rectit. — (4) Declam. super id: Ecce nos — (5) cap. 3. — (6) Lib. 2. de Gen. contr. Manich. cap. 20.

mortalia in inferno, ubi etiam interdum venialia plectuntur.

3. Peccatum veniale impunitum non erit, *cum etiam scurrilitatem et omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus.* (1) Mox ut anima separata est a corpore, in judicio particulari examinatur, cunctaque ejus peccata ponderantur, juxta istud Esaiæ : *Librabit in pondere montes, et colles in statera.* (2) Per montes peccata mortalia, per colles vero venialia intelliguntur, quæ etiam trutinabit et puniet Deus. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus (3) animam separatam alloquens: « Venturus est Dominus, et inventurus peccata tua : quod autem perfecta justitia vixisti, non est inventurus. Homicidia forte? Gravia sunt enim et valde majora. Non est inventurus adulterium? Non est inventurus furta? Non est inventurus rapinam? Non est inventurus maleficia? Non est inventurus idololatriam? Non est ista inventurus. Nihil est ergo inventurus : audi sermonem Evangelii : *Qui dixerit fratri suo : Fatue, reus erit gehennæ ignis.* (4)

Communis est catholicorum sententia detineri in purgatorio *animam reliquatricem delictorum, donec exsolvat novissimum quadrantem* (5), quia Dei justitia nullum malum relinquit impunitum. Nam, ut fatur D. Augustin. *iniquitas hominis parva magnaque sit, puniatur necesse est, aut ab ipso pœnitente, aut a Deo vindicante.* (6) Itaque peccata venialia quæ ab homine pœnitente punita non sunt, a Deo vindicante puniuntur, non solum per se pœna temporali in purgatorio, sed adhuc per accidens pœna æterna in inferno. Quod ut melius percipiatur, animadvertendum est trinam esse opinionem circa pœnam peccato veniali debitam. (7) Prima asseverat ex Dei tantum benignitate factum esse, ut quædam peccata censeantur venialia, neque excludant gratiam, neque pœnam mereantur æternam; quia omne peccatum de se est mortale, cum sit prævaricatio legis, Dei offensa, infinitamque importet malitiam : itaque omne peccatum quod veniale dicitur, per se æternam pœnam meretur : tum quia cum malitiam habeat infinitam, meretur pœnam quoque infinitam, non quidem in intensione, sed in extensione et duratione : tum quia minus malum culpæ majus est omni malo pœnæ : tum quia majus malum est privari Dei visione etiam ad tempus, quam semper puniri aliqua minima pœna sensus : peccatum autem veniale ad tempus privat Dei visione animas existentes in purgatorio : tum quia omne opus bonum meretur præmium æternum. Ergo quodvis opus malum æternam meretur pœnam. Secunda sententia huic opposita negat peccatum veniale, nec per se, nec per accidens posse puniri æterna pœna: alias non distingueretur a mortali, quod interminabili plectitur pœna. Tertia sententia, velut media inter duas præcedentes, docet peccatum veniale per se puniendum esse pœna, non æterna, sed temporali, quia non tollit gratiam, quæ est semen vitæ æternæ, conjunctum tamen cum mortali, tunc per accidens puniendum esse etiam pœna æterna, ut cum quis moritur in peccato mortali, habetque ultra mortale quod meretur per se æternam pœnam, peccata venialia, quæ sunt conjuncta mortali per accidens interminabili puniuntur pœna. Hanc sententiam tuentur Doctores in margine adducti (1), quam validissimis confirmant rationibus : tum quia omne peccatum est puniendum vel in seculo, vel infra, vel in inferno : peccata autem venialia cum quibus decedit homo habens lethale peccatum, non fuerunt punita in seculo, ut constat; non sunt punienda in purgatorio, ubi puniuntur duntaxat animæ justæ ad cœlum destinatæ, ergo punienda sunt in inferno; pœna autem inferni non est temporalis, sed æterna : tum quia tandiu remanet pœna quandiu remanet culpa; in inferno autem culpa venialis in æternum remanebit; quia nequit delere et remitti nisi ex Dei liberalitate, vel ex justitia et condignitate hominis. Non ex Dei liberalitate, qui in inferno justitiam exercet erga reprobos, qui ejus contempserunt misericordiam. Non ex justitia, sive per meritum de condigno, sive per æqualem et condignam satisfactionem, quia utrumque gratiam exspostulat : tum quia venialia delentur per actus vel charitatis, vel contritionis, vel oppositarum virtutum : reprobi nunquam conterentur; nunquam habitualem vel actualem habebunt charitatem, nullum unquam actum virtutis elicient; tum quia remissio culpæ obtinenda est a Christo: *Ipse est propitiatio pro peccatis* (2); et ut fatur Apostolus, *per fidem Christi.* (3) Quod ita certum est, ut doceat Tridentinum (4) ipsam satisfactionem pro pœna esse per Christum, *ex quo est omnis nostra sufficientia.* Itaque qui carent gratia et fide, non vivunt in Christo. Damnati autem non vivunt in Christo, quia non habent gratiam; alias essent justi, neque fidem supernaturalem, et con-

(1) Tert. L. de Spect. 17. — (2) Cap. 40. — (3) In Ps. 129. — (4) Matth. 5. — (5) Tert. L. de An 35. — (6) In Ps. 50. — (7) Gerson de Vit. Spirit. lect. 1. — Almain. Tract. 2. Mor. c. 32.

(1) Alex. Alens. 4. p. q. 85. membr. 1. — D. Bonav. in 4. dist. 15. — D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 5. — (2) 1. Joan. 2. — (3) Rom. 3. — (4) Sess. 14. cap. 8.

sequenter nunquam venialium habebunt remissionem, et pro illis in æternum punientur.

Atrocissimum supplicium quo Deus venialia peccata punit, sive in seculo, sive in purgatorio, sive in inferno, reddere nos debet sollicitos, ne illa committamus, ad instar Jobi, qui, ut ipsemet testatur, *verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* (1) At proh dolor! ubinam est hac tempestate, apud Christianos *sollicitudo quæ præcavet* (2) peccata venialia, cum plerique ea perpetrare nullatenus vereantur, totque singulis diebus veniales committant noxas, ut eas, ad instar Regii Vatis, cum capillis capitis valeant comparare: Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei *Quis enumerat capillos capitis sui; multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum? Minuta videntur, sed multa sunt* (3), et quo plura, eo magis sunt periculosa.

III. PARS. Est *et in pessimis, aliquid boni, et in optimis, nonnihil pessimi;* ut ex Romanis constat, qui quandiu idololatræ exstiterunt, fuerunt pessimi: attamen opera bona moraliter fecerunt, propter quæ Deus illis dedit orbis imperium: et e converso *in omni gradu et ordine, optimis permixta sunt pessima.* (4) Nemo est enim adeo perfectus, in quo levis aliqua non reperiatur noxa. Sol fons luminis, eclypsim aliquando patitur; luna pulchra, suas tamen habet maculas; astra splendore fulgentia, interdum obumbrantur nebulis; ebur candidum, sed vetustate nigrescit; speculum quantumvis mundissimum, halitu inficitur, et nemo est peccati expers: Sapientis namque testimonio, *septies in die cadit justus.* (5) Fragilitas illa qua adeo facile labimur in levia peccata, reddere nos debet et humiles, cautos et timidos. Ex D. namque Bernardo, Deus « ad humiliandos nos concupiscentiam adhuc patitur vivere in nobis, et graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, et semper ad illius auxilium recurramus: sic et de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus afferantur, sed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus majora superemus: semperque timorati, et omnino solliciti simus, quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus, » (6) ad vitandum peccatum veniale, quod, 1. Prudenter dignoscitur; 2. Periculose contemnitur; 3. Sollicite remittitur.

1. *Ita Joanni ratio constabit diversitatis, distinctionem delictorum disponenti, cum delinquere filios Dei nunc adnuit, nunc abnuit.* (1) Concedit etenim dilectus Discipulus, Dei filios quandiu hac dignitate pollent et gratia sanctificantur, delinquere peccatis venialibus quæ non sunt ad mortem: *Si quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit, et dabit ei vitam Dominus, qui non ad mortem delinquit.* (2) Negat vero delinquere delictum ad mortem, scilicet peccatum mortale. *Omnis injustitia delictum est, et est delictum ad mortem. Scimus autem quod omnis qui ex Deo natus sit, non delinquit, scilicet delictum quod ad mortem est.* Peccatum lethale est delictum ad mortem, tum quia est aversio et separatio a Deo, qui est vita essentialis; tum quia destruit gratiam seu charitatem in qua consistit supernaturalis animæ vita; tum quia opera facta ab homine lethali peccato contaminato, sunt mortua, neque vitam æternam merentur; tum quia per se est æterna pœna puniendum: peccatum autem veniale, neque separat a Deo, neque destruit gratiam seu charitatem, neque reddit opera mortua, neque per se æternam meretur mortem.

Quæ sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino pensenda sunt judicio. (3) Illa enim sunt gravia et lethalia quæ sacer textus abominanda, exsecranda, excludere a regno Dei, dignaque æterna morte pronuntiat, cujusmodi sunt quæ notabiliter charitatem Deo, proximo, sibique debitam, offendunt: unde D. Augustinus sic Petilianum redarguit: *Frustra te securum facis, leve putando peccatum quod a regno Dei separat, et in ignem mittit æternum.* (4) Sunt vero levia et venialia peccata, quæ Scriptura sacra mitioribus verbis designat, neque charitatem graviter offendunt: cujusmodi sunt mendacium jocosum, levis injuria proximo dicta, potus vini ultra necessitatem: quo sensu Apostolus ait scurrilitatem et stultiloquium ad rem non pertinere: ut enim ait D. Augustinus, *peccatum ad mortem esse puto cum quis post agnitionem Dei, per gratiam Christi, fratrem oppugnat charitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidiæ facibus agitatur. Peccatum autem non ad mortem est, si quis non amorem a fratre alienaverit, sed officia fraternitatis per ali-*

(1) Cant. 9. — (2) Tert. L. de Pud. 1. — (3) D. Aug. in Psal. 39. — (4) D. Bern. Tract. de Ordine Vitæ. cap. 12. — (5) Prov. 24. — (6) Serm. 2. in Cœn. Dom.

(1) Tert. L. de Pudic. 19. — (2) Tert. ibid. — (3) D. August. in Enchir. cap. 28. — (4) D. Aug. L. 2. Contr. Petilan. cap. 23.

quam infirmitatem animi non exhibuerit. (1) Deinde attendenda est materiæ gravitas aut levitas, deliberatio voluntatis, in his rebus quæ prohibentur vel præcipiuntur sub mortali : adhibenda est Doctorum et Patrum auctoritas in discernendis venialibus, quæ periculose contemnuntur.

2. Levia peccata *præcaveri quasi maxima* (2) docet Tertul. quia ex illorum contemptu salus multum periclitatur, et homo in gravissima delicta labitur : ideoque venialia *de modicis et de maximis delictis deputabuntur.* (3) Non quod venialia efficiantur mortalia, propter solius actus multiplicationem : neque quod plura venialia æquipolleant mortali : quia mortale et veniale differunt genere, et non solum tanquam magis et minus grave in eadem specie : neque quod peccatum veniale manens idem numero efficiatur mortale sicut nec albedo potest fieri nigredo. Actus tamen qui de se, vel ex genere suo est venialis, potest fieri mortalis, et ita modica peccata de maximis deputabuntur : et hoc, 1. Ex intentione et voluntate peccantis ; ut dum quis leviter ferit proximum cum voluntate etiam illum occidendi ; aut profert verbum lascivum ob finem ex sua natura mortalem, scilicet ad inducendam mulierem ad impudicitiam ; aut dum agit in Dei legisque ipsius contemptum ; aut dum prævidetur ex illo actu magnum aliquod eventurum damnum ; ut si quis intemperanter comedat, et ultima comestione agnoscat sibi notabile damnum inferri ; aut dum voluntatem habet formalem vel virtualem committendi venialia repetita, quorum materiæ vel objecta unita efficiunt mortale : voluntas ejusmodi est peccatum lethale. Ut dum quis intendit plures in die sumere haustus vini, ex quibus ebrietas inducitur ; aut sæpius die jejunii comedens, et ad notabilem quantitatem deveniens ; aut eodem festo sæpius parum laborando ; aut minutis furtis, ad notabilem summam perveniendo ; aut ulna, pollice breviori, mensura minori, libra aliquot scrupis graviori, dum fraus est notabilis quantitatis, per singulos actus peccant mortaliter, qui cum intentione furandi, conficiunt parva furta, aut cum intentione decipiendi, utuntur ulna vel statera dolosa, et insuper ad restitutionem obligantur : eosque magis latrones existimat D. Chrysost. (4) iis qui magna furantur : qui enim magna solet conficere furta, minima contemnit; at qui parva furatur, maxima conficeret furta, si ei occurreret occasio furandi magna. 2. Ratione complacentiæ et delectationis : per iteratos enim actus venialium, peccandi libido in tantum crescere potest, quod ille qui peccat, ob peccandi complacentiam, in peccato etiam veniali finem constituat. *Nullum peccatum est adeo veniale quod non fiat mortale, dum placet* (1), non quolibet modo, sed sicut finis ; ex diuturna namque consuetudine peccandi venialiter oritur, non solum simplex delectatio, sed complacentia in veniali peccato tanquam in fine : ex esu v. g. lautorum ciborum, fit in homine tanta delectationis consuetudo, ut ultro sibi in edulio complaceat, et finem suum in exquisitis et lautioribus cibis constituat. Quem graphice pingit Tertullianus : *Deus enim tibi venter est, et pulmo templum, et aqualiculus altare, et sacerdos cocus, et Sanctus Spiritus nidor, et condimenta charismata, et ructus prophetia.* (2) 3. Ratione contemptus et transgressionis : nam *qui modica spernit, paulatim decidet* (3) : v. g. religiosus, qui minores contemnit custodire regulas, paulatim in contemptum majorum et in mortale peccatum decidet. *Si parva curare negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.* (4) Vita enim regularis est sicut navis in qua si deficiant minima, ut pix et clavus, aliaque ejusmodi, paulatim subintrat aqua, et mergitur in profundum : licet enim observatio silentii ; de nocte surrectio ad canendum in choro divinum officium; otiositas et inutilis divagatio ; non sint de necessitate præcepti, neque obligent sub mortali. « Verumtamen consuetudo excedendi, seu assiduitas delinquendi in istis, et non curare, nec emendare, non potest a mortali excusari peccato, imo tota vita eorum est quasi quoddam peccare continuum. » (5) Seculares etiam qui minima contemnunt, facile in majora labuntur : nemo repente fit summus. Gradus quidam observandi sunt in natura, in gratia et in culpa : 1. In natura : *Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri : granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur : deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur : inde germinis tumor, et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur ; is quoque rudis aliquando et informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis* (6) : in gra-

(1) Lib. 1. de Serm. Dom. in Mont. cap. 43. — (2) Tert. L. de Pudic. 1. — (3) Tert. ibid. — (4) Homil. 49. ad pop. Antioch.

(1) D. August. in Ps. 31. — (2) Tert. L. de Jejun. 16. — (3) Eccles. 19. — (4) D. Greg. L. 10. Mor. 14. — (5) Dion. Carth. in Reform. Claust. cap. 6. — (6) Tert. L. de Vel. Virg. 1.

tia etiam et virtute gradatim *ad meliora proficitur.* (1) Uti justi progrediuntur de virtute in virtutem donec videatur Deus deorum in Sion, ita in culpa *a minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* (2) Exemplum profert D. Chrysostomus Judæ traditoris, qui velut gradibus in perfidiæ præcipitium descendit; 4. Ratione periculi et tentationis: *Tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam instando perficiunt.* (3) Quemadmodum illud quod ex sua natura est frigidum, potest fieri calidum ex appositione ignis, vel accessu ad ignem, ita curiosus pulchræ feminæ conspectus, qui de sua natura est venialis, fit mortalis dum accedit deliberatus concupiscentiæ affectus. Recte pronuntiavit Celsus *ex imbecillitate summum periculum esse* (4): et ob hanc causam Christiani ob naturæ corruptæ fragilitatem, debent omne peccandi vitare periculum, ne e peccatis venialibus, velut e scintilla, periculum magnum nascatur incendium, quod difficillime possit exstingui. *Ex parvis* (5), ut fatur Philosophus, multa et gravissima orta sunt mala: ideoque ad conservandam rempublicam imprimis *in rem etiam parvam intendere* decernit: quivis etiam homo salutis suæ studiosus, cavere debet ne id quod parvum est negligatur, neve in re parva peccetur. Persæpe ex parvis peccatis graviora pullulant crimina. A plerisque tamen *pusillum malum non attenditur, neque cernitur* (6), qui cum venialia contemnant, et ex consuetudine committant, in lethalium periculo versantur: nam juxta quorumdam Doctorum (7) sententiam propositum committendi quævis peccata venialia (etsi absit contemptus formalis) est peccatum mortale, quia continet evidentissimum peccandi mortaliter periculum in quo versantur, qui nullum veniale minimo incommodo declinant, et quodvis data occasione admittunt: quod probat Dionysius Carthusianus auctoritate D. Augustini: *Qui ad vitandum peccata venialia non exstat sollicitus, nequaquam diu esse sine peccatis mortalibus potest.* (8) 5. Ratione sequelæ et dispositionis: peccata namque si non impediantur, usque ad mortale progredi possunt, non quod ipsa sint essentialiter lethalia, nec quod effective causent actum mortaliter peccaminosum, sed quia dispositive ad mortale perducunt, suntque occasio illud committendi. (1) Unde D. August. « Timenda sunt parva peccata quæ humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra subrepunt. Quæ collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment, sicut unum aliquod grave peccatum: quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem, atque submergat? » (2) Subjungit aliorsum D. Augustinus: *Quotidiana sunt ista quæ dico; sed tamen peccata sunt, et non sunt levia, quia plura: quia vero quotidiana et plurima, timenda est ruina multitudinis, si non magnitudinis.* (3)

Quod pluribus similitudinibus declarat: 1. Publicum adducit exemplum: *Nolite contemnere parva peccata, quia minora, sed timete quia plura sunt. Attendite, Fratres mei. Minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat: sed plerumque etiam bestiæ minutæ et multæ necant.* Ægyptios « locustarum et muscarum occiderunt morsus. (4) » Apud Philist. « ebullierunt villæ et agri, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnæ in civitate. » Et, ut fatur D. Augustinus, *si projicitur quisque in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non sunt quidem majores; sed infirma est natura humana, quæ etiam a minutissimis bestiis interimi potest.* (5) Nonne Antiochus, Herodes, aliique complures sunt a vermibus et pediculis consumpti? Singuli minutum intulerunt morsum, et omnes morsus simul attulerunt mortem. *Sic et modica peccata si attenditis, quia modica sunt, cavete quia multa sunt.* Plures leves plagæ tandem inducunt mortem. « Anima quoties peccat, toties vulneratur. O si possemus per unumquodque peccatum videre, quomodo homo noster interior assidue vulneretur! vulneratur et per linguam anima, vulneratur et per cogitationes et concupiscentias malas. Si omnia videre possemus, et vulneratæ animæ cicatrices, certum est quod usque ad mortem resisteremus adversus peccatum. » (6) Uti ergo multa minuta vulnera causant mortem corporis, ita multa venialia disponunt ad lethale quod infert animæ mortem. 2. Guttarum pluvialium adducit exemplum, quæ multiplicatæ magna efficiunt flumina: *Quam minutæ sunt guttæ pluviæ? Nonne flumina implent, et*

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (2) D. Bern. Tract. de Ordine Vitæ. cap. 12. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (4) Lib. 1. cap. 4. — (5) Lib. 5. Polit. 5. — (6) Lib. 6. Polit. 4. — (7) Sanch. in præcept. L. 1. cap. 5. n. 4. — (8) Epist. 108. ad Seleucianam.

(1) D. Th. 1. 2. q. 88. a. 4. ad 21. — (2) Epist. 108. ad Seleucian. — (3) Lib. de decem. Chordis. cap. 11. — (4) Sap. 16. — (5) Lib. 1. Reg. 5. — (6) Orig. Hom. 8. in Num.

domos dejiciunt? (1) Flumina magna vides parvis de fontibus orta, imo de guttis collectis ita incrementata, ut ingentes absorbeant naves. Sicut guttæ pluviales in torrentes, torrentes in fluvios, fluvii desinunt in mare, ubi naves naufragantur, ita timendum est ne plura venialia in mortale hominem ducant : quapropter, Christiane, *noli despicere peccata tua, quia parva sunt : nam et pluviarum guttæ sunt, sed flumina implent, et moles trahunt, et arbores cum suis radicibus tollunt* (2), agros devastant et campos depopulantur. Hanc comparationem a D. Augustino mutuatam subministrat D. Bernardus : *Non solum gravia, sed et levia cavenda sunt peccata. Multa enim levia unum grande efficiunt, sicut solent de parvis et minutis guttis, immensa flumina crescere.* (3) 3. Proponit arenæ exemplum, cujus *multa grana faciunt unam massam.* Arena res parva est, sed plures congestæ, in molem, in montem consurgunt et effræni mari pro muro sunt. *Quam minutissima sunt grana arenæ ; si arenæ amplius in navim mittatur, mergit illam, ut pereat* (4) ; multa quoque venialia animæ parant naufragium.

Ex his concludit D. Augustinus probum alloquens Christianum : *Vitasti grandia, cave ne obruaris arena.* (5) Si parvitatem non times, metue multitudinem. Christianus virtutis studiosus, non solum quasi a facie colubri mortalia fugit peccata, sed venialia quoque sedulo vitat ; et ut fatur Ecclesiasticus : « Qui timet Deum nihil negligit, » (6) imo majori sollicitudine præcavenda venialia, quam mortalia asserit D. Chrysostomus. *Mirandum et inauditum dicere audeo, quod scilicet aliquando non tanto studio, majora gravioraque peccata, quam parva vitanda sunt ; majora enim ut aversemur, ipsa per se efficiunt ; minora vero dum contemnimus obruunt nos.* (7) Duplici ratione venialia magis sunt præcavenda, quam mortalia : tum quia nullus est adeo ignarus ut non agnoscat mortalia ; multi autem ex his qui sibi sapientes videntur, multoties ignorant an sint venialia, necne : tum quia mortalia ob deformitatem quæ in illis apparet, sui odium et abominationem ingenerant, venialia autem cum tantam præ se non ferant turpitudinem, non aversantur, neque vitantur, facile committuntur, et occasionaliter et dispositive ducunt ad mortalia : Frater, noli contemnere venialia, sed illa sedulo evita. *Minuta videntur, sed multa sunt ; præcavisti magna ; jam non facis adulterium, non fornicaris, non furaris, projecisti molem, vide ne arena obruaris* (1) ; vitabis periculum si diligenter venialia fugias, et quantum potes labores ut tibi dimittantur.

3. *Crimina manebunt, si remedia vacabunt.* (2) Ut dignoscatur quodnam remedium adhibendum sit ad venialium remissionem, animadvertendum est quod in venialibus duo sunt remittenda : culpa et pœna. Culpa remittitur vel per attritionem in pœnitentiæ sacramento, ubi pœnitens virtute sacramenti de attrito fit contritus ; vel extra sacramentum, et hoc duplici modo : uno, vel per contritionem qua homo dolet, non solum de gravibus et mortalibus, sed etiam de levibus et venialibus offensis, vel per dilectionem Dei qua homo velit placere Deo, nedum in magnis actionibus, sed etiam in minimis ; secundo per sacramentalia, quæ quidem non delent culpam venialium *ex opere operato* infundendo gratiam, quod est proprium sacramentorum, sed *ex opere operantis*, quem movent ad fervorem charitatis, vel quia si sumantur cum debita reverentia, nata sunt impetrare a Deo per preces Ecclesiæ gratias actuales quæ illum excitant ; ad actum contritionis incompossibilem cum peccatis venialibus, et consequenter ea tollentem : quod si interdum sacramentalia non delent venialia, hoc procedit ex defectu suscipientis, qui aut est in lethali peccato, quod impedit ne audiatur Ecclesia, aut sumens sacramentalia irreverenter, gratia non datur : sacramentalia autem sunt res, vel actiones sacræ ab Ecclesia institutæ versu sequenti denotatæ, ut per earum usum, venialium obtineatur remissio :

Orans, tinctus, edens, confessio, dans, benedicens.

Per *orans*, intelligitur Oratio dominica, vel ea quæ fit in Ecclesia consecrata. Per *tinctum*, designatur aqua benedicta, et unctio ceremonialis in regem. Per *edens*, significatur benedicti panis manducatio. Per *confessionem*, denotatur generalis confessio, quæ fit publice in introïtu missæ. Per *dans*, eleemosyna, seu aliquod opus misericordiæ corporale aut spirituale intelligitur. Tandem per *benedicens*, benedictio Episcopi, seu Abbatis consecrati.

Venialium quoque pœna remittitur, vel in hac vita, vel post mortem. Tempore vitæ, vel per indulgentias, vel per opera pœnalia.

(1) Orig. Hom. 8. in Num. — (2) D. August. Serm. 244. de Temp. — (3) Tract. de Inter. Dom. cap. 25. — (4) D. August. L. de decem. Chordis. cap. 11. — (5) In Psal. 39. — (6) Eccli. 21. cap. 7. — (7) Hom. 12. in Ep. ad Rom.

(1) D. August. in Ps. 39. — (2) Tert. L. de Pud. 1.

Ad istorum remedium, jejunia, et eleemosynæ, et orationes sunt. (1) Post mortem, vel per sacrificium missæ, vel per indulgentias ab aliis lucratas, vel per ignem purgatorii. Quanta sit hæc pœna non considerant qui *funem longum delictorum sibi attrahunt* (2), qui absque ullo timore peccata venialia cumulant, neque ad periculum cadendi in mortalia spectant. Fratres, cum venialia Deo displiceant et tantopere periculosa existant, nolite illa committere, nolite in illis complacere, nolite in illis longa habitudine inveterari; fugite occasiones illa committendi, et si interdum in illa labimini, studete diligenter illa delere vel per actus contritionis et dilectionis, vel per sacramentalia reverenter sumpta, vel per sacramenta. Et quia *cessatio delicti radix est veniæ, ut venia sit pœnitentiæ fructus* (1), cavete a venialibus, vacate contrariis virtutibus; Deum honorate tot bonis cogitationibus, sermonibus et operationibus, quot eum inhonorastis peccatis venialibus cordis, oris et operis, ad instar Magdalenæ, quæ *quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta: convertit ad numerum criminum, numerum virtutum, ut in totum Deo serviret in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* (2) Non dissimiliter, Fratres, tot actus virtutum producite, quot commisistis venialia; cunctas animæ potentias et omnia corporis membra, quæ adhibuistis ad Deum offendendum, adhibete ea ad Deum serviendum, illum honorandum, et laudandum in tempore, ut valeatis illum glorificare et laudare in æternum.

(1) D. August. Ep. 108. ad Seleucian. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 14.

(1) Tert. L. de de Pud. 10. — (2) D. Greg. Hom. 36. in Evang.

PECCATI POENA
ET ACERBITAS.

SCHOLIUM.

Peccatum punitur 1. *Fortunæ adversis;* 2. *Calamitatibus publicis;* 3. *Doloribus et morbis;* 4. *Conscientiæ stimulis;* 5. *Morte animæ et corporis;* 6. *Salutis jactura, et inferni suppliciis.*



CONCIO PRIMA.

Velut Dea a Gentilibus *Fortuna barbata* (1) venerabatur, et merito: tum quia per capillos qui sunt corporis excrementa quam sint contemptibilia denotantur bona temporalia, quibus fortunam præesse existimabant; tum quia sicut novacula facillime barbam radit; ita fortunæ bona velocissime pereunt. D. Augustinum de fortuna locutum pœnitet: *In tribus libris meis Academicis, non mihi placet toties appellasse fortunam, quamvis non aliquam deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum eventum, in externis bonis aut malis: quod totum ad divinam revocandum est providentiam* (1); a qua homines in seculo, prospera fortuna pollentes, habent bona quæ possident: ut enim fatur D. Bernardus, *quod potentes sumus, quod divites, quod sapientes existi-*

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 11.

(1) Lib. 1. Retract. cap. 1.

mus, nonnisi per gratiam Dei sumus. (1) At uti a Dei bonitate oritur fortunæ prosperitas, ita ab hominum malitia et iniquitate multoties adversitas procedit : nam, ut subjungit Mellifluus Doctor, « omnia bona quæ in hoc seculo habemus, per gratiam Dei habemus : omnia autem mala eveniunt nobis propter peccata nostra. Deus per suam misericordiam dat nobis bona ; sed propter peccata nostra accidunt nobis mala. Per gratiam Dei tribuuntur nobis prospera, sed propter iniquitates nostras adveniunt nobis adversa.» Inter præcipua fortunæ bona deputantur terrenorum opulenta locupletatio, bonæ famæ existimatio, imperii dominatio : at, e converso, inter præcipua fortunæ mala, existimantur bonorum depauperatio, famæ denigratio, servilis subjectio. *Multa flagella peccatoris* (2), qui, 1. Depauperatur; 2. Infamatur ; 3. Subjectione humiliatur.

I. PARS. *Mundi penuria* (3) a peccato suam desumpsit originem, et qui egestate premuntur, non incusent novercantem fortunam; non procellam fruges devastantem ; non hostium violentiam cuncta depopulantem; non insatiabilem ministrorum principum rapacitatem, sed peccatum, a quo primario pauperior oritur inopia, ut comprobatur exemplo, 1. Adami ; 2. Caini; 3. Christi.

1. Quandiu Adamus innocentiæ servavit statum et in paradiso voluptatis permansit, nihil ei defuit, neque ulla gravatus est egestate ; at ubi peccavit, orbatur paradisi prædio, privatur totius orbis possessione, et addicitur terræ frugum infecundæ et spinarum fertilissimæ : *Statim et terra maledicitur ; sed ante benedicta : statim tribuli et spinæ ; sed ante fœnum, et herbæ, et arborum fructuosa* (4) ; statim inopia et egestas, sed ante abundantia et ubertas. At unde in momento tanta terræ immutatio ? Unde Adamo ex tanta bonorum copia, tanta pauperies ? A peccato. *At ubi desivit Deo sapere, desivit cœlestia sustinere posse. Exinde homo terræ datus* (5) ; sterilis spineti agriculturæ addicitur. Neque Adamus duntaxat, sed adhuc Caïnus, ob peccatum paupertate gravatur.

2. *Quod enim ipsum Adam et Evam morti immerserat, docuit et filium ab homicidio incipere.* (6) Nimirum diabolus, qui Adamum et Evam induxit ad esum pomi vetiti quod eis mortem attulit, Caïnum ira sufflammavit, et ad fratris necem incitavit. Invidia namque tabescens et indignatione excandescens, quod Deus ad munera Abel non ad sua respexisset : « Et tunc dixit Caïn ad Abel fratrem suum : Eamus in campum ; et abiit cum eo illic, et interfecit eum. Et tunc dixit Deus ad Caïn : Ubi est Abel, frater tuus? Et dixit : Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ei Deus : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra ; propter quod maledicta terra quæ aperuit os suum, ad accipiendum sanguinem fratris tui. Gemens et tremens eris super terram. Et dixit Caïn ad Dominum : Ejicies me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero gemens et tremens super terram. » (1) Fuse refert Tertul. (2) pœnas ad quas Deus damnavit Caïnum ob Abelis fratris cædem ; at nulla ei fuit gravior quam miseranda pauperies et egestas cui addicitur : Quapropter de tali supplicio querulus Deo dixit : « Ecce ejicis me hodie a facie terræ. » Hæc verba intelligunt passim interpretes de exsilio ad quod damnatus est fratricida. Cui Deus : « Profugus et vagus eris super terram. » Verum ex Cajetano : *Ejectio a facie terræ est in hoc quod terra non respondeat ei secundum vim suam*, et hæc explanatio Scripturæ videtur conformis. Nam paulo ante Caïno dixerat Deus : *Nunc igitur maledictus eris super terram: cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos.* Quasi dicat : Terra quam tu coles, erit maledicta. Ante quidem erat maledicta respectu totius generis humani, propter Adami peccatum ; sed nunc iterum in particulari ob tuum fratricidium maledicitur ; fecunditatem, post primam maledictionem, relictam terræ, ego reprimam, neque tuis laboribus, nisi parcissime respondebit : prima itaque fratricidæ punitio fuit spoliari mundialibus bonis, quam ipse ejici a facie terræ vocitat, et omnium gravissimam existimat : *Ecce ejicis me hodie a facie terræ et a facie tua.* Primum quod sentit et luget Caïnus, est ejici a facie terræ, quæ illi carior erat ipsa Dei facie. Unde Philo Judæus sic Caïnum Deum alloquentem inducit : *Si non præbes mihi bona terra, nec cœlestia quidem accipio : si non impertiris humana bona, divina quoque tibi habeto.* Hæ sunt impiæ Caïni voces, hæc etiam vota divitum hujus seculi, quibus durius est ejici a facie terræ, a divite solo, ab opulentis possessionibus, quam a facie gratiaque Conditoris ; et quia peccant quam maxime insano divi-

(1) Tract. de modo bene vivend. cap. 1. — (2) Psal. 31. — (3) Tert. L. de Pat. 13. — (4) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 11. — (5) Tert. Lib. de Pat. 5. — (6) Tert. L. de Pat. 5.

(1) Genes. 4. — (2) Tert. L. adv. Jud. 5.

tiarum amore, justo Dei judicio depauperantur. *Divites eguerunt et esurierunt.* (1) Plura suppetunt exempla quæ libens prætereo, ut prodam Christum Dominum, propter hominum peccata summa egestate in mundo conversatum.

3. Nam in paupertate natus est, ad cujus probationem adducit Tertullianus : *Molestos semper Cæsaris census, et diversoria angusta, et sordidos pannos, et dura præsepia* (2) toto tempore vitæ, *ipse Dominus in nullis divitiis invenitur* (3), imo humilem, contemptibilem, egenam et pauperem duxit vitam : *Ille Dominus in humilitate et ignobilitate incessit, domicilio incertus; nam Filius, inquit, hominis non habet ubi caput reclinet. Vestitu incultus, neque enim dixisset : Ecce qui teneris vestiuntur, in domibus regum sunt. Vultu denique et aspectu inglorius, sicut et Esaias pronuntiaverat* (4); in morte cunctis nudatus est, et post mortem adeo pauper inventus, ut in alieno tumulatus fuerit sepulcro ; Christus ab omni fuit peccato immunis, quia tamen pro peccatoribus suscepit vadimonium, ut pro peccatis hominum satisfaceret Deo, pauper effectus est, gravissimasque pertulit paupertatis ærumnas. *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* (5) Dei Filius omnes divinitatis possidens divitias, humanam assumpsit naturam, et propter fideijussionem quam pro peccatoribus suscepit, egenus factus est, et natus in stabulo, quia non erat ei locus in diversorio; pro regali solio habuit præsepium ; pro culcitris, fœnum; pro igne, bovis et asini halitum; pro aulæis, futiles aranearum telas; pro odoramentis, boum stercora ; pro purpura et bysso, viles panniculos; pro equitatu, bovem et asinum ; pro comitatu procerum, Josephum et Mariam ; sic deinceps in tota ejus vita egenus fuit Christus : et ut ex græco vertit Erasmus, *mendicavit.* Constat itaque Christum Deum, non tantum fuisse pauperem, sed vere mendicasse, fuisseque mendicum : tanta fuit tamque angusta paupertas, ad quam Christum redegit fidejussio pro peccatis hominum.

Pauper effectus est Christus, ut nos illius paupertate ditescamus (6), spiritualibus scilicet divitiis. Divitiæ sunt in duplici differentia, temporales scilicet et spirituales, illæ in auro, argento, facultatibus, censibus, domibus, supellectilibus, possessionibus, officiis et dignitatibus consistunt; istæ in justitiæ thesauris, gratiæ et sanctimoniæ gazis, virtutum gemmis, cœli possessionibus ; illæ veræ non sunt, quia possessorem meliorem non præstant; istæ veræ sunt, quia meliorem eum efficiunt : *Veræ divitiæ non sunt opes, sed virtutes quas conscientia secum portat, ut in æternum dives fiat.* (1) Qui temporales duntaxat sectantur et possident divitias, divites hujus seculi nuncupantur ab Apostolo (2), tum quia eorum divitiæ cum hoc seculo, instar bullæ in momento transeunt ; tum quia terrenæ sunt, miseræ, viles et exiles, cujusmodi est seculum, et omnia secularia ; tum quia morientes, eas in seculo deserunt, neque secum deferunt : *Peccas propter pecuniam, hic dimittenda est ; peccas propter mulierem, hic dimittenda est.* (3) At econtra qui spirituales possident divitias, sunt divites Christi. Ut enim ait Venerabilis Beda : *Omnes boni fideles sunt divites, nemo se contemnat ; pauper in cella, dives in conscientia : securior dormit in terra quam auro dives in purpura* (4) : quia hic fures pertimescit, ille vero nequaquam. *Fur tibi tollit aurum, quis tibi tollit Deum ?* Hic vere pauper est, etsi appareat dives : nam, ut subjungit D. Augustinus, *quid habet dives, si Deum non habet ?* (5)

Ut autem melius dignoscatur quantum sit pauper et egenus peccator, animadvertendum est quod in seculo, homo habetur dives, qui locuples possidet fundum, amplas comparavit acquisitiones, et grandes habet prætentiones. In justo tria hæc reperiuntur: magnum scilicet fundum, nempe gratia et sanctitas ; amplæ acquisitiones, nimirum copiosa merita ; tandem grandes prætentiones, scilicet jus ad gloriam et beatitudinem; cunctorum autem facit jacturam dum peccat mortaliter. Profecto *nihil est peccante pauperius.* (6) Alii pauperes vel divitum sustentantur opibus, vel saltem communibus naturæ foventur subsidiis : illos enim feræ, aut pisces, aut poma sylvestria omnibus communia reficiunt ; et aquæ fluminum aut fontium refrigerant; et ipse naturalis calor, si vestimenta deficiant ad tempus saltem sufficit : at animæ peccatricis egestati, quænam ex rebus creatis subveniet, cujus necessitatibus depellendis, sola bona supernaturalia (quæ ablegavit peccatum) utcunque sufficiunt ? adeo delictum hominem depauperat, et adhuc infamat.

(1) Psal. 13. — (2) Tert. L. de Car. Chr. 2. —(3) Tert. L. de Pat. 7. — (4) Tert. L. de Idol. 18. — (5) 2. Cor. 8. — (6) Greg. Naz. Orat. 1. in Pascha.

(1) D. Bern. Serm. 4. de Adv. Dom. — (2) 1. Timoth. 6. — (3) D. August. L. 50. Hom. hom. 41. — (4) In 2. Cor. 8. — (5) D. August. Serm. 205. de Temp. — (6) D. Chrysost. Hom. 5. de Pœn.

II. PARS. Uti a primis parentibus, peccatorum paupertas suam ducit originem, ita *ab illis incipit infamia.* (1) Illa autem originalis infamia multum incrementata est per personalium et *occultorum facinorum infamiam.* (2) De qua eodem modo ratiocinandum est ac de reo, quem judices *manifeste damnant ignominia.* (3) Scelerosus ab humana justitia damnatus et ignominia mulctatus, a nobilitate deturbatur; nomine privatur; infamis denotatur: en specimen peccatoris, 1. A dignitate deturbati; 2. Sine nomine effecti; 3. Infamis habiti.

1. *Quodnam enim aliud seminarium infamiæ nostræ* (4) quam peccatum, quo ab humana degradamur nobilitate? Quænam est nobilior hominis dignitas, quam intellectus, sapientia, ratio? At peccator, a nobili illa dignitate degenerat, tum quia agens sine intellectu; *intellectui suo contumeliam facit* (5): tum quia sapientiæ injuriosus est; *omne enim peccatum per ignorantiam fit* (6): tandem rationi est contumeliosus; *est enim peccator opprobrium hominum, pecore vilior* (7): tum quia a ratione degenerans, magis quam bellua passione agitatur: itaque peccatum quod peccatorem *spoliavit fama* (8) indignum nomine reddidit.

2. Si deletur nomen rei læsæ regiæ majestatis, quanto magis indignus est nomine peccator reus læsæ divinæ majestatis, qui a Deo creatore suo defecit, adversus supremum omnium Dominum rebellavit, ad Dei necem attentavit, Christum denuo cruci patibulavit, nullum scelus non perpetratum, excogitatum et operatum, *nullam insignem infamiam reliquit?* (9) Bonum nomen sacræ paginæ pretiosis præponunt unguentis. *Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa.* (10) Et sane magnam habent unguenta cum bono nomine et fama convenientiam: tum quia unguenta pretiosa putredini et corruptioni resistunt: bonum autem nomen sibi comparat immortalitatem. *Ita ab ævo dignissimum creditum est studiorum experimentum, committere artes, corporum et vocum præstantiam exprimere præmio indice, spectaculo judice, sententia voluptate: qua nulla sunt prælia, nonnulla vulnera, pugni quassant, calces arietant, cestus dilaniant, flagella dilacerant: nemo tamen agonis præsidem sugillaverit, quod homines violentiæ objectat injuriarum actiones extra stadium. Sed quantum livores illi et cruores, et vibices negotiantur, intendet: coronas scilicet, et gloriam, et dotem, privilegia publica, stipendia civica, imagines, statuas, et qualem potest præstare seculum de fama æternitatem, de memoria resurrectionem.* (1) Tum quia unguentum corpora a morbis præservat et ad sanitatem plurimum conducit. Bonum quoque nomen a vitio removet, multumque confert ad virtutem comparandam et conservandam. *Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, vel ut litteraturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet?* (2) Quare viri probi et sapientes abstinent a vitiis, ne nomini suo aliquam maculam afferant, student virtutibus exemplaribus, ut bonam sui famam et æstimationem parturiant: *Etsi conscientia criminis vulnus non habeat, habet tamen fama ignominiam* (3), quam adeo timent, horrentque claræ mentes, ut D. Chrysostomo teste, *multi ad laqueum convolarint, famæ opprobria non ferentes.* (4) Plura congerit Tertullianus exempla virorum et mulierum famæ et gloriæ causa, ultro atrocissima quæque tormenta sustinentium: *De feminis ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suæ pareret.* (5) Tale facinus, etsi ex Christi disciplina sit improbandum, approbandus tamen est amor famæ, studiumque boni nominis, quod a bono exemplo et ab operatione virtutis captatur. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi tantum benefacit: quisquis autem etiam famam, et in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* (6) Hoc effatum a D. Augustino mutuatum prodit adhuc D. Bernardus: *Proximo famam, nobis debemus et providemus conscientiam.* (7)

Non sibi providet conscientiam, neque debitam proximo exhibet famam peccator, qui sceleribus vacans sese anonymum reddit: quia, ut fatur D. Chrysostomus, *peccatum facit, ut homines suo nomine vocari non sint digni.* (8) Sic Matthæus Bethsabææ reticet nomen, dicens: David *genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ.* (9) Sic Lucas Magdalenæ silet vocabulum aiens tantummodo: *Mulier quæ erat in civitate peccatrix.* (10) Incendit olim nescio quod humanæ naturæ

(1) Tert. L. adv. Jud. 13. — (2) Tert. Apol. 6. — (3) Tert. L. de Spect. 22. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 14. — (5) Tert. L. de Pœn. 5. — (6) D. Basil. in Ps. 37. — (7) D. Bern. de Inter. Dom. c. 55. — (8) D. Chrysolog. Serm. 1. — (9) Tert. L. 2. ad Nat. 13. — (10) Prov. 21.

(1) Tert. Scorp. 6. — (2) Tert. L. de Test. An. 4. — (3) D. Hieron. Ep. 47. — (4) Hom. 15. in Matth. — (5) Tert. L. ad Mart. 4. — (6) L. de Bono Viduit. cap. 17. — (7) Serm. 7. in Cant. — (8) Hom. 20. in Gen. — (9) Cap. 1. — (10) Cap. 8.

monstrum Dianæ Ephesinæ templum, vere orbis miraculum ut nominatissimæ illius ædis incendio, nomini suo famam et immortalitatem pareret : attamen magnum nomen quod exsecrando facinore sibi comparare existimavit, non est assecutus : lege enim lata, publicoque edicto cautum est, ne quis sacrilegum illud nomen, in ulla re adhiberet, et si quibus in locis, tabulisque scriptum jam esset, illico deleretur. Quod illi, idipsum divino judicio adversus peccatorem sancitum est. Latam a Deo sententiam refert Regius Vates : « Increpasti gentes et periit impius, nomen eorum delesti in æternum et in seculum seculi. » (1) Justo virtutis studioso et bonæ famæ zeloti ; *nemo jam infamiam incutiat* (2) : peccator vero infamis prædicetur, tanquam infamiæ nota designatus.

3. Rei læsæ majestatis *sine nota non sunt.* (3) Ignominioso illo insigni dedecoratus scelerosus, ducitur *erubescens de infamia sua.* (4) Infamiæ notam defert etiam peccator : quot commisit facinora, tot sunt *stigmata delictorum* (5), et maculæ quæ illius animam infamant, eumque dedecorant. Nam, ut eloquenter fatur Chrysol. *cui vitiis vivit, sepelitur famæ, perit gloriæ, crescit infamiæ.* (6) Porro peccatum mors est honoris, et gloriæ sepulcrum, infamiæ incrementum. Quapropter, Christiane, si divitiarum amor, et summa egestas ad quam redactus est peccator, non te retraxit a culpa, saltem contumeliæ, infamiæ et subjectionis metus a delictis avertat; quoties enim peccas, contumeliosus tibi es, nam depauperaris, infamaris et servitute humiliaris.

III. PARS. *Definimus animam rationalem, dominatricem.* (7) Creavit Deus animam rationalem, ut exerceret suum imperium, et extra hominem, et intra hominem. Extra hominem constituit eam *molitionis suæ reginam* (8), subjiciens ejus imperio creaturas irrationales. Intra hominem, ut dominaretur corporis passionibus et concupiscentiis : *culpa humiliationis est mater* (9) : quia adimit *animæ, et libertatem, et dominationem* (10), hominemque reddit de ingenuo servum, de domino mancipium : nam præterquam quod peccando amisit imperium quod habebat in creaturas irrationales, in semetipso miseram experitur servitutem : nam caro animæ denegat obsequium, passio rationi, concupiscentia voluntati : adeo *ut ipsa jam natura nostra facta sit extra naturam* (1) : et quod est lugendum magis, infelix homo per peccatum humiliatus, subjicitur tyrannidi, 1. Passionum ; 2. Criminum ; 3. Dæmonum. Sed quia illud in superioribus (2) demonstratum est, ne actum agamus, hac supra re, nihil nobis superest dicendum.

(1) Psal. 9. — (2) Tert. Apol. 21. — (3) Tert. L. de Spect. 22. — (4) Tert. L. de Cor. Mil. 4. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. Marc. 9. — (6) Serm. 1. — (7) Tert. Lib. de An. 22. — (8) Tert. L. de Res. Car. 9. — (9) Greg. Naz. Orat. in Julian. — (10) Tert. ibid.

CONCIO SECUNDA.

Gentiles adeo sunt stultitia decepti et malitia obcæcati, ut *existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.* (3) Gentilium insaniam et malitiam merito redarguit Tertullianus, ostendens, tum ante Christi adventum plures exstitisse publicas clades : *Oro vos, ante Tiberium, ante Christi adventum, quantæ clades orbem et urbes ceciderunt ?* Tum demonstrans post institutam (4) christianam disciplinam clades non esse ita communes ac antea exstiterant. *Et tamen si pristinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo Christianos a Deo orbis accepit.* Inde concludit a Deo offenso et irato publicas evenire clades, qui scelerosos et ingratos punit homines, ut qui bona ejus et beneficia non agnoverunt, sentiant calamitates et mala pœnæ. *Cur non ab eo etiam mala intelligat evenire, cujus bona esse non sensit ?* Disertissime pariter et moralissime ait D. Chrysostomus : *Calamitatum nomina philosophantibus sunt tantum nomina, vera autem calamitas Deum offendere.* (5) Humana tribulatio, quam molestissimam phantasia pingit, aut exspectatio fingit, aut impatientia colorat, est non vera et realis, sed imaginaria duntaxat, et nomine tenus calamitas : vera calamitas est peccatum quod Deum offendit et calamitates parit : nam, ut fatur aliorsum aureum græcæ eloquentiæ flumen, *malorum omnium causam constat esse peccatum* (6), quod Deus privatis adversitatibus et publicis calamitatibus punit : 1. Mediis Angelis, justitiæ suæ ministris ; 2. Elementis ad ultionem inimicorum armatis ; 3. Publicis iræ suæ flagellis.

III. PARS. *Nos officia divina Angelos credimus* (7) : non quod illis indigeat Deus :

(1) D. Greg. L. 8. Mor. cap. 6. — (2) Tract de Peccatore. Conc. 2. — (3) Tert. Apol. 40. — (4) Tert. ibid. — (5) Hom. 5. ad Pop. — (6) Hom. 5. de Pœn. — (7) Tert. L. de An. 37.

etenim *indignum est, ut alicujus opera indigeret* (1), sed ad suam majestatem, auctoritatem et justitiam demonstrandam, utitur ministerio Angelorum; qui Dei repræsentarunt majestatem, velut Deus apparentes et loquentes Patriarchis et Prophetis: auctoritatem, in monte Sina, præbentes legem hominibus: justitiam, enecantes, 1. Primogenitos in Ægypto; 2. Murmuratores in deserto; 3. Milites in Assyriorum campo.

1. Tacendo quod Deus *cum de originis loco exterminat* (2) inobsequentem, ingratum, et scelerosum hominem, collocat ante paradisum voluptatis Cherubim flammeum gladium atque versatilem habentem in manu ad custodiendam viam ligni vitæ (3); per Angelum justitiæ suæ ministrum: « Percussit omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. » (4) Terribilis sane plaga, qua Angelus Ægyptiorum percussit primogenitos, sed non minus stupenda mors quam intulit Judæis in deserto.

2. Israëlitis magnam ostentarat Deus benevolentiam; illos manu forti eduxerat de Ægypto; Moysem et Aaron in duces et doctores dederat, manna pane cœlesti quadraginta annis nutrierat; de suis hostibus victores reddiderat, terram Chanaan fluentem lac et mel in possessionem promiserat. *At primus populus cum de duritia ægyptiæ servitutis valida manu Dei et sublimi brachio ereptus (Dominus ejus visus), et terræ lacte et melle mananti destinatus; statim autem solitudinis incopiosæ circumspectu scandalizatus, saturitatis ægyptiæ detrimento suspirans, in Moysem et Aaron mussitavit.* (5) Persæpe murmuraverunt Hebræi in Ægypto, et fere semper punivit illos Deus. (6) Sic murmurantes ob carnium concupiscentiam, interfecit: ideoque vocatus est locus in quo enecati sunt, sepulcrum concupiscentiæ. Sic murmurantes Core, Dathan et Abiron (7), cum suis vivos deglutivit terra: sic omnes murmurantes ob relationem exploratorum dicentium terram Chanaan esse inexpugnabilem, *perierunt ab exterminatore* (8); nimirum ab Angelo justitiæ Dei ministro, qui una nocte plura millia militum interfecit in exercitu Assyriorum.

3. *Omnem hominis paraturam, aliqua utique potestas, divinæ voluntatis ministra, modulatur.* (1) Quænam est autem hujusmodi potestas divinæ voluntatis ministra modulans homines nisi Angelus? Nam, ut fatur Philo Judæus, Angeli sunt *quædam purissimæ substantiæ, ministræ Omnipotentis* (2), quibus utitur Deus ad suam demonstrandam, tum misericordiam, tum justitiam: misericordiam erga suos cultores; justitiam erga impios qui eum blasphemant; quomodo Ezechiam regem et obsessam civitatem Jerusalem liberavit ab obsidione exercitus Sennacherib quem fugavit Angelus, percussis ejus militibus: « Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. » (3) Scilicet ut in personis militum puniret blasphemias Rapsacis ducis exercitus Sennacherib. Christiane, qui tot blasphemias in Deum lancinaris, et singulis diebus ejus majestatem offendis, recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim cum linguam tuam adversus Deum armas, eique injuriam irrogas, tum pravis sermonibus, tum scelerosis operationibus, *omnes Angelos prospicere de cœlo, et singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adversus Deum ministraverit* (4): quod si modo Angeli divinæ justitiæ ministri non puniunt peccatores diaboli ministros, hoc est, quia impediuntur a Deo, qui mediis elementis publicas scelerosis infligit calamitates.

II. PARS. Si serio qualia et quanta sint peccata nostra recogitemus, confitebimur *omnis cladis publicæ vel injuriæ nos causas esse.* (5) Nostris namque criminibus divinam justitiam provocamus, et punire compellimus cladibus publicis, quæ nobis eveniunt, 1. A cœlis; 2. Ab elementis; 3. A cunctis creaturis, intra elementa et cœlos contentis.

1. *Grandine et fulmine* (6) sæpe sæpius peccatorum punit Deus temeritatem. Fabularum inventores poetæ, fingunt Jovem de cœlo tonantem, de Olympo fulminantem, ut de impiis et perjuris vindictam sumat, et profanos et sacrorum violatores tremendo supplicio puniat. Inde manavit in vulgus ea opinio, ut quæ fulmine tangerentur, nefanda et male ominata haberentur. Hanc fabulam duplici ratione rejicit Tertullianus, Gentiles alloquens, tum quia constat *et ipsum Jovem, quæ in manu ejus ponitis, fulmina timuisse* (7); tum quia Deus duntaxat unus

(1) Tert. Apol. 11. — (2) Tert. Lib. de Pall. 3. — (3) Gen. 3. — (4) Exod. 12. — (5) Tert. L. de Jejun. 5. — (6) Num. 11. — (7) Num. 16. — (8) 1. Cor. 10.

(1) Tert. L. de An. 37. — (2) Lib. de Som. — (3) Lib. 4. Reg. 19. — (4) Tert. L. de Spect. 27. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 9. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 26. — (7) Tert. Apol. 11.

est, quem colunt Christiani, *quem omnes naturaliter nostis, ad cujus fulgura et tonitrua contremiscitis*, quæ supremam Dei majestatem, accensam ejus iram, et armatam denotant justitiam. Quapropter Job Deum sciscitantem inducit a peccatore, qui temerario ausu ei bellum indicere præsumit: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli?* (1) Initur bellum inter peccatorem et Deum: peccator primus Deum aggreditur, sceleraque sunt jacula quæ in eum vibrat; Deus a peccatore accersitus hostis ejus efficitur, et cum eo grandinibus et fulminibus pugnat; et quod est stupendum magis, peccator arma cudit, quibus et ipse Deum aggreditur, et quibus ipsum Deus expugnat: quod ejus menti objicit Deus, eum interrogans: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* Nubes est vapor addensatus e locis humentibus, ad mediam aeris regionem solis et astrorum æstu evocatus, frigoreque circumstante condensatus, conspectui nostro subducit solis radios, estque thesaurus tonitruum, fulgurum, nivium, grandinum: ex quo constat sæpe sæpius *tonitrua mugisse* (2), maria, montiumque juga percussisse, quæ non sine horrore repercussa sonum reddunt, et quandoque geminant. De illo thesauro *ignis per fulgura proficiscitur*. (3) Disruptis namque quasi visceribus, fractoque aqueo illo carcere, liberum evomit ignem, educit fulgur, immaniaque vibrat fulmina, quæ mirabiles prorsus et formidabiles operantur effectus: tandem de illo thesauro educuntur grandines et lapides, qui agros devastant, fruges depopulantur, grandesque jumentis et hominibus afferunt strages. Peccatum e palude terra, humenti solo, aqueo sinu humani cordis eductum, in atrum tetrumque vaporem formatum, et æstu concupiscentiæ sursum sublatum, tanquam corpus opacum soli justitiæ oppositum, divinæ gratiæ impedit lucem, colorem et influxus, et quemadmodum addensata nubes, imbrium, grandinum, tonitruum, fulgurum, fulminumque est fecunda parens, ita peccator scelera concipiens, tonitru parit, fulmina cudit, grandinum projicit acervos, igneosque flammarum globos ac vortices evomit, quibus exterreatur, percutiatur, implicetur et pereat: *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines* (1); uti terrena nube intumescit peccator, ita e cœlesti tonat, fulminat et grandinat Deus, ut olim accidit in Ægypto. Nam extendens Moyses virgam in cœlum, « Dominus dedit tonitrua, et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Deus grandinem super terram Ægypti. Et grando et ignis mixta pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit: (2) » neque solum Ægyptum, sed multas quoque alias regiones cœlum sæpe sæpius ingenti saxeaque grandine obruit, et depopulatur. Hæc hominibus a cœlo strages, neque minor eis advenit clades et calamitas ab elementis.

3. Hominibus *elementorum servitia* (3) largitus est munificus Deus: at peccatores tantæ liberalitatis ingrati, ejus iracundiam sufflammant: nonnulli benefactore contempto, beneficia coluerunt, et tanquam deos elementa adoraverunt, cujusmodi fuit Varro, qui physicum deorum finxit genus, *ut deos elementa contendat*. (4) Quidam ex elementis perpetrant facinora. Sic Pharao Israëlitas cogebat ad conficiendos ex luto lateres; sic rex Babylonius in fornacem ardentem tres pueros conjecit; sic tyranni ignem adhibuerunt adversus martyres, et Clementem aliosque Christianos in mare submergendos projecerunt; alii vero intra elementa innumera committunt crimina, ad quæ vindicanda et punienda Deus elementorum utitur ministerio; nam prætereundo quod terra deglutivit Core, Dathan et Abiron, quod mare Pharaonem cum copiis suis absorbuit, quod ignis devoravit satellites fornacem babylonicam accendentes: nonne *Corinthum terræmotus ebibit?* (5) Nonne *legimus Hierannapen, et Dolon, et Rhodon, et* 100 *insulas multis cum millibus hominum pessum abisse?* Nonne in Tuscia et Campania, *Vulsinios de cœlo, Pompeios de suo monte perfudit ignis?* Et quia *per quæ peccat quis, per hæc et punietur* (6), Pharao proponatur in exemplum, qui terra, aqua et igne punitur, quia terra, aqua et igne peccaverat. Peccaverat terra Hebræos operibus luti et lateris opprimens; terra quoque punitur: etenim *omnis pulvis terræ*

(1) Cap. 38. — (2) Tert. Apol. 11. — (3) Tert. Lib. 2. ad Nat. 3.

(1) Sap. 5. — (2) Exod. 9. — (3) Tert. L. 2. de Pat. 2. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 3. — (5) Tert. Apol. 40. — (6) Sap. 11.

versus est in ciniphes. (1) Peccaverat aqua, Hebræorum filios in Nilo submergens et suffocans, aqua quoque punitus est; nam in crudelitatis pœnam submersus est in mari Rubro. *Tradidit justissimus judex exitio aquarum Pharaonem cum toto exercitu; quia per aquam interemerat infantes Hebræorum.* (2) Tandem peccaverat igne, Israëlitas importuna laterum coctione, et in *fornace ferrea* (3) affligens, a quo multo pulvere permixtus sudor, et ingens illis incubuerat operis laborisque moles; sed illa ipsa quæ a culpa et immani Pharaonis tyrannide arserat fornax, in pœnam exarsit. Moysi etenim et Aaroni præcepit Deus: *Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone.* (4) Obtemperavit Moyses, cinerem sparsit, et ab igne et cinere fornacis quæ Hebræos fatigaverat, *facta sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis.* (5) Neque sola Ægyptus pœnas ab elementis sensit; nam quot hac ætate terræ motus, qui domos, urbes et provincias subvertunt? quot naufragia, quæ naves et classes integras absorbent? quot incendia, quæ arces munitissimas et civitates opulentissimas redigunt in cineres? Tot clades quæ a terra, aqua et igne accidunt, sunt ut plurimum signa iræ Dei, qui ad punienda peccata utitur elementis, et cunctis universaliter creaturis intra elementorum et cœli ambitum contentis.

3. *In reos majestatis et publicos hostes, omnis homo miles est.* (6) Peccator est reus divinæ majestatis, et publicus hostis, ideo omnes omnino creaturæ illum insequuntur. In ultimo equidem judicio, *Deus armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* (7) Sed etiam nunc peccatorem insequuntur creaturæ, et duplici incentivo exardescunt adversus illum, tum quia illis abutitur, et abutendo divertit a fine propter quem productæ sunt: *unde et Apostolus universam conditionem invitam ait vanitati succidisse, vanis primum usibus, tum turpibus, et injustis, et impiis, subversam* (8); tum quia Deus offenditur. Uti autem probi domestici, subditi fideles, et filii pietate præditi, offenduntur offenso patrefamilias, rege et patre, ita creaturæ offenduntur dum offenditur Deus earum Dominus, rex et pater. *Quare patimur multa mala a creaturis quas fecit Deus, nisi quia offendimus Deum? De pœna tua peccatum tuum accusa, non judicem* (1): qui juste cunctas adversum te armat creaturas, et iniquitates tuas punit iræ suæ flagellis.

(1) Exod. 8. — (2) Theodor. qu. 25. in Exod. — (3) Deuter. 4. — (4) Exod. 9. — (5) Exod. 8. — (6) Tert. Apol. 2. — (7) Sap. 5. — (8) Tert. L. de Cor. Mil. 6.

III. PARS. *Summum testimonium frequentiæ humanæ, onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, et necessitates arctiores, et querelæ apud omnes, dum jam nos natura non sustinet. Revera lues, et fames, et bella, et voragines civitatum, pro remedio deputanda, tanquam tonsura inolescentis generis humani.* (2) Ut enim nemus inciduum uberius silvescit, ita mortale genus, nisi tondeatur, in pessimas sese propagines effundit. Hæc tonsura interdum evenit naturalibus causis: multoties etiam a divina justitia procedit, quæ amputat et cædit quod in genere nostro noxium est, ni potius dicamus quod peccata hominum sunt origo flagellorum Dei et scaturigo, a qua *inundaverunt super eos mala.* (3) Bellum, fames et pestis sunt tria flagella in manu supremi moderatoris, quibus iratus Deus castigat et punit scelerosos et peccatores. *Quantæ clades supra universum orbem ad singulas urbes et provincias ceciderunt? Quanta bella externa et intestina? Quot pestes, fames, ignes, hiatus, motusque terrarum seculum digessit?* (4) Nonne hoc seculum fame, peste et bello devastatum fuit? Nonne bellum hac ætate totam depopulatur Europam? Utinam bellum non sequantur fames et pestis tanquam ejus appendices! Miseri peccatores, *si quid adversi infligitur, vestris meritis deputatur.* (5) Ob peccata vestra orbem Deus, 1. Gladio castigat; 2. Fame flagellat; 3. Peste devastat.

1. *Bellum nemo quidem libens patitur, cum et trepidare, et periclitari sit necesse.* (6) Tempore belli, nemo immunis est a timore, non rusticus, non agricola, non pastor, non mercator, non civis, non paterfamilias, non mulier, non sacerdos, non rex. Rusticus timet camporum devastationem; agricola, frugum depopulationem; pastor, pecorum et gregum jugulationem; mercator, negotiationis inhibitionem; civis, domus eversionem; paterfamilias, domesticorum interfectionem; mulier, honoris ereptionem; sacerdos, ecclesiarum profanationem; rex, imperii eversionem; et merito cum tempore belli *periclitari sit necesse*, tempore belli fruges, greges, supellectilia, merces, facultates, domus, civitates, regna, sacra, libertas, honor, vita, et cuncta in univer-

(1) D. Aug. Tract. 1. in Joan. — (2) Tert. L. de An. 30. — (3) L. 1. Machab. 2. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 9. —(5) Tert. Apol. 4. — (6) Tert. Apol. 50.

sum periclitantur; tempore belli, vitium libere grassatur, virtus exsulat, iniquitas et malitia dominantur, bonitas et innocentia mancipantur; abdicantur jura, injustitia impunita remanet; omnes leges humanæ, civiles, ecclesiasticæ, naturales et divinæ, impune prævaricantur; nulli parcitur ætati, non senum canis, non infantium cunis; omnis sexus, status et conditio, indifferenter atteritur; nobiles vapulantur, mulieres violantur, sacerdotes cruciantur, campi deprædantur, domus despoliantur, civitates incenduntur, templa demoliuntur. Tempore belli, *gladium latrociniis ebrium* (1) prodit Tertul. imo et blasphemiis, et stupris, et incendiis, et homicidiis, et profanationibus, et sacrilegiis. *Et bene, quod si quid adversi urbibus accidit, eadem clades templorum, quæ et mœnium* (2): ipsum etiam belli nomen perspicue demonstrat quam sit sævum, atrox, immane, exitiosum, cunctorumque devoratorium; bellum etenim, ut quidam volunt, dictum est per antiphrasim, quasi minime bellum; seu ut censet Festus, bellum ideo nuncupatum, quasi mere sit belluinum, nihilque sapiat humanum: lenitas et æquitas humanitatem decent, sævitia et crudelitas belluam redolent: in bello *nihil illic nisi feritas calet* (3), non humani, sed belluini vigent mores, absque ulla humanitate ferocitas furit. *Quis enim ense operabitur, et non contraria lenitati, et justitiæ exercet, id est, dolum, et asperitatem, et injustitiam, propria scilicet negotia præliorum?* (4) Quod quam verum sit experientia quotidiana comprobatur: non est necesse ut veteres adducantur bellorum clades quibus scatent historiæ, sat est ut recogitentur strages quas fere tota Europa patitur a bello quod præcipuas ejus devastavit et adhuc depopulatur provincias. *Divina providentia solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere.* (5)

Ad manum habemus Judæorum exemplum, quorum iniquitates belli flagellis punivit Deus, et *in bellis præcipuis expugnabit eos.* (6) Sæpe sæpius castigati sunt Judæi bellis Ægyptiorum, Babyloniorum, Assyriorum; sed a Romanis magis quam a cunctis barbaris devastata fuit Hierusalem quod a Jeremia fuerat vaticinatum: *Sanctificate super eam bellum: consurgite. Quia hæc dicit Dominus exercituum: cædite lignum ejus, et fundite circa Jerusalem aggerem: hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus.* (1) Decreta a cœlo Jerusalem eversio, in pœnam scelerum suorum, bellicum insonat Propheta, sanctum indicit bellum, Romanos, in arma vocat, ut essent quasi Dei milites, qui sanctam ejus voluntatem justamque exsequerentur sententiam, Judæos veluti piaculares hostias, divinæ justitiæ aris immolarent. Fuerat olim Jerusalem civitas visitationis cœlestibus beneficiis et gratiis specialiter obligata. *Tantum Judæis erat apud Deum gratiæ ob insignem justitiam et fidem originalium auctorum, unde illis et generis magnitudo, et regni sublimitas floruit, et tanta felicitas, ut Dei vocibus, de promerendo Deo, et non offendendo præmonerentur.* (2) At Judæi tot beneficiorum immemores, tantarum gratiarum ingrati, Dei legem prævaricati sunt; relicto supremo Numine, idolis servierunt, Deique Filium, qui pro eorum salute humanatus fuerat, eos specialiter visitaverat, doctrinis cœlestibus erudierat, pietatis exemplis ad bonum stimulaverat, beneficiis abunde cumulaverat, injuste et crudeliter interfecerunt: tot tantisque sceleribus, amicam Dei visitationem respuentes, olivam pacis, testem indicemque divini fœderis conculcantes, divinas sufflammarunt iras, hostile attraxerunt ferrum, longamque Jerusalem obsidionem, ad extremam usque calamitatem perpessi sunt; quæ ex ore dominico Judæorum auribus priusquam eveniret fuerat comminata: *Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique: et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem; eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* (3) Quam immane fuerit bellum quod justo Dei judicio a Romanis inditum est Judæis, quantasque calamitates passi sint scelerosi illi, una concione explicari nequit, cum ad illas enarrandas grande Josephus adhibuerit volumen, in quo plura, et lacrymis et horrore digna commemorat: multisque totam rei gestæ seriem miseramque Solymæ faciem describit.

Quod si ex effectibus cognoscitur causa, ex strage Jerusalem, et Judæorum, ediscendum est quam atrocia fuerint eorum crimina, a quibus tot tantasque calamitates perpessi sunt tempore obsidionis, et etiamnum justo Dei judicio patiuntur: *Sed quanta delique-*

(1) Tert. L. de Res. Carn. 16. — (2) Tert. Apol. 40. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (4) Tert. L. adv. Jud. 9. — (5) D. August. Lib. 1. Civ. 1. — (6) Esai. 30.

(1) Jerem. 6. — (2) Tert. Apol. 21. — (3) Luc. 19.

rint, fiducia patrum inflati, etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum dispersi, palabundi, et soli, et cœli sui extorres, vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. (1) Neque Judæi soli in pœnam criminum sunt bello devastati, sed plures adhuc nationes quæ debent confiteri cum Tobia : « Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, in mortem, et in fabulam, et in improperium omnibus nationibus. » (2) Annon ob nefanda crimina orientales Christiani a regno Hierosolymitano a Sarracenis ejecti sunt? Annon ob Græcorum scelera, Constantinopolitanum imperium ab Ottomanis debellatum et occupatum est? Annon ob flagitia Christianorum hac tempestate publicas videmus calamitates? *Quod terræ vorant urbes, quod insulas maria fraudant, quod externa atque interna bella dilaniant, quod regnis regna compulsant, quod fames, et lues, et locales quæque clades et frequentiæ pleraque montium vastant, quod humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur, quod justitia rarescit, et iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit, quod etiam officia temporum et elementorum munia exorbitant, quod et monstris et portentis naturalium forma turbatur* (3); non aliæ investigandæ sunt causæ quam peccatorum atrocitates, quæ Dei iras concitant, et quodammodo ejus justitiam compellunt, ut scelerosos puniat, non solum bello, sed adhuc terræ sterilitate et fame.

2. *Cum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, et annus in cura est* (4); id peccatis hominum deputandum est. Imaginantur nonnulli Rabbini quod Deus tribuens hominibus *temporum officia, totius genituræ tributa* (5), duplicem sibi reservavit clavem; scilicet clavem pluviarum et clavem annonæ : pluvias sibi relictas voluit, ut eas vel liquido et patenti cœlo diffunderet, vel arido clausoque aere contineret. Annonæ quoque clavem voluntati suæ subjecit Deus; pluviarum clave sterilitatem fugat, terramque fecundat. Quod innuere videtur Moyses : *Aperit Dominus thesaurum suum cœlum, ut tribuat pluviam.* (6) Clave annonæ, famem expellit, et hominibus ea quæ sunt ad victum necessaria abunde tribuit. Quod docet Regius Vates, Deum humiliter et confidenter alloquens : *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.* (1)

(1) Tert. Apol. 21. — (2) Tob. 3. — (3) Tert. Apol. 20. — (4) Tert. Apol. 40. — (5) Tert. L. de Pat. 2. — (6) Deut. 28.

Ob peccata hominum obveniunt siccitates et sterilitates : Deus retinet clavem pluviarum, ne rigent terram, ut ipsemet peccatori minatur: *Sit cœlum quod supra te est, æneum.* (2) Retinet adhuc annonæ clavem, ne terra producat fruges : *Sit terra quam calcas ferrea.* Et quia ex terræ sterilitate procedit egestas, et ex egestate oritur fames, famem peccatori minatur Deus : *Mittet Dominus super te famem et esuriem, et increpationem in omnia opera tua quæ tu facies; donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me.* (3) Panis hebraice idem est ac baculus, seu fulcrum : ut enim infans dubios pedes fulcro firmat, et senex tremulum nutansque corpus baculo sustentat, sic panis nutantem deficientemque vitam sustinet et reparat : quare dum panis, vel sterilitate et grandine deficit, vel aperta hostium vi eripitur, vel justo Dei judicio tollitur : tunc necessario omne corporis robur concutitur, vires omnes labefactantur, et per summos inediæ dolores, vita contabescit et collabitur. Hac pœna Judæos punivit Deus, juxta Isaiæ vaticinium : *Ecce dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem, et a Juda, validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ* (4), ut fame sitique consumatur, misereque pereat. Quod potissimum accidit tempore quo Titus Vespasiani imperatoris filius Jerosolymam regni caput vallavit, cinxit, oppressit, et ad tantam redegit inediam ut invisa terris fames non tantum innumera solo straverit cadavera, verum etiam contra naturæ leges, matres ipsas coegerit in proprios desævire fœtus, et coctas infantium quos pepererant devorare carnes ; idipsum accidit in Samaria obsessa a Benadab, rege Syriæ (5): « Factaque est fames magna in Samaria ; et tandiu obsessa est donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. Cumque rex Israël transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me, Domine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dominus : unde te possum salvare? de area, vel torculari? Dixitque ad eam rex : Quid tibi vis? Quæ respondit : Mulier ista dixit mihi : Da mihi filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum et comedimus. Dixique ei die altera: Da mihi filium

(1) Psal. 144. — (2) Deut. 28. — (3) Deut. ibid. — (4) Cap. 3. — (5) Lib. 4. Reg. 6.

tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cum audiisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat per murum. »(1) His non minus lugenda acciderunt infausto hoc seculo in Burgundiæ comitatu, Lotharingia, aliisque in locis, ubi visi sunt pauperes in campis velut pecora herbas manducare; simul cum canibus mortuorum jumentorum comedere carnes, et in tantam devenire inediam, ut necesse fuerit sepulcris adhibere custodias, ne humata mortuorum corpora, viventes voranda extraherent *de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis.* (2) Timeamus, Fratres, ne hac tempestate in qua tot exundant crimina, cadat super nos a Deo vibrata maledictio : « Obsedeberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus : et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum, et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te, et luxuriosus valde, invidebit fratri suo, et uxori quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet : eo quod nihil aliud habeat in obsidione et penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas. Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ carnibus, et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, et super liberis qui eadem hora nati sunt; comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. » (3) Et quasi calamitates quas secum afferunt bellum et fames non sufficiant ad puniendum peccatum, Deus tertium adjungit flagellum, et per pestem de peccatore ulciscitur.

3. *Videamus et quæ signa temporibus imponat. Bella opinor, et regnum super regnum, et gentem super gentem, et pestem, et fames, terræque motus, et formidines, et prodigia de cœlo.* (4) His signis denotandum est ultimum judicium, et bello adhuc fame, et peste, Deus iram suam demonstrat adversus peccatores : hucusque egimus de bello et fame, duobus flagellis quibus eos punit, nunc adducendum est tertium flagellum, nempe pestis, qua eos insequitur, juxta istud Deuteronomii : *Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam.* (1) Immane est bellum magnasque affert clades; immanior est fames, majoresque secum adducit calamitates; at omnium immanissima pestis, horribilissimas causans strages : etenim ubique terrarum sua venena diffundit, cuncta elementa corrumpit, nemini parcit; regum palatia non secus ac pauperum tuguriola inficit; corporum humores et temperamentum accendit, totumque hominem edaci flamma Deo vindice emissa depascitur : pestifera illa lues est peccati pœna, cruentum peccatoris flagellum, ipsa etiam morte gravius et atrocius. Hoc flagello punivit Deus populum Judaicum ob Davidis regis peccatum, qui tumore inflatus præcepit Joab ut perambularet omnes tribus Israël a Dan usque Bethsabee et populum numeraret. Deus regis volens castigare tumorem, misit ad eum Gad prophetam qui Davidem sic est allocutus : *Trium tibi datur optio : elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua : aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur : aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, et vide quem respondeam ei qui me misit sermonem. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis.* (2) Verumtamen sui peccati conscius de eoque pœnitens, pio pœnitentis animi consilio, pestem sibi ascivit in flagellum; ut qui peccaverat, pœnæ quoque esset obnoxius. Si enim famem elegisset, innoxius populus prius ab ea devastatus fuisset, quam noxium regis caput; si bellum postulasset, hostilis gladius prius percussisset milites et duces exercitus, quam ad regium tentorium pervenisset; sed quia pestis cæco quodam impetu æquoque pede pauperum tabernas pulsat regumque turres, elegit pestis flagellum, ne ipse unus pœnam effugeret, qui admiserat peccatum. Fuit illa electio pietatis in subditos, in se vero justæ animadversionis; pœnitentem regem a lue exemit Deus, sed peste ita toxicavit populum ut intra tres dies septuaginta millia perierint : *Immisitque Dominus pestilentiam in Israël, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo a Dan usque ad Bethsabee, septuaginta millia virorum.*

Ex præfatis sex colligenda sunt : 1. A peccatis oriri calamitates publicas quæ *tanquam de ira et offensa Dei incidere solent, ut fulmina, ut grandines, ut ardores, ut auræ pestilentes; item hiatus motusque terrarum,*

(1) Lib. 4. Reg. 6. — (2) Tert. Apol. 37. — (3) Deut. —28. (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 39.

(1) Cap. 28. — (2) Lib. 2. Reg. 24.

item diluvia (1); cunctasque maledictiones, plagas, strages et flagella, quæ sacer dinumerat textus. (2) Quapropter in scelerosos Christianos cadit exprobratio quam in Gentiles jaculat Tertullianus : *Vos importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur.* (3) Quam enorme sit peccatum, cum Deus, cujus natura bonitas, illud tot tantisque cladibus flagellet : omne namque malum pœnæ minus est minimo malo culpæ quod infinitam Dei offendit majestatem : scelerose Christiane, *scito et vide quia malum est et amarum reliquisse te Dominum, et non esse timorem Dei apud te.* (4) Disce strages quibus punitur peccatum ex sacris paginis; lege illas in historiis tum sacris, tum profanis, vide illas tuis oculis in tota Europa, bello, fame et peste devastata, et scito justissimam esse tantam pœnam ob Dei offensam, *cujus natura honoranda sit in secundis, metuenda in adversis.* (5) 3. Cuncta flagella quibus in seculo puniuntur peccata et peccatores esse duntaxat guttam iræ divinæ. *Stillavit super nos maledictio* (6): at in altero seculo, justitiæ et severitatis torrens inundat. Nam quemadmodum in cœlo Deus potat beatos torrente voluptatis, ita in inferno, *spiritus ejus quasi torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum.* (7) 4. Clades quas his diebus patitur christiana religio, denotare quantum grassentur peccata, et quantum erga peccatores sit iratus Deus tenens in sua manu calicem iræ et ultionis : *Calix in manu Domini plenus mixto, verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores.* (8) 5. Flagella a Deo immissa in peccatores esse tot admonitiones quæ nos a peccatis dimovere debent. *Et sequitur ut omnes seculi plagæ nobis, si forte, in admonitionem, vobis in castigationem a Deo obveniant.* (9) Sic Christiani loquuntur Gentilibus apud Tertullianum. Nos agnoscere publicarum calamitatum auctores, dolere de peccatis, et per pœnitentiam placare Deum, quem nostris peccatis ad iracundiam provocavimus : *Feriendo clamat* (10), *ad se redeam, ne mihi accidat, quod ait : Percussi, reversi non sunt ad se percutientem.* (11) Qui in publicis calamitatibus ad Deum non revertuntur, hic flagellantur, et in futuro seculo adhuc cruciantur : infelices illi quantum distant a Regio Vate, qui *dixit ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto, sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui.* (1) Propheta se peccatorem confitetur, deinde peccatum suum tanquam luis et pestis causam recognoscit; pœnitentiam agit, humiliterque Deum deprecatur, ut tollat peccatum suum, probe sciens tollendam esse causam, ut tollatur affectus : *Et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israël.* Ad instar Prophetæ agnoscamus peccata nostra, pœnitentiæ vacemus, divinam imploremus misericordiam, et si pœniteamus ex animo, audiemus hæc miserationis verba : *Elevare, elevare, consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus; usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. Hæc dicit Deus tuus : Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adjicies ut bibas illum ultra* (2), sed meam experieris deinceps misericordiam, et si mihi fideliter servieris, de manu benignitatis meæ coronam accipies.

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 5.—(2) Deut. 28.— (3) Tert. Apol. 41. — (4) Jerem. 2. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 5. — (6) Esai. 30. — (7) Job. 19. — (8) Psal. 74.—(9) Tert. Apol. 41.—(10) D. Bern. Tract. de Modo bene vivendi. cap. 43. — (11) Isai. 9.

(1) Lib. 2. Reg. 24. — (2) Isai. 51. — (3) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 11. — (4) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 24. — (5) Tert. L. de Pall. 3. — (6) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 2. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 14.

CONCIO TERTIA.

Usque *ad delictum hominis, Deus a primordio tantum bonus, exinde judex, et severus* (3) erga scelerosum hominem, qui ingrate bonitatem contempserat, justitiam exercens, illumque puniens, *nec fulminibus tantum, aut bellis et pestibus, aliisque plagis* (4), sed etiam, 1. Tribulis et laboribus; 2. Angustiis et mœroribus; 3. Morbis et doloribus.

I. PARS. *Pellitus orbi ut metallo datur.* (5) Loquitur de Adamo Tertullianus, qui ob peccatum paradiso ejectus, orbi ut metallo addicitur, id est, quemadmodum reus ob flagitia damnatur ad minas et secturas metallorum, ita scelerosus protoparens, quasi ad metalli damnaretur fodinas, addicitur laborandæ terræ, frugum infecundæ, et spinarum fertilissimæ. Itaque in pœnam inobedientiæ Adamus fuit *redhibitus materiæ suæ, et in ergastulum terræ laborandæ relegatus.* (6) Homo de terra et in terra plasmatus, in paradisum admissus, de illo loco voluptatis ejicitur, in ergastulum terræ laborandæ relegatur : cui Deus excolendæ terræ, in pœnam peccati *laborem operis adjecerat.* (7) Antequam delinqueret homo, erat terra

amœna, decora, florida, uberrimos producens flores et fructus : in patenti apertoque telluris sinu conspiciebantur viridantes herbæ, cæruleæ violæ, albentia lilia, rosæ purpureæ; miraque florum fulgebat varietas. Non illic videbantur infelices tribuli, non miscebantur infesta tritico lolia, non tristes succrescebant cardui, non cruentæ rosis adnascebantur spinæ, nihil occurrebat horridum oculis, asperum manibus, incultum animo : læta omnia, mollia, amabilia; ipsa sibi satis erat tellus, nulloque cultore dabat fruges quas abunde producebat exundantis naturæ gratia. At ubi homo deliquit, ubi in pœnam peccati laborandæ terræ damnatus fuit, tunc primæva illa terræ bonitas, soli clementia, fructuum ubertas, in sterile et infecundum solum, in amaros insulsosque fructus, in spinas et tribulos degeneravit. *Statim et terra maledicitur, sed ante benedicta ; statim tribuli et spinæ; sed ante fœnum, et herbæ, et arborum fructuosa : statim sudor et labor panis ; sed ante ex omni ligno victus immunis, et alimenta secura; exinde homo ad terram, sed ante de terra.* (1)

Adeo agnatus est peccato labor, ut apud Hebræos eadem vox peccatum et laborem significet; neque ad invicem nisi duntaxat puncto differant : imo absque ullo discrimine apud Vatablum et Pagninum idem omnino sonant : unde istud prophetæ Abacuc sic vertunt : « Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem ? »(2) *Quare ostendisti mihi iniquitatem et perversitatem ?* Quasi iniquitas et labor synonyma sint, vel saltem necessaria existat connexio inter laborem et peccatum ; propter quod et homo exsulat a paradiso voluptatis, et in terra tanquam in exsilio *moratur cum laboribus alienis* (3), scilicet ab innocentiæ statu : quem amittens in pœnam delicti, multis obnoxius est laboribus, neque minores patitur angustias et mœrores.

II. PARS. Quot exorti sunt mœrores, quot angustiæ *de amarissima voluptate* (4), quam cum pomo vetito gustavit Adam ! Bene amarissima nuncupatur, quæ *animi amaritudinem* (5) parturivit, quam experitur infelix peccator in vita, in morte et post mortem. Quandiu est in hoc seculo, *miserrimam hanc vitam* (6) efficiunt innumerabiles angustiæ et ærumnæ quas sustinet. *Qui redundantia fellis auruginant, amara sunt omnia.* (7) Uti autem a felle redundans bilis, omnia corpori amara efficit, ita et in anima peccatum reddit *amaritudinis vicem.* (1) Nemo scelerose vivens, qui non innumerabiles sustineat angores, sive de malo consultans, sive consilium exsequens ulciscendi. v. g. desiderio *quid amarius ?* (2) Ut enim ait D. Chrysostomus, « si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere, vide quot mala patitur : furore repletur, ab ira discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur, invadit timor et tremor, quomodo offendet, quomodo rem perficiet; et ante eum, quem est injuria affecturus seipsum perdit. » (3) Quare in persona peccatoris multa inquieto animo volventis sic fatur Regius Vates : « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. » (4) Ut autem animadvertit Theodoretus, peccatum nuncupat spinam, *tanquam inutile germen, et ad pungendum natum* : tot in corde pungentes peccator persentit spinas, quot committit flagitia, id permittit Deus, ut de suis sceleribus *amarius puniatur.* (5)

Tempore vitæ multis mœroribus et amaritudinibus repletur peccator. At imminente morte, *pluribus et amarioribus* (6) atteritur angustiis : affligitur namque et præteritorum scelerum recordatione, et præsentium bonorum amissione, et futurorum malorum repræsentatione. *Deus ante supplicium, supplicium infligit : peccatum enim in se continet pœnam, antequam puniatur.* (7) Hujus anticipati supplicii, nefandæ tristitiæ, acerbique mœroris testem, sacer textus prodit Antiochum, qui malæ actæ vitæ sibi conscius, morti proximus, « vocavit omnes amicos suos, et dixit illis : Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corrui corde præ sollicitudine; et dixi in corde meo: in quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram, et dilectus in potestate mea. » (8) Hæ sunt morientis angustiæ, hi mœrores, quanquam seri : et si illius querelæ, et gemitus Inquiramus causam, ipsemet respondebit: *Nunc reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem.* Hæc tristitiæ origo, hæc angustiarum causa, hoc tormentum mortis.

Post mortem *multo gravius et amarius eventurum* (9), quod augeri expostulat Propheta ferventiori in peccatores zelo succensus : *Appone iniquitatem super iniquitatem*

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 11. — (2) Cap. 1. — (3) Tert. L. 2. ad Uxor. 6. — (4) Tert. L. 1. ad Uxor. 5. — (5) Tert. Lib. de Pat. 12. — (6) Tert. Scorp. 1. — (7) Tert. L. de An. 17.

(1) Tert. L. de Pat. 8. — (2) Tert. L. de Spect. 16. — (3) In Psal. 7. — (4) Psal. 31. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (6) Tert. Apol. 12. — (7) D. Chrysost. in Ps. 124. — (8) Lib. 1. Machab. 6. — (9) Tert. Lib. de Monog. 6.

eorum. (1) Quasi dicat : Pœnæ pœnam adjice, supplicium supplicio cumula, hujus vitæ angustiis, imminentis mortis mœroribus, inferni adauge tormenta ; quo spectare videtur istud Philosophi Moralis : *Prima et maxima pœna peccantium est peccasse ; nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est* (2) ; et ut fatur D. Chrysostomus, *improbitas affert ei qui illam possidet exitium, et ut obruatur efficit.* (3) In vita peccator obruitur angustiis ; in morte, obruitur mœroribus ; post mortem, illum obruit tum sententia a supremo Judice in illum lata, *maxime per Væ amarior facta* (4) ; tum ejus ejectio et separatio a Deo : *Recedite a me, omnes operarii iniquitatis* (5); tum tormentorum inferni perpessio, sed priusquam illud ineffabile proponamus supplicium, demonstrandum est a peccato oriri dolores et morbos.

III. PARS. Felix innocentiæ status, ne nomine quidem noverat morbum. Nesciebat homo quid dolor, quid ægritudo, quid cruciatus corporis, at post originale delictum, *post condemnatum hominem cum seculi dote* (6), post patratum actuale delictum, dolores et morbi a peccato dimanarunt, et corpus punitur : 1. Doloribus ; 2. Ægritudinibus ; 3. Cruciatibus.

1. Constat *et animam compati corpori, cui læso ictibus, vulneribus, ulceribus, condolescit ; et corpus animæ, cui afflictæ cura, amore, angore coægrescit, per detrimentum scilicet vigoris, cujus pudorem et pavorem rubore atque pallore testetur.* (7) Attamen non *sine causa* corpus cruciatur doloribus. *Nihil in terra sine causa fit, et de humo non egredietur dolor.* (8) Quod si sciscitemur a Jobo (9), quænam eorum sit causa, quænam officina doloris, respondebit dolorem a peccato procedere. *Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos.* (10) Quasi peccatum si dolorum seminarium messisque illorum uberrima : *Nihil est enim quod majoris doloris sit quam culpæ reatus* (11); quod in muliere manifestum est : post admissum namque peccatum, *statim mulier in doloribus, sed quæ ante sine ulla contristatione* (12) Dei judicio damnata est. *Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo, vivat et reatus necesse est.* (13) Latam a Deo sententiam adversus mulierem ex Genesi mutuatam refert ibidem Tertullianus : *In doloribus et anxietatibus paries, mulier.* Est autem dolor parturientis acutissimus præsentis mali sensus : dolorem autem qui peccatum sequitur comparat Regius Vates cum dolore parturientis mulieris. De peccatore namque sic fatur : *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* (1) Unanimi interpretum consensu, pro peccato Propheta accipit dolorem, qui a peccato tanquam effectus a causa procedit. *Nemo est qui vivat in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat* (2) Quam acerbi autem sint dolores quos a peccato patitur peccator ex comparatione parturientis mulieris declarat D. Chrysostomus: *Quemadmodum enim mulieres parturientes a doloribus discerpuntur, ita etiam qui fecit dolum discerpitur, et non levi aliquo, sed vehementissimo dolore afficitur* ; cujus acerbitas potest aliquomodo conjectari ex variis morbis et ægritudinibus quibus propter peccatum affligitur corpus.

2. *Censu invaletudinis* (3) humanum corpus innumeris fere obnoxium est ægritudinibus, quæ nihil aliud sunt quam pravæ quædam corporis affectiones. Auctore namque Galeno, *morbus est dispositio contra naturam manifeste lædens functionem naturalem.* Et quia hujusmodi læsio multiplex est, multiplices etiam sunt morbi, ex quibus nonnulli organici nuncupantur, quia aliquod organum lædunt ; alii substantiales vocitantur, quia totam labefactant corporis substantiam, utrique fere innumerabiles. Etenim si ex Plinio (4) in unum oculum possunt trecenti facile incurrere morbi, quot in alia organa, quot in totam corporis molem ? Tantam morborum multitudinem attente considerans medicorum princeps audacter pronuntiat : *Totus homo a natura morbus.* (5)

Secundum medicos, naturales morborum causæ sunt in duplici differentia. Quædam extrinsecæ, aliæ intrinsecæ : ad illas reducunt elementorum injurias, malignos cœli astrorumque influxus ; morbos enim in humanis corporibus generant, aut calor nimius æstusve solis ; aut frigus acre gelidique aquilones ; aut aer plus æquo humidus, aut siccus ; aut malignæ quædam, cœli astrorumque influentiæ a medicis siderationes nuncupatæ. Intrinsecæ causæ sunt vel prava parentum complexio, quæ in prolem derivari

(1) Psal. 68. — (2) Sen. Ep. 97. — (3) In Psal. 139. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 30. — (6) Tert. L. de Pœn. 2. — (7) Tert. L. de An. 5. — (8) Tert. Scorp. 1. — (9) Job. 5. — (10) Job. 4. — (11) D. Ambr. L. de Arca et Noe. cap. 1. — (12) Tert. L. 2. adv. Marc. 11. — (13) Tert. L. 2. de Cult. Fem.

(1) Psal. 7. — (2) D. Chrysost. in Psal. 7. — (3) Tert. L. adv. Valent. 21. — (4) Lib. 26. cap. 1. — (5) Hypoc. in Aphor.

consuevit ; vel minus apta organorum dispositio, dum scilicet organa sunt, aut magis laxa, aut nimis contracta ; vel intemperies et pugna quatuor humorum inter se in corpore dissidentium ; vel insolentia laboris et studiorum ; vel nimia repletio, aut etiam exinanitio. Verum ultra has causas morborum naturales et physicas, princeps morbi, et prima ægritudinum corporis origo est originale peccatum : a quo procedunt elementorum inordinationes, quatuor humorum pugnæ, malæ astrorum influentiæ, aliæque causæ sive extrinsecæ, sive intrinsecæ, a medicis assignatæ : quod enim est causa causæ, est etiam causa causati.

Neque originale peccatum duntaxat est moralis causa morborum, sed etiam actuale peccatum, in quo possunt considerari, et formale, et materiale. Formale est vel privatio rectitudinis debitæ inesse actui, vel prævaricatio divinæ legis ; materiale est actus peccaminosus : ab utroque autem procedunt morbi corporis. Nonne a gula oriuntur podagra, chiragra, calculus, paralysis et apoplexia ? Nonne a lascivia oriuntur præproperæ senectutes, membrorum tremores et debilitates, infamesque lues venereæ ? Nonne ab odio vel amore inordinato nascuntur febres calidæ, deliramenta, furores ? Et ut concludam cum D. Chrysostomo, peccatum *fons est morborum omnium* (1), seu perennis quædam scaturigo a quo dimanant morbi omnes, velut rivuli quidam, per venas, per arterias, per nervos corporis, longe lateque diffusi. Subjungit aureum eloquentiæ flumen : Peccatum est domesticus hostis, qui in *nobis peccantibus bellum gerit per febres, morbos, dolores*, variosque cruciatus quibus affligitur corpus.

3. Marcionitam qui se a justitia Dei exemptum existimabat, sic redarguit Tertullianus: *At nunc et febricitas, o Marcionita, et cæteros tribulos et spinas dolor carnis tuæ tibi edit; in quo te putas liberatum de regno ejus, cujus te muscæ adhuc calcant.* (2) Neque solum muscis, *sed et scorpiis ejus objectus:* Neque a belluarum est feritate immunis peccator ; cuncta namque in universum corporis tormenta, ei ob peccatum obveniunt ; « Qui diligit iniquitatem odit animam suam; » (3) *Ego autem dico odit et carnem ? Annon odit qui gehennæ cumulos mercatur in dies* (4), et etiam ex hac vita cruciatus congregat ? Propter peccatum etenim merito cruciatibus additum est corpus humanum, per quod innumera facinora commisit homo : *Caro igitur increpatur in Scripturis, quia nihil anima sine carne in operatione libidinis, gulæ, vinolentiæ, sævitiæ, idololatriæ, cæterisque carnalibus effectibus* (1) : ob quos jure punitur corpus doloribus, ægritudinibus, cruciatibus, ut sicut culpæ ita consors sit et pœnæ, itaque Deus concitatæ suæ justitiæ tela contorquet in corpus quod *animam consepto suo obstruit, et obscurat, et concretione carnis infœcat.* (2)

Ex præfatis sex pro conclusione elicienda sunt : 1. Agnoscenda est dolorum et morborum causa : *Si vis curam, agnosce languorem* (3), tot ægritudines quæ corpus affligunt, non sunt adscribendæ, neque elementis, neque sideribus, sed peccato, a quo elementa deordinata sunt, et cœli malignas mutuarunt influentias. *Certum enim est, quodcunque est, ei adscribendum non per quod fit, sed a quo fit ; quia is est caput facti, qui et ut fiat, et per quid fiat, instituit. Qui ferro saucianturur, non gladium ipsum aut lanceam accusant ; sed hostem vel latronem : et naufragi non petris et fluctibus imputant, sed procellæ* (4) : et morbi, et corporis ægritudines adscribendæ sunt non elementis, non cœlis, non sideribus, sed peccatis. 2. Tollendum est peccatum, ut tollantur morbi, quia effectus tolli nequit nisi prius tollatur et causa. Peccatum autem est morborum causa, unde ut hi auferantur, illud auferatur necesse est : *Nam et hic specialis medicinæ prophetiam repræsentat, invalescunt genua dissoluta in paralytico.* (5) Christo sanandus offertur paralyticus, cui Dominus ait : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* (6) Verum id non expetit æger, sanitatem exoptat, non delictorum veniam: quorsum prius dimittuntur peccata, ut postea paralytico conferatur sanitas? *Ecce modus curationis prius dimittit peccata tollens causam morbi, post curat corpus.* (7) Frustra sanitatem quærit qui intrinsecus alit originalem infirmitatum causam, tollatur prius peccatum, quod est radix et origo ægritudinis, et infirmus facile restituetur sanitati : *Datur nobis intelligentia propter peccata, plerasque evenire corporum debilitates, et idcirco prius dimittuntur peccata, ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur.* (8) 3. Curanda est anima a peccatis antequam adhibeantur corpori remedia. Ad expellendos morbos fuit *piscina Bethsaidæ usque ad adventum Christi, curando*

(1) In Psal. 3. — (2) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 24. — (3) Psal. 10. — (4) D. Bern. de Convers. ad Cler. c. 4.

( ) Tert. L. de An. 40. — (2) Tert. L. de An. 53. — (3) Chrysolog. Serm. 30. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 5. — (5) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 12. — (6) Matth. 9. — (7) Gloss. — (8) D. Hier.

invaletudines ab Israël (1) : Christus autem advenit, non solum ad curandas corporum invaletudines, sed etiam animarum infirmitates. *Ægrotabat genus humanum, non solum morbis corporis, sed peccati. Ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens Medicus* (2), adhibuitque remedia multo Bethsaidæ piscina efficaciora, nimirum sacramenta, quæ D. Isidor. vocitat *medicinas Dei.* (3) Duo sunt remediorum genera. Quædam sanant morbos, alia acquisitam conservant sanitatem : pœnitentia expellit morbum, quam ideo nuncupat Gregorius Nazianzenus *medicam admirabilitatem* (4) : Eucharistia sanitatem conservat. Ex D. namque Ambrosio, *Eucharistia, medicina spiritualis, quæ cum reverentia degustata purificat sibi devotum.* (5) 4. Obtenta per sacramenta animæ sanitate, fugienda sunt peccata, ne rursus ægrotet et infirmetur corpus. Ecclesiastico namque teste : *Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit illum, incidet in manus medici* (6) ; qui primum in morbos decidet, et ab iis quam pessime vapulabit : et ob hanc causam, postquam Christus paralytico contulit tum animæ, tum corporis sanitatem, illum admonens: « Ecce jam sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; *sospitantis Domini verba sunt et docentis, curantis pariter et monentis* (7) ; ecce ait : Sanus factus es, noli amplius peccare. *Dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem.* Innuit Salvator mundum ac rationem servandæ valetudinis hanc esse, scilicet illibatum tenere vivendi morem, datam sibi innocentiæ legem servare velut fontem et originem sanitatis. 5. Submisse et patienter recipiendi sunt morbi, velut justæ peccatorum pœnæ et tanquam flagella ad conversionem et emendationem nostram a Deo missa. *Quod si a Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quam Domino præbeamus ?* (8) Inter flagella autem quibus Deus punit peccata et peccatores, morbos et ægritudines ponit Magnus Basilius : *Morbi sæpenumero velut quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus.* (9) Quomodo Regius Vates se in ærumna et spina conversum confitetur : Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. (10) Spina autem est æstuans febris; spina, crucians podagra ; spina, torquens calculus ; spina, quævis gravis infirmitas. *Bene autem confixus est, qui conversus exinde est : bene pungeris, si compungeris, multi enim sentiunt spinam, corrigunt culpam, et talis dicere potest* (1) : Conversus sum in ærumna mea cum configitur spina. Ex spina morborum non convertuntur peccatores indurati. *Tanquam multa febre phrenetici, insanientes in medicum, qui venerat curare eos.* (2) Quatuor insaniæ et furoris indicia præbet phreneticus. Morbum etsi extremum et periculosissimum contemnit ; in morbo quo laborat sibi complacet, et in lectulo, quasi perfecta sanitate frueretur, hilarescit ; remedia sibi oblata respuit ; tandem medicum graviter offendit. Eadem præstant peccatores, qui in suis infirmitatibus *impatientes Dei vivunt.* (3) 6. Morbi christiane tolerati sunt schola et rudimenta virtutum. Ut enim fatur Apostolus, *virtus in infirmitate perficitur.* (4) Seu, ut legit D. Ambros. *consummatur.* Hunc autem locum de corporali morbo intelligit D. Paulinus, loquens de probo Christiano : *Quem potentem, ut prædicat Apostolus, faciebat infirmitas* (5), quasi corporis infirmitas sit animi potentia et valentia spiritus. *Nequaquam nobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Ideo sancti viri infirmiores, se esse faciunt, quia si fortes fuerint, sancti esse vix possunt.* (6) Infirmitas etenim est exercendæ virtutis incitamentum. Nam, ut subjungit Massiliensis Antistes, *infirmitas carnis vigorem mentis exacuit et affectis artubus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum.* (7) Timothei prodit exemplum Clemens Alexandrinus, quem *pulchre admodum ægrotare* testatur, quia in magna humorum distemperie, proportionem servavit virtutum, Deoque vicinior effectus est. Studiosi Christiani *anima morbo affecta Deo propinqua est* (8) per submissionem, dilectionem, gratiam, quæ est medium ut Deo uniatur per gloriam.

(1) Tert. L. adv. Jud. 13. — (2) D. August. Serm. 59. de Verb. Dom. — (3) Dist. 23. — (4) Orat. 10. — (5) In 1. Cor. 11. — (6) Cap. 38. — (7) Joan. 5. de Cypr. — (8) Tert. L. de Pat. 11. — (9) Quæst. 19. — (10) Psal. 41.

(1) D. Bern. Serm. 48. in Cant. — (2) D. August. in Psal. 63. — (3) Tert. L. de Pat. 16. — (4) 2. Cor. 12. — (5) Epist. 1. — (6) Salvian. Lib. de Guber. Dei. — (7) L. 1. Pæd. cap. 2. — (8) Gregor. Naz. Orat. ad Cives. Nazianz. — (9) Tert. L. de Res. Car. 8.

CONCIO QUARTA.

Divina justitia *per atrocissima quæque ingenia pœnarum* (9) peccata punit, et peccatores flagellat, non solum fortunæ adversis, calamitatibus publicis, doloribus et morbis, sed adhuc conscientiæ stimulis. *Conscientia quovis stimulo acrius pungere*

consuevit peccatorem. (1) Conscientiam nobis Deus dedit velut censorem qui nos arcere a prohibitis, et velut monitorem qui nos ad exsequenda præcepta hortaretur. *Custodiæ officium, conscientiæ officium est.* (2) Quod non ignorans Epictetus, ait, parentes, nos pueros pædagogo : Deum vero, jam viros, tradidisse conscientiæ custodiendos : itaque ex mente illius philosophi conscientia idem præstat officium erga adultos quod pædagogus erga pueros ; pædagogus erudit pueros, et inobsequentes flagellat : conscientia quoque adultos instruit et cruciat : et ut belle fatur Moralis Philosophus, *conscientia ante peccatum est frænum, post peccatum est flagellum* (3) quo Deus flagellat peccatores ; et ut fatur Tertullianus, *tormenti ratione stringit.* Hoc etiam flagelli genus novit supra laudatus Moralis Philosophus solo lumine naturali illustratus : *Facinorum mala flagellantur a conscientia, cui plurimum tormentorum est*, cujusvis namque facinoris *virus intimat et properat in viscera* (4) et conscientiam torquet : ad cujus probationem *hic et conscientiam advoco, conscientiam appello* (5) peccatoris, qui si verum dicere velit, fatebitur : *proprii reatus conscientia, non me requiescere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet* (6), quo nihil justius. Ut enim habetur in jure civili (7), ingentia crimina punienda sunt ubi fuere perpetrata. Propheta quoque Deum deprecatur : *Contere impios in loco suo* (8) ; ubi Magnus Gregorius : *Ubi oritur impietas, ibi conteritur* (9), in corde autem peccata suam duxerunt originem : *Et bene quod in animo et conscientia deliqui, Dominus dixit* (10) : idcirco cor punitur, et *mala conscientia propriis agitur stimulis* (11); quæ melius repræsentari nequit quam velut 1. Mare æstuans ; 2. Tribunal justitiæ condemnans ; 3. Infernus crucians.

I. PARS. *Sic et mari fides infamis* (12) ob ventos, procellas quibus agitatur, et pericula naufragandi quibus naves expositæ sunt. Quandiu in peccatis versamur, *recogitemus etiam ipsam conscientiam.* (13) Nonne impius assimilatur procelloso et periculoso mari : qua similitudine utitur Propheta Evangel. *Impii quasi mare fervens quod quiescere non potest.* (14) Procellosum mare, ventorum turbine agitatum, nunc de suo velut extractum sinu, versus cœlum ascendere nititur ; nunc fluctus suos summo stridore scindens, ad inferos descendere videtur ; nunc hinc, nunc illinc suum dirigit cursum, semper inquietum, nullibi pacem, sed intra semetipsum undique experitur bellum. Ut autem ait Dionysius Carthusianus præfatum Isaiæ elucidans locum : « Quemadmodum mare tempestuosum et fervens, inquietum, turbulentum et subversivum est navigantium, sic homines pravi et impii semper turbulenti sunt corde et animo inquieti. » Eodem modo istud Jeremiæ, *magna est velut mare contritio tua* (1), intelligit Hugo Victorinus : « Quid per mare nisi conscientia prava accipitur, quam et memoria præteritorum scelerum, et delectatio præsentium huc illucque impellendo exagitant ? Quasi enim fluctus quidam e regione venientes ad invicem se collidunt, quando infelicem animam quodammodo semper et pœnitentia præteritorum errorum suorum retrahit, et amor præsentium impellit. Et quia in hac tanta contradictione, illa qualiscunque miseræ delectationis dulcedo, semper admixto dolore inficitur, recte prava conscientia, non solum inquietudine, sed etiam amaritudine, mare appellatur. » Recte igitur pœnalissimus pravæ conscientiæ angor, præ magnitudine tormentorum mari comparatur. Quemadmodum enim amarissimæ maris aquæ, et altissime profundæ sunt, et longissime latissimeque undequaque protenduntur, ita malæ conscientiæ amaritudo atrociter fluctuans, et profunditate ad inferos, et longitudine ad æternitatem, et latitudine, ad mortem, judicium et damnationem extenditur : et ut methodice more nostro procedamus, mare est procellosum, salsum et periculosum : ut procellosum, ostendit agitationem ; ut salsum, præbet amaritudinem ; ut periculosum, ingerit formidinem : prava conscientia ferventi assimilatur mari, 1. Agitatione ; 2. Amaritudine ; 3. Formidine.

1. Mare *dum et flabris æque mutantibus, de tranquillo probum, de flustris temperatum, et ex templo de decumanis inquietat.* (2) Scelerosa conscientia tanquam turbatum et procellosum mare continue inquietatur. *Conscientia mala contristat animam, eamque Deo exhibet immundam, Angelis fœdam, sibi ipsi turbatam et inquietam.* (3) Hanc veritatem passim docent auctores, sive Gentiles, sive Christiani : ex Gentilibus tres duntaxat adduco : 1. Ciceronem, sic peroranten : *Suum quemque scelus agitat, amen-*

(1) D. Chrysost. Hom. 4. de Lazaro. — (2) Tert. L. adv. Valent. 1. — (3) Epist. 97. ad Lucil. — (4) Tert. Scorp. 1. — (5) Tert. Lib. de Idol. 23. — (6) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. cap. 18. — (7) Lib. Capitalium 55. de Pœnit. — (8) Job. 40. — (9) Lib. 52. Moral. 7. — (10) Tert. Lib. de Idol. 23. — (11) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. cap. 23. — (12) Tert. L. de Pall. 2. — (13) Tert. L. de Exh. Cast. 10. — (14) Isa. 57.

(1) Thren. 2. — (2) Tert. L. de Pall. 2. — (3) D. Bern. de Inter. Dom. cap. 23.

tiaque afficit : suæ malæ conscientiæ animi terrent : hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque a sceleratis pœnas repetunt. (1) 2. Quintilianum in suis Declamationibus sic exclamantem : *O tristis recordatio ! o tormentis omnibus gravior conscientia* (2), miserum peccatorem continua agitatione inquietans ! 3. Philosophum Moralem sic belle ratiocinantem : *Bona conscientia turbam advocat ; mala autem in solitudine anxia et sollicita est* (3), velut mare fervens, quod quiescere non potest, seu tanquam Euripus continuo æstu perturbatus.

Ex Christianis autem auctoribus tres duntaxat prodo : audiatur 1. D. Isidorus : *Nulla pœna gravior mala conscientia, quoniam nunquam securus est reus animus, mens enim malæ conscientiæ propriis agitatur stimulis.* (4) Quot cogitationes conturbant, tot sunt stimuli qui eam pungunt. 2. Assensus præbeatur D. Augustino asseveranti peccatorem, neque in intus et in seipso, neque foris et extra seipsum ullam habere requiem : non intra seipsum ; quia turbatam suam non potes fugere conscientiam. « Quidquid vis potest fugere, homo, præter conscientiam tuam. Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra interiora, interius nihil potes habere quo fugias a conscientia tua, si rodunt te peccata tua. » (5) Neque adhuc peccator extra seipsum majori potitur requie, inordinato scilicet terrenorum amore, quæ anxie perquirit, ut foris gaudeat tranquillitate, quam intus non habet. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, « domus nostra interior cor nostrum est. Hanc domum quisquis habet malam pellitur ab illa foris. Quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quomodo quisquis ab stillicidio exit de domo sua, aut a fumo, non ibi se patitur habitare : sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exemit a seipsis animi intentione, et de his quæ foris sunt circa corpus delectantur, quietem in nugis, in spectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris voluerunt sibi bene esse ? Quia non illis intus bene unde gaudeant in conscientia sua. » (6) Etsi peccator, nullis afficiatur fortunæ adversis ; nullis torqueatur doloribus et morbis ; nullis puniatur exterius iræ divinæ flagellis · attamen *vexant peccata conscientiam, ipsique animo nocent cum luce justitiæ peccando privatur ; etiamsi non sequantur dolores, qui vel corrigendis ingeruntur, vel non correctis ultimi reservantur.* (1) Magnum sane intercedit discrimen inter justum et peccatorem : justus quantumvis tribulationibus, adversitatibus et persecutionibus foris exagitatus, intus tamen requie et tranquillitate fruitur, quia Deum habet in se inhabitantem. « Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod conscientia vocatur, ubicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet et inveniet Deum. » (2) Peccator econtra, etiamsi foris nullas tribulationes, adversitates, et persecutiones patiatur, sed potius cuncta fortunæ bona ad nutum possideat, attamen intus in conscientia turbatur. Nam « ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatis, quoniam et ibi Deus non est. » Ut autem aliorsum philosophatur D. Augustinus : « Nullæ pœnæ graviores sunt quam malæ conscientiæ. In qua cum Deus non habetur, consolatio non invenitur ; (3) » sed inquietudo indesinenter cordis cogitationes conturbans. *Quisquis malorum hominum videret truces conscientias ; quisquis eorum animas posset inspicere diverberari tantis perturbationibus cupiditatum et timorum, videret illos miseros, quando felices putantur.* (4) Quod declarat adhuc D. Hieron. (5) elucidans præfatum Isaiæ locum : Putant et imaginantur sibi peccatores viam pacis, viis ipsorum inesse, quietum in suis iniquitatibus, dum cordis sui explent desideria, et desideratis fruuntur objectis, tranquillam sibi imaginantur vitam ; pacificum atque felicem suum æstimant statum, sed decipiuntur atque falluntur. *Tranquillitas ista tempestas est.* Externa fortunæ et corporis tranquillitas, est interna animi, mentisque tempestas, et cordis amaritudo. *In pace amaritudo amarissima* (6), in tranquillitate tempestate agitatur peccator ; in pace bello turbatur, et dum seculi gaudiis perfrui videtur, tunc amarior est conscientiæ amaritudo.

2. *Mare olet salsuginem* (7), ejusque aquæ amarissimæ sunt. Prava conscientia mari assimilatur, non solum ob mentis agitationem et inquietudinem, sed etiam ob *animi amaritudinem.* (8) Quod innuit Jacobus Apostolus, aiens : *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* (9) Communiter commentatores hunc locum interpretantur : vel de morte quam lethale peccatum affert animæ, destruendo gratiam, a

(1) Orat. pro Roscio. — (2) Declam. 12. §. 38. — (3) Epist. 43. ad Lucil. — (4) Lib. 2. Solil. — (5) D. Aug. in Psal. 30. — (6) In Psal. 100.

(1) D. August. L. 26. Cont. Faust. c. 3. — (2) D. August. in Psal. 45. — (3) Lib. de Vera Innoc. cap. 191. — (4) D. August. in Psal. 74. — (5) Cap. 57. — (6) Esai. 38. — (7) Tert. Lib. 2. ad Nat. 12. — (8) Tert. L. de Pat. 12. — (9) Jacob. 1.

qua supernaturalem mutuatur vitam ; vel de morte æterna, qua in inferno puniuntur peccatores. Verum quorumdam recentiorum mihi arridet opinio, qui Jacobum intelligunt de cordis amaritudine, seu amarissimo conscientiæ angore, ex peccati consummatione generato. Quo sensu de peccatore ait Regius Vates : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (1) : nondum prodiit ex utero facinus, et parentem immensis torquet doloribus : embrio ille informis, quem voluntas in suo concipit sinu, cordis dolor est, antequam prodeat in lucem et transeat ad opus. Alludere videtur Propheta ad mulieris parturitionem : uti enim parturientes mulieres afficiuntur doloribus, ita peccator vehementissimo afficitur dolore. Duplex tamen agnoscit D. Chrysostomus discrimen inter parturientem mulierem et parturientem peccatorem. 1. Mulieri gravidæ, nullus ante partum occurrit dolor, sed duntaxat in partu angustiatur : peccator prius concipit dolorem, quam parturiat injustitiam, quia *hic dolor est a principio : simul ac enim quisquam de malo consultavit, tumultus ac turba est in cogitatione.* (2) 2. Dolor parturientis mulieris brevissimus est, et ob gaudium natæ prolis ita mitigatur ut vix de illo ulla remaneat recordatio : « Mulier cum pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. » (3) At contrarium evenire solet in partu peccati, mox ut transiit ad opus, in peccatore ingens enascitur dolor, acres stimuli, perennes angustiæ, ita ut partus sit magis doloris quam peccati. Quod si in concipiendo peccato aliquis fuisse videatur voluptatis æstus, peccatum *simul atque commissum est, reperitque finem, tunc demum exstincta voluptate amarus pœnitentiæ stimulus succedit* (4) : cujus pulchram subministrat D. Ambrosius rationem : « Quia dum in quadam sumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam conscientiæ mens obducitur, ne videat eorum quæ concupiscit deformitatem ; sed cum omnis nebula transierit, gravia tormenta exercentur in quodam male conscii secretario. » (5) Animadvertit acute D. Chrysost. Christum fuisse in latere et costa percussum, unde exivit sanguis et aqua ad eluendas peccati lues : quia scilicet per costam, hoc est Evam, peccatum introierat in mundum : costa peccavit, costa lancinatur et dolet : exiguum oblectamentum lanceæ ferro et incredibili acerbitate punitur.

(1) Psal. 7. — (2) D. Chrysost. in Psal. 7. — (3) Joan. 16. — (4) D. Chrysost. Hom 4. de Lazaro. — (5) Lib. 2. de Abraham. c. 4.

Belle ad propositum D. Hilarius : *Vitiorum gaudia cum sunt intellecta comprimant.* (1) Falluntur sane qui jucundum existimant vitium et fucatæ voluptatis dulcedine rapiuntur : si qua sit in peccato jucunditas, est duntaxat picta, et sub apparenti gaudio meram occludit molestiam. *Conscientiam tuam perrogabo.* (2) Infelix peccator, ipse me redarguat si non quod dico experimento didicit. Quod non ignorantes quidem philosophi docent apud Lactantium Firmianum (3) vitia quibusdam naturalibus delinimentis hominum allicere animos, et inanium jucunditatum specie captos, ad acerbas perducere amaritudines ; sed quod philosophi sapientia illustrati docuerunt, idiotæ quique sola experientia eruditi, facile percipere possunt nullam solidam et veram a peccato concipi lætitiam, sed tantummodo animi molestiam et cordis amaritudinem. *Quando homo non sub peccato tristis ? quando non sub morte lugens ? quando non sub dæmonibus pallens ? quando non sub idolis tremens ? quando non sub criminibus desperatus ? Et ideo homo dabat extrema suspiria, quando tales, tam crudeles dominos sustinebat.* (4) Eloquenter Chrysologus describit mœrorem et amaritudinem peccatoris sub dominatione dæmonis et tyrannide vitiorum. Nam, ut fatur D. Cyprianus, *suspirat ille in convivio, vigilat in pluma.* (5) Sumptuosis accumbat peccator conviviis ; ventrem pretiosissimis repleat cibis ; exquisita et delicata vina, de aureis et gemmatis hauriat poculis : attamen inter mensæ dapes et delicias suspirat et gemit ; molli incumbat lecto, nihilominus vigilat in pluma, insomnes ducit noctes, et stimuli peccatorum quibus *quasi gladio pungitur conscientia* (6), somnum fugant ab oculis ejus, cor mœstitia et amaritudine replent, tolerans in animo minatas in scelerosos Judæos pœnas : *Consumentur fame, et devorent eos aves morsu amarissimo.* (7) Hunc locum flectit Hugo Cardinalis ad male dulces peccatorum voluptates : etenim hujusmodi morsus qui putatur dulcis, suavis, melleus ; reipsa insuavis, amarus et felleus est : et ita miser peccator, voluptatis fame appetenter hians, morsu amarissimo satiat deliciarum famem ; et ut fatur Seraphicus Doctor, *fit, ut anima quæ satiari voluit in ipsis delectationibus creaturarum, infinitis amaritudinibus repleatur : quia quanto delectatio mundana spiritus secreta ingreditur, tanto veneno mortifero lamentabiliter adimpletur.*

(1) In Psal. 59. — (2) Tert. Lib. de Pall. 5. — (3) Lib. 6. cap. 3. — (4) Chrysol. Serm. 6. — (5) Lib. 2. Ep. ad Donat. — (6) Prov. 12. — (7) Deut. 32.

(1) Anhela delectationum fames, et hians criminosæ voluptatis desiderium, cor infinitis replet amaritudinibus: finitam et fucatum delectationem appetit peccator et infinitas easque reales invenit amaritudines, dum exspectat fall.. es seculi voluptates; amaritudines adhuc dum eas amittit; tandem amaritudines, in ipso usu dum illis potitur: etenim *sive bibat, sive convivio accumbat, sive alienos deturpet thoros, et ibi sepeliatur gustu, tamen ubique tremor atque pavor* (2), et scelerosa ejus conscientia pungitur amaritudine. *Quæ major voluptas quam conscientia integra?* (3) at econverso *nulla pœna gravior est prava conscientia.* (4) Justus integram habens conscientiam, ineffabili fruitur voluptate: peccator oneratam criminibus habens conscientiam, continuo in amaritudine vivit: *Et quid dulcius bona conscientia, quæ si non est, et mala est, pungit, et amara sunt omnia.* (5) Christiane, *vis nunquam esse tristis? bene vive: bona vita semper gaudium habet; conscientia rei semper in pœna est* (6), et in amaritudinibus versatur. Nam *quæ possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum exspectatio* (7), quæ scelerosam misere cruciant conscientiam inquietudine, amaritudine et formidine?

3. Tot *nominatoria pericula* (8) pravam conscientiam mari assimilant, et metu et terrore exagitant; etenim *timor suppliciamentum habet.* (9) Hujusmodi autem timor quo punitur scelerosus peccator, *non de integra conscientia venit* (10); sed potius de criminosa conscientia procedit: fiducia et securitas est *officium bonæ conscientiæ.* (11) Quod innuere videtur Apostolus dum ait: « Finis præcepti charitas, de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. » (12) Ut enim animadvertit D. Augustin. (13) Paulus « pro spe conscientiam posuit: ille enim sperat, qui conscientiam gerit bonam: quem vero pungit mala conscientia, retrahit se a spe, et non sibi sperat nisi damnationem. » Fiducia igitur et timor pro statu aut gratiæ, aut peccati, *quasi de conscientia* (14) nascuntur. Justi, non timore servili formidant, sed filialem timorem cum spe et fiducia consociant: juxta illud Sapientis Proverbium: *In timore Domini fiducia fortitudinis.* (1) Inde colligit Magnus Gregorius: « Nihil simplici corde felicius, quia quod innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem quamdam fortitudinis simplicitatem suam. Nec suspectus est pati quod se fecisse non meminit: unde bene per Salomonem dicitur: In timore Domini fiducia fortitudinis. » (1) Justus de bona conscientia securus, tranquillam ducit vitam: de securitate tranquillitas, de innocentia orta securitas ab ejus animo mundanum propulsat timorem: quia innocentiam erga alios exhibens, ab aliis nihil pati formidat. Qui non formidat quicquam ab aliis pati, securus est, tranquillamque ducit vitam: ex D. namque Ambrosio, *vitam beatam efficiunt, tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ.* (3) Homo innocuus magnanimis gerens animi fortitudinem, in quovis vitæ discrimine, secure et pacate versatur: illum nulla imminentis mali suspicio turbat, inquietat et angit. *Satis est illi conscientia sua* (4), quæ est arx domestica ad quam se recipit, seu asylum ad quod tuto confugit: in illa arce vibratas acerbius minas securus deludit, in illo asylo imperterritus existit, et a timore inexpugnabilis permanet; habens *bonæ conscientiæ pignus* (5); quæ quanquam malis obsessa et oppugnata stat tamen impavida. *Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cum corpus moritur; secura, cum anima coram Deo præsentabitur; secura, cum in die judicii ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur. Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit bona conscientia. Subjiciatur corpus in pœna, in injuriis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur, secura erit conscientia* (6), sibi nullius criminis conscia.

Uti tranquilla justi securitas *de conscientia procedit* (7); ita peccatoris formido et pavor a scelerosa ejus oritur conscientia: etenim *nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sui.* (8) Scelerosus trino conturbatur timore: post male agendi propositum quod concepit *cum injuria conscientiæ suæ* (9), timet ne illud exsequi non possit: dum conceptum in corde malum exsequitur, et opere adimplet, *cum conscien-*

(1) Tom. 2. Opusc. part. 2. Mist. Theolog. part. 1. — (2) Chrysost. Hom. 29. in Gen. — (3) Tert. Lib. de Spect. 29 — (4) D. Bern. tr. de Inter. Dom. c. 25. — (5) D. August. Tract. in cap. ult. Prov. — (6) D. Bern. ibid. — (7) D. Chrysost. Hom. 3. de Verbis Isaiæ. — (8) Tert. L. de An. 15. — (9) Tert. L. de Fug. in Pers. 9. — (10) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (11) Tert. L. adv. Herm. 1. — (12) 1. Timoth. 1. — (13) Præf. in Ps. 31. — (14) Tert. Apol. 16.

(1) Prov. 14. — (2) L. 12. Mor. 21. — (3) L. 2. Offi. 1. — (4) Tert. L. de Car. Chr. 3. — (5) Tert. L. de Vel. Virg. 14. — (6) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. c. 23. — (7) Tert. L. de Exh. Cast. 10. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (9) Tert. L. de Car. Chr. 3.

tia mortis (1) timet, ne in facto deprehendatur et supplicio puniatur; post patratum adhuc facinus, timet, cogitur enim continuum *adversus conscientiam suam sustinere* (2) pavorem.

Timor est animi passio ad appetitum irascibilem spectans, malumque arduum futurum et imminens respiciens : a quo dubii motus cordis, terrores, animi tempestates, turbines et formidines excitantur, eo vehementiores, quo malum imminens quod timetur, majus magisque arduum videri potest quodnam majus malum, quam illud quod a Deo irato et vindice exspectat et pertimescit peccator ? et *hæc est secunda peccandi pœna, timere semper et expavescere, et securitati diffidere.* (3) Hanc peccati pœnam comminatus fuerat Deus olim sceleroso populo judaico : « Dabit tibi Dominus cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore : et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. Mane dices : Quis mihi det vesperum ? et vespere : Quis mihi det mane ? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea quæ tuis videbis oculis. » (4) Terrore adhuc punitur quilibet peccator, cujusvis sit gradus et conditionis. *Nec ullum scelus licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est.* (5) Nulla dignit ab acerbissimo illo cruciatu, ab horribili illa formidine eximit conscientiam : neque immunes sunt in castris duces, in tribunalibus senatores, in throno reges, in purpura pontifices. *Neque enim mihi dixeris illum mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro : sed explica mihi istius conscientiam, et videbis intus gravem peccatorum tumultum, ingementem metum, tempestatum turbinem.* (6)

Quemadmodum Tisiphone poetica, ferro et flamma, et multiplici dracone cincta, furiali motu circumsistit, nec terrificus illius aspectus, et crudeles minæ vitari possunt: sic patratum scelus horribilem conscientiæ ingerit metum, terrifica peccati imago nefandam undique perniciem intentat; cunctos in universum conturbat et terret criminosos, non thiaras reveretur pontificum, non sceptra et diademata regum, non excubias militares principum, non crepantes auro vestes, non radiata jaspo et marmore palatia, non auream oratorum eloquentiam, non sublimem philosophorum sapientiam. Adest domi, foris, ubique, etiam in lecto, mediisque noctis tenebris, *ipsas nequitia timet tenebras.* (1) Sese audacter ingerit larva peccati, atque inter mimos et histriones, cruentam excitat tragœdiam : inter suavissimos harmoniæ sonos, inter opiparos opulenti convivii cibos, inter gratos amicorum cœtus, inter amœnissimos jocos et ludentium risus, inter maxima quæque seculi oblectamenta dilacerat pectus conscientia, et peccatoris animum metu et pavore conturbat. *Quid prodest, si exteriora serenitas teneat, interiora, tempestas* (2), corpus corporibus affici lætitiis, in anima pati *affectus pungentes illam, et cruentantes?* (3)

Perterritum a prava conscientia peccatorem sic graphice depingit Job : *Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui paratur ad prælium.* (4) Peccata quæ in sua conscientia velut in libro legit, terrebunt illum ; etenim *proprium est nocentium trepidare* (5) ; angustia vallabit illum : divino namque jussu, obsidetur, arcteque circumcingitur conscientiæ velut copiis, continuo terrore frementibus, sicut regem qui præparatur ad prælium. Rex, regno et fortunis exutus, qui profligatis stipendariis militibus, exsulum et latronum collecta manu, destinat committere prælium ; dum gladium lanceamque sumit, expavescit, animus exhorret, cui multa simul objiciuntur pertimescenda. Nimirum agi de summa rerum, de regno, libertate, vita ; magnam esse hostium potentiam ; paucos sibi et infidos comites ; periculum ingens imminere, terribilemque jam mortem telum inferre ; aliaque his similia ante oculos habens rex infelix, de ejus manibus arma cadunt, genua tremunt, cor fugit, corpus frigido perfunditur sudore ; cadaver est spirantis hominis, et miser princeps tot pavoribus perterritus, ante prælium victus et exsanguis videtur. Talem repræsentat Propheta hominem scelerosum, variis terroribus in conscientia turbatum. Nunquam et nusquam tutus pacatusque est, et sui compos, ubique panico velut terrore cruciatur. *Sonitus terroris semper in auribus illius : et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* (6) Vos ego compello peccatores, *provocans ipsam conscientiam vestram* (7), ubi subitum malum occupavit, ubi pestis vicinos invasit, ubi mugire tonitrua, micare fulgura, evertere terræ motus : quantus in animo vestro exoritur

(1) Tert. Lib. de Test. An. 6. — (2) Tert. L. de Car. Chr. 3. — (3) Sen. Ep. 97. — (4) Deut. 28. — (5) Senec. ibid. — (6) D. Chrysost. Hom. 1. de Lazaro.

(1) Senec. ibid. — (2) Cæsar. Hom. 2. — (3) Philo Jud. L. de Alleg. Leg. — (4) Cap. 15. — (5) Sen. Ep. 97. — (6) Job. 15. — (7) Tert. L. 2. ad Nat. 1.

tumultus, quam grandes terrores vestram concutiunt conscientiam? Quis tremor, quis pallor vestra non exagitat corda? Quis nesciat Caligulæ pavores, qui, ut refert Suetonius, « ad minima tonitrua et fulgura connivere, caput obvolvere, ad majora vero proripere se e strato, sub lectumque condere solebat? (1) »

Verum quid eo tonitrua et fulgura adduco quæ terreant peccatores? Quid sonitum terroris et armorum dico? *Si apud conscientias pulsem* (2), minori de causa se perterritas fatebuntur; ad instar Judæorum ad quos exterrendos levius quid comminatus est Deus: *Dabo pavorem in cordibus eorum, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente.* (3) Levis auræ commotio, mollis foliorum collisio scelerosam fatigat conscientiam: quod justi leve existimant, peccatores censent gravissimum, et quod illis ad solatium facit, istis multum ad metum et terrorem confert, ut ex Ægyptiis comprobatur. *Sive spiritus sibilat, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.* (4) Solet iter habenti ad levandum viæ tædium, opportunum videri si levior aspiret zephyrus; si sibilus auræ tenuis; si densa inter nemora suavis avium concentus; si lene fluens rivulus, et ad collucentes lapillos molli fractione immurmurans aqua; si in aperta planitie innoxie lascivientia animalia; si inter prærupta saxa, ingentiumque rupium minas et vallium concava, resonans echo audiri cœperit. Hæc omnia viatori nescio quo lætitiæ sensu aperiunt animum: at peccatori constringunt, et immani metu concutiunt, ut ex Ægyptiis constat, quibus hæc omnia pœnalissima fuere terriculamenta. *Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, et quemque existimant contra se venire.* (5)

Testis hujus est infelix Caïn, qui omnes contra se venire queritur. *Omnis qui inveniet me, occidet me.* (6) Miser! non est cur tantopere contremiscas. Quis est iste omnis a quo tibi tantam incutis formidinem? Nullus hominum est in mundo præter te, Adamum et Evam parentes tuos, quorum manus prolis suæ sanguinem non effundent: verum licet nemo esset tunc temporis super terram præter Adamum, Evam et Caïnum; multæ tamen morabantur belluæ, quarum ferocitatem pertimescebat Caïn. Omnis qui inveniet me occidet me. Quasi dicat: Patrem et matrem non timeo, nec ab his suspicor mortem, sed bene ab ursis, lupis, draconibus, leonibus, aliisque feris, quas omnes velut infensissimos hostes timeo, ad horum conspectum pavidus contremisco: ideoque quocunque figebat Caïn oculos, omnia adversus se armata credebat. Auctore namque Procopio, cum oculos in terram dejiciebat, contra se serpentes veneno, leones dentibus, unguibus ursos, tauros cornibus, calcibus equos, ad necem suam conspirasse existimabat. Aliter Caïni verba expendit D. Ambrosius, et formidantis conscientiæ indicia et signa recenset: *Cum adhuc a Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum: latebat miser tremens et timens, et cum adhuc percussor deesset, ipsa sese injusti vita cruciabat.* (1) Tertiam explanationem adducit Eucherius, vultque Caïnum timere ab hominibus futuris et nondum existentibus; *ita illum commissum in fratrem crimen pavidum reddidit, ut jam timeret ab illis qui adhuc non exstabant.* (2) Tantus erat in fratricida timor ac pavor, ut a superventuris timeret hominibus? At quinam homines erant futuri? Caïni scilicet fratres, filii, nepotes, et tamen ab illis nondum existentibus contremiscit.

Caïn a Deo securitatis acceperat signum ne qua fera illi noceret: ipsemet Caïn civitatem ædificavit, velut asylum in quo latere et tutus esse posset; attamen neque in illa sua civitate tutus et pacatus potuit esse Caïn: urgente metu, exstimulante conscientia, corde pavido e civitate, in vicina nemora, densasque sylvas transfugit, in quibus sese alte condidit, sed neque ibi tute et secure existit: miser Caïne, *cur enim et lateas, cum ignorantia alterius tuam conscientiam* (3) a metu et tremore eximere nequeat? Divina justitia tuam persequitur facinus in solitudine non secus ac in civitate, ubicunque existas, conscientia tua est tuus judex, tuus tortor et tuus carnifex. Et ob hanc causam dedit tibi Deus in signum, non canem ante te latrantem, te, tuumque scelus denotantem, neque eminens in tuo fronte cornu; neque primam Abelis litteram in facie tua impressam, velut stigma infamiæ et notam tuæ crudelitatis, neque sanguineam et volubilem oculorum aciem, sed continuum capitis et totius corporis tremorem, velut signum et

(1) Sueton. in Calig. c. 50. — (2) Tert. Apol. 9. — (3) Levit. 26. — (4) Sap. 17. — (5) D. Chrysost. Hom. 8. ad pop. Antioc. — (6) Gen. 4.

(1) In Psal. 35. — (2) In c. 4. Exod. — (3) Tert. L. de Idol. 13.

indicium perterritæ et cruciatæ tuæ conscientiæ, quæ adversus te partis, judicis et tortoris exercet officium : *Acceperat signum, ne eum aliquis occideret; non ut vitæ suavitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, ut percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem ut percussor inhiberetur : sed sine ulla intermissione, ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor* (1), exsequens latum in conscientiæ tribunali judicium.

II. PARS. *Sic enim et poetæ et philosophi tribunal apud inferos ponunt.* (2) Ex D. Bernardo scelerosa conscientia infernus est ; *infernus quidam et carcer animæ rea conscientia* (3) : et ex Gregorio Nazianzeno, est adhuc *conscientia domesticum et verum tribunal.* (4) In ipsa namque criminosi peccatoris conscientia domesticum peragitur judicium ; et ob hanc causam, D. Chrysost. conscientiam nuncupat : *Tribunal quasi divinum, a Deo mentibus nostris impositum.* (5) Ad hoc tribunal velit nolit sistitur animus, nec illius judicium ullo modo vitare aut impedire potest : siquidem *cogente conscientia, unusquisque erit accusator et judex suus.* (6) In domestico illo et interno conscientiæ tribunali, eadem reperiuntur quæ in externo et judiciali hominum foro. *Apud tribunalia præsidum* (7) adferendum judicium, et damnandos reos et scelerosos, requiruntur partes accusantes, testes deponentes, judices sententiam ferentes. *In domo propria et a propria familia habeo accusatores, testes, judices, accusat me conscientia, testis est memoria, ratio judex.* (8) Hæc tria in tribunali conscientiæ concurrunt ad condemnationem peccatoris, erga quem in hoc judicio, eodem modo se habet conscientia, quo Deus in ultimo judicio. In ultimo judicio Deus adversus præscitos obibit munus partis accusantis, testis deponentis, et judicis condemnantis : scelerosa quoque conscientia est pars accusans, testis deponens, judex condemnans; itaque in domestico tribunali judicatur peccator, conscientiæ 1. Accusatione; 2. Depositione; 3. Condemnatione.

1. In foro judiciali adversus reos et criminosos *sine accusatore* (9) non procedunt judices : tum ne *adversus formam, adversus naturam judicandi* (10) sententiam ferant, et innoxios injuste condemnent ; tum ut innocens falso de crimine notatus, agere possit adversus partem accusantem, quæ in pœnam injustæ et falsæ accusationis pœnæ talionis subjicitur, et in ære, vel honore, vel corpore punitur. Et ob hanc causam, qui noxii *dicuntur, et proprio ore, et mercenaria advocatione utuntur ad innocentiæ suæ commendationem* (1) : et ut subjungit Tertullianus, cunctis sceleribus sibi objectis *respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari.* In basilica cordis humani tribunal constituit Deus, legesque in ejus tabulis suo incidit digito, et ne innocens condemnaretur tanquam noxius inauditus et indefensus judicaretur, rationem creavit judicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, quæ vel accusant, vel defendunt homines : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* (2) In Græco habetur ratiocinationibus vel disceptationibus accusantibus homines dum male agunt, quibus conscientia naturaliter dictat, v. g. furtum esse peccatum, utpote justitiæ contrarium, lasciviam esse criminosam tanquam a ratione et naturali honestate et pudore alienam ; ratiocinationibus e converso defendentibus homines cum bene agunt ; quod intendit Menander, cum dixit : *Mortalibus cunctis conscientia est Deus*, id est, vice Dei, cogitationibus et disceptationibus utens, ut homines bene aut male egisse convincat : unde *conscientia sui ipsius cordis cognitio* (3) nominatur, et apud Græcos idem sonat ac *simul scire*, et apud Hebræos importat *rationes cordis.* Cor est princeps in homine sedes, et nobilissimarum officina operationum, in qua concurrunt rationes, disceptiones, quæ homines vel nocentes accusant, vel innocentes excusant : idcirco cordis sibi conscii testimonium, vel pro seipso, vel contra seipsum prolatum, conscientia dicitur : quæ adversus peccatorem est *amarulenta accusatrix, adhibens cogitationes et male gestorum pertinacem memoriam.* (4) Quod innuit Sapiens dum ait : *In cogitationibus impii interrogatio erit : sermonum autem illius auditio ad eum veniet ad correptionem iniquitatum illius.* (5) Quænam autem sit hæc interrogatio quam in cogitationibus suis invenit impius, perfecte declarat Imperfectus, aiens *in nobis esse positum a Deo quemdam spiritum scientiæ boni et mali, ut quotiescunque peccamus, ille in silentio quasi factum nostrum accuset.* (6)

(1) D. Ambr. in Psal. 39. — (2) Tert. Apol. 47. — (3) In Psal. 45. — (4) Orat. 11. — (5) Hom. 1. de Lazaro — (6) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. cap. 18. — (7) Tert. Lib. adv. Valent. 30. — (8) D. Bern. Med. Cognit. Hum. condit. cap. 11. — (9) Tert. L. ad Scap. 4. — (10) Tert. Apol. 2.

(1) Tert. Apol. 2. — (2) Rom. 2. — (3) Papias. — (4) D. Chrysost. Hom. 1. de Lazaro. — (5) Sap. 1. — (6) Hom. 21. in Matth.

In ultimo equidem judicio conscientia præscitos accusabit, eisque cuncta objiciet scelera, quæ unquam sive corde, sive opere perpetrarunt, et etiam ex hac vita accusat scelerosos : idcirco D. Bernardus in persona peccatoris sic fatur : « Damnat me conscientia mea, quanquam divinum judicium nondum me damnet ; accusat me homicidium, quod opere non feci, voluntate tamen ac desiderio sæpe peregi ; accusat me de adulterio, et eodem modo respondeo ; accusat me de invidia, confiteor et ego quoniam invidia sæpissime cor meum laniavit : » (1) accusat me de gula, superbia, avaritia, ira, blasphemia, detractione, maledictione, et in universum *generali accusatione* (2) accusat me de cunctis sceleribus quæ commisi. Porro *maxime accusatrix hominum noxiorum est conscientia.* (3) Uti autem noxios accusat, ita innoxios defendit. Ita est *a Deo formata animæ conscientia* (4) ut erga scelerosos partis accusantis agat munus, et erga innocentes advocati patrocinantis fungatur officio.

Magnum est discrimen inter innoxios quos conscientia defendit, et noxios quos conscientia condemnat. 1. Illi pudore non afficiuntur, ob *conscientiam justitiæ suæ* (5) : sed de testimonio conscientiæ suæ gloriantur. Quantumvis *erubescant accusantes* (6) eos injuste, isti verecundantur, cum enim *conscientia erubescat* (7), erubescant et ipsi necesse est ; 2. Illi, etsi falso accusati, injuste condemnati, imo acerbe puniti *pro fide conscientiæ suæ* (8) animi tranquillitate fruuntur, neque ullo timore turbantur : isti *inustam habentes conscientiam* (9) pavore et terrore exagitantur : « Magna est vis conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, et pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint. » (10) 3. *Illi conscientia religionis* (11), pietatis et virtutis decorati, libenter, patienter et lætanter, omnia tyrannorum et persecutorum patiuntur tormenta. *Quid hoc mali est, cujus reus gaudet ? cujus accusatio votum est, et pœnæ felicitas ?* (12) Isti habentes *conscientiam spurcam* (13) et vitiis contaminatam, tristitia, mœrore et timore afficiuntur : *Acerbam illam, molestamque accusatricem* (14) ferre non valentes conscientiam, quæ velut accusator opportunus importunus, diem indicit, in jus vocat, et peccatores admissi criminis reos arguit.

Ex forma malorum judicandorum (1) nemo in jus vocari potest, nisi sit vel accusator, vel denuntiator, vel saltem publicus criminis rumor. Infelix peccator! etsi scelus tuum sit occultum, neque de illo ullus habeatur rumor; *si publica fama te non damnat, propria conscientia te condemnat; quoniam nemo potest seipsum fugere* (2) ; etsi nemo denuntiatoris fungatur officio, attamen *conscientia consurgit adversum te* (3) ; te scelerosum prædicat, et ut talem judicari exspostulat : etsi nullus homo accusator existat, scelerata tua conscientia agit accusatoris partes, et ut fatur D. Chrysostomus : *Quovis accusatore mentem gravius arrodit conscientia.* Subjungit D. Chrysostomus : *Ponamus, nulli notum esse flagitium, præterquam ipsi uni; quomodo feret conscientiam redarguentem ; acerbam et amarulentam accusatricem secum ferens ?* In jure civili et criminali, accusatus persæpe fugit accusatoris præsentiam aut judices, vel muneribus et adulationibus corrumpit, aut justitiæ resistit, et sententiæ adversus seipsum latæ exsecutionem impedit : at in domestico conscientiæ tribunali, nihil horum ab accusatione et crimine eximit peccatorem. *Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere, ita nec illam ejus curiæ sententiam : hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, et a Deo nostris impositum mentibus.* (4) Idcirco miser peccator nec fugere poteris conscientiæ accusatricis præsentiam, neque judicis fallere scientiam, neque impedire sententiæ exsecutionem: quia *judicis tribunal est in mente tua : sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor.* (5)

Res exemplo primi hominis peccatoris illustranda est. Nesciebat homo innoxius quid esset timere, quid esset tremere, quid esset pudore affici, quid esset perturbatæ conscientiæ metus. *Nudus certe et investis figulo suo constitit : post demum sapientiam, haud dum licitum, præreptam potitur. Ibidem quod in novo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans, in ficulneis foliis interim circumdat.* (6) Innocens Adamus in paradiso terrestri de corporis nuditate non erubescebat ; nihil ejus animum terrebat ; abs-

(1) Tract. de Inter. Dom. c. 18. — (2) Tert. L. 1. ad Nat. 10. — (3) Salv. Lib. 2. de Prov. — (4) Tert. L. de Test. An. 5. — (5) Tert. Apol. 4. — (6) Tert. Apol. 3. — (7) Tert. L. de Exh. Cast. 10. — (8) Tert. Apol. 27. — (9) Tert. L. de Jejun. 2. — (10) Cic. Orat. pro Milon. — (11) Tert. Apol. 39. — (12) Tert. Apol. 1. — (13) Tert. Apol. 30. — (14) D. Chrysost. Hom. 1. de Lazaro.

(1) Tert. Apol. 2. — (2) D. Bern. Tract. de Inter. Dom. cap. 25. — (3) D. Chrysost. Hom. 27. in Gen. — (4) D. Chrysost. Hom. 1. de Lazaro. — (5) D. August. in Psal. 57. — (6) Tert. L. de Pall. 3.

que ullo timore loquebatur cum Deo : at mox ut scelus admisit, effectus est *reus conscientiæ erubescentis* (1), sub ficulneis foliis latitans corporis nuditatem abscondere nititur, Deique perambulantis ad auram post meridiem, aspectum fugit et colloquium. Suavis erat amica, et paterna hæc Dei vox : *Adam ubi es?* (2) Erat paradisus sedes amoris, tranquillitatis et voluptatis : nec in eo accusator auditui, nec severus objurgator, aut judex; tantum insonuerant binæ illæ mollesque voculæ: *Adam ubi es?* attamen ad duas illas blandulas voces, quasi fulmine percussus, abit, fugit, timet, abscondit se. Hujus timoris causam adducunt Patres : ex D. Irenæo, *timore corripitur Adam, quia transgressus fuit Dei præceptum.* (3) Rupertus timoris illius causam scelerosæ *conscientiæ pudorem* (4) existimat : non enim Deus statim sententiam tulit in Adamum, infidæ prævaricationis reum : eum usque ad vesperam divina justitia impune vagari permittit, ut ante supplicium a Deo offenso inflictum, ipsemet a seipso severissima pœna præpropere mulctaretur : mox enim ut protoparentes scelerose peccarunt, aperti sunt eorum oculi, et agnoscentes se nudos pudore et confusione affecti sunt, quia *si conscientia erubescat* (5) pudore erubescit et corpus; quod innuit Dei interrogatio Adamo facta. Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes comedisti? *Ac si diceret : Hæc ipsa scientia qua te nudum esse perspexisti culpa est, quia rapina est; unde enim tales tibi aperti sunt oculi, quos et concupiscentia commoveret, et conscientia reverberaret, atque ita ferre non possent, ut nudus incederes?* (6) Criminosa oculatioris scientiæ rapina Adami oculos propudiosa nuditate flagellat et inflicto verecundiæ vibice, eum acerbius conscientia vapulat. D. vero Chrysostomus censet Adamum timuisse accusatricem sententiam : *Quare dic, oro, quare timuit? Quoniam videbat sibi trucem stare accusatorem: (conscientiam dico.) Neque enim alium objurgatorem habebat et testem peccatorum; sed unicum illum, quem intrinsecus circumferebat.* (7) A conscientia truci accusatore, testeque omni exceptione majori timere doctus Adamus, scelerosi ejus posteri didicerunt timere conscientiæ accusationem et depositionem.

2. Tenentur senatores *ad judicandum, palam despicere, et coram examinare* (1) et partes accusantes et testes deponentes : *adjecta accusatoribus damnatione, et quidem tetriore* (2), dum innoxios ex nequitia accusasse convincuntur : falsis quoque testibus ignominiosa morte mulctatis, in pœnam falsæ depositionis : conscientia non pertimescit justitiæ censuram dum accusatricis et testis agit negotium, quia criminosos duntaxat in jus vocat, verumque adversus eos fert testimonium. *Admitto testimonialem comparationem* (3) cæterorum testium, qui in judiciali foro adversus alteros deponunt, et scelerosæ conscientiæ quæ adversus semetipsam fert testimonium, cum *testis tibi sit ipsa mala conscientia.* (4) In seculari foro duo requiruntur testes, qui in publico duntaxat deponunt, corrumpi et recusari possunt : at in domestico tribunali *superabundat testis locuples conscientia* (5), pluribus æquivalens testibus, in publico et in secreto deponens; corruptionis nescia, cui nulla potest objici recusationis causa : *Humana judicia potest subterfugere male agens, sed non judicium conscientiæ.* (6)

Testes adhibentur aut *ne ignorata damnetur* innocentia, aut ne iniquitas impunita remaneat, dimissis scelerosis *inaccusatis impunitis, ut innoxiis* (7), aut ut a judicibus facti dignoscatur veritas, quæ nequit juridice cognosci nisi vel per testium depositionem, vel per reorum et noxiorum confessionem. Verum *malefici gestiunt latere, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur.* (8) Ideo testium requiritur depositio, ut ex eorum ore dignoscatur crimen quod latet, et rei pertinaciter negant: at nullus est testis cui magis adhibenda sit fides, quam conscientia quæ occulta quæque detegit facinora. *Incorruptus judex conscientia, cum adversus hominem exsurgit, clara voce clamat et accusat.* (9)

Memorabile est quod narrat Sophronius, (10) de quodam sicario, qui innocentem crudeliter enecaverat puerum. Immane latebat scelus, et trucidatum corpus alta silentique tellure tegebatur : at non ita latebat et tegebatur, quin nocentibus sæpe occurreret auribus et oculis : a tempore quo innoxio sanguine cruentavit manus, ei puer sese visendum exhibuit, indesinenter insonans auribus : *Cur me occiditis?* Ut se ab importuna illa imagine et voce liberaret sicarius, mo

(1) Tert. L. de Exh. Cast. 10.— (2) Gen. 3. — (3) Lib. 3. cont. Hæres. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 2. — (5) Tert. L. de Exh. Cast. 10. — (6) Rup. L. 3. in Gen. c. 15. — (7) Hom. 17. in Gen.

(1) Tert. Apol. 1. — (2) Tert. Apol. 5. — (3) Tert. de Jejun. 16. — (4) D. Aug. L. 3. de Symb. 8. — (5) D. August. — (6) D. Greg. L. 27. Mor. 9. — (7) Tert. Apol. 49. — (8) Tert. Apol. 1. — (9) D. Chrysost. Hom. 17. in Gen. — (10) In Prato spir. c. 166.

nasterium adit ; monachi habitum suscipit, neque novo hoc vitæ proposito sese ab objurgatione commissi criminis eximit, monasticam namque vitam agens, alienam a cæde et sanguine, ei semper a fronte stabat puer ubique locorum illum insequens, mœstum illud carmen indesinenter decantans: *Cur me occidisti?* Repetita hac voce perturbatus sicarius, testimonio propriæ conscientiæ cruciatus, monasterio egrediens, monachi habitum deponit, urbemque Diospolim ingressus, captus, in carcerem conjectus, capite plectitur.

Neque minus stupendum est quod narrat Plutarchus. (1) Bessus, cum parricidas manus in progenitorem injecisset, intulissetque mortem ei a quo acceperat vitam, exsecrabile illud facinus diu latuisset occultum, ad convivium vocatur, hirundines e nido cantitare cœperunt. Indignatus Bessus, et ab audito cantu impatiens factus, in rabiem versus, de mensa surgens, nidum hasta dejecit, hirundines fugavit, pullos pede conculcavit, a præsentibus de insolentia facti rogatus, dixit: Nonne jamdiu hirundines falsum adversum me ferunt testimonium, clamitantes me proprium interemisse patrem? Mirati qui aderant, hunc sermonem ad regem detulerunt, cujus imperio captus Bessus, de scelere convictus, condignas tanti facinoris luit pœnas. En verum specimen peccatorum qui timent conscientiæ accusationem, depositionem perhorrescunt ; et ut fatur Tertullianus, *trepidant deprehensi, certe damnati mœrent* (2), timent ob conscientiæ accusationem, horrent ob conscientiæ depositionem, mœrent ob conscientiæ condemnationem.

3. *Hinc prima judicii, unde delicti origo.* (3) Peccatum a conscientia sumpsit originem, et prima peccatoris condemnatio petitur a conscientia, quæ est *judex severus, carnifex immisericors, quasi suspendens in equuleo, lateraque radens ungulis.* (4) Conscientia non solum est pars accusans peccatorem, testis adversus illum deponens, sed adhuc judex condemnans, vindex ulciscens, et tortor crucians: *Sibi unusquisque animum suum severum judicem, sui ultorem sceleris, et vindicem criminis habet* (5), cujus jurisdictionem nequit declinare peccator, neque justitiam flectere, neque præsentiam vitare, neque severitatem mollire Non 1. Declinare jurisdictionem : *Omnium enim supergreditur sententias, qui a sua conscientia condemnatur* (6) : quis illum excusabit a crimine, qui se patrasse scelus palam confitetur ? Non 2. Flectere justitiam, seseque excusare apud judicem ; quia, ut subjungit D. Ambrosius, *quem alter judicat, potest utcunque esse excusabilis ; reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ judicio condemnatur ; quem alter judicat, potest quoque a suo judice sperare indulgentiam, qui seipsum judicat, a quo indulgentiam postulabit ?* Non 3 Vitare judicis præsentiam ; nam, ut fatur D. Bernardus, *semper pene et ubique remordet conscientia ; occultum jugiter vulnus mentis oculis objiciens, eamque super ipsius latebris anxie et dure reprehendens.* (1) Non tandem 4. Judicis et ultoris mollire severitatem. Omnis homo mitissimus sibi judex esse solitus, omnia sibi ignoscens ; attamen usque adeo sævit in se mala commissi sceleris conscientia, ut proprium crimen ad vindictam et punitionem exaggeret, et suam adversus illud sententiam quamvis acerbissimam, et ultra juris metas pœnalem, æquo mitiorem existimet. Scelerosa conscientia, ait D. Ambrosius, *favere sibi nescit, rigorem judicii etiam circa se non novit inflectere, recordationem lapsus proprii perhorrescit, et commissum erubescit errorem, omnem ejus memoriam pavet, metuit, reformidat, gravem sibi se judicat, seipsum arbitrum refugit, nec sese sibi audet committere.* (2) Peccator pravæ conscientiæ tormento, tanto torquetur angore, ut etiam semetipsum arbitrum et judicem reformidet. D. Quod Ambrosius probat exemplo Caini, qui *ita in se ipse ferebat sententiam, quod dignus esset cui nullus ignosceret.* Conscientiæ furiis agitatus Cainus vociferabatur : Major est iniquitas mea quam ut veniam merear ; culpam, qua animitus cruciabatur, majorem infinita Dei misericordia existimans : et quasi parum esset sese misericordia Dei indignum putare, sese adhuc dignum credebat, cui omnes generatim mortales inferrent mortem. Omnis qui inveniet me, occidet me. Unicum hominem interfecerat Cainus, et a cunctis in universum sibi credit inferri mortem, neque ab hoc numero excipit cognatos, uxores, parentes et filios.

Queruntur justi apud Jeremiam flagitiosos plerumque in hoc seculo nulla tolerare supplicia : *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur ?* (3) Huic querelæ semel et iterum respondet D. Augustinus : Bene est, dicitis vos, criminosis et divinæ legis prævaricatoribus, et ego

(1) De sara Nominis vindicta. — (2) Tert. Apolog. 1. — (3) Tert. L. de Pat. 5. — (4) D. Chrysost. Hom. 1. de Lar. — (5) D. Ambr. L. 7. Ep. 44. — (6) D. Ambr. Serm. 15.

(1) Serm. 4. in die Palmar. — (2) Apolog. David. cap. 8. — (3) Cap. 22.

sæpius audivi ab Isaia : *Dicite justo, quoniam bene* (1) ; illud de peccatore non audivi, imo legi maledictionem in illum vibratam : *Væ impio in malum !* (2) qua ergo ratione dicitis : Bene est peccatori. Bene quidem est justo, peccatori nequaquam ; nam *cum illo pœna sua est : si haberet in cubiculo suo tortorem carnis, punitus esset, habet in secreto cordis sui tortorem conscientiæ suæ, et impunitus vocatur.* Hanc pœnam peccatoribus comminatur Deus : *Effundam super eos malum suum.* (3) Quasi dicat : Non eos flagellis meis puniam, neque ad sagittas meas manum apponam, sed a suis sceleribus flagellandos et puniendos dimittam. Crudelis tortor assidue verberans, dira flagella quibus cruente dilacerantur, ab ipsorum dimanabunt conscientiis : *Unusquisque suis peccatis flagellatur; gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera ; sicut onus gravatur grave, et infligunt animæ cruciatus.* (4) Heliodorum ob templi profanationem et depræ-dationem circumsteterunt angeli, « et ex utraque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes : (5)» scelerosi quoque et peccatores intus a domestico carnifice verberantur, graviusque in animo flagellantur, quam rei in corpore et in cute : *Scortator, adulter, aut fur, non modo cum accusatur ipse, verum etiam cum audit alios, eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi ; alius quidem vocatur in hæc, hic vero flagellatur.* (6) Quod enim reo carnifex, hoc peccatori est conscientia, cum hoc tamen discrimine, quod ille mortale ferit et dilacerat corpus, hæc immortalem flagellat et cruciat animam; ille non semper corpus verberat, hæc indesinenter animam torquet, eique infligit tormentum omni plaga corporali acerbius.

Profecto *magnum supplicium peccare, etiamsi non puniamur. Peccans etsi non puniatur, omnium est miserrimus ; et tunc maxime miser, cum non punitur et grave nihil patitur* (7); quia peccatum ipsum est gravior sui pœna, et peccati ultio acerbissima, etsi gladius Dei ultor peccatorum cervicibus non immineret : quia Deus, ut acrius puniantur, *dimisit eos in manu iniquitatis suæ* (8) ; seu, ut legit Nicetas, *in actione iniquitatis suæ.* Quasi manus iniquitatis sit durior vindicta a divina manu illata; et actio quam crimina intentant adversus peccatorem, sit pœna acerbior illa quam divina infligit justitia ; ideoque hanc pœnam velut gravissimam peccatoribus iratus comminatur Deus : « Non est qui consurgat, et teneat te, o Deus : abscondisti faciem tuam a nobis, et *allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.* (1) Quasi dicat : Tradidisti nos iniquitati quasi lictori cruciandos et illudendos, tradidisti non peccatis nostris, ut illa quasi manu sua nos male considerent, vastarent, et funditus depopularentur. Vatablus legit : *Contabescere nos sinis in manu iniquitatis nostræ.* Forerius vero vertit : *Liquefecisti seu resolvisti nos in manu iniquitatis nostræ :* id est, iniquitas adeo erga nos sæva et crudelis fuit ut omnem nostram absorbuerit et exhauserint vim et virtutem : Deus uti posset infernalium diabolorum manu, ut grandes et duras strages afferrent scelerosis ; posset adhuc assumere manum omnipotentiæ suæ ad acerbe punienda peccatorum crimina : verum ut criminosos atrocius feriat, dimittit illos in manu iniquitatis suæ. Dura est angelorum manus quos persæpe in ministros suæ justitiæ assumit Deus ; durior est omnipotentis Dei manus vindictam de peccatis sumens ; et tamen ad atrocioris et acerbioris pœnæ exaggerationem tradit Deus peccatores in manu iniquitatis suæ : quasi manus propriæ iniquitatis sit durior manu dæmonum, ipsaque Dei ulciscentis et punientis manu.

Sicut qui indigne sumit Eucharistiæ sacramentum, *judicium sibi manducat et bibit* (2), id est, tribunal severum, quo intrinsecus arguatur, damnetur, excrucietur et pereat; sic peccator dum delinquit, terribile advocat judicium, quod in penetralibus agitur conscientiæ, quæ accusatoris partes agit severi judicis personam induit, sævi tortoris' et carnificis obit munus, cunctaque in universum exercet officia; quæ in foro judiciali, et criminali sede desiderantur, ad reos accusandos, convincendos, judicandos, damnandos, cruciandos et puniendos : *Explica mihi illius conscientiam, et videbis intus grande in peccatorum tumultum, metum, tempestatem, turbationem. Videbis velut in curia mentem ante thronum conscientiæ conscendisse regalem, et tanquam judicem sedentem, et cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraque conscientiæ radentem ungulis.* (3) Nihil in hoc judicio deest, sed cuncta reperiuntur ad acerbius torquendum requisita. Quid enim posset amplius desiderari, *ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi judicis ira, ubi gladius, ubi carnifex, ubi barathrum ?* (4)

(1) Cap. 3. — (2) Serm. 28. de Verb. Apost. — (3) Jerem. 14. — (4) D. Ambr. in Ps. 104. — (5) Lib. 2. Machab. 5. — (6) D. Chrysost. Hom. 4. de Lazar. — (7) D. Chrysost. Hom. 6. ad pop. Antioch. — (8) Job. 8.

(1) Esai. 64. — (2) 1. Cor. 11. — (3) D. Chrysost. Hom. 1. de Lazar. — (4) D. Chrysost. Hom. 3. de Verb. Isa.

In hoc judicio conscientia est accusatrix, memoria testis, ratio judicis obit munus, neque desunt tortores, carnifices et ministri crudeles, qui immanibus cruciatibus scelerosum torqueant peccatorem : *Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio et memoria, atque hi quidem crudeles, austeri, immisericordes* (1) : erat ipsa conscientia sævus et inhumanus carnifex, die ac nocte reum sceleris arguens, angens, excrucians, metus et pavoris terriculamentis, et intestinis culpæ cruciatibus. Idipsum aliorsum docet D. Bernardus peccatorem loquentem inducens : *In domo propria, et a propria familia habeo accusatores, testes, judices et tortores. Accusat me conscientia, testis est memoria, ratio judex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum. Quotquot erunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna; nam inde punimur, unde delectamur.* (2)

Nemo igitur impunitum existimet peccatorem. Nemo impune delinquit, gravis et acerba sibi est iniquitas, etiamsi absit ipsa pœna judicis severe castigantis, quia malitia crudelis sui ipsius est pœna, arcano supplicio castigans in propria conscientia, scelus quod mente concepit, et crimen quod opere parturivit. Et ob hanc causam D. Ambrosius expendens istud Davidicum : « Dixit iniquus ut delinquat in semetipso. » (3) Peccatum vel mente conceptum, vel opere consummatum comparat viperæ quæ dum nascitur, parentem discerpit parturientem : *Nihil hac sententia sublimius dictum arbitror. Iniquitas in suum vertitur auctorem, sicut viperæ partus qui primo suam scindit parentem.* Dixit iniquus ut delinquat sibi, *quia injustus sibi generet vulnera, se ipse confodiat.* Mox subjungit : *Serpens aliis infundit venenum, injustus sibi; in eum enim effunditur quidquid effundit.* Ubi semel puella in fornicationem, maritus in adulterium, mercator in injustum lucrum, corruptus judex iniquam consensit sententiam, sicarius homicidium commisit, *et quivis peccator occultum fovet scelus, quot non illico dentes corrodunt, et dilacerant conscientiam? Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullius habeat accusatorem, non desinit tamen se intus accusare. Et voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus; timor undique ac tremor, suspicio et anxietas; angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit, et virum quem affecit contumelia.* (1) Omnia formidat, omnes pertimescit, ubique timens ac tremens, nusquam quiescit, nec domi, nec foris, nec in lecto, nec in convivio, in solitudine, in cœtu diu noctuque exagitatur, condemnatur, et ut reus cruciatur : *Amarum accusatorem circumferens conscientiam, cum sit sui ipsius judicio damnatus, neque ulla ratione judicium illud potest corrumpi muneribus* (2) : in quo velint nolint condamnantur, puniuntur et cruciantur peccatores, etiam inter hujus vitæ voluptates et delicias, inter calices et pocula, inter medios amicos, familiares, domesticos, inter lauta et opipara convivia, ut Balthasaris comprobatur exemplo.

Balthasar Nabuchodonosoris filius ejusque in Babylonico regno successor, et rex majestatis adeo tremendæ, ut tempore belli sua præsentia hostes ad fugam impelleret, pacis etiam tempore toti regno formidabilis appareret : cum suis magnatibus et concubinis opipare convivans, aureisque vasis cum jucunditate et lætitia optima quæque bibens vina, illo ipso tempore quo recreabatur suavis harmoniæ auditu, venustarum rerum visu, exquisitarum dapum gustu, satraparum adulatione et applausu, turbatur, terretur, pallescit, animo deficit : *Facies regis commutata est, et cogitationes conturbabant eum.* (3) Sicque pax in confusionem, tranquillitas in tempestatem, gaudium in mœrorem, et securitas vertitur in terrorem. Regis pavor conturbat curiam, unusquisque nititur ei aliquod afferre solatium, omnes sciscitantur tam subitaneæ mutationis causam. Vide, inquit, o rex, ne solo terrearis aspectu, tot habens milites in exercitu, subditos in regno, satrapas in curia pro te mori paratos. Ad hos sermones haud quiescens Balthasar dixit : Vidi. Verum quid vidisti? Num formidolosum gigantem ad tui necem armatum? Num irruentes hostium exercitus? Num angelos districtos et vibrantes gladios minitantes? Nihil horum vidi, sed duntaxat manum hominis in pariete scribentem. Ad unius manus aspectum et non armatæ formidas, cum tibi ad minus suppetant octingentæ manus armatæ ad tuam defensionem? Attamen nullæ rationes, nulli sermones, impio Balthasari ullum potuerunt afferre levamen, nec securitatem ullam, *quia cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis.* (4) Scelerosa et timida Balthasaris

(1) D. Bern. Serm. 2. de Assumpt. — (2) Medit. de Cognit. human. Condit. c. 11. — (3) Ps. 35.

(1) D. Chrysost. Hom. de Lazar. — (2) D. Chrysost. ibid. — (3) Dan. 6. — (4) Sap. 17.

conscientia in ipsius animo dat testimonium condemnationis, eumque velut reum accusat, prodit testes qui eum de impietate convincant, denique tanquam scelerosum et impium judicat et condemnat : *semper enim sæva præsumit perturbata conscientia.* Seu, ut habetur in biblia Sixtina, *perturbata per conscientiam*, nequitia ob metum et aculeum conscientiæ horribilia quæque velut jam imminentia apprehendit. Suæ nequitiæ conscius peccator propriæ conscientiæ judicio damnatus, ita terretur et conturbatur, ut *nec possit vel ad breve tempus respirare : nam et in lecto, et in mensa, et in foro, et in domo, et interdiu, et noctu, et in ipsis frequenter somniis, hæc iniquitatis simulacra videt, ipsiusque Caïn vitam vivit gemens ac tremens super terram* (1) ; similis reo a justitia damnato in carceribus, qui mox ut ei indita et lecta est suæ condemnationis sententia, nihil in animo volvit nisi tormentum ad quod damnatus est, cœtum populi ad suum supplicium adstantis imaginatur, omnes ergastulum ingredientes velut tot carnifices suspicatur ; et si forte amici consolationis gratia eum visitent, lautas dapes subministrent, conventus harmoniam pulsent, hæc omnia mœrorem et terrorem animi non minuunt, sed incrementant ; quia *ab his qui conscientiæ stimulis agitantur, nequit in malignitate amaritudo evitari, vel in nequitia defugi tristitia, quin potius externis voluptatibus serviens cruciatur.* (2) En verum scelerosæ conscientiæ specimen, in qua *requies non est propter abundantiam iniquitatis* (3), sed potius perturbatio, terror, pavor, mœror. Nec mirum, quia *omnium delictorum ipsa est testis, ipsa judex, ipsa tortor, ipsa carcer; ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa punit, ipsa condemnat* (4), et velut infernus scelerosum peccatorem præpropere cruciat.

III. PARS. *Habes et regionem inferum subterraneam credere* (5), destinatam ad incarcerandos et puniendos reprobos. Sed ultra hunc infernum et locum tormentorum in sinu terræ positum, *infernus quidam et carcer animæ est rea conscientia* (6), contrariorum etenim eadem est ratio. Uti autem « paradisus dici potest, non solum tertium cœlum, quicquid illud est, quod profecto magnum subtiliterque præclarum est, verum etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ, paradisus est : » (7) ita intra semetipsum habet infernum, et « portat tormentum, qui propria torquetur conscientia, et in isto seculo sustinet propria voluntate cruciatum. » (1) Quomodo istud Davidicum : « Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes (2), » intelligit D. Ambros. non de inferno qui est dæmonum et reproborum carcer, et in telluris centro esse creditur, in quem nonnisi post mortem descendunt scelerosi, sed de prava conscientia, quæ peccatores dum deliciosam et tranquillam videntur ducere vitam, torquet et cruciat : *Ipsa quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno est : viventes enim in inferna descendunt*, et præpropere velut gehennæ tormenta patiuntur. Ille conscientiæ infernus non exspectat obitum, præcurrit funera, facta antevertit, et inferni, qui in gremio terræ existit, æmulatur cruciatus : in inferno reprobi ab igne patiuntur, a verme corroduntur, a morte depascuntur : scelerosi quoque, 1. Horribilibus speciebus terrentur ; 2. Vermibus mordentur ; 3. Viventes continuo moriuntur.

1. In inferno reprobi juxta Doctoris Subtilis sententiam non cruciantur physice ab igne, sed tantum metaphorice, scilicet *contemplatione et repræsentatione ignis illius* (3), qui continuo objicitur eorum oculis tanquam objectum eorum voluntati contrarium, quod velint nolint necessario contemplantur, et in eo imaginem Dei, non amici, sed inimici ; non parentis, sed judicis ; non benefici, sed ultoris, vindicis et velut tortoris intuentur. Non absimiliter ait Cyrillus Alexandrinus, scelerosi *hominis anima pœnis vincitur, et supplicii laqueis implicata velit nolit convertitur* (4) ad propriam conscientiam, accusatricem suam, testem, judicem, carnificem, quam continuo contemplari cogitur : quomodo istud Sapientis : « Fugit impius nemine persequente ; (5) » illustrat D. Chrysost. *Intus habet agentem conscientia accusatorem, et hunc ubique circumfert, et sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitantem, sed quocunque abeat flagellatur, et vulnus habet immedicabile* (6), semper conspiciens imaginem Dei, quem insolenter offendit : vel Christi Domini, quem crudeliter crucifixit.

Nero, « occisa matre Agrippina (7), sceleris conscientiam aut statim aut nunquam postea ferre potuit, sæpe confessus agitari se materna specie ; verberibus furiarum, ac

(1) D. Chrysost. Hom. 1. de Lazar. — (2) D. Hier. — (3) D. August. in Ps. 45. — (4) D. Bern. de Inter. Dom. c. 23. — (5) Tert. L. de An. 55. — (6) D. Bern. Serm. 4. de Assumpt. — (7) D. August. L. 12. de Genes. cap. 14.

(1) D. Hier. in c. 16. Ezech. — (2) Ps. 54. — (3) Tert. Apolog. 23. — (4) In cap. 2. Osee. — (5) Prov. 28. — (6) Hom. 8. ad pop. Antioch. — (7) Diod. in Nerone.

telis ardentibus. » Theodoricus, Gothorum rex, Symmacho injuste damnato et capite truncato, conscientia lancinatur, et in abscisso piscis capite detruncatum Symmachi conspicit caput. Post decollatum Symmachum, ait Procopius, *paucis post diebus cœnanti sibi, cum miræ magnitudinis piscis decoctum caput appositum vidisset* (1); illico cœpit expavescere, oculos contorquere, avertere faciem, et mandare famulis : Auferte hoc Symmachi caput, tollite cito ne diutius videam, crux mihi est; neque horribilem Symmachi tolerare possum imaginem. Neque minori anxietate turbabatur Herodes post decollationem Joannis Baptistæ: videns namque Christum, Joannem cogitat : *Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis* (2), suggerente namque et terrente conscientia, illi Joannis videtur effigies quem injustissime decollarat : quare continuo sibi Joannis repræsentat imaginem, indesinenter hæc verba promentem : non licet tibi habere uxorem fratris tui, et ita indesinenter cruciabatur ex Joannis tum specie, tum repetitis sermonibus : *Usque adeo vigentem in se metum et perpetuam trepidationem habebat, nec quisquam erat qui conscientiæ terrorem ab eo eximere posset; incorruptus ille conscientiæ judex continuo eum præfocabat, singulisque diebus perpetratæ cædis pœnas ab eo repetebat.* (3) Græcorum imperator nomine Constantinus, enecato fratre jam Deo sacrato et diaconatus officio fungente, quovis in loco omnique tempore conspiciebat trucidati fratris umbram, ejusque audiebat vocem, calicem plenum sanguine manu tenentem, porrigentem et dicentem : *Bibe, frater, bibe.* Scelerosus peccator videt in sua conscientia, non imaginem puri hominis, sed hominis Dei; audit non diaconum de effuso sanguine querentem, sed summum sacerdotem injuste cruci patibulatum, sibique dicentem quemadmodum Thomiris Scytharum regina Cyro, qui ejus interemerat filium : *Satia te sanguine cujus insatiabilis fuisti* (4), quem toties fudisti quoties mortaliter peccasti, quoties indigne ad eucharistiam accessisti. Quem non conturbabit objecta Christi species, quem non perterrebunt illa Domini verba? Profecto *quisquis malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est; ipsi enim est pœna sua, fugit ab inimico quo potuerit, a se quo fugiet?* (5) semper habens ante oculos et effigiem Christi quem crucifixit, et imaginem peccatorum quæ commisit, quæque velut vermes mordentes ejus cor indesinenter dilacerant.

(1) Procop. Lib. 1. belli Goth. — (2) Matth. 14. — (3) D. Chrysost. Hom. 28. in 2. Cor. — (4) Lib. de Symbol. ad Catechum. — (5) D. August. in Ps. 56.

2. Plures exstitere scelerosi, qui in pœnam suorum criminum sunt vermibus dilacerati. Tertullianus refert Claudium Herminianum, Cappadociæ præfectum, qui post Christianos crudeliter tractatos *cum vermibus ebulisset* (1), solusque in suo prætorio peste vastatus existeret : Nemo sciat, aiebat, ne spe gaudeant Christiani. Verum si omnes scelerosi in suis corporibus non ebulliunt vermibus, nullus est qui intra semetipsum non habeat vermem mordentem et cruciantem. Reprobi in inferno patiuntur non solum ab igne, sed etiam a verme. Quapropter Salvator secundo et tertio de præscitis ait : *Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.* (2) Hoc damnatorum supplicium etiamnum vivi tolerant peccatores : conscientia etenim est non solum ignis ardens et consumens animum, sed etiam vermis dente mordaci morsuque amarissimo præcordia depascens, et intima cordis crudeliter arrodens. *Vindicta carnis impii ignis et vermis* (3) : ubi D. Augustinus : *Uterque duplex : interior qui rodit et cruciat cor; exterior qui rodit et urit corpus.* (4) In corde et in corpore punientur reprobi post generalem resurrectionem; nam et ignis comburet, et vermis rodet eorum tum animas, tum carnes. Ignis physice et realiter comburet corpora, metaphorice et objective cruciabit animas : vermis in sempiternum mordebit et rodet carnes.

Vermem adhuc conscientiæ patiuntur etiam ex hac vita peccatores. Unde Magnus Gregorius in istud Jobi : « Quare tacens consumor? » (5) ait: *Tacens consumitur qui de sua stulta cogitatione reprehenditur, et apud semetipsum dente conscientiæ mordetur.* Scelerosa conscientia est non solum spina qua pungitur animus peccatoris, equuleus quo torquetur, sed etiam vermis quo mordetur. Ut enim ratiocinatur D. Thomas, « vermis est conscientiæ remorsus qui dicitur vermis, inquantum oritur ex putredine peccati, et animam affligit. » (6) Conscientiæ vermem explicat adhuc D. Ambrosius : « Vermis est, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei sensumque compungunt; et quædam exedunt viscera conscientiæ, quæ tanquam vermes ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris. » (7) Vermem illum conscientiæ adumbrarunt poetæ fabulantes et fingentes vulturem Tityi jecur tenaci perennique dente mordentem, nec ta-

(1) Tert. L. ad Scap. 3. — (2) Marc. 9. — (3) Eccles. 9. — (4) Medit. — (5) Cap. 13. — (6) In 4. dist. 50. q. 18. (7) L. 7. in Luc. c. 14.

men penitus abrodentem. « Vulturem immortale jecur (1) rodentem, nihil aliud intelligi voluerunt quam tormenta malæ conscientiæ, obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, et ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas si requiescere forte tentarint, excitantis tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parentis, lege hac, qua se judice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam. » (2)

Ex. D. Augustino, reprobos in inferno *vermis conscientiæ tripliciter lacerabit : afficiet memoria, turbabit pœnitentia, torquebit angustia.* (3) 1. Afficiet memoria, rememorantes vanas et scelerosas seculi delectationes, *ut stimulus memoriæ pungat ad pœnam, quos aculeus nequitia stimulavit in culpam.* 2. Turbabit pœnitentia, pœnitentes, sed sero, prosecutos fuisse momentanea mundi oblectamenta, quæ illis æternos pepererunt dolores. 3. Torquebit angustia, habentes continuo ante oculos suos horribiles et fœdas delictorum suorum imagines. *Non est aspectus sive in cœlo, sive in terra, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel seipsas. Se vident quæ aliud non vident. Opera tenebrarum sequuntur illas, nec est qui se abscondat ab illis, ne in tenebris quidem.* (4) Hic est vermis qui non moritur (5), *memoria præteritorum : semel injectus, vel potius innatus per peccatum hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus, nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca utique inconsumptibili perpetuat vitam.* Eodem fere modo etiam nunc conscientiæ vermis dilacerat peccatorem : 1. Recordatio bonorum, quæ peccando amisit, eum misere cruciat : *Nihil est quod tam summo dolori sit quam si unusquisque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit.* (6) 2. Dolet se pro turpi et instantanea voluptate pretiosos gratiæ et meritorum amisisse thesauros. *Ita gravis culpa est conscientia, ut sine indice ipsa puniat.* 3. Angustiatur ex horribili peccatorum imagine. Nam, ut fatur Magnus Basilius, *quemadmodum umbræ corpora, sic peccata sequuntur animas et manifestas facinorum repræsentant imagines.* (7) Occidente jam sole umbras ita post se jaciunt et relinquunt corpora, ut corpora sequantur umbræ, et quantumvis fugiant corpora, nunquam tamen effugiunt umbras, quæ e corporibus velut tractæ, indissolubili quodam vinculo cum eis conjunguntur, adumbratasque illorum repræsentant imagines. Umbra peccati est mala conscientia, quæ peccatorem semper sequitur et persequitur : velis, remis, equis, rhedis aufugiat peccator, nunquam suam conscientiam, nunquam semetipsum effugiet; et ut fatur Philosophus Moralis, *multis se modis semper fugit ; sed quid prodest, si non effugit ? Sequitur ipse, et urget gravissimus comes* (1), semper repræsentans in conscientia umbratiles peccatorum larvas, et horribiles delictorum imagines. Cum scelerose delinquit peccator, mens obscuratur, peccati fœditas obnubilatur, neque ejus gravitas et enormitas perspicue dignoscitur : at transacto jam fervore delicti mens serenatur, nubes obvolvens peccatum dissipatur, conscientia manifestas delictorum imagines repræsentat, peccator eorum turpitudinem et atrocitatem absque ulla nube, ullo velo, clare intuetur ; et ut belle fatur ad propositum Origenes : *Cum conscientia peccati imaginem sumpserit, habeo formam illius, et ante oculos cordis mei delicti pompa depingitur.* (2) Delictum in conscientia repræsentatum triumphat, quia in illa sub specie et pompa triumphatoris depingitur. Dum actu patratur peccatum, in opere merum est delictum, neque pompatice triumphans apparet : postquam autem est commissum, et ad conscientiam translatum, in illa sub pompatica triumphi pompa et ostentatione conspicitur. Sub hac pompatica forma peccatum regio apparebat Prophetæ : *Peccatum meum contra me est semper.* (3) Quasi dicat, ut commentatur Genebrardus, « peccatum meum assidue video, mihi semper obversatur ob oculos, aperire oculos nequeo, quin illud mihi se objiciat, illud perpetuo fero in mea conscientia : » at potissimum in inferno, peccatori tota apparebit delictorum pompa. Hanc illi pœnam minatur Deus : « Arguam te, et statuam contra faciem tuam. » (4) « Quid illud confusionis erit, quid miseriæ, quid doloris, quando dissipatis foliis et dispersis, universa nudabitur turpitudo, revelabitur ignominia, sanies apparebit ? Quando jam immortalis factus internus ille conscientiæ vermis, tota malignitate corrodet, sed non consumet animam infelicem, nec erit omnino dissimulationis locus, nec spes ulla consolationis ? » (5) Illum conscientiæ vermem et nunquam morientem, horrebat et pertimescebat D.

(1) Lib. 6. Æneid. — (2) Macrob. L. 1. de somnio. c. 10. — (3) In Medit. — (4) D. Bern. L. 5. de Consider. c. 12. — (5) Isa. 66. — (6) D. Ambr. L. 2. de Pœn. c. 11. — (7) Apud. Anton. in Melissa p. 1. Serm. 18.

(1) Senec. de Tranquillit. Vit. — (2) Hom. 12. in Jerem. — (3) Psal. 50. — (4) Psal. 46. — (5) D. Bern. Tract. de Vita et Moribus Cleric. c. 19.

Bernardus : *Horreo vermem mordacem et mortem vivacem : horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis* (1), qualem patiuntur ab inferno reprobi, et a scelerosa conscientia peccatores.

3. Peccator, scelerosa conscientia perturbatus, *mortem vivit* (2), id est, vivendo moritur, præ animi mœrore et amaritudine : et, ut fatur D. Ambrosius, « quamvis foris abundet et deliciis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit : prava ejus conscientia, spirans mors est, cadaver vivum, viventis sepulcrum. » Subjungit D. Ambrosius : « Vides convivium peccatoris ? Interroga conscientiam ejus, nonne gravius fœtet omnibus sepulcris? intuere abundantiam ejus, introspice ulcera, et vibices animæ ejus, cordisque mœstitudinem ; » et fateberis cum D. August. quod vivendo continue moritur, et non tam vivit quam *mortem ducit vitalem.* Mundus mihi arrideat; omnes adulatorie assentiantur, mihique de dignitatibus, voluptatibus, divitiis, corporis venustate, ingenii acumine, aliisque fortunæ et naturæ, corporis et animæ, bonis blandiantur. *Si conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus extollat ?* (3) Quamnam, quæso, captare potest a mundo lætitiam peccator, quem continuo conscientia terret, mordet, torquet et cruciat ? Quænam potest ei esse voluptas, quem prava conscientia horribilibus peccatorum imaginibus perturbat et inquietat. De funestis delictorum spectris sic fatur D. Ambrosius : *Offunditur nobis ultrix nostri imago peccati, nec quietum reum suum esse permittit, inferens miseram servitutem ; atque in sua vincula trahit, ut enodare se non queat, quoniam volens ipse se vendidit, cui liberam erat delictorum æra non capere, et libertatem innocentiæ reservare. Itaque ubi somnus semper corporis laxaverit, peccatum recurrit : semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conveniens debitorem.* (4) Fuse dinumerat D. Ambrosius quam sit infausta peccatoris vita, qui a prava conscientia *omni tormentorum machinatione laniatur.* (5) Nam, 1. Scelerosa conscientia objicit ejus oculis horrendas delictorum larvas, quæ illum terrent ; 2. Ultrices assumit iras, et velut domestica furia intima cordis dilacerat ; 3. Omnem animi expellit quietem et continuis stimulis exagitat ; 4. Amissam ultro libertatem illi indesinenter et exprobrat, et tanquam miserum servum flagellis excruciat ; 5. Mali exactoris assumit negotium, nullamque violentiam non attentatam relinquit; 6. Improbi fœneratoris agit munus, debitum nullo pœnarum fœnore auctum reddere cogens. Nonne viventes moriuntur, debitores ab improbis fœneratoribus persecuti ; plebeii exactorum rapacitati expositi, servi sub tyrannorum crudelitate gementes ?

(1) Lib. 5. de Consid. c. 12. — (2) Tert. L. de Pall. 2. — (3) D. August. L. 5. advers. litter. Petilian. — (4) In 1, 38. — (5) Tert. L. de Res. Car. 8.

Adeo est misera peccatoris vita ut multi inveniantur, *qui etiam utero perire malint, quam sub tali conscientia vivere.* (1) Protoparentum exemplum prodit Claudius Marius Victor, qui conscii sui criminis fugiunt, abscondunt se, et *cuperent si forte pateret, condere se in baratro.* (2) Neque faustior fuit Caïnus, cui in fratricidii pœnam, diu morientem Deus contulit vitam : dicens apud Claudium Marium : *Tibi primus, ut esses inventor mortis, pœna moriere perenni.* Flacci, Alexandriæ in Ægypto præfecti, morientem vitam adducit Philo Judæus. (3) Ille cum in sua præfectura inique se gessisset, in Andrum insulam relegatus, mox ut illam videre cœpit, exclamasse dicitur : Quomodo te appellabo, exsiliumne seu novam patriam ? Portum an refugium miserorum ? Sepulcri nomen maxime tibi convenit, siquidem infelix ego meipse quodammodo in monumentum infero. « Adeo, ait Philo, trepidabat infelix Flaccus ut non aliter quam insanus prosiliret ; ac ultro citroque discurreret, manus complodens, fœmora percutiens, humi se affigens et clamitans : Interemi quosdam, interiment me alii ; me connivente quidam lapidibus obruti, quidam vivi combusti, quidam raptati per forum medium, donec frustratim lacerarentur. Horum facinorum pœnæ me manent ; sat scio ; et Diræ jam stant tanquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem. *Imo jam in horas præmorior, multas mortes sustinens, ante illam ultimam.* Hinc amenti et desperabundo similis exclamat : Quousque tandem ferreus durabo in tot casibus ? Scio me molliorem quam ut mortem mihi consciscam : nimirum hoc quoque vetat genius meus, ut cito abrumpam vitam miseram, et malum dilatum cumulet, ineatque apud injuste necatos majorem gratiam. Talia revolvens animo, trepidus exspectabat finem fatalem.

Plures adhuc continuas mortes non ferentes sibi vitam ademerunt : quidam per præ-

(1) Tert. Apol. 8. — (2) Lib. 1. Poemat. in Gen. — (3) L. in Flacc.

cipitia sese a perturbati animi fluctibus exemerunt; nonnulli se in mare projecerunt ut in undis vermem conscientiam rodentem suffocarent; plurimi se laqueo suspenderunt, ne tot morsus et remorsus spirare cogerentur : *Ad eum modum Judas conscientiam coarguentem minime sufferens, ad laqueum se convertit.* (1) Alii pectori immerserunt ferrum, eodem vulnere et reum et carnificem confecturi. *At quanto ruboratior exitus* (2) Lucretiæ, quæ cum pudorem violatum intolerantissime ferret, ferro armavit dexteram, illudque in pectus immersit?

Ex dictis tria colligenda sunt : 1. Conscientia scelerosa est mare turbatum. Ut enim ait Chrysologus : *Quoties circa Dominum se indocilis turba diffundit, et jactatur in conscientiæ procella, quietem deserit, petit fluctus.* (3) Quare fugiendum est peccatum, ut conscientia a procellis et fluctibus immunis, tranquillitate et quiete potiatur : *Quid in terra quietius est et securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ in ipsa morte magis erigitur, quam deprimatur.* (4) 2. Scelerosa conscientia est tribunal justitiæ condemnans peccatores. *Appellamus, et provocamus a vobis ad conscientiam vestram* (5), ut convertatis tribunal justitiæ in tribunal pœnitentiæ : *Ipsa sui judex* (6), condemnet peccata, convertat peccatorem, ne sceleroso efficiat justum, de reo reddat innoxium. *Anima seipsam judicans, se suspendit in patibulo pœnitentiæ, ne suspendatur in patibulo gehennæ.* (7) 3. Prava conscientia est infernus crucians, quam vermes continuo rodunt : per humilem autem confessionem hujusmodi vermes mordentes ejiciuntur et interficiuntur : *O vermis, qui quandiu vivit, nunquam interiora cordis comedere et depascere omittit, qui nunquam vivere, et per hoc nunquam rodere desinit, nisi eum mucrone puritatis suæ, humilis confessio jugulaverit* (8); jugularis per confessionem vermibus, punitis in foro pœnitentiæ peccatis. *Nemo igitur vel solus vel cum altero aliquid turpe faxit : sed seipsum præ cæteris erubescat* (9) : Et ut fatur Chrysologus, *confessionem futuri judicii erubescat, in quo jam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum, et ubi reus plus de conscientia quam de gehennæ erubescit incendio.* (10) Conscientia seipsam erubescens, per pœnitentiam peccatorem puniens, peccata fugiens, in justitia vivens, in die judicii audiet sententiam benedictionis æternæ.

(1) D. Chrysot. Epist. 7. — (2) Tert. L. de An. 25. — (3) Serm. 19. — (4) D. Bern. Lib. 5. de Consid. — (5) Tert. Apol. 10. — (6) D. Ambr. in Ps. 39. — (7) Hug. Card. in Ps. 49. — (8) D. Bern. Serm. 4. in die Palm. — (9) D. Ambr. Lib. 7. Ep. 44. — (10) Serm. 125.

CONCIO QUINTA.

Non mortis, sed vitæ Deus est auctor : *Sicut Deus homini vitæ statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit.* (1) Deus trinam homini largitus est vitam, scilicet naturalem corporis, supernaturalem animæ, et insuper tum animæ, tum corporis vitam pollicitus fuerat in cœlo gloriosam. Itaque *non est Deus mortis inventor, sed judex, quia mortis auctor peccatum est* (2); et homo peccando trinam sibi attraxit mortem, scilicet : 1. Corporis; 2. Animæ; 3. Corporis simul et animæ.

I. PARS. *Opus mortis separationem animæ atque corporis* (3) fatetur Tertullianus : etenim *mors hominis dicitur, qua corpus ab anima deseritur* (4) Ut autem ait D. Chrysostomus, *ipsa mors a peccato habet radicem* (5), et ut docet D. Augustinus adversus Pelagianos et philosophos gentiles, *mors non est naturæ conditio, sed pœna peccati* (6), ut constat ex 1. Adamo; 2. Christo Domino; 3. Cuncto genere humano.

1. Mox ut primus homo deliquit, *exinde ad mortem, sed ante ad vitam.* (7) Ex D. namque August. (8), trinus considerandus est status : primus innocentiæ, in quo homo poterat peccare et non peccare, mori et non mori; tertius gloriæ, in quo non potest peccare, nec mori; secundus culpæ, in quo non potest non peccare, et similiter non potest non mori. « In primo fuit possibilitas non peccandi, et possibilitas non moriendi, non quidem ex natura, sed ex gratia gratis data : in tertio statu, erit impossibilitas peccandi et moriendi, non ex natura, sed ex gratia perfecta naturæ superaddita; in secundo statu, est peccandi necessitas, quandiu abest gratia et moriendi necessitas, quandiu abest vita. » (9) Adamus autem peccando amisit statum innocentiæ, in quo poterat non mori, et cecidit in statum culpæ in quo non potest non mori. *Unde post peccatum homo dicitur semivivus, quia anima immortalis est, corpus vero mortale, ita ut medietas hominis*

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 8. — (2) Lib. 1. quæst. vet. et nov. Test. q. 34. — (3) Tert. Lib. de An. 42. — (4) D. Aug. L. de Bon. Conj. 2. — (5) Hom. 28. in Matth. — (6) D. Aug. L. de Præd. et Grat. 3. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 11. — (8) Lib. 6. de Gen. ad litt. c. 25. — (9) Hug. Vict. L. 1. de Sacr. p. 6.

morti succumbat (1), nimirum corpus. Apostolo namque teste, *corpus mortuum est propter peccatum* (2), id est, mortis necessitati obnoxium est corpus, non propter naturam, sed propter peccatum. Nos *qui primordia hominis novimus*, *audenter determinamus, mortem non ex natura secutam hominem, sed ex culpa.* (3) Et ob hanc causam quandiu homo innocentiæ servavit statum, in quo poterat non mori, *nudus certe et investis figulo suo constitit* (4), nuditatem suam nonerubescens : at a felici illo statu in statum culpæ cadens, *quod in novo corpore indebitum adhuc pudori erat*, *protegere festinans*, *in ficulneis foliis interim circumdat.* (5) Acute Tertullianus scelerosi protoparentis corpus nuncupat novum, non quoad naturam, sed quoad statum : nam ante peccatum poterat non mori, post peccatum vero non potest non mori, sed moriendi addicitur necessitati ; ideoque Adamus cognoscens se esse nudum, nuditatem suam erubescens, sibi et uxori suæ de ficulneis foliis aptavit vestem. Ficus enim est arbor funerea, symbolum et indicium mortis, et ob hanc causam designatores (apud Romanos) quorum intererat funerum ritus, lugubresque signare modos, signo ficus denotabantur. Merito igitur sub ficu latitat scelerosus Adamus propter peccatum damnatus morti, quam eadem de causa subiit innoxius Christus.

2. *Propter id quod moritur mortuus est Christus* (6) ; nimirum propter hominem, quem morti corporis subjecit peccatum. Adamus et Christus mortem subierunt in pœnam peccati, sed diversa longe ratione. Adamus criminosus, Christus innoxius ; Adamus in pœnam peccati, quod ipse commisit : etenim *si non deliquisset, nequaquam obiisset* (7) : Christus in pœnam peccati, non ab ipso commissi, sed ab Adamo patrati; quem ideo sic alloquitur Tertullianus : *Propter tuum meritum*, *id est*, *mortem*, *etiam Dei Filius mori habuit* (8), ut te scilicet liberaret a peccato, quod tibi universoque generi humano, corporis attulit mortem.

3. *Per Satanam homo a primordio circumventus*, *ut præceptum Dei excederet*, *et propterea in mortem datus*, *exinde totum genus de suo semine infectum*, *suæ etiam damnationis traducem fecit.* (9) Nam, ut fatur Apostolus, « per unum hominem peccatum intravit in mundum, e per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt. » (1) Circa hunc Apostoli locum plura sunt animadvertenda : 1. Hominem illum fuisse Adamum primariam generationis et propagationis humanæ causam, quia *in ipso principe generis Adam* (2) naturam formavit Deus, quam *matricem omnium fecit.* (3) 2. Peccatum illud quod per unum hominem intravit in mundum, est originale, suam ab Adamo trahens originem. *Princeps et generis et delicti Adam* (4) ; quia scilicet in ipso quasi capite constituta fuit nostra originalis tum justitia, tum culpa : unde verisimiliter docet Doctor Angelicus Adamo non peccante, licet Eva peccasset, non fuisse transfusum originale peccatum : *Miserum me*, *ipse qui erat causa bonorum omnium*, *janua factus est hic malorum.* (5) Peccatum in hunc mundum intravit : *Sed dicis*, *per quem intravit ? Quomodo ? Per culpam : per quem ? per hominem ?* (6) 3. Omnes homines naturali generatione procreatos (sola Virgine Deipara excepta) peccasse in Adamo : nam, ut vult D. Augustinus, *omnes homines fuerunt ille unus homo*, *scilicet Adam* (7) ; non quidem formaliter, sed originaliter, radicaliter, seminaliter et repræsentative. Ut enim rex repræsentat regnum, et magistratus civitatem, ita Adam quasi pater et princeps, omnes suos repræsentabat posteros; qui in illo quasi radice, parente, et suo principio fuerunt contenti, censi et comprehensi : ideoque nuncupantur *hæreditarii rei* (8), tanquam a reo et sceleroso parente generati. *O dura hæreditas ac crudelis ! O miseri*, *quibus nec adipisci libuit*, *nec renuntiare licuit nos hæredes !* (9) 4. Homo peccando addictus est morti; et ut fatur Tertul. *abstinentiam rupit*, *edit illicitum*, *et transgressione saturatus*, *in mortem cruditavit* (10), suosque posteros mortis imperio subdidit. *Ecce*, *Fratres*, *janua*, *per hominem peccatum*, *et per peccatum intrasse videmur in mortem* (11); et ita in omnes homines mors pertransit. Non ait Apostolus : In omnes homines mors pertransit, aut pertransibit, hoc enim futuræ, illud præsentis est calamitatis ; sed, pertransiit, quia prius damnatos mors occupavit, quam natos vita ipsa lustravit. *Sed dicis* (12) : *Si generi debeo quod natus sum*, *nunquid et crimini*, *ut ante me reum faciat natura*, *quam culpa ? Huic quæstioni tuæ mox qui sequitur Apostoli sermo respondit*, *dicens* : In quo omnes

(1) Theoph. in cap. 10. Luc. — (2) Rom. 8. — (3) Tert. L. de An. 52. — (4) Tert. Lib. de Pall. 3. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. L. de Car. Chr. 6. — (7) Tert. L. de An. 52. — (8) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (9) Tert. L. de Test. An. 3.

(1) Rom. 5. — (2) Tert. L. de An. 20. — (3) Tert. L. de An. 20. — (4) Tert. Lib. de Exh. Cast. 2. — (5) D. Thom. 1. 2. q. 81. a. 5. — (6) Chrysol. Serm. 111. — (7) Lib. 1. de Peccat. Merit. c. 10. — (8) Tert. L. de Orat. 11. — (9) Chrysol. ibid. — (10) Tert. Scorp. — 5. (11) Chrysol. ibid. — (12) Chrysol. ibid.

peccaverunt. *Si in illo omnes peccaverunt, merito per illum omnes suscepere supplicium.* 5. Mortem esse naturæ malum, imo, ut vult nonnemo, summum malorum omnium. Quod confirmat Philosophus cum ait : « Omnium terribilium terribilissum est mors. (1) » Quia scilicet *tantam animæ et carnis societatem, tantam a conceptu concretionem sororum substantiarum, divellit ac dirimit.* (2) Quo intimior est unio animæ et corporis, eo mors majus est naturæ malum, intimam illam dividens et divellens unionem in pœnam peccati. 6. Stipendia enim peccati mors, seu, ut legit Tertullianus, *stipendia delinquentiæ mors.* (3) Mors corporis est ob peccatum. Stipendiarii sunt homines, et obnoxii, non solum calamitatibus et ærumnis, sed etiam morti. *Quæstus peccati mors,* vertit D. Ambrosius: quæstus namque et usura peccati mors est : sicut cum censum debeo, præter capitale, quod accipio, et debeo, redituum quoque stipendia debeo, quæ statutis anni temporibus exsolvenda sunt, integro remanente debito capitali. *Ad ipsum jam delictorum censum* (4) flectamus cogitationem. Peccati censum pro se et suis posteris contraxit Adamus, redditus autem et stipendia quæ debemus, sunt angustiæ, morbi, præsertim mortes. *Attende miserias hominis, intuere cineres : vectigalia sunt peccati.* (5)

Mortales qui sese mortis reddunt stipendiarios, neque se, neque nepotes suos diligunt : Adamus et Eva *si se diligerent, in semetipsos homicidium non commisissent* (6): neque suos posteros interfecissent. Lugendum sane spectaculum, *cum Annibal apud Cannas romanos annulos cæde sua modio metiebatur* (7) : sed multo lugubriorem stragem humano generi attulit Adami delictum, quod et bonis denudavit, et mortis tyrannidi subdidit. Protoparens delicti sui non cognovit gravitatem, nisi quando Abelem filium mortuum conspexit. Dum faciem ejus conspexit pallidam absque calore, oculos clausos absque lumine, os mutum absque ullo sermone et corpus absque ullo motu ; tunc conclusit peccatum esse acerbissimum, quod viventem enecavit prolem, et tantam attulit mutationem : quantum a fortiori ex tot morbis, ærumnis et mortibus quæ cuncto generi humano eveniunt ob Adami delictum, colligenda est peccati atrocitas? *et quo fonte lacrymarum talis nobis plane deflendus est parens, qui nos tantarum miseriarum reliquit hæredes, qui non solum collata bona perdidit, sed omnes posteros suos tam feris creditoribus obnoxios reliquit ?* (1)

Christiane, vis scire quid sit peccatum ? Intuere tantum unicum Adæ peccatum, et considera quot morbos, fames, ærumnas, neces, hoc unum peccatum pepererit ; quot fuere homines ab exordio mundi; hos omnes, sive magnos, sive parvulos, morti subjecit. Xerxes, Persarum rex, considerans a summitate montis exercitum suum ex millione hominum conflatum, flevisse dicitur; quod intra centum annos ex tot hominibus nullus foret superstes. Quid est millio hominum ad homines qui fuerunt a mundo condito, qui nunc existunt in orbe, et qui usque ad ultimum judicium futuri sunt ? Et tamen tanta hominum multitudo, vel jam est a morte devastata, vel morte cædenda est. Sane fides qua credimus *per unum hominem mundum totum suscepisse sententiam, ad flendum nos, renovato et intimo dolore compellit. Si enim eximii vates singularis populi, et unius urbis ac solius nonnunquam hominis diu lament avere discrimen, quæ mens non totis tenebris obscuretur, quos sensus non tota hebetudo confundat ; quos oculos non redigat in fontes, et fluenta lacrymarum, quando unius lapsu exstitit ruina cunctorum, et unius culpa omnium defluxit ad pœnam, ac parentis vitium universo generi exitium ferale præparavit ?* (2) Subjungit Chrysologus : *Non tantum parentis vitio, sed peccatores suo jam lapsos facinore, mors sæva devorat.* Neque duntaxat peccatum affert corpori necem, sed etiam animam interficit.

II. PARS. *Ut anima interire dicatur, ab Epicuræis observatur.* (3) Epicuræi, qui post hanc vitam, neque sperant virtutis præmium, neque formidant vitii supplicium, animam rationalem, non secus ac corpus morti subjiciunt, in hoc nullum admittentes discrimen inter animam hominis et animam pecoris. Verum ut sapienter ait Tertullianus, *omnes sciant se potius sine corde et cerebro vivere, qui dispositionem animæ humanæ, de conditione bestiarum præjudicarint.* (4) Anima rationalis, spiritualis natura est etiam naturaliter immortalis, in quo discriminatur, tum ab animabus bestiarum, quæ nec sunt spiritales, nec immortales; tum etiam ab humano corpore : itaque *animam imprimis immortalem tuentes, solius carnis defectionem agnoscimus* (5) : licet enim in

(1) Lib. 3. Ethic. 6. — (2) Tert. L. de An. 52. — (3) Tert. L. de Resur. Car. 47. — (4) Tert. L. de Pud. 4. — (5) Hildeb. Turon. Epist. 56. —(6) Tert. L. adv. Jud. 2. — (7) Tert. Apol. 40.

(1) Chrysol. — (2) Chrysol. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 7. — (4) Tert. L. de An. 10. — (5) Tert. L. de Res. Car. 2.

homine mortali uniatur corpori, attamen nec suam amittit immortalitatem, nec corporis adimit mortalitatem. *Nam et si immortalem constat animam ipsi hoc soli licebit, non etiam corpori cui annectitur.* (1) Aliorsum (2) animæ immortalitatem fuse demonstravimus: nunc autem ostendendum est rationalem animam natura immortalem, per peccatum, 1. Enecari; 2. Vita privari; 3. In corpore velut in sepulcro tumulari.

1. *Adeo hic et anima immortalis natura recognoscitur, quæ non possit occidi ab hominibus.* (3) Quamvis nemo extraneus valeat animæ rationali inferre necem, neque dæmon cum omnibus inferni viribus possit eam destruere, neque ipsemet Deus de potentia ordinata annihilare, peccator tamen illam enecat, quando lethale committit delictum: unde *homicida est. Quæris quem occiderit? si quid ad elogii ambitionem facit, non extraneum, nec inimicum, sed ipsum se. Quibus insidiis? erroris sui. Quo telo? offensa Dei. Quot plagis? quotquot idololatriis.* (4) Quot crimina perpetrat peccator, tot idololatrias admittit, tot injuriis Deum offendit, tot plagis seipsum confodit, tot telis immortalem animam vulnerat ad mortem, et interficit. Ideoque Basilius Seleucus mortem sic loquentem inducit: *Arma mihi contra homines sunt hominum crimina.* (5) Sævissima ad cædes arma peccata sunt, quibus peccatoris anima aggreditur, vulneratur, occiditur. Peccati armis enecandum Esaü formidat Rebecca mater ejus: Jacobi corporalem pertimescit necem, Esaü vero spiritualem: ut Jacobum ab irati Esaü furore liberet, mittit illum ad Laban fratrem suum aiens: *Cur utroque orbabor filio in una die?* (6) Esaü quidem, cujus anima jam a criminoso ultionis desiderio enecata est, Jacobo etiam, quem ob furatam benedictionem Esaü, enecare desiderat. *Non quasi timuisset Rebecca, ut ad pugnam venientes mutuis concidissent vulneribus: sed quod si alter alterum occideret, uterque incurreret mortem eodem die: occisus quidem corporalem mortem, fratricida vero mortem spiritalem* (7); et ob hanc causam timet Rebecca in uno conflictu, utroque orbari filio; occiso scilicet et occisore. illo, ob cædem corporis, isto, ob animæ interfectionem, quæ est corporis cæde magis pertimescenda.

Quod probe sciens Jacobus patriarcha, non Ruben, sed Judæ, dilectum Benjamin commisit ducendum in Ægyptum. (1) Filii Jacob profecti in Ægyptum ad emendum frumentum quo depopulantem et grassantem possent vitare famem, a fratre Josepho velut exploratores habiti, et detenti, tandem redeundi ad patrem obtinent licentiam hac conditione, ut redeuntes in Ægyptum, secum adducerent minorem natu Benjamin. Ruben et Judas ad Jacobum patrem reversi, enixe illum deprecantur ut secum mittat puerum: Duos filios meos interfice, ait Ruben, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam. (2) Judas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur et possimus vivere: ego suscipio puerum; de manu mea require illum: nisi reduxero et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. (3) At Jacobus Benjamin non credidit Ruben spondenti funeste cruentam duorum filiorum cædem, illum vero ducendum commisit Judæ dicenti: *Ero peccati reus omni tempore*, id est, quandiu vivam, hoc mihi peccatum imputa et impropera: quia scilicet peccati reatus quia interficitur anima, majus est malum quam corporalis geminæ prolis cædes: *Notandum quod Ruben ait: Duos filios meos interfice, si non restituero eum tibi; nec tamen obtinuit. At Judas dicens: Reus ero peccati in patrem omni tempore, impetravit, quia ei commissus est Benjamin. Plus ergo est reum esse peccati, quam corporaliter occidi.* (4) Quanto anima antistat corpori, tanto cædes animæ est sævior et damnabilior cæde corporis. Quapropter *Jacob pater ipsorum sciens multo esse gravius quod promiserat Judas, qui dixerat: Peccator ero in te, ab eo qui dixerat: Occide filios meos; Ruben quidem non credidit filium, tanquam qui leviorem elegerat pœnam: Judæ vero tradidit, sciens gravius esse quod elegerat.* (5)

2. In peccatoribus est *vita sine vita* (6), vita corporis, non spiritalis; vita naturalis, non supernaturalis; et ob hanc causam ut acute animadvertit D. Augustinus (7), dicuntur a Regio Vate, non absolute viventes sed sicut viventes, « sicut viventes, sic in ira absorbet eos. » *Quare non dixit viventes, sed tanquam viventes, nisi quia falsa est hæc vita, neque enim vivunt, sed vivere sibi videntur.* Minori namque sui parte vivunt, majori vero mortui sunt, quia *animæ principaliter casus est.* (8) Homo est totum physicum ex corpore et

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 3. — (2) Tert. Præd. Tom. 1. Tract. de An. Ration. Conc. 3. — (3) Tert. Lib. de Res. Car. 55. — (4) Tert. L. de Idol. 1. — (5) Orat. 11. — (6) Gen. 27. — (7) D. Ambr. de Jacobo.

(1) Gen. 43. — (2) Gen. 42. — (3) Gen. 43. — (4) Strab. Fuld. — (5) Orig. Hom. 14. in Lev. — (6) Tert. L. de An. 56. — (7) In Ps. 57. — (8) Tert. Lib. de An. 19.

anima compositum. *Quis non animæ dabit summam omnem, cujus nomine totius hominis mentio titulata est?* (1) Ideoque quando existit in mortali peccato, non potest dici vivens, sed duntaxat tanquam vivens, quia nobilior ejus pars non vivit. *Intueatur ergo quisque animam suam: si peccat, moritur: peccatum mors est animæ* (2); unde simul et semel est tanquam vivens et vere mortuus; tanquam vivens corpore, vere mortuus anima: *Sicut visibiliter plerumque in domo integra et salva, dominus ejusdem mortuus jacet: sic in corpore integro multi habent intus animam mortuam.* (3) Plus audet D. Augustinus, peccatores mortuos tum corpore, tum anima existimans: *Nos certe, quod nemo Christianus ambigit, et anima et corpore mortui sumus: anima, propter peccatum; corpore, propter pœnam peccati.* (4) In pœnam peccati originalis corpus damnatum est ad mortem, et propter peccatum sive originale, sive actuale anima scelerosa mortua est. Animadverte ibi *ipsam mortem spiritaliter intelligendam esse, scilicet pro morte animæ.* (5)

Opus mortis in medio est, discretio corporis animæque. (6) Homo tandiu corporaliter vivit, quandiu corpus unitum est animæ, quæ est principium vitæ naturalis: mox ut anima a corpore separata est, moritur corpus, quia privatur principio a quo mutuabatur vitam. Quandiu gratia habitualis informat animam, tandiu homo vivit vita supernaturali; at mox ut labitur in lethale peccatum, moritur ejus anima, quia viduatur gratia, quæ est principium vitæ supernaturalis. *Duplex est mors hominis, scilicet animæ et corporis. Mors animæ est, dum per peccatum quodlibet, Deus, qui est vita animæ, eam deserit: mors corporis est, dum per necessitatem corpus quodlibet deseritur ab anima.* (7) Nam eodem modo se habet gratia ad animam quo anima ad corpus. Naturalis vita corporis, in unione animæ et corporis; mors vero in utriusque separatione consistit. O homo, *vita animæ tuæ Deus est. Quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita ejus est, sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus.* (8) Igitur sicut mors corpus ab anima dividit, et dissolvit hominem ex partibus physicis essentialiter compositum, sic peccatum hominem justum a gratia disjungit, a Deo separat, et ex vivente efficit mortuum. *Sicut enim anima Deo deserente sic corpus anima deserente moritur: unde illa fit insipiens, hoc exanime.* (1)

Tertullianus nuncupat *mortem dissolutricem corporis et peremptricem sensus.* (2) Corpus enim ab anima separatum nullius sensus fungitur officio: non videt, non audit, non loquitur, manibus non operatur, pedibus non ambulat, quia caret principio intrinseco omnis motus. Nam *si alimonia pavor, motus, tractatio est animæ, his qui fungitur, vivet: desinit vivere qui desinit fungi.* (3) Corpus, quod oculis videt, auribus audit, olfactu fragrat, cibos degustat, objecta tactu discriminat, vivit, quia ejusmodi operationes vitales nequeunt fieri nisi inofrmetur ab anima, quæ est principium a quo procedunt: nam *unde sensus si non ab anima?* (4) Dum autem corpus nullam sensitivam edit operationem, mortuum est, neque in semetipso habet vitæ principium: siquidem *carens anima, carebit et sensu.* (5) Peccator quoque mortuus est, quia in se non habens gratiam habitualem, quæ est principium vitæ supernaturalis, caret omni sensu divinorum, omni motu virtutis, omni operatione cœlestis meritoria beatitudinis: *Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, et audit auribus, officiis cæterorum membrorum satis utitur, viventem putas: vivit, sed corpus ejus; mortua est autem anima ejus, mortuum est, quod melius est; vivit habitaculum, mortuus est habitator* (6); et anima scelerosa per peccatum mortua, in corpore velut in sepulcro tumulatur.

3. *Corpus istud Platonica sententia carcer.* (7) D. Hieronymum redarguit Ruffinus, quod in Commentariis super Epistolas ad Ephesios dixisset corpus animæ carcerem: cui respondet D. Hieronymus se id ex Origene retulisse, qui ut in multis, etiam in hoc Platonem est imitatus. Verum corpus animæ velut ergastulum censet Regius Vates Deum deprecans: *Educ de custodia animam meam,* (8) scilicet de corpore, quod animæ custodiam et carcerem vocitat, non eo sensu quo Plato et Origenes, qui animas ob delicta quæ patraverant, fuisse a Deo intrusas in corpora volebant, sed quia corpus quandiu unitur animæ, *interim animam conseptos uo obstruit, et obscurat, et concretione carnis infœcat.* (9) Verum si Platonica sententia corpus est carcer animæ; *cæterum, Apostolica, Dei templum, cum in Christo est.* (10)

(1) Tert. L. de An. 13. — (2) Aug. Tract. 49. in Joan. (3) D. August. Serm. 18. de Verb. Dom. — (4) Lib. 4. de Trin. 3. — (5) Tert. L. de Res. 19. — (6) Tert. L. de An. 51. — (7) D. August. Ser. 162. de temp. — (8) D. August. Tract. 47. in Joan.

(1) D. August. L. 4. de Trin. c. 3. — (2) Tert. L. de An. 42. — (3) Tert. L. de An. 25. — (4) Tert. L. de An. 17. — (5) Tert. ibid. — (6) D. Aug. Serm. 28. de Verb. Apost. — (7) Tert. L. de An. 53. — (8) Ps. 141. — (9) Tert. ibid. — (10) Tert. ib.

Justus in Christo est, cui est per fidem, charitatem et gratiam conjunctus : Christus vicissim in justo est, cui unitur tanquam caput membro viventi : Deus quoque inhabitat, non solum in anima justi, quæ est sanctissimæ Trinitatis sacrarium, sed etiam in ejus corpore, quod est templum Spiritus Sancti : *Non scitis vos templum Dei esse, et in vobis Dominum habitare? Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* (1)

Uti autem corpus carcer est animæ justi, eam detinens ne beatis Angelis in cœlo associetur, Deique visione fruatur; ita est sepulcrum animæ scelerosæ per peccatum emortuæ, *ut in corpore tanquam in aliquo sepulcro jaceat.* (2) Sepulcri autem quadruplex est acceptio apud Tertullianum : sumitur, 1. Pro tumulo, in quo mortuum deponitur corpus, quomodo Abraham patriarcha *postulans Saræ humandæ locum de filiis Chet : Date, inquit, mihi possessionem sepulcri vobiscum, et humabo mortuum meum, carnem scilicet.* (3) 2. Sepulcrum pro seculo usurpatur, quo sensu nonnulli *de sepulcro exire, de seculo evadere interpretantur, quia et seculum mortuorum sit habitaculum.* (4) Ad quod alludere videtur Christus aiens adolescenti postulanti tempus sepeliendi patris : « Sine mortuos sepelire mortuos suos. » (5) Nonnulli *ipsam etiam mortem spiritaliter intelligendam* (6) censentes, pro sepulcro accipiunt *ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore jacuerit, quam in sepulcro* ; quo sensu errantes, et in ignorantia vincibili et scelerosa persistentes *Scribas et Pharisæos sepulcris adæquat* foris dealbatis, intus vero plenis putredine et ossibus mortuorum ; 4. *Vel etiam de ipso corpore, quia et corpus vice sepulcri, conclusam animam in singularis vitæ morte detineat.* Quo sensu de impiis ait D. Ambros. *Etiamsi videantur vivere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam ; quid enim aliud est quam sepulta, quæ intra humum volvitur?* (7)

Quemadmodum mors ex corpore putridum efficit cadaver, ob fœtorem in terra sepeliendum, etenim *nec ipsa monumenta aliud quam cadaverum stabula* (8), in quibus tumulantur, ne suo putore inficiant aerem, et viventibus mortem afferant ; ita a peccato anima cadaverescit, et ut cadaver putrescit; unde et Sophocles de homine guloso sic fatur : *Non arbitror hunc vivere, sed cadaver judico.* Idipsum de quavis anima scelerosa asseverat Chrysologus : *Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus : sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo: recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, et omnia visu detestanda succedunt : discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror : et fit in corporis sepulcro vivo funus animæ jam sepultæ.* (1)

Quando homo moritur, amici, domestici, propinqui, mœrore afficiuntur, fundunt lacrymas, et cum tristitia et luctu ejus corpus funerant et celebrant exsequias : et ob hanc causam merito invehit Tertullianus in funebres pompas, quod in illis defuncti corpus *funus inter cocos pretiosissimos invenit, quod condimentis Apicianis et Lurconianis humatur, quod mensis Ciceronianis infertur, quod lancibus splendidissimis Syllanis effertur, quod exsequias convivium patitur* (2) ; quasi cœnæ impendatur, non funeri ; convivio inferatur, non sepulcro ; funera etenim decent non opipara convivia, sed orationes et sacrificia ; non oblectamentum, sed luctus et tristitia. Quimortuorum exsequias cum gaudio celebrant, et externum duntaxat luctum advocant : *Nunquid tales piaculum de pietate non faciunt, qui ad luctum musicam, ad funera suorum extranea lamenta conducunt? Ubi vero planctus non est, ibi est empta et mercenaria cantilena. Mortuum non simplex fistula, sed simplex plangit affectio.* (3) Alludit Chrysologus ad domum Jairi, principis Synagogæ. Ut enim refert Evangelista Matthæus (4), « ingressus Jesus domum principis, vidit symphoniam », scilicet paratam ad funus filiæ Jairi jam fato functæ : et ut subjungit Chrysologus, *cadaver perfidiæ perfidis agebatur obsequiis, et impietatis ministerio pietas curabatur.* Quod si emortuum hominis plangitur corpus, neque est tumulandum nisi cum tristitia et luctu, nonne a fortiori plangenda et lugenda est anima *in hominis corpore tumulata?* (5) At proh dolor! mortis animam non plangit scelerosus Christianus. Quem ideo sic pungit D. Augustinus : *Suntne in te, Christiane, viscera misericordiæ, qui plangis corpus a quo recessit anima, et non plangis animam a qua recessit Deus?* (6) Luges corpus ex sua natura mortale, vita naturali orbatum, et non luges ani-

(1) Tert. L. de Pud. 16. — (2) Theodor. in 1. Tim. 2. — (3) Tert. L. de Res. Car. 18. — (4) Tert. L. de Res. 19. — (5) Matth. 8. — (6) Tert. ibid. — (7) Lib. de Jacob. — (8) Tert. L. de Res. 37.

(1) Serm. 19. — (2) Tert. L de An. 33. — (3) Chrysolog. Serm. 19. — (4) Cap. 9. — (5) Tert. L. de An. 48. — (6) Serm. 18. de Verb. Apost.

mam ex sua natura immortalem supernaturali vita privatam ; fundis lacrymas super mortem corporis ex luto formati, et non lacrymaris per peccatum incurrisse mortem tum animæ, tum corporis !

III. PARS. Peccator *ibit in totum interitum* (1), mortemque secundam patietur secundum totam sui naturam. Homo totaliter sumptus complectitur corpus et animam, quæ sunt partes essentiales, ex quibus unitis coalescit : quare nequit ire in totum interitum, nisi moriatur anima et moriatur corpus. Quandiu criminosus existit in seculo, mortuus est, non secundum corpus, sed secundum animam. *Tunc plane vera mors est, quando homo anima præmoriente, deteriore sibi parte hominis sit superstes.* (2) Quando vero moritur, vitamque perdit naturalem, tunc incurrit mortem secundam in anima quæ cruciatur in inferno, non in corpore, quod jacet in sepulcro. At *cum totam corporis scenam tempus aboleverit* (3), cum ultimum judicium advenerit, criminosum resurget corpus denuo animæ scelerosæ conjungendum, et tunc homo ibit in totum interitum, quia vitam morientem et mortem viventem sustinebit, secundum totam suam naturam ex corpore et anima compositam. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus : *Cum requiritur quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam custodirent ; utrum animæ, an corporis ; an totius hominis, an illa quæ secunda dicitur : Respondendum est. Prima enim constat ex duabus, secunda ex omnibus tota. Sicut enim universa terra ex multis terris, et universa Ecclesia ex multis Ecclesiis, sic universa mors ex omnibus. Quoniam prima constat ex duabus, una animæ, altera corporis, ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo, et sine corpore ad tempus pœnas luit ; secunda vero, ubi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit.* (4) At mortem illam secundam in anima et corpore æternaliter luendam, peccator, 1. Non formidat ; 2. Accelerat ; 3. Sibi comparat.

1. Christianos Christus *monet non eos timendos qui solum corpus occidant, animam autem interficere non valeant; sed illi potius metum consecrandum, qui et corpus et animam occidere et perdere possit in gehenna. Quinam hi solius corporis interemptores, nisi præsides et reges ? homines opinor. Quis etiam animæ dominator, nisi Deus solus?* (1) Timenda est equidem humana justitia ob ingenia pœnarum, quibus punit reos et scelerosos : *Namque illa sicarium variis et exquisitis, et jam præter naturam eruditis feris dissipant, et quidem viventem, imo nec facile morientem ; curata mora finis ad plenitudinem pœnæ. Sed et si anima præfugerit, ultimo gladio ; ne corpus quoque evaserit ferrum, nihilominus jugulo ventreque confossis, costisque transfixis, compensatio proprii facinoris exigitur. Inde in ignem datur, ut et sepultura puniatur. Aliter denique non licet. Nec tamen tanta est rogi cura, ut reliquias aliæ bestiæ inveniant. Certe nec ossibus parcitur, nec cineribus indulgetur, nuditate plectendis.* (2) Dinumerat Tertullianus atrocissima supplicia quæ adversus sicarios, aliosque famosos reos exercere solet humana justitia. Verum illa tormenta, cunctaque alia quæ mens hominis potest excogitari, non sunt comparanda suppliciis quibus divina justitia punit criminosos : 1. *Tanta est apud homines homicidii vindicta, quanta ipsa quæ vindicatur natura.* (3) Tanta est apud Deum attentati Deicidii, et perpetrari Christicidii vindicta, quanta est divina quæ offensa fuit et quæ vindicatur natura. 2. Humana justitia punit duntaxat sicarii corpus, sed non animam; Deus autem peccatoris puniet tum corpus, tum animam. 3. Humana justitia producit sicarii supplicium ad plenitudinem pœnæ, at quantumvis curata mora finis ; quid est modica tormenti duratio ad miseram æternitatem, cui addicti sunt peccatores ? Sicut bona quæ in cœlo Deus largitur justis tanta sunt ut ea nec oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, ita supplicia quibus scelerosos punit, superant mentis cogitationes et oris sermocinationes : *Volo judicii utique divini justitiam, gravitatem, majestatem, dignitatem recensere, si non sublimiore fastigio præsidet humana censura, plenior utriusque sententiæ honore, pœnarum et gratiarum, severior in ulciscendo, et liberalior in largiendo* (4): Sylla (5) dicere solebat neminem unquam æque fuisse erga amicos beneficum, et erga hostes severum et sævum : quanto Deus Syllam in majestate et justitia antecellit, tanto magis præmiat justos et punit criminosos. Hæc cum ita sint, quis non eligat potius tormenta ab hominibus quam a Deo inflicta ? *Quis non præferat seculi justitiam, quam et Apostolus gladio*

(1) Tert. L. adv. Hermog. 32. — (2) Euseb. Emiss. Hom. 1. in init. Quadrag. — (3) Tert. L. de An. 51. — (4) Lib. 13. Civ. 12.

(1) Tert. Scorp. 9. — (2) Tert. Lib. de An. 33. — (3) Tert. ibid. — (5) Tert. ibid. — (5) Sueton. in Silla.

armatam contestatur, quæ pro homine sæviendo religiosa est? (1) Quis non malit incidere in manus hominum quam in manus Dei, præsertim quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis?* (2) Quasi dicat: Deus noster non est saxum, non idolum, uti sunt dii gentium, qui oculos, aures, manus habent, sed lapideas, quibus nihil sentiunt; Deus autem noster vivens tangitur, offenditur, sibique illatas sentit injurias, iis irascitur, easque vindicat et punit; quis non magis metuat? Mortem æternam animæ et corporis, quam momentaneam corporis mortem. Quanta hominum stultitia et cæcitas! *Mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci* (3); et peccator mortem animæ non formidans, suis criminibus æternam animæ et corporis mortem accelerat.

2. *Erat enim jam et mors, et aculeus mortis delictum* (4): seu, ut fatur Apostolus, « stimulus mortis peccatum est, » (5) non solum quia quasi stimulus pungit peccatoris conscientiam, dicens: Merito moreris, merito pateris quia peccasti; sed quia peccatum est stimulus per quem mors nos pungit. Sicut enim scorpius, licet parvus per aculeum, ita mors per peccatum omnes occidit, quæ sine peccato nihil poterat, « per illud enim potens fuit. Perinde namque ut scorpius animalculum est exiguum, in aculeo autem robur habet, consimilem ad rationem mors per peccatum robusta est, alias inefficax bestiola. » (6) Trinam autem mortem induxit originale delictum, scilicet mortem corporis, mortem animæ, et interminabilem tum animæ, tum corporis mortem. Trinam illam adhuc mortem peccatores suis sceleribus ad se trahunt. Nam, ut fatur Sapiens, *impii manibus et verbis accersierunt illam, et sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.* (7) Quanta peccatorum stoliditas, qui cum nihil gravius et acerbius audiant quam mortis mentionem, attamen scelerosis cogitationibus, probrosis locutionibus, pravis operationibus illam advocant, et quasi parum sit impigram mortem verbis ac nutibus accersere, cum illa sponsionem et fœdus inire, admotis velut stimulis eam urgent, ut ad eos citius properet. *Propterea peccatum dicitur stimulus, aculeus, punctio mortis, hoc est mortem afferens.* (8) Ea est peccantium insipientia, qui mortem ultro ad se properantem non modo vocant, sed urgent et stimulant, ut citius adveniat ad corporis et animæ interitum. Censet autem Theophylactus quod dum Apostolus ait: *Stimulus mortis peccatum est*; nomine mortis mortem secundam, seu infernalem intelligit. Quare D. Bernardus sic expendit istud Apostoli: « Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est, » (1) *vita in deliciis agens et mors est, et umbra mortis; quantum enim umbra prope est corpori, cujus est umbra, tantum pro certo vita illa inferno appropinquat.* (2) Infernalis gehenna est velut peccatoris umbra, illum ubique sequens, adeo inferno appropinquans, ut quocunque se vertat, infernum velut umbram circumferat.

Quod ut evidentius appareat, animadvertenda est multimoda umbræ et peccati similitudo: 1. Umbra est privatio lucis orta ex objecto corporis opaci; peccatum est privatio gratiæ, quæ lux est animæ, sol mentis; 2. Corpus sine umbra esse potest, non autem umbra sine corpore; mors esse potuit, et de facto in Christo et Deipara exstitit sine peccato; at peccatum sine morte corporis esse non debuit, neque sine morte animæ esse potest; nequit enim peccatum componi in anima cum gratia sanctificante, quæ est ejus vita; 3. Umbra corporis quandoque contrahitur, quandoque longe diffunditur: ubi enim sol ad perpendiculum suos emittit radios, tum vel umbram minuit, vel omnino tollit; dum vero obliqua vibrat lumina, ut in ortu et occasu fieri solet, tunc corpus maximas emittit umbras: non dissimiliter ubi justitiæ sol eminet, ubi divini seu timoris, seu amorir æstus attollitur, et vertici incumbit; tum vel nullæ videntur scelerum umbræ, ut in B. Virgine, quæ nullam admisit umbram peccati, sive originalis, sive mortalis, sive venialis: vel saltem brevem emittit, ut in justis: in quibus fuit umbra originalis, estque adhuc umbra venialis, non tamen mortalis peccati; 4. Umbra est æmula, imitatrix et velut simia corporis, omnes ejus motus exhibens et reddens: peccatum quoque mortis naturam geniumque exprimit. Quemadmodum enim mors omnem sensum adimit, fœtidum cadaver in terram projicit, in cineres, et miserabiles rogi reliquias solvit, ita peccatum omnem divinorum sensum adimit, omnem inevitabilis judicii timorem eripit, cunctas animæ cogitationes et affectiones terrenas efficit, et tandem miserum peccatorem ad infernum dejicit, quem peccando sibi stulte et infeliciter comparat.

3. *Recipimus animæ immortalitatem, ut perdita non in interitum credatur, sed in sup-*

(1) Tert. L. de An. 33. — (2) Hebr. 10. — (3) D. Aug. Tract. 47. in Joan. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 22. — (5) 1. Cor. 15. — (6) Theophylact. — (7) Sap. 1. — (8) Cajetan.

(1) 1. Tim. 5. — (2) Serm. 48. in Cant.

plicium, *id est*, *in gehennam* (1) : quam sibi peccando comparat. Et licet innatam sibi immortalitatem non amittat, moritur tamen gratiæ, moritur gloriæ, moritur Deo, summamque patitur mortem. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *si anima in pœnis vivit æternis, quibus et ipsi spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe major et pejor est mors quam ubi non moritur mors; sed quod animæ natura, per id quod immortalis creata est, sine qualicunque vita esse non poterit; summa mors ejus est alienatio a vita Dei in æternitate supplicii.* (2) Hac morte in inferno juste punitur anima immortalis in pœnam criminum quæ commisit : siquidem *omnium facinorum debitrix est anima* (3), scilicet tenetur luere pœnas facinoribus debitas, et pati in inferno mortem secundam, quia crimina *animas ad inferos dejiciunt* (4), interminabili supplicio puniendas, quod illis merito debetur. Nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *debitum in Scripturis delicti figura est, quod perinde judicio debeatur, et ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio* (5), et remittatur debitum ; anima autem scelerata debitrix est justitiæ Dei, pœnæ tandiu tolerandæ quandiu erit in peccatis : at in inferno nunquam ei remittetur culpa ; itaque semper erit in pœna : etenim ex Philosopho contractus alii sunt voluntarii, alii involuntarii. Qui rem aliquam vendit, contrahit cum emptore, teneturque actionibus empti et venditi voluntario contractu : qui etiam crimen aliquod committit, contrahit cum lege, pœnæque a lege crimini impositæ fit obnoxius etiam nolens et invitus. Hac duplici ratione anima criminosa punitur in inferno morte secunda: tum quia voluntarie peccator *animam suam venalem habet* (6), eamque reipsa diabolo vendidit quando lethaliter peccavit : tum quia Dei transgrediens legem obnoxius fuit morti secundæ, quæ est pœna transgressoribus legis debita ; seu usura justitiæ divinæ solvenda. Quo sensu D. Augustinus intelligit istud Davidicum : « Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum. » (7) *Quæ sunt istæ usuræ, nisi peccata quæ etiam debita nominantur? usuras autem appellatas puto, quia plus mali invenitur in suppliciis quam commissum est in peccatis. Nam verbi gratia, cum homicida tantum corpus hominis perimat, animæ autem nihil nocere possit, ipsius et anima et corpus perit in gehenna.*

(1) Tert. L. de Res. Carn. 34. — (2) Lib. 6. de Civ. 12. — (3) Tert. L. de An. 35. — (4) Tert. L. An. 52. — (5) Tert. L. de Orat. 7. — (6) Eccles. 10. — (7) Psalm. 71.

Avara usurariorum cupiditas multum ultra sortem a debitoribus exigit : debitas peccato pœnas, usuras nuncupat D. Augustinus. Et licet hujusmodi pœnales usuræ, quas exigit peccatum, peccati debitum non excedant; attamen plus mali invenitur in suppliciis, quam commissum est in peccatis : tum quia peccator qui inimici occidit animam, in corpore et in anima sustinet mortem : tum quia in inferno interminabiles passurus est pœnas.

Gravissimo autem peccati debito obnoxius efficitur peccator, sempiternas in inferno sibi comparat pœnas ; et ut fatur Regius Vates, *lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit.* (1) Id est, qui peccat, sempiternam appetit mortem, inferni lacum aperit, et effodit, et parat gehennalem foveam, in qua corpore et anima sepeliatur, et feralibus cruciamentis in æternum torqueatur : *Amat mortem, qui vitæ præcepta non servat, et horret vitam, qui peccata morti debita desperata morte frequentat.* (2) Peccatorem ultro apparantem sibi gehennæ cruciatus, bestiis stolidiorem censet D. Bernarnardus : *Stolidior bestiis homo, quod juga necessitatis earum propria ipse habeat voluntate. Emisse juga extremæ dementiæ est, quod idem est atque mortem sempiternam et gehennam ipsam multo sudore quærere, magno comparare pretio : cum tamen æterna vita jugo levi ac suavi coematur.* (3) Quanta insania peccatoris, sempiternam mortem æternæ præponere vitæ, plusque sudoris et laboris impendere in comparandis inferni suppliciis, quam justus in acquirendis interminabilibus cœli gaudiis. Quasi impossibile judicat Job, ut quis voluntarie mortale deglutiat venenum : *Nunquid potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem?* (4) Et miser peccator velut aquam bibit iniquitatem, quæ mortem affert animæ, et tam animam quam corpus sempiternæ addicit morti. Christiane, *vides duas mortes : unam temporalem, alteram sempiternam* (5); unam in seculo, alteram in inferno ; unam animæ solius, alteram animæ et corporis simul. Binæ illi morti duplex opposita est vita : una animæ, qua pollent etiam in seculo justi ; altera, corporis simul et animæ, quam post resurrectionem generalem possidebunt in cœlo Beati: *Ita suæ postestatis creatus est homo, ut ipse sibi esset auctor sive ad mortem, sive ad vitam.* (6) Frater, *vivere amas, et non vis*

(1) Psalm. 7. — (2) D. August. Serm. 3. de Verb. Dom. — (3) Tract. sup. Ecce nos reliquimus omnia. — (4) Cap. 6. — (5) D. Augustin. Serm. 31. ex additis per Patrem. Sirmund. — (6) D. Augustin. Dial. ad Orosium.

mori? (1) Fuge peccata, quæ mortem afferunt; sectare gratiam et virtutes, quæ immortalem corporis et animæ acquirunt gloriam.

CONCIO SEXTA.

Christiane, *quale delictum jam intellige* (2), tum ex variis ejus atrocitatibus, tum ex diversis quo punitur pœnis et acerbitatibus : et si multimoda culpa qua dehonestatur, et pœna qua mulctatur, non tibi satis demonstrarunt peccati gravitatem et enormitatem, volo ut *de confinio meritum delicti cognoscas.* (3) Non loquor de confinio quod habet cum belluis, tenebris, difformitate, stultitia, amentia, morte, sed de confinio cum damnatione. Peccator namque, 1. Cœlo privatur; 2. Inferno mancipatur; 3. Æterna pœna mulctatur.

I. PARS. *Cœlestes homines* (4) nuncupat Tertullianus qui potiuntur beatitudine et in cœlo habitant. Ut autem ratiocinatur D. Augustinus, *cœlum est ubi culpa cessavit; cœlum est ubi flagitia non sunt; cœlum est ubi nullum mortis est vulnus.* (5) Quam merito exclamat D. Augustinus: Heu! peccatum, nomen horrendum, res detestabilis, cœlo et beatitudine privans peccatorem! qui, 1. Peccare non cessat; 2. Moriens secum sua flagitia portat; 3. Nunquam se a mortis vulnere liberat. (6)

1. *Quid ergo dicemus? perseverabimus in delinquentia* (7), scientes quod nullus unquam potest ingredi cœlum, nisi prius a culpa cessaverit? Quod innuit Apostolus, *ab injustitia et delinquentia divellens, et justitiæ et sanctimoniæ adjungens.* (8) Quanta peccatoris cæcitas, qui fide edoctus nihil coinquinatum posse ingredi in regnum cœlorum, in sceleribus tamen quæ animam suam contaminant, perseverat, eaque moriens secum portat!

2. Cœlestis Jerusalem *tota candida de sanctitate conscribitur* (9): neque ullum peccatorem habitatorem patitur. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas illorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.* (10) Quam e converso infelix peccator, qui potestatem non habet in ligno vitæ: neque per portas ingredietur in civitatem. Nam, ut subjungit Dilectus Discipulus, *foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et generaliter unusquisque qui in suo delicto moritur* (1); secum portans quæ commisit. « Hæc est infelicitas hominum, ut propter quod peccant, morientes hic dimittunt, et ipsi peccata secum portant. Peccas propter pecuniam, hic dimittenda est; peccas propter villam, hic dimittenda est; peccas propter mulierem, et hic dimittenda est. Et quidquid est propter quod peccas, quando oculos in morte clauseris, hic dimittis, et ipsum peccatum quod committis, tecum portas: (2) » et nunquam te a mortis vulnere liberas.

3. *Quæ major voluptas, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus?* (3) At duntaxat in cœlo reperitur vita sufficiens, omnem mortis timorem excludens; nam, ut philosophatur D. Augustinus, *tunc vere vivam, quando nihil potero timere ne moriar: ipsa enim et sine additamento dicitur vita, nec intelligitur nisi æterna et beata vita, tanquam sola dicenda sit vita, in cujus comparatione, vita quam ducimus mors potius sit appellanda quam vita.* (4) Quasi ex mente D. Augustinus aliud non sit vivere quam sine ullo fine, et sine ulla miseria vivere. Viatores autem propríe non vivunt, quia nec beate, nec in æternum vivunt. Non beate vivunt, quia misere vivunt, ideo anima naturaliter profitetur, *et vitæ incommodum, et mortis beneficium* (5); neque in æternum vivunt, quia nemo est qui moriendi necessitati non sit obnoxius. Et ob hanc causam nescit D. Augustinus utrum præsentem vitam nuncupare debeat *vitam mortalem*, *an mortem vitalem.* (6) Cœlestis beatorum vita sola est vitalis, quia cum sit beata, nulli miseriæ subjicitur, et cum sit æterna, a temporis instabilitate et mortis necessitate eximitur. *Hæc est nullo ambigente beata vita, quæ vita perfecta est, ad quam nos festinanter posse perduci, sola fide, alacri spe, flagrante charitate, præsumendum est.* (7) Beatæ illius et æternæ vitæ fit particeps anima a suo corpore separata, si *in nullo rea deprehendatur bonæ vitæ.* (8) Si vero sit criminosa, reaque deprehendatur bonæ vitæ, cœlum non ingreditur, neque beata et sempiterna vita perfruitur. Bone Deus, quot homines immortali illa vita privantur! Tot scilicet *quot desertores bonæ vitæ* (9), quot qui temporalem hanc vitam ducunt absque fide,

(1) D. Aug. in Dialog. ad Orosium. — (2) Tert. L. de Pud. 5. — (3) Tert. ib. — (4) Tert. Scorp. 10. — (5) Serm. 28. de Verb. Dom. — (6) L. Med. — (7) Tert. L. de Pud. 17. — (8) Tert. L. de Res. 47. — (9) Tert. L. 1. ad Uxor. 7. — (10) Apoc. 22.

(1) Tert. Lib. de Monog. 18. — (2) D. August. L. 50. Hom. hom. 42. — (3) Tert. L. de Spect. 29. — (4) Serm. 17. in Psalm. 118. — (5) Tert. L. de Test. An. 4. — (6) Lib. 1. Confes. 6. — (7) D. August. L. de B. Vita. Disput. 3. — (8) Tert. L. de An. 35. — (9) Tert. L. 1. ad Nat. 1.

spe, charitate et gratia ; quot idololatræ, Ottomani, hæretici, fide ad beatitudinem necessaria destituti, qui quantumvis bene moraliter vivant, beatam tamen non assequuntur vitam. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *ad hoc debet cuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere. Nam cui non datur semper bene vivere, quid prodest bene vivere ? Quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt* (1), vel impietate negant. Cujusmodi sunt plures hac tempestate qui futura mala et bona imaginaria tantum existimant, asseverantes, *nulli vitam istam rato fieri, nisi universis, quæ arguunt eam, ex punctis ; quia non natura quid malum habeatur, sed opinione.* (2) Tales impii « in tantum insaniæ effrænati sunt, et ut omnia quæcunque sunt irreligiosa, et impia, potestatem habere operandi se dicant, sola enim humana opinione, negotia bona et mala dicunt. » (3) Et *ad omnimodam divinæ et humanæ disciplinæ eversionem constituendam* (4) pusilli animi indicium clamitant, *si non in vitæ hujus commeatu omnibus inlicitis satisfiat, scilicet facinora tributa sunt vitæ* (5), cujus haud est dignus qui a flagitiis abstinet. Cuncti qui sunt fide destituti, sunt etiam spe orbati. Nam, ut subjungit D. Augustinus, *non est cuique spes vera et certa bene vivendi, nisi agnoscat vitam quæ est Christus et per januam intret in ovile.* Qui autem sunt sine spe et sine fide sunt sine charitate : quia sicut spes supponit fidem, ita charitas prærequirit spem et fidem : peccata autem quæ destruunt charitatem, *alienando a Christo, a spe etiam salutis expellunt.* (6) Tandem gratia sanctificans est medium ad immortalem vitam assequendam necessarium, quam nobis largitur Christus in sacramentis baptismi et pœnitentiæ, *transferens a stipendio mortis ad donativum vitæ æternæ.* (7) Peccatores autem gratia destituti, merentur non vitam, sed mortem æternam. Apostolus namque *vitam repromisit ex justitia, mortem determinavit ex delinquentia.* (8) Uti justitia est medium acquirendæ vitæ et via ducens ad cœlum, ita delinquentia et peccatum est medium comparandæ sempiternæ mortis, et iter quo peccator descendit in infernum.

II. PARS. *Quis enim judicium Dei non in sententia duplici statuit, salutis, et pœnæ?* (9) Sententiam salutis fert erga innocuos et justos, sententiam vero pœnæ erga criminosos et peccatores. *Bonum factum Deum habet debitorem, sicut et malum : quia judex omnis remunerator est causæ.* (1) Supremus judex Deus, et insontes qui bona egerunt, abunde remunerat, et sontes qui mala fecerunt severe castigat. *Lege æterna incommutabili stabilitate firmavit Deus, ut in voluntate meritum sit : in beatitudine autem et miseria, præmium atque supplicium.* (2) Aliorsum (3) fuse tractavimus, tum de præmio beatorum, tum de supplicio reproborum (4) : ne actum agamus, dicendum est cum D. Augustino : *Quid facit animam miseram sub omnipotenti et bono Deo, nisi peccatum suum et justitia Domini sui ? Et quid eam faciet beatam, nisi meritum suum et præmium Domini sui ? Sed etiam meritum ejus, gratia est illius, cujus præmium est beatitudo ejus.* (3) Omissis autem merito et præmio justi, considerandum est supplicium scelerosi, qui ob peccatum suum, 1. A Deo separatur ; 2. In infernum præcipitatur ; 3. Igne cruciatur.

1. Peccator *Christo judice segregabitur, et pars ejus cum infidelibus ponetur* (6), duplicique pœna punietur, damni scilicet et sensus, duplici peccati deordinationi respondente in peccato mortali, est aversio ab incommutabili bono, et conversio ad bonum commutabile ; scelerosæ aversioni a bono incommutabili respondet pœna damni, inordinatæ conversioni ad commutabile bonum respondet pœna sensus : *Peccata separant inter hominem et Deum* (7), ideoque peccatorem merito a se separat Deus, *et damnat rejiciendo.* (8) Quod ab Esaia præfiguratum vult Tertullianus : *Cum paterfamilias surrexerit comminuere terram, et clauserit ostium, utique excludendis iniquis, quibus pulsantibus respondebit : Nescio unde sitis. Et rursus enumerantibus quod coram illos ederint, et biberint, et in plateis eorum docuerit, adjiciet : Recedite a me, omnes operarii iniquitatis : illic erit fletus et frendor dentium. Ubi ? foris scilicet, ubi erunt exclusi, ostio clauso ab eo : ergo erit pœna a quo fit exclusio in pœnam, cum videbunt justos introeuntes in regnum Dei, se vero detineri foris.* Plura sunt quæ quanta sit pœna damni demonstrant : 1. Amissi boni infinita perfectio ; 2. Æterna ab incommutabili bono

(1) Tract. 45. in Joan. — (2) Tert. L. de An. 35. — (3) S. Iren. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. ib. — (6) Tert. L. adv. Valent. 26. — (7) Tert. Lib. de Res. 47. — (8) Tert. ib. — (9) Tert. L. de Res. Car. 59.

(1) Tert. L. de Pœn. 2. — (2) D. Aug. L. 1. de L. Arbit. 14. — (3) Tert. Præd. tom. 2. Tract. de Beatit. — (4) T. 3. — (5) Tract. de inferno. Lib. 14. Trin. 15. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 29. — (7) D. August. Lib. 1. de Peccat. Merit. cap. 20. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 30.

separatio ; 3. Naturalis animæ ad Deum inclinatio; 4. Facilis ejus acquisitio ; 5. Vilitas rei pro qua facta est Dei renuntiatio ; 6. Cœlestis beatorum receptio. Frater infinita tibi imaginare damna , omnia inferuntur animæ a Deo separatæ ; *nulla atrocior pœna , cæteras omnes vincit calamitas hæc, deseri a Deo* (1), et in infernum detrudi.

2. Scelerosis , o anima, *imprecaris penes inferos tormentum.* (2) Infernus siquidem est carcer in quo detinentur et puniuntur præsciti , de quibus funeste canit Regius Vates : « Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. » (3) In græco habetur , *ad inferos quamprimum descendent.* Christianus, *cœli discipulus* (4), Christianus corpore, spiritu , fide et religione ad cœlum erectus , qui etiam innata animæ inclinatione, *ad cœlum respicit; novit enim sedem Dei vivi.* (5) Christianus probe sciens animam suam *peregrinam in terris agere* ; *cæterum, genus , sedem , spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere.* (6) Christianus cœli colonus : nam *Apostolus municipatum in cœlis esse pronuntians , alicui utique civitati cœlesti eum deputat , quam matrem nostram designat* (7) ; peccando tamen a cœlo et cœlesti civitate exsulat, et in infernum cruciandus dejicitur. Quem ideo alloquitur D. Augustinus expendens istud Davidicum : « Descendant in infernum viventes, » (8) *si mortuus descenderes, quid ageret, ignorares : cum vero scis malum esse quod facis , et tamen facis , nonne vivus descendit ad inferos* , ibi post mortem cremandus?

3. *Quia post illam clibanus, vel furnus gehennæ sequatur.* (9) Nonnulli apud Tertullianum , *nec ignibus funerandum aiunt :* et hoc duplici de causa : 1. *Parcentes superfluo animæ* (10), quod in corpore subsidere putant, quoadusque dissolvatur corpus: 2. *Alia est ratio pietatis istius , non reliquiis animæ adulatrix , sed crudelitatis etiam corporis nomini aversatrix , quod et ipsum homo , non utique mereatur , pœnali exitu impendi.* Verum dupliciter errant præfati auctores , tum quia animam spiritualem et indivisibilem , corpoream et divisibilem faciunt , tum quia criminosum hominem a pœna eximunt qui merito *igni destinatur quoniam reus est perditi hominis* (11), infernus autem belle nuncupatur locus tormentorum , quia *suppliciamentum habet , utique ignem stagni* ( ) , quo cruciabuntur præsciti æternas criminum luentes pœnas.

(1) D. Basil. in cap. 2. Isai. — (2) Tert. L. de Test. An. 4. — (3) Psal. 9. — (4) Tert. Apol. 46. — (5) Tert. Apol. 17. — (6) Tert. Apol. 1. — (7) Tert. L. 3. adv. Marc. 24. — (8) Psal. 54. — (9) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 30. — (10) Tert. L. de An. 51. — (11) Tert. L. de Bapt. 17.

III. PARS. Aliorsum plures subministravimus rationes quibus probavimus peccato mortali juste inflictas esse pœnas æternas, nunc eadem veritas trina fulcienda est ratione , scilicet ex 1. Æquitate divina ; 2. Justitia humana ; 3. Culpa præscitorum æterna.

1. *Dei judicium in suos in æternitate, aut pœnæ, aut salutis , vertitur.* (2) « Cum enim nec minus æterna sit Dei justitia quam ejus misericordia , nec minor nec minus æternus esse debet ipsius effectus in damnandos et puniendos , quam effectus misericordiæ in salvandos et beatificandos : quapropter sicut se habet meritum ad præmium , ita culpa ad pœnam et supplicium ; sed ex Dei justitia , merito temporali debetur præmium æternum : ergo ex eadem justitia divina temporali culpæ æternum debetur supplicium. » (3) Adde quod *factus est malo dignus æterno , qui hoc in se peremit bonum , quod esse posset æternum* (4) ; scilicet gratiam sanctificantem et charitatem , quæ quantum est ex se est semen vitæ æternæ, et principium , quo immortalis poterit mereri gloria , ideoque pœna æterna punit scelerosum divina æquitas , ne minor videatur divina justitia.

2. *O judicia divina post mortem humanis mendaciora , contemptibilia de pœnis!* (5) Humana autem judicia, scelera brevi tempore commissa, æterna pœna punire præsumunt. In judiciis autem ferendis, *nihil plenius quam quod divinius. Deus itaque judicabit plenius , per sententiam æternam supplicii* (5), quod patientur in æternum reprobi , qui in æternum erunt peccatores et scelerosi.

3. In cœlo dilectio *nunquam excidet* (7) ; neque beati excident a felicitatem : in inferno quoque reprobi nunquam erunt sine pœna, quia nunquam erunt sine culpa : nam *peccata manent, nisi remittantur : sed quomodo manent, si præterita sunt , nisi prætereant actu, remaneant reatu?* (8) In inferno autem non remittuntur peccata quæ cum in æternum remaneant reatu , in æternum etiam pœna puniuntur. Nam, ut ratiocinatur Antistes Parisiens. (9), « manifestum est per se, quia qui addit super peccatum impœnitentiam seu contumaciam , addit de jure et pœnam , et justissime quantum durat in unoquoque Dei injuria, tantum in eodem durat et pœna.

(1) Tert. L. de Fug. in Pers. 9. — (2) Tert. L. de Pat. 4. — (3) Guill. Par. L. de Leg. c. 21. — (4) D. August. L. 21. Civ. 12. — (5) Tert. L. de An. 33. — (6) Tert. ib. — (7) Tert. L. de Pat. 12. — (8) D. August. L. 1. de Nupt. et Concup. 26. — (9) Ibid.

Quia igitur existentes in inferno super peccata sua addunt impœnitentiam et contumaciam, nunquam pœnitentes, nec unquam pœnitere volentes; » imo neque pœnitere valentes, quia in æternum sine gratia existentes, in æternum erunt in culpa, et *pœnas dabunt in interitu sempiternas.* (1)

Has pœnas peccatores non pertimescunt, quorum insaniam non illepide repræsentat nonnemo, fingens profundissimum barathrum cunctis suppliciorum instrumentis plenum: ad ingressum quatuor sunt gradus ex vario metallo confecti: primus, ex ferro; secundus, ex ære; tertius, ex argento; quartus, ex auro: supra hos gradus sunt pueri currentes, saltantes, nec ullatenus ad cadendi periculum attendentes: profundissimum illud barathrum infernum denotat; varia suppliciorum instrumenta significant diversos gehennæ cruciatus; quatuor gradus, quatuor vitæ ætates præfigurant, nimirum adolescentiam, juventutem, virilitatem et senectutem; pueri currentes et saltantes, mundanos repræsentant homines, qui absque ullo gehennæ metu facinora perpetrant. Miratur Cæsar Augustus (1) quomodo homo debitis oneratus quietum possit capere somnum; sed magis stupendum est quomodo peccator justitiæ divinæ debitor possit absque formidine ducere vitam. Ex D. Chrysost. (2) ex omnibus hujus vitæ bonis primum est non peccare, secundum, commissa peccata per pœnitentiam delere. Christiane, hoc fac, et *vivis in ævum.* (3)

(1) 2. Thess. 1.

(1) Macrob. L. 2. Saturn. 4. — (2) Hom. 14. in Matth — (3) Tert. Apol. 8.

POENITENTIA VIRTUS.

SCHOLIUM.

Pœnitentiæ virtutis consideratur, 1. *Necessitas;* 2. *Veritas;* 3. *Dignitas;* 4. *Efficacitas;* 5. *Utilitas;* 6. *Celeritas.*

CONCIO PRIMA.

Quantumvis ratio sit differentia constitutiva hominis, lumen mentis ipsum in suis operibus illuminans, dirigens et gubernans, et principium a quo procedunt cunctæ operationes quæ humanam redolent naturam, multi tamen a rationali dignitate degenerant, tanquam cæci sine rationis lumine ambulant, et in suis actionibus passionem magis quam rationem sapiunt. *Quam autem in pœnitentiæ actu irrationaliter diversentur, vel uno isto satis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis suis adhibent.* (1) 1. Pœnitentia est dolor de peccato commisso; ipsi vero dolent non de malo quod perpetrarunt, sed de bono quod operati sunt: *Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ.* 2. Pœnitentia detestatur peccatum utpote Deo injuriosum et homini noxium: ipsi vero *prout quid in ingratiam cecidit, semetipsos exsecrantur, quia benefecerint.* 3. Pœnitentia includit propositum non peccandi, neque amplius committendi scelera de quibus dolet; ipsi vero *eam maxime pœnitentiæ speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde fingunt: meminisse curantes ne quid boni rursum præstent.* 4. Pœnitentia peccata delet et virtutes operatur: at ipsi *facilius per eamdem delinquunt, quam per eam recte faciunt;* 5. Pœnitentia importat emendationem vitæ, quæ de malo immutatur in bonum; at ipsi perversa emendatione, de bono in malum immutari volunt: *Quod si Dei ac per*

(1) Tert. L. de Pœn. 1.

hoc rationis compotes agerent, merita prima pœnitentiæ expenderent, nec unquam eam ad argumentum perversæ emendationis adhiberent. His rationibus quam sit irrationalis pœnitentia de bono demonstrat Tertullianus, qui se peccatorem agnoscens, hoc titulo se pœnitentiæ natum rationabiliter profitetur. *Peccator enim omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus, non facile possum super illa tacere* (1), volens ejus ostendere, 1. Possibilitatem; 2. Necessitatem; 3. Æquitatem.

I. PARS. *De pœnitentiæ disciplina* (2) non recte senserunt Novatus *rerum novarum semper cupidus* (3), neque etiam Novatianus, a D. Cypriano nuncupatus *misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ* (4), quam post susceptum baptisma, negandam relapsis ab Ecclesia volebat. A Novato et Novatiano suborta est « secta eorum qui præ inflata mentis insolentia seipsos Καθαροι, id est, puros et vacuos ab omni labe peccati asseverabant. » (5) De quibus D. Augustin. *Nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius quam mundos vocarent.* (6) Addit D. Hieronymus fuisse *omnium immundissimos* (7); quorum errores fuerunt ab Ecclesia damnati. *Sic et pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia vult eam quam mortem peccatoris* (8), qui quandiu est in statu vitæ, de quavis culpa, quantumvis gravi, potest pœnitere, et a Deo veniam obtinere. *Peccata quæ male agendo post baptismum committuntur possunt pœnitendos sanari.* (9) Quia, ut animadvertit D. Damascen. *hæc est differentia spiritus uniti carni, et separati a carne, quia ille est susceptibilis pœnitentiæ, hic autem non.* (10) Unde peccatum Angeli est irremissibile, peccatum vero hominis est remediabile, quia quandiu spiritus unitus est carni, viator potest facere pœnitentiam, quæ est, 1. Secunda post naufragium tabula; 2. Delictorum medela; 3. Divinæ misericordiæ sequela.

1. *De duabus humanæ salutis quasi plancis* (11) loquitur Tertullianus, nimirum de baptismo et pœnitentia. Ex D. namque Hieronymo, *pœnitentia quasi secunda post naufragium miseris tabula est.* (12) Quod duobus modis potest exponi. Primo, si per naufragium intelligatur lapsus totius naturæ humanæ in Adamo, quo sensu baptismus est prima tabula qua ab illo naufragio liberamur, pœnitentia vero secunda, quia licet baptismus in se frangi non possit, in suo tamen effectu potest amitti, per peccatum namque mortale amittitur effectus gratiæ in baptismo comparatus, et per solam pœnitentiam recuperatur. Homines peccatorum *fluctibus mancipati, sed fluctibus non demersi* (1), pœnitentiæ arripientes tabulam, vitant naufragium. *Providentia Dei, ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rursus ne nimis confidendo augeamus, datus est dies mortis incertus.* (2)

Secundo, D. Thomas (3) per naufragium intelligit quodlibet peccatum mortale; unde primum remedium et quasi navem ad consequendam salutem æternam vult esse vitæ innocentiam et integritatem, quæ navis per quodlibet mortale frangitur; et quia a naufragio per solam pœnitentiam liberatur, ideo dicitur secunda tabula, ita ut ly *secunda* non dicat ordinem ad priorem tabulam, sed ad prius remedium et navigium, et ob hanc causam, pœnitentia interdum non secunda, sed simpliciter tabula nuncupatur: *Eam tu, peccator, ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, et in portum divinæ clementiæ protelabit.* (4) Ut Tertullianus peccatorem, ita D. Ambrosius alloquitur peccatricem: *Tu quæ jam ingressa es agonem, pœnitentiæ insiste misera, fortiter inhære tanquam naufragus tabulæ* (5): itaque pœnitentia post baptismum suscepta, dicitur secunda tabula post naufragium: prima namque pœnitentia, qua adulti ad suscipiendum baptismum accedebant, navis dicebatur, qua fracta, secunda pœnitentia seu tabula in naufragio restabat: utroque modo metaphora secundæ tabulæ competit, tum virtuti, tum sacramento pœnitentiæ: neque tertia tabula necessaria est, licet homo sæpius cadere possit: *Quis enim in terris et in carne sine culpa?* (6) Secunda illa tabula semper præsto est, cui potest peccator adhærere, si velit, pœnitentiam iterum atque iterum agendo, quam ideo Gregorius Nazianzen. nuncupat *baptismum iterabilem.* (7)

In quo a sacramento baptismatis discriminatur, quod iterabile non est. *Semel lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet.* (8) Pœnitentia vero iterari potest: unde Tertullian. de variis tentationum generibus quibus dæmon Christianos baptismate regeneratos ad peccatum in-

(1) Tert. L. de Pœn. 12. — (2) Tert. L. de Pœn. 7. — (3) D. Cypr. Epist. 49. — (4) Epist. 37. — (5) Euseb. L. 6. cap. 43. — (6) Lib. de Agon. Chr. c. 31. — (7) In c. 14 Osee. — (8) Tert. L. de Orat. 7. — (9) D. August. in Ench. c. 46. — (10) Lib. de Fid. Orthod. 3. — (11) Tert. L. de Pœn. 12. — (12) Epist. 8. ad Demetr.

(1) Chrysol. Serm. 28. — (2) D. August. Serm. 2. de Pœn. — (3) 3. p. q. 84. a. 6. — (4) Tert. L. de Pœn. 4. — (5) Ad Virg. laps. c. 18. — (6) Tert. L. de Pud. 22. — (7) Orat. in S. Bapt. — (8) Tert. L. de Bapt. 15.

ducere satagit, sic fatur : *Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa scilicet ignoscentiæ janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* (1) Alludit ad ritum primitivæ Ecclesiæ, tunc enim temporis, solemnem agentes pœnitentiam, in vestibulo Ecclesiæ manebant; de qua subjungit Tertullianus : *Jam semel, quia jam secundo, sed amplius nunquam.* Hæc enim solemnis pœnitentia, quæ ceremonialis potest nuncupari, quoniam peculiari ritu ab Ecclesia fuerat olim instituta, pro quibusdam horrendis criminibus ad publicam satisfactionem et ædificationem, non iterabatur, sed semel tantum concedebatur; vel forte ne aliis esset scandalum, si quis sæpius talem ageret pœnitentiam, vel ad majorem terrorem, et ne contemneretur: post solemnem illam pœnitentiam erat locus sacramento pœnitentiæ, et consequenter remissioni peccatorum. *Quamvis acute et salubriter provisum sit, ut locus humillimæ pœnitentiæ semel tantum in Ecclesia concedatur, ne medicina nimis vilis, minus utilis haberetur : tamen quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam negatur.* (2) Et ut fatur aliorsum D. Augustinus, *pœnitentiæ locus quorumcunque criminum, in Ecclesia non negetur* (3); quod tum Scripturarum auctoritate, tum naturæ testimonio confirmat Hipponensis Antistes : « Inter omnes sanos constat utile esse pœnitere peccati. Quid ergo nunc in hanc rem divinarum Scripturarum testimonia, quæ usquequaque diffusa sunt, colligam ? Vox est etiam ipsius naturæ, neminem stultum rei hujus notitia deseruit. Hoc nobis nisi etiam penitus insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere non se peccare, non autem sibi non esse, si peccaverit, pœnitendum: nulla barbaries hoc dicere audebit. » (4)

Et non solum peccatorum gravitas, sed neque etiam multitudo, pœnitentiæ aufert possibilitatem. *Quantas vices cadit homo, tantas debet resurgere et plangere excessum suum cum gemitu et suspirio.* (5) Non teneretur autem peccator resurgere a lapsu peccati, si pœnitentia non esset possibilis et iterabilis : unde D. Chrysostomus peccatorem hortatur : *Peccasti ? pœnitere ; millies peccasti ? millies pœnitere.* (6) Addit adhuc aureum eloquentiæ flumen apud Nicephorum: *Vel decies millies per pœnitentiam resipiscens Ecclesiam ingredere, ego paratus sum pœnitentes admittere.* (1) Illam pœnitentiæ possibilitatem et iterationem adstruit Ezechiel propheta, nullum a pœnitentia excludens diem : *Impietas impii non nocebit ei, in quocunque die conversus fuerit ab impietate sua.* (2)

Quadruplici autem de causa, non baptismus, sed pœnitentia secreta iteratur : 1. Quia character est indelebilis ; baptismus autem, sed non pœnitentia, imprimit characterem ; 2. Quia peccatum originale non iteratur, peccatum vero actuale iteratur ; baptismus autem est contra peccatum originale, pœnitentia vero contra actuale ; 3. Quia baptismus totam suam efficaciam mutuatur a passione Christi, sine actu nostro, unde iterari nequit; pœnitentia vero requirit actum nostrum, et hac ratione iterari potest ; 4. Quia baptismus est generatio ; pœnitentia vero sanatio seu curatio spiritualis. Semel autem aliquis generatur ; pluries vero dum vivit sanari et curari potest : idcirco pœnitentia possibilis et iterabilis est, tanquam animæ medela.

2. Peccator, *cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi ?* (3) Nimirum pœnitentiam quam acute nuncupat Basilius Seleucus *peccatorum valetudinarium.* (4) Quia, ut ait dubius Augustinus, animæ *languores sanat* (5) ; seu, ut fatur indubitatus Augustinus, *est pœnitentia medicamentum vulneris* (6) quod recepit anima per peccatum, lethalem infligens plagam, a qua sanatur per pœnitentiam. Ideo concilium Romæ anno 255 celebratum decrevit adversus Novatum ejusque fautores: « Fratres, qui casu infelici prolapsi fuissent, pœnitentiæ medicamento curari, et ad sanitatem restitui. » (7) Inde exclamat D. Chrysostomus : *O pœnitentia quæ contritum sanas !* (8) D. quoque Cyprianus Novatianum ejusque sectatores redarguit, quod pœnitentiam peccatoribus imponerent, ad eamque hortarentur, remissionem vero quæ per absolutionem conceditur auferrent : *O miserorum lamentantium caduca deceptio ! O hæreticæ institutionis inefficax et vana traditio ! hortari ad satisfactionis pœnitentiam, et subtrahere de satisfactione medicinam.* (9) Frustra adhibetur remedium quod sanandi nullam habet virtutem : falso et mendaciter asseverat Christus se missum *ut mederetur contritis corde* (10), si eos curare non valet pœnitentia.

Ad salubre illud sumendum remedium,

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) D. Aug. Epist. 54. ad Maced. — (3) Serm. 11. de Verb. Dom. — (4) Lib. de duab. Anim. c. 14. — (5) D. Aug. Serm. 1. de Pœn. et Jejun. — (6) Hom. 2. in Ps. 50.

(1) Lib. 2. Hist. cap. 36. — (2) Cap. 33. — (3) Tert. L. Pœn. 12. — (4) Orat. 17. — (5) Lib. de ver. et falsa Pœn. c. 1. — (6) In Serm. Com. Serm. 4. — (7) Euseb. L. 5. Hist. 33. — (8) Hom. de Pœn. — (9) Epist. 52. — (10) Isai. 69.

irrationalium exemplo, peccatorem incitat Tertullianus: *Mutæ quidem animæ et irrationales, medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam?* (1) Singula animalia singula habent medicamenta quibus ad salutem atque vires utiliter utantur: canis gramine, simiis leo, cervus vipera, sus fluvialibus cancris, hominum autem medicamentum est pœnitentia. Atque hic elucet inæstimabilis Dei erga nos providentia, qui de remedio tam prompto facilique providit. Neque enim ad quærendum hoc pretiosum aloes navigandum est in Indiam; nec cum cervis in Cretam abeundum, ut dictamnum investigemus; nec venandæ simiæ, ut cum febricitante leone sanemur; nec in littoribus oberrandum, ut cum suibus cancros fluviales edamus; nec rimanda cum ursis formicarum latebrosa cubilia, ut ægrotationem pellamus; nec e patriis laribus egrediendum, ut canum more nauseantium gramen carpamus: domi nascitur divinum illud medicamentum, in ipso corde est medica officina, intus in corde contrito, *nam et ipsa mens sibi quo vomat, quærit.* (2) Christiane, delictorum ægrotas morbo, ad sanitatem recuperandam nihil aliud tibi est necessarium quam ut *januam pœnitentiæ expandas* (3), animoque humili et abjecto, constantique voluntate cum Regio Vate dicas: *Peccavi.* Nihil facilius hoc remedio, de die, de nocte tibi postulare licet et herbam borith, et myrrham primam, et malagma sapientis, et emplastrum propheticum, et Isaiæ cataplasma, quo divino beneficio saneris.

Quem factorum suorum non pœnitet, is nunquam ad sanitatem revertitur. (4) Qui pœnitentiam fugit, insanabili morbo laborat, quia remedio ad recuperandam sanitatem efficaci non utitur. Christianus salubri illo non utens pharmaco, tanto est criminosior, quanto facilius *poterat remedio jam agere* (5), ad recuperandam animæ sanitatem sibi a Deo gratis oblato. *Qui innocentiæ creditum servat, pœnitentiæ non solvit usuram; Dominus hoc aperit dicendo*: Non est opus sanis medicus, sed male habentibus (6); *et qui male haberent, patefecit, iterum dicens* (7): Non veni vocare justos, sed peccatores. Ægrotant peccatores, medico egent, et de manu medici remedia sumere tenentur: et quo major eorum est morbus, eo magis medico et medicina indigent; quod ultro fatentur apud Chrysologum: *Majori ergo pœnitentia opus est nobis, et pro malo vulneris modus adhibendus est disciplinæ.* Idipsum in animo operatur pœnitentia quod aloes in corpore, cujus succus, etsi amarus, ipsa sua amaritudine conciliat valetudinem.

Forma loquendi abhorrentium aliquid, *miserum est.* Sic Horatius: *Deprehendi miserum est.* Hoc loquendi modo utuntur peccatores austeriorem pœnitendi formam abhorrentes: *Miserum est ad exomologesim pervenire* (1); quos ad hominem redarguit Tertullianus. Peccare quidem miserum est, non vero pœnitere, quia peccatum ad miseriam inducit, pœnitentia a miseria liberat: *Malo enim ad miseriam pervenitur; sed ubi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salatare;* quod exemplo familiari declarat: *Miserum est secari, et cauterio exuri, et pulveris alicujus mordacitate cruciari: tamen quæ per insuavitatem medentur, et emolumento curationis offensam sui excusant, et præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant.* Quantum a fortiori toleranda est pœnitentiæ amaritudo, præsertim si attendatur ægrotantis animæ dignitas, morbi quo laborat malignitas, sanitatis fructus et utilitas: quibus serio consideratis sapienter concludit Chrysologus: « Prima est felicitas perpetua innocentiæ securitate gaudere, inviolatam servare mentis et corporis sanctitatem, nulla immunda mundi inquinamenta sentire, reatus conscientiam non habere, vulnera nescire peccati, gratiam semper possidere virtutum, semper sub spe vivere cœlestium præmiorum; sed si quo forte nostra mens jaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur, *tunc ægris illa quæ non sanis pœnitentiæ medicina succurrat; ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tumentis conscientiæ fervor evaporet, tunc reatus ulcera lacrymis abluantur, immunditiam corporis cilicia tunc exiergant. Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui servare debitam noluit sanitatem. Cui vita sua chara est, dura nulla est cura: Medicus non sit ingratus, qui per dolorem revocat ad sanitatem.* »

(1) Tert. L. de Pœnit. 12. — (2) Tert. Scorp. 1. — (3) Tert. Lib. de Pud. 6. — (4) Arist. L. 7. Ethic. 8. — (5) Tert. L. adv. Valent. 14. — (6) Matth. 9. — (7) Chrysolog. Serm. 167.

(1) Tert. L. de Pœn. 10.

Ægrotus ad sanitatem revocatus si denuo incidat in morbum, rursus advocat medicum, de cujus manu iterata sumit remedia, quantumvis gustui amara et ingrata habeantur. Eodem modo ratiocinatur Tertullianus de morbis animæ ac de infirmitatibus corporis: *Pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est.* (1) Valetudinem in malam partem sumit, scilicet pro morbo, qui summum atque ultimum vitæ denuntiat periculum. Pœnitentiam medicinam vocitat, toties repetendam quoties ægritudo mentem attigerit: qui contrarium sapiunt, docentes *quibusdam peccatis non esse dandam pœnitentiam, exclusi sunt ab Ecclesia, et hæretici facti sunt, in quibuscunque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia* (2); neque suam Deus denegat misericordiam, cujus sequela est pœnitentia.

3. *Gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem* (3), qui tibi benigne largitur gratiam, qua de tuis peccatis possis pœnitere, et adhuc te pœnitentem cum auxilio suo, misericorditer recipit. Ut enim docet D. Augustin. (4) *non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est, alioquin non diceret Apostolus de quibusdam:* Ne forte det illis Deus pœnitentiam (5): *et ut Petrus amare flevit, præmisit Evangelista* (6): Respexit eum Dominus, et adhuc ad majorem misericordiæ suæ ostentationem quoties pœnitet peccator, toties eum recipit Deus: *id si dubitas, evolve quæ Spiritus ecclesiis dicat: Desertam dilectionem Ephesiis imputat; stuprum et idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat; Sardos non plenorum operum incusat; Pergamenos docentes perversa reprehendit; Laodicenos fidentes divitiis objurgat: et tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti.* (7)

Magna profecto erat olim imperatorum humanitas, qui solemni Paschæ die omnes e custodia liberabant reos, suam tamen magnificentiam certis coarctarunt finibus: *ut remissionem veniæ crimina nisi semel commissa non haberent.* (8) Qui pluries in prohibitum a lege crimen inciderant, Principis gratia et liberalitate non fruebantur; at longe major et augustior est supremi Imperatoris misericordia et benignitas, qui peccatores sæpe sæpius in atrocissima crimina lapsos, velut e Tulliano educit, ubi rei non minus pudenda quam dura et calamitosa servitute tenebantur.

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) D. Aug. L. 50. Hom. ho. 27. — (3) Tert. L. de Pœn. 7. — (4) In Enchir. c. 82. — (5) 2. Tim. 2. — (6) Luc. 22. — (7) Tert. L. de Pœn. 8. — (8) Codin. de Episc. aud. L. 3.

Insignis illa Dei misericordia, qua toties peccatoribus parcit, quoties de suis criminibus pœnitent, denotatur per præceptum quo mandat homini Deus multoties remittere offensam sibi factam: *Remittite, inquit, et remittetur vobis. Et cum interrogasset Petrus si septies remittendum esset fratri: Immo inquit, septuagies septies* (1), *ut legem in melius reformaret: quod in Genesi de Caïn septies, de Lamech autem septuagies septies ultio reputata est.* (2) Animadvertit autem D. Hilarius quod ly *septuagies septies* (3), pro numero indefinito ponitur; seu, ut vult Glossa, *finitum ponit pro infinito.* Si autem homini præcipit Deus misericordiam ad infinitas offensas, cum ipse sit misericordissimus, poteritne pœnitentibus negare veniam? Observat adhuc D. Chrysostomus (4) quod licet Evangelista litteraliter sit intelligendus de remissione injuriarum, homini offendenti ab homine offenso concessa, moraliter tamen denotat infinitam Dei misericordiam, qui hominum pœnitentiam semper acceptat: *Certe peccatoris pœnitentiam mavult quam mortem.* (5) Deus homini multoties et indefinite sine numero determinato remittere præcipit, sed multo majorem exhibet Deus misericordiam quam homini præcipiat; unde qui pœnitentiam secretam possibilem et iterabilem negant, divinæ pietati derogant, Deique misericordiam offensant.

Neque illis patrocinatur D. Ambrosius, ne scilicet *facilitas veniæ incentivum præbeat delinquendi* (6): tum quia *cum judex Deus justitiæ carissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat, et in eam, omnem summam disciplinæ suæ sanciat* (7); summe peccatum odit, et quantum est ex se semper est paratus ipsum destruere, quando homo pœnitentiam negligit et contemnit: tum quia licet nonnulli ex Dei benignitate sumant occasionem delinquendi, nisi Deus esset misericors, et parceret delinquentibus, sumerent occasionem desperandi, quod gravius est: etenim si peccatoribus nullus esset divinæ miserationis locus, *quis non statim pereat? quis non ipsa desperatione deficiat?* (8) Præfatam objectionem proponit, et acute resolvit Tertullianus: *Ne retractantes de residuo auxilio*

(1) Matth. 18. — (2) Tert. L. de Orat. 7. — (3) Can. 18. in Matth. — (4) Hom. 62. — (5) Tert. Scorp. 1. — (6) Serm. 8. in Ps. 118. — (7) Tert. L. de Pœn. 2. — (8) D. Cypr. Ep. 52.

pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum : et redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est totiens delinquendo, quotiens ignoscitur. (1) Peccator, cui toties pepercit Deus, ejus misericordia abuti non debet : multi tamen ea abutuntur, quam impie nefarieque vertunt ad insolentis audaciæ impunitatem ; similes hominibus scelerosis ante diluvium viventibus, qui, ut fatur Basilius Seleucus, *ipsam pœnitentiæ opportunitatem in impietatis patrocinium convertebant.* (2)

Fratres, nolite imitari impiorum temeritatem, et ex redundantia divinæ clementiæ sumite occasionem, non Deum offendendi, sed Deo serviendi. Cavete ne evanida spes pœnitentiæ, incredibili innocentiæ et virtutis damno, licentiæ laxet habenas, vosque ad noxam concipiendam et alendam excitet : ponite in intimo cordis vestri istud D. Hieronymi monitum : *Ne statim nobis pœnitentiæ subsidio blandiamur.* (3) Pœnitentia est secunda post naufragium tabula. Attendite ad verba quæ subjungit D. Hieronymus : *Aliud est integra navi, et salvis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, et crebris fluctuum reversibus ad acerrima saxa collidi.* Pœnitentia est animæ medela ; verum, ut ait D. Hieronymus, *cavendum est vulnus quod dolore curatur.* (4) Tandem pœnitentia est divinæ clementiæ sequela, *per quam Deus ad misericordiam provocatur.* (5) Vos autem secundum duritiam vestram et impœnitens cor, thesaurizatis vobis iram in die iræ : Fratres, nolite per abusum misericordiæ Dei congerere super capita vestra thesauros indignationis et vindictæ ; assecutam per pœnitentiæ remedium animæ sanitatem omni diligentia et studio custodite; liberati a naufragio salutis per secundam pœnitentiæ tabulam, non vos amplius exponatis naufragandi periculo. Dicite cum Tertulliano : *Evasimus semel, hactenus periculosis nosmetipsos inferamus, etsi iterum evasuri videmur.* (6) Hactenus, id est, deinceps nunquam nos exponamus periculis quæ evasimus, de quibus incerti sumus an rursus possimus liberari : imitamini plurium sapientiam ; nam, ut refert Tertullianus, *plerique naufragio liberati exinde repudium et mari et navi dicunt : et Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant.* Quanto majus est animæ quam corporis naufragium, tanto major esse debet sollicitudo de animi salute : plerique ne iterum corporalem vitam exponant naufrangandi periculo, non amplius mare sulcant, repudium et mari et navi dicunt translatione sumpta ab his qui uxori dant libellum repudii. Quantum a fortiori pœnitentes ab æternæ damnationis liberati naufragio, debent vitare peccata. Subjungit Tertullianus : *Laudo timorem, diligo verecundiam, nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse, formidant videri inculcare, quod consecuti sunt ; bona certe sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere.* Quatuor motiva subministrat quibus ad repudium peccatorum invitantur pœnitentes : 1. Timorem cadendi rursus in peccatum quod eos naufragandi exposuit periculo ; 2. Verecundiam, ne denuo afficiantur pudore, ob peccati deformitatem, quod fœdat et maculat animam ; 3. Gratitudinem, ne ingrati sint erga Dei misericordiam, quæ eos clementissime recepit ; 4. Prudentiam, qua considerantes pericula a quibus fuerunt liberati, illa præcavent et fugiunt, ne in ea iterum cadant. Illorum imitare sapientiam, Christiane, et tu, peccator, *cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris ?* (1) cur pœnitentiæ tabulam non amplexaris? cur animæ medicinam non sumis ? cur ad Dei misericordiam non accurris? cur pœnitentiæ virtuti sedulo non vacas, cujus tibi offertur facilitas, et adhuc incumbit necessitas ?

II. PARS. *Necessitas pœnitentiæ* (2) melius demonstrari non potest quam 1. Prophetarum et Apostolorum præconio; 2. Dei præcepto; 3. Salutis medio.

1. *Testimonia divinarum litterarum* (3) pœnitentiæ ostendunt necessitatem, quam annuntiarunt Patriarchæ in lege naturæ, vaticinarunt Prophetæ in lege Mosaica, et in lege Evangelica Apostoli prædicaverunt. Dubium non est primos illos homines de Dei cultu instructos, quos Moyses in annalibus mundi honorato elogio dicit ambulasse cum Deo (4), pœnitentiæ annuntiasse necessitatem, præsertim Noë, quem princeps Apostolorum Petrus *justitiæ præconem* (5) vocitat, huic officio operam dedisse. Cum enim videret inundare scelus, et omnium prope ordinum

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) Orat. 5. — (3) Epist. 9. — (4) August. in Serm. Com. Serm. 4. — (5) Rom. 2. — (6) Tert. L. de Pœn. 7.

(1) Tert. L. de Pœn. 12. — (2) Tert. L. de Pœn. 6. — (3) Tert. Lib. 2. ad Nat. 12. — (4) Gen. 5. — (5) 2. Petr. 2.

homines corrupisse vias suas, monebat unumquemque impendere mundo diluvium, et *cataclysmum rerum omnium abolitorem* (1), omnesque invitabat ad pœnitentiam, ut ad sacram anchoram, salutis portum et iræ divinæ moderatricem, continue intonans eorum auribus : *Venite, vocat nos Deus ad pœnitentiam.* A duabus autem prioribus illis vocibus δεῦτε καλεῖ, teste Theophylo Antioch. (2)a veteribus græcis nuncupatus est Deucalion: refert Josephus (3) quod scelerosi libidinibus avide inhiantes, et omni mente pœnitentiam renuentes, importunum illum monitorem cum tota familia in exsilium ejecerunt : Patriarcha tamen, non modo voce et opere, sed etiam manu, arcam fabricans, pœnitentiam annuntiabat, et proxime imminentem *orbis casum* (4) testabatur.

Post diluvium, ipsemet Deus *populum sibi congregavit, et multis bonitatis suæ largitionibus fovit, et ingratissimum totiens expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est.* (5) Insuper ad illud ministerium cunctos in lege mosaica deputans prophetas; et ut, subjungit Tertullianus, *prophetando universorum prophetarum emisit ora; præire intinctionem pœnitentiæ jussit, ut quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam per pœnitentiæ subsignationem ante componeret.* Per intinctionem pœnitentiæ significat Joannis baptismum, qui fuit baptismus pœnitentiæ, præcursor baptismi Christiani, a Domino Jesu instituti, quem appellat adhuc pœnitentiæ subsignationem, verbis e jure petitis : subsignatæ namque facultates illæ dicuntur, quæ conductorum subscriptionibus obligatæ sunt fisco; subsignata etiam apud ærarium et censorem dicuntur prædia, quæ sunt in censum delata; quo sensu Tertullianus pœnitentiam subsignatam dicit, qua se quis apud Deum sanctioris vitæ proposito obligavit, adhibito tanquam signaculo pœnitentiæ aut aquæ baptismo, qui cum Deo componit peccatores. Componere dicitur prætor, quos jurisdictione sua compescit, et de adversariis amicos reddit : pœnitentia peccatores cum Deo componit, et de inimicis amicos efficit. *Non tacet Joannes : Pœnitentiam initote, dicens ; jam enim salus nationibus appropinquabit, Dominus scilicet afferens secundum Dei promissum. Cui præministrans, pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam.* (6)

Belle Joannes Baptista nuncupatur a Tertulliano *pœnitentiæ propositus* (1), quasi ad pœnitentiam prædicandum natus, electus, et a Deo in mundum missus : *Hinc est quod Joannes vestitu, victu, loco totus pœnitentiæ formatus incedit.* (2) Vestitu, teste etenim Evangelista Matthæo : *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum.* (3) « Posuit de caprarum, sed cilicio opus non erat; sed accepit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris : quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit servituti : tali pœnitentiæ magister indui debuit vestimento, ut qui a recti detorserant disciplina, et deformes se totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, adjicerentur duris satisfactionis angoribus, suspiria compunctionis laboriosa portarent : ut directi et attenuati in modum acus, per angustum pœnitentiæ foramen, ampla remissionis intrarent, et impleretur dominicum dictum, Camelum per foramen acus posse transire. (4) » 2. Victu : *Esca autem ejus erant locustæ et mel silvestre.* (5) « Locusta castigandis peccatoribus attributa, merito pœtentiæ figuratur in passum, ut de peccati loco exsiliens in pœnitentiæ locum, ad cœlum possit pennis veniæ pervolare. » Hoc Propheta senserat, qui dicebat : *Sicut umbra cum declinat, sublatus sum, et excussus sum sicut locusta : genua mea infirmata sunt præ jejunio, et caro mea immutata est propter oleum.* (6) Audis quomodo de peccato in pœnitentiam excussus est ut locusta, et curvavit genua ut pœnitentiæ pondera bajularet : et adjicitur mellis cibus, ut amara pœnitentiæ, dulcis misericordia temperaret. « 3. Loco : *Venit, inquit, Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite.* (7) « Per deserta Judææ pœnitentiam clamat Joannes, quæ legis cultum, prophetarum laborem, fecunditatem patrum, frugem Dei sua sterilitate perdebat: unde ad pœnitentiam merito vocantur disciplinarum deserta, non hominum, non locorum, vacat clamor ubi non assistit auditor. »

Si quis eremorum incola post viginti aut triginta annos in solitudine demoratus, accederet ad istam civitatem, et concionaturus cathedram ascenderet, omnes cives ad concionem audiendam accurrerent, prædicatori attentionem præberent, et de concione fructum reportarent. Quis concionatorum Joanni comparandus, qui ab infantia fuit deserti habi-

(1) Tert. Lib. 1. de Cult. Fœm. 3. — (2) Lib. 3. ad Antil. — (3) Lib. 1. Antiq. — (4) Tert. Lib. de Cult. Fem. 3. — (5) Tert. L. de Pœn. 2. — (6) Tert. ibid. —

(1) Tert. L. de Bapt. 10. — (2) Chrysol. Serm. 167. — (3) Cap. 9. — (4) Chrysol. ibid. — (5) Matth. 10. — (6) Ps. 108. — (7) Matth. 9.

tator; cui tanquam Verbi præcursori communicata est de cœlo sapientia ; qui pœnitentiæ præco est præpositus, et ad pœnitentiam annuntiandam , victu, vestitu, loco, totus fuit formatus? Talis ac tantus prædicator de solitudine egrediens, venit in civitatem cunctis dicens: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. » (1) *Pœniteat plane, pœniteat, qui divinis prætulit humana , qui servire voluit mundo , et dominationem mundi cum mundi Domino non habere. Pœniteat qui maluit perire cum diabolo quam regnare cum Christo. Pœniteat qui virtutum libertatem fugiens , captivus voluit esse peccatorum. Pœniteat, et satis pœniteat, qui ne vitam teneret , manus tradidit morti*, appropinquavit enim regnum cœlorum. *Regnum cœlorum est præmium justorum , judicium peccatorum , impiis pœna. Beatus ergo Joannes, qui pœnitentia judicium voluit præveniri ; peccatores non judicium voluit habere, sed præmium : impios voluit regnum intrare, non pœnam.* (2) Multi tamen inferni pœnas non credentes, Dei judicium non pertimescentes, Beatorum præmium pro nihilo ducentes , pœnitentiam non amplexantur, neque pœnitentiæ præconem placide audiunt; similes Pharisæis et legis Doctoribus, *qui credere noluerunt, nec pœnitentiam egere.* (3)

Neque minus illustres fuere in lege evangelica pœnitentiæ præcones. Etenim Christus ipsissimum , quod in suis concionibus Joannes Baptista , argumentum sumpsit pro suarum concionum themate , quas ab istis inchoavit verbis : *Pœnitentiam agite , appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et discipulos suos mittens in orbem terrarum prædicandi Evangelii causa , eos enixe hortatus est, ut potissimum prædicandæ pœnitentiæ studium adhiberent : qui præceptis Domini et magistri obtemperantes, cunctis hominibus *prædicabant , ut penitentiam agerent.* (4) Petrus Hierosolymæ concionem habens ad Judæos , *pœnitentiam , inquit , agite.* (5) Paulus quoque Athenis malitia Judæorum Areopagum ductus , coram Judicibus sic fatur : *Deus nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* (6) Nullum excipit hominem cujusvis sit conditionis , sed omnes qui existunt et conversantur quovis in loco ad pœnitentiam adstringit; et quasi nihil aliud sciret vas electionis , Doctor Gentium , cum postremum alloqueretur Ephesios , apud quos diutissime hæserat , publice privatimque docuerat ad pietatem, vitæ perfectionem, Deique amorem accenderat : Vos scitis quomodo nihil subtraxerim vobis utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos (1): *Testificans Judæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam* cunctis necessariam , ut Dei præcepto comprobatur.

2. Tertullianus priusquam pœnitentiæ virtutem a Deo mandatam demonstret, tria præmittit : 1. Mandatorum Dei bonitatem commendat : *Nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus , bonum atque optimum esse quod Deus præcipit.* (2) 2. De temeritate eos culpat, qui bonitatem divinorum mandatorum in controversiam vocant : *Audaciam existimo de bono divini præcepti disputare.* 3. Observanda divina præcepta declarat, non solum quia in se bona sunt, neque adhuc quia nobis utilia, sed præsertim quia a Deo mandata : *Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus ; sed quia Deus præcipit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis , prior est auctoritas imperantis , quam utilitas servientis.* His præmissis, observandum concludit Dei mandatum ; præsertim quia a Deo imperatum , qui præcipere nequit nisi quod est in se bonum et nobis utile : *Bonum est pœnitere an non ? Quid revolvis ? Deus præcipit*, et quasi parum sit Deum præcepisse pœnitentiam, quo studiosius pœnitentiæ homines vacent , præcepto adjicit hortationem , hortationi præmium , præmio juramentum : *At ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat præmio, salute , jurans etiam ;* quot adhibet Deus incitamenta ut homines ad obtemperandum præcepto pœnitentiæ inducat ! *Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summa utique gravitate et aggredi et custodire debemus.*

Præceptum scilicet pœnitentiæ, quod antiquitate, universalitate et necessitate commendatur : 1. Vetustate , quia obligatio ad satisfaciendum Deo pro injuria illata per peccatum , in jure naturali fundatur : modus vero satisfactionis per formalem pœnitentiam et contritionem , oritur ex jure positivo divino , omni humano jure et præcepto multo digniori ; 2. Universalitate , quia cunctos generaliter homines Deo injuriosos , obligat, ab ipso Adamo usque ad ultimum , qui mortale commissurus est peccatum : *Pœnitentiam ipse quoque et stirpis humanæ , et offensæ, in Dominum præceps Adam exomologesi restitutus , non tacet.* (3) Hoc asserit Tertullianus Tatianum hæreticum redar-

(1) Matth. 9. — (2) Chrysol. Serm. 167. — (3) Tert. L. de Bapt. 10. — (4) Marc. 8. — (5) Act. 2. — (6) Act. 17.

(1) Act. 20. — (2) Tert. L. Pœn. 4. — (3) Tert. L. de Pœn. 12.

guens, *Adam nec salutem consequi posse* falso docentem, *quasi non, si rami salvi fiant, et radix salva sit.*(1) 3. Necessitate, nam, ut docet Concilium Tridentinum, *fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam assequendam necessaria; illis etiam qui baptismi sacramento ablui potuissent, ut perversitate abjecta et emendata, Dei offensionem, cum peccatiodio, et pio animi dolore detestarentur.* (2) Et hæc necessitas tanta est ut obligatio pœnitentiæ nulla humana auctoritate auferri et dispensari possit. Triplici namque motivo, eoque indispensabili, ad pœnitentiam stimulatur peccator: nimirum ex lege dilectionis divinæ, ex lege charitatis propriæ, et ex lege justitiæ. Legem dilectionis divinæ prodit Tertullianus dum de peccatore ait: *Omni loco ac tempore angatur necesse est.* (3) D. quoque Augustinus volens quod lex dilectionis divinæ obligans peccatorem ad diligendum Deum super omnia, obliget etiam illum, ut quantum in se est, studeat deperditam recuperare divinam amicitiam. Lex charitatis propriæ obligans hominem ad curam animæ suæ, obligat etiam illum ad tollenda impedimenta, et quærenda media suæ salutis: lex justitiæ obligat hominem ad satisfactionem Deo debitam pro injuria, quam ei irrogavit peccatum.

Præceptum autem illud de agenda pœnitentia non obligat pro semper, neque etiam statim post commissum peccatum, sed interdum sub novo peccato obligat. 1. Non obligat pro semper, quia est præceptum affirmativum, quod a negativo discriminatur, quod istud obligat semper et pro semper: nullo enim tempore licet adulterari; illud vero non obligat in omni differentia temporis, sed duntaxat tempore a Deo vel ab Ecclesia determinato; homo enim non semper tenetur elicere actum amoris Dei. Neque, 2. Statim post peccatum commissum obligat: alias in singulis momentis, in quibus peccator posset pœnitere, peccaret mortaliter, quia in singulis illis momentis esset transgressor præcepti sibi impositi. « Non est de necessitate salutis corporalis, quod statim medicum quærat, nisi quando necessitas curationis incumbit, et similiter de morbo spirituali. » (4) Unde consilii non præcepti est quod docet D. Augustinus: *Sive Episcopus, sive presbyter, sive laicus, una die sine pœnitentia esse non debet, quia nescimus diem neque horam quando pius Deus de hoc seculo migrare jubeat.* (1), 3. Tandem, præceptum faciendæ pœnitentiæ obligat per se, « præcipue cum peccator in periculo mortis existit, (2) » et ob hanc causam, teste Possidonio, dicere solebat D. Augustinus: *Neminem, etsi nullius sceleris conscius esset, committere debere ut sine pœnitentia migraret e vita.* Monitum aliis præstitum ipsemet adimplevit, in ultimo morbo psalmos pœnitentiales in conspectu positos, cum cordis amaritudine et confusione lacrymarum, recitans. In multis adhuc aliis occasionibus per accidens obligat illud præceptum, ut cum gravis urget tentatio, vel administranda aut suscipienda sunt sacramenta. Verum quia hæc magis theologum, quam concionatorem sapiunt, sufficiat prælibasse pœnitentiæ necessitatem ex Dei præcepto; modo est comprobanda ex salutis medio.

3. *Hoc enim dico, pœnitentiam, quæ per Dei gratiam ostensa et indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat.* (3) Peccator nequit revocari in Dei gratiam, nisi peccata quæ Deum offendunt, remittantur. Ex D. autem Thoma, *impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, ut est virtus.* (4) Potest quidem mortale remitti absque sumptione Eucharistiæ, absque absolutione sacramentali, etiam absque baptismo, ut patet in martyribus, qui suo sanguine baptizantur; at in adultis sine pœnitentia actuali, vel saltem virtuali, nunquam remissum est mortale peccatum, imo neque potest remitti. Quapropter postquam Concilium Tridentinum definivit seu descripsit actualem pœnitentiam, decernit: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis actus necessarius.*(5) Quod ita indubitatum est ut adultus gratiam baptismalem non recipiat, nisi de peccatis pœniteat, priusquam baptismi suscipiat sacramentum: *Neque ego renuo divinum beneficium, id est, abolitionem delictorum, inituris aquam omnimodo salvum esse; sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est* (6), producendo actus pœnitentiæ ab adultis necessario prærequisitæ.

Duplex est baptismus seu lavacrum, aquæ scilicet et sanguinis. *Unde et ex vulnere lateris Dominici aqua et sanguis, utriusque lavacri paratura, manavit.* (7) Baptismus aquæ peccatum originale diluit, largitur gratiam, et jus tribuit ad vitam æternam: *Fe-*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 52. — (2) Serm. 14. c. 1. — (3) Tert. L. de Pat. 15. — (4) D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. ad 2.

(1) Serm. 1. de Pœn. et Jejun. — (2) D. Thom. ibid. — (3) Tert. L. de Pœn. 5. — (4) 3. p. q. 68. a. 3. — (5) Sect. 14. c. 4. — (6) Tert. L. de Pœn. 6. — (7) Tert. de Pud. 22.

lix sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. (1) Martyrium autem seu baptismus sanguinis ex opere operato remittit originalem culpam, communicat gratiam, confert jus ad gloriam. *Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit.* (2) Hos autem effectus non consequeretur homo in mortali existens, nisi prius actum pœnitentiæ formalem, vel saltem virtualem eliceret : *Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit* (3) ; uti enim mercator merces suas non dat gratis, sed ab emptoribus earum exigit pretium, ita Deus non largitur adultis delictorum veniam, nisi pœnitentiæ præbeant pretium.

Ratio a priori hujus est quia pœnitentia est necessaria necessitate medii, ad remissionem peccati, sive hujusmodi necessitas sit intrinseca, ob connexionem intrinsecam, quæ reperitur inter medium et finem, quomodo gratia est necessaria ad gloriam, sive ex sola institutione Dei, statuentis et ordinantis medium aliquod tanquam necessarium, quod antea necessarium non erat, quomodo baptismus, qui in lege naturali vel Mosaïca non erat necessarius ad tollendum originale, in lege evangelica susceptus vel in re, vel in voto est medium necessarium ad delendam originalem culpam : pœnitentia autem utroque modo est necessaria ad remissionem actualis peccati : ex intrinseca connexione, tum quia actus pœnitentiæ est maxime proportionatus ad petendam veniam et ad placandam personam offensam : unde peccatori *sola superest pœnitentia quæ satisfaciat* : *qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt* (4) : tum quia peccatum mortale tollit spiritualem animæ vitam ; at ex D. Ambrosio, *peccatum non tollitur, nisi lacrymis et pœnitentia.* (5) 2. Ex divina institutione quod innuit Salvator, eodem loquendi modo declarans necessitatem pœnitentiæ ac necessitatem baptismi : de baptismo enim ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* (6) De pœnitentia quoque fatur, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* (7) In locutione autem conditionali, quando conditio non supponit suppositum gratum, sed indicat id sine quo gratia non obtinetur, medii importatur necessitas : ut in duabus Christi propositionibus. Nam prima denotat peccatum originale, per baptisma diluendum ; secunda peccatum actuale, per pœnitentiam remittendum: *Nisi egeris pœnitentiam, salvus esse non poteris : quomodo enim gaudebis fuisse correctum, nisi doleas fuisse perversum?* (1) In utroque Magnus Leo multiplicem agnoscit Dei misericordiam : *Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ.* (2) Vita æterna nequit comparari sine gratia ; gratia haberi non potest a peccatore, nisi remittatur lethalis culpa : sine pœnitentia autem velle obtinere remissionem, prorsus ridiculum et absurdum censet Tertullianus. *Quam porro ineptum, quam iniquum pœnitentiam non adimplere et veniam delictorum sustinere ! hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere.* (3) Cautum fuerat lege 12 tabularum ne venditoris res aliter emptori acquireretur quam si is pretium solvisset : ad hanc legem alludere videtur Tertullianus, ut pœnitentiæ ostendat necessitatem et æquitatem.

III. PARS. *Dubitandum est, sicut in universis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque causa justitiam Deo præstandam esse : quod quidem ita impleri licebit* (4) : si Deo per peccatum offenso satisfaciat peccator per pœnitentiam. In peccato plures sunt deordinationes quæ divinas offendunt perfectiones : in præsentiarum tres tantum considero, scilicet superbiam quæ divinam majestatem contemnit ; inobedientiam, quæ divinam auctoritatem non recognoscit ; injustitiam, quæ divinam bonitatem vili creaturæ postponit. Per pœnitentiam peccator tres illatas Deo reparat injurias : nam, ut vult Tertullianus, pœnitentiam satisfactio sequitur ; *dehinc pœnitentia et satisfactio* (5) ; satisfacit autem, 1. Per humilitatem, divinæ majestati ; 2. Per obedientiam, divinæ auctoritati ; 3. Per dilectionem, divinæ bonitati.

1. *Dominum simul cognoveris, timeas, simul inspexeris, reverearis.* (6) Summa Dei majestas summam meretur mentis æstimationem, humilem voluntatis dejectionem, timidam cordis formidinem, et demissam corporis humiliationem. Peccator per superbiam Dei contempsit majestatem, per defectum existimationis intellectus, demissionis voluntatis, formidinis cordis et humiliationis corporis : illatam divinæ misericordiæ per contemptum injuriam reparat pœnitentia. *Pœnitentia est in toto opere humilitas* (7) ; sicut enim offendens qui hominem vilipendit, juste satisfacit ei dum se humiliat,

(1) Tert. L. de Bapt. 1. — (2) Tert. L. de Bapt. 16. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) D. Cypr. Tract. de Lapsis. — (5) L. 5. Ep. 28. — (6) Joan. 3. — (7) Luc. 13.

(1) D. Cypr. Epist. 50. — (2) Ep. 91. ad Theodorum. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) Tert. L. de Pœn. 2. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (6) Tert. L. de Pœn. 6. — (7) D. Chrysost. Hom. de Pœn.

et ab eo veniam expostulat, unde offensus hanc satisfactionem acceptare tenetur ex justitia, sic et peccator aliqua ratione satisfacit Deo per pœnitentiam quæ importat, 1. Sublimem offensæ divinæ majestatis existimationem a qua veniam humiliter expostulat. *Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur.* (1) 2. Internæ voluntatis dejectionem. *Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est.* (2) 3. Honorantem cordis formidinem: *Timor autem hominis, Dei honor est.* (3) Tandem, 4. Prostratam corporis humiliationem, et ob hanc causam olim publicus pœnitens omnem præ se ferebat externam demissionem, quem prodit Tertullianus. *Conciliciatum et concineratum cum dedecore et horrore compositum, prostratum in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem.* (4)

Ex mente D. Chrysostomi, natura et gratia simul consentiunt, ut homini suadeant humilitatem. Hoc tamen diversis mediis exsequi nituntur: natura ad retundendam hominis superbiam dicit ei: *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (5), revocatque ad ejus memoriam quod fuit, quod est, quod futurum est, nimirum lutum, terra et pulvis: gratia non advocat lutum, de quo formatum est ejus corpus; non recenset dolores variosque morbos quibus est obnoxius, non adducit fœtorem, putorem, et vermes quibus post mortem scatet corpus, sed revocat ad memoriam innumera quæ commisit facinora, et objicit ejus menti naturæ corruptionem ad lapsum fragilem, hostes inter quos versatur, pericula cadendi in qua persæpe cadit: hæc sunt incentiva quibus gratia hominis deprimit tumorem, et ad humilem pœnitentiam inducit. D. Augustinus adducit exemplum Regii Vatis, *qui dicebat: In abundantia sua non movebor in æternum, expertus Deo paululum deserente, quid esset: ecce doctior, et ob hoc etiam humilior factus est* (6); præteritorum memoria et peccandi formido efficit ut pœnitens sit: *Inde sagacior ad cautelam, inde humilior pro conscientia, inde ardentior ad amorem* (7); inde justior ad obsequium, ut satisfaciat injuriæ, auctoritati Dei per inobedientiam factæ.

2. *Nec pluribus de obsequii exhibitione debita a nobis Domino Deo. Satis enim agnitio Dei quid sibi incumbat, intelligit* (8): homines et Christiani, rationis notitia et lumine fidei, agnoscentes Deum, supremam ejus auctoritatem, suamque subjectionem fateri coguntur, uti dominatio et imperium ad Deum essentialiter pertinet, ita dependentia et servitus est intrinseca creaturæ, et homo libertate præditus, tenetur ex justitia Dei recognoscere auctoritatem, ejusque obtemperare mandatis. Illud justitiæ debitum triplici ratione, homini suadere nititur Tertullianus: 1. Ne minus sit Deo obsequens, quam servi hominibus quos in dominos habent: *Igitur si probos quosque servos, et bonæ mentis, pro ingenio dominico conversari videmur, quanto magis nos secundum Dominum moratos inveniri oportet, servos scilicet Dei vivi.* 2. Ut eamdem vel similem obedientiam Deo præstet, quam exigit, non solum a servis sibi subditis, sed etiam a bestiis usibus suis a Deo destinatis: *Et tamen nos non de hominibus modo servitute subnixis, vel quolibet alio jure debitoribus obsequii, verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes usibus nostris a Domino provisas traditasque.* 3. Homo Deo denegans obsequium inferior est belluis in bonitate, quæ dominos suos agnoscunt, eisque obtemperant: *Meliora ergo nobis erunt in obsequii disciplina, quæ nobis Deus subdit. Agnoscunt denique quæ obediunt. Nos qui soli subditi sumus, Domino scilicet, auscultare dubitamus;* imo toties renuimus dominium, quoties peccamus. Quia, ut aliorsum diximus ex D. Ambrosio, peccatum est prævaricatio divinæ legis. Quanta, quæso, peccatoris injustitia, qui ab hominibus sibi subjectis et peccatoribus suis usibus ordinatis a Deo, expostulans obedientiam, supremo omnium Domino non obtemperat, sed ejus mandata inique et insolenter transgreditur. *At quam injustum est, quam etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem illi per quem consequeris de temetipso non rependere?*

Talem ac tantam injuriam divinæ auctoritati a peccatore factam, nequit nisi per pœnitentiam reparari, quæ totum hominem subjicit, quia totus ab observatione legis defecerat. Peccator transgressus est Dei mandatum, mente et cogitatione, ore et sermone, facto et operatione, et ut justitiam Deo exhibeat, cuncta Deo subjicit quibus ejus præcepta transgressus est. Prævaricatus est mente et cogitatione, et omnes ejus cogitationes quæ in mente velut stellæ fulgent, Deo præparantur et obsequuntur. *Stellæ dederunt lumen*

(1) Tert. L. de Orat. 7. — (2) Tert. L. de Pœn. 9. — (3) Tert. L. de Pœn. 7. — (4) Tert. L. de Pud. 13. — (5) Gen. 3. — (6) L. de Corrept. et Grat c. 9. — (7) D. Bern. 13. in Cant. — (8) Tert. L. de Pat. 4.

in custodiis suis, et lætatæ sunt, vocatæ sunt, et dixerunt ei : Adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate. (1) Voce et sermone violavit Dei legem, voce et sermone dicit cum Saulo, Christianorum persecutore : *Domine, quid me vis facere?* (2) Facto et opere Dei mandata destruere conatus est, facto et operatione ea observat, juxta Apostoli monitum : *Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiæ et iniquitatis ad iniquitatem, ita et nunc exhibete membra vestra famula justitiæ in sanctificium.* (3) Sic satisfacietis injuriæ factæ divinæ tum auctoritati, offensæ per transgressionem legis; tum bonitati, vilibus creaturis per inordinatum amorem postpositæ.

3. *Quis ergo in bonitate præcellens* (4) nisi Deus, qui cuncta creata in perfectione in infinitum superans, est infinite magis amabilis, et cunctis rebus in amore præferendus? Peccator tamen Deum infinite, perfectum et infinite amabilem abominabili postponit objecto : *Omnia amamus, solus in comparatione omnium Deus vilis est.* (5) Avarus eum postponit divitiis perituris, libidinosus voluptatibus fœdis, superbus honoribus vanis, et quivis peccator, *quod dicere quoque periculosum est, diabolum Domino præponit* (6) ; et hæc prælatio tanto magis est injusta et Deo injuriosa, quod facta Dei et diaboli comparatione peccator judicat diabolum Deo meliorem, diaboloque, Deo rejecto, suum amorem consecrat, *comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, et judicare eum meliorem cujus se esse maluerit.*

At quemadmodum peccator Deum diabolo postponit, ita pœnitens, *qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere* (7), Deum diabolo, cunctisque in universum rebus creatis præponit: comparatione etenim facta, Deum judicat infinite meliorem, et præ cunctis diligit ; contritio enim cum ex amore Dei super omnia procedat, est velut compensatio quædam injuriæ quam fecit peccator magis amans creaturas quam Deum ; amor hujusmodi Deum supra omnia diligens, compensat quamvis non ex æquo injuriam Deo illatam ob inordinatum peccatoris amorem. Quapropter D. Thomas (8) docet pœnitentiam esse speciem justitiæ vindicativæ, ac consequenter commutativæ large sumptæ, uti pietas, observantia, religio, quæ deficiunt a ratione justitiæ stricte sumptæ, quia respiciunt Deum, inter quem et hominem non est æqualitas, quam requirit justitia. Imo Durandus (1) censet pœnitentiam esse ipsammet justitiam commutativam, quatenus ei virtutes theologales imperant, ut reddat Deo debitam satisfactionem « qualem scilicet potest » pro offensa. Addit Richardus (2), positis meritis Christi, posse pœnitentem pro peccatis satisfacere ex justitia. Nonnulli adhuc volunt contritionem æquivalere peccato mortali, et ex æquo pro eo satisfacere, quia uti peccatum importat aversionem a bono incommutabili, et conversionem ad bonum commutabile, ita ex adverso contritio includit aversionem a bono commutabili, et conversionem ad bonum incommutabile. Hujusmodi odium boni commutabilis compensat quodammodo injustum Dei odium, qui prælatione amoris diligendus est, ut accipiat aliquam satisfactionem de inordinato amore boni commutabilis : *Caduca, vana et plane nulla, et quorum finis mors est, infelix et insanus, præferre non erubui æterni Patris honori et amori ; quanam fronte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius ? pudet indigna gessisse.* (3) Pœnitet Deum non amasse. Dicam cum Prodigo : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus (4) : quanta Dei clementia, qui a peccatore pœnitente exoptat nuncupari pater : *ergo saltem amodo voca me, pater tuus* (5) ; et quia, ut fatur Tertullianus, *appellatio ista pietatis est* (6), sic amatus a benignissimo patre, ex toto corde diligam pientissimum parentem : nam *quis tam amantem non redamet? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus, amemus, redamemus* (7), ut carne soluti, possimus eum æterne in cœlo amare.

(1) Baruc. 3. — (2) Act. 9. — (3) Tert. L. de Res. 47. — (4) Tert. L. de Pœn. 6. — (5) Salv. L. de Gubern. — (6) Tert. L. de Pœn. 5. — (7) Tert. ib. — (8) 3. p. q. 85. a. 3.

(1) In 4. dist. 14. q. 2. — (2) In 4. dist. 15. a. 1. q. — (3) D. Bern. Serm. 10. in Cant. — (4) Luc. 15. — (5) Jerem. 3. — (6) Tert. Lib. de Orat. 2. — (7) D. Bern. Tract. de Pass. Dom. cap. 3. — (8) Tert. Lib. de Pœn. 6.

CONCIO SECUNDA.

Ad *pœnitentiæ veritatem* (8) perfecte cognoscendam, consideranda sunt ea in quibus pœnitentia virtus et sacramentum ad invicem conveniunt et differunt. Conveniunt quidem sextupliciter : 1. In pœnitentiæ nomine ; 2. In ratione medicinæ ad delendum actuale peccatum, utilis imo et necessariæ, si peccatum sit mortale ; 3. In materia circa quam versantur, nempe actuale peccatum ; 4. In

subjecto, homine scilicet adulto, qui solus est capax actualis peccati : cum hoc tamen discrimine, quod ut est sacramentum ad hominem duntaxat baptizatum pertinet ; ut vero virtus, respicit hominem adultum sive batizatum, sive non baptizatum ; 5. In metaphora secundæ tabulæ post naufragium originalis culpæ ; 6. In iterabilitate : tam enim virtus quam sacramentum possunt iterari, etiam circa idem peccatum, illud odiendo et detestando.

In sex quoque differunt : 1. Virtus est sub genere actus vel habitus ; libera enim et voluntaria peccati commissi detestatio, utpote rectæ rationi consentanea, est actus virtutis. Habitus etiam illi respondens, est virtus ; sacramentum vero est sub genere signi sensibilis significantis remissionem peccati, factam per sacerdotis absolutionem ; 2. Ut virtus in interiori actu cordis potissimum consistit, et dum actum exteriorem imperat, actus exterior non habet bonitatem, nec rationem virtutis, nisi prout ab interiori informatur et imperatur ; ut vero sacramentum, præter internum contritionis dolorem necessario externum requirit actum, nempe pœnitentis confessionem, et sacerdotis absolutionem. 3. Ut virtus est pars sacramenti, non quidem ex natura rei, quia non in lege naturali et mosaïca, sed ex institutione Christi, et in lege duntaxat evangelica ; ut sacramentum, est totum artificiale involvens contritionem, confessionem et satisfactionem velut materiam, et absolutionem tanquam formam. 4. Virtus pœnitentiæ est de jure naturali divino : ratio namque naturalis dictat detestandum esse peccatum in Deum commissum ; sacramentum vero est de jure positivo divino, scilicet de institutione Christi ; 5. Virtus pœnitentiæ locum habuit in omni tempore, ab originali culpa ; sacramentum vero duntaxat viget a tempore legis gratiæ. 6. Ut virtus non remittit culpam et confert gratiam ex opere operato, sed impetrat ex dispositione operantis : ut sacramentum utrumque præstat ex opere operato. His prælibatis, virtutis pœnitentiæ 1. Natura declaratur ; 2. Veritas denotatur ; 3. Incentivum stimulatur.

I. PARS. *Non nomini, nec notæ nominis, sed ipsi substantiæ, cui nomen contingit* (1), Attribuenda est virtus rei, attamen cum notatio nominis interdum conducat ad investigandas rerum naturas, non est contemnenda pœnitentiæ etymologia. Ex D. Augustino pœnitentiæ vocabulum derivatur vel, a punitione, vel a pœna ; a punitione, qua quis peccatum a se commissum in semetipso punit : *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod male fecerit, impunitum esse non sinat ; eo quippe modo sibi non parcenti ille parcet, cujus altum, justum judicium : nullus contemptor evadit.* (1) Sicque ait S. Isidorus D. Aug. referens verba, *pœnitentia appellata est quasi punientia* (2) : a pœna adhuc pœnitentiam nuncupatam vult D. Augustinus, *pœnitentia a pœna nomen accepit, quia anima cruciatur et caro mortificatur.* (3) Ex mente igitur D. Augustini, vera hominis peccatoris pœnitentia importat 1. Peccati odium et detestationem ; 2. Cordis dolorem et contritionem ; 3. Voluntariam peccatoris pœnam et punitionem.

1. Tunc vera est pœnitentia, *si peccatis solummodo adhibeatur* (4), si peccasse pœniteat, si peccatum aversetur, si peccator detestetur culpam, utpote Dei offensivam. Pœnitentia namque inclinat hominem ad detestationem, in quantum est offensa Dei ; pœnitentia est detestativa peccati, quod est materiale ejus objectum. Si autem quæramus a Tertull. quomodo denotetur et cognoscatur peccatum, circa quod versatur pœnitentia : *Quorum ergo pœnitentia justa et debita videatur, id est, quæ delicto deputanda sint, locus quidem expostulat denotare* (5) : hanc quæstionem superfluam et otiosam existimat, *sed otiosum videri potest.* Per se notum etenim est, id peccato deputandum, quod Deus prohibet, quod est Deo contrarium, quod Deus odit. *Domino enim cognito, ultro spiritus a suo auctore respectus, emergit ad notitiam veritatis, et admissus ad dominica præcepta, ex ipsis statim eruditur, id peccato deputandum, a quo Deus arceat : quoniam cum Deus grande quid boni constet esse ; utique bono nonnisi malum non displiceret : quod inter contraria sibi nulla amicitia est.* Eædem rationes quæ denotant peccatum velut materiale pœnitentiæ objectum, ostendunt etiam objectum ejus formale ; nempe idem peccatum prout est offensa Dei. Aliæ virtutes detestantur vitium ut sibi oppositum est : castitas luxuriam sibi oppositam, sobrietas gulam, veritas mendacium ; pœnitentia vero detestatur peccatum, ut est Dei offensivum ; quia scilicet est contra Dei legem, est malum culpæ divinæ bonitati contrarium ; quod Deo displicet et a Deo aversatur.

Odiendum est peccatum, tum quia est

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 7.

(1) Epist. 54. ad Maced. — (2) Lib. 3. Etymol. cap. ultim. — (3) In Serm. Com. Serm. 4. — (4) Tert. L. de Pœn. 2. — (5) Tert. L. de Pœn. 3.

malum non naturæ, sed culpæ, quod est objectum odii et animadversionis : tum quia multum nobis noxium : unde Tertullianus criminosos alloquens, redarguit eos, *quia non odistis, quod estis* (1), scilicet luxuriosi, gulosi, ambitiosi, scelerosi, quod estis, non a natura, quæ est bona et amabilis, sed a culpa, quæ est mala et odibilis : tum quia Deus odit illud : nam *omnem malignitatem Deus exactor innocentiæ odit* (2); debemus autem et amare ea quæ Deus diligit, et odisse ea quæ odit : *Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est* (3), et quia homo peccando amavit quæ Deus odit, pœnitere debet sui amoris, et detestari peccatum, quod Deus aversatur : *Pœniteat errorum reperta veritate ; pœniteat amasse quæ Deus non amat; quando ne nos quidem ipsi, servulis nostris ea quibus offendimur non odisse permittimus* (4) : tum quia Deum amans odit peccatum: *Qui diligitis Dominum, odite malum.* (5) Ex D. autem Augustino, *pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati et amor Dei.* Dei autem amor elicit non solum peccati odium et detestationem, sed etiam cordis dolorem et contritionem.

1. *Doleat et ingemiscat necesse est* (6) peccator, ut vere de suis delictis pœniteat : ex D. namque Augustino, *opus pœnitendi est cum reperitur voluntas mutandi cum animi dolore* (7) ; et adhuc in libro de vera et falsa Pœnitentia, pœnitentiam simpliciter dolorem vocitat. Concilium quoque Tridentinum pœnitentiæ actum esse *detestationem cum pio animi dolore* (8) declarat. Imo pro uno et eodem detestationem et dolorem usurpat (9): est autem *dolor displicentia de his quæ nobis nolentibus accidunt.* (10) Detestatio autem peccati commissi est displicentia de re involuntaria, non quidem secundum eam voluntatem qua peccatum commissum est, sed secundum eam qua affectus est pœnitens, quando peccatum detestatur.

Illam displicentiam a veris pœnitentibus expostulat Ezechiel propheta : *Displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis quas fecistis.* (11) Vatablus ex hebræo vertit: *Rubore perfundemini in faciebus vestris.* Eo quod impudenter et absque ulla verecundia tot fœda commiseritis peccata ; impudentia rubore plectenda est : idcirco e Gentilibus ad fidem conversis, *neminem pudet, neminem pœnitet, nisi pristinorum* (12); scilicet peccatorum quæ in idololatria absque ullo pudore perpetrarunt. Hujusmodi autem animi verecundia, seu cordis displicentia et dolor, est *mœror animæ et afflicti cordis affectus.* (1) Qui, ut animadvertit D. Augustinus, non temporis diuturnitate, sed cordis amaritudine censetur. *Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed animi amaritudine. Pœnitentia quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud Judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum sinceritatis pœnitentis pensat.* (2)

Seneca fuit a Nerone morte mulctatus, eo quod imperatoris ingratiam lætanter absque ullo dolore ferret. Ob eamdem rationem Tatianus fuit ab Adriano damnatus. Peccator non dolens de peccato commisso, magis Dei provocat iracundiam, quam dum actu perpetravit peccatum : *Non dolere, quia peccaveris, magis indignari atque irasci facit Deum quam illud peccatum quod ante commiseris.* (3) Peccato offenditur Deus sed major ei irrogatur injuria, dum peccator de suo peccato non dolet, Deoque offenso non satisfacit per pœnitentiam : *Ecce pejora peccandi vulnera; ecce majora delicta, peccasse, nec satisfacere ; deliquisse, nec delicta deflere.* (4) Pœnitentia est justitia vindicativa satisfaciens Deo per punitionem offendentis. Inde concludit Tertullianus : *Voluntatis delicta pœnitentia purganda esse.* (5) Optimam hujus subministrat rationem, quia voluntas est origo peccati. Itaque *tanto pronior ad pœnam est, quanto principalis ad culpam.* Quomodo autem punienda sit voluntas, aliorsum declarat, scilicet *cum pœnitentia mœrente* (6), id est, cum animi mœrore et cordis dolore, de quo loquitur Apostolus scribens ad Corinthios : *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* (7) Duplicem distinguit Paulus tristitiam : unam mundanam, alteram divinam ; tristitia seculi seu carnalis nascitur ex terrenorum amissione quæ inordinato diliguntur amore ; tristitia secundum Deum, propter Deum offensum concipitur, illa ad peccandum inducit : *Qui damni impatientia concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim quem a Deo sumpsit, secularis rei gratia concutit.* (8) Hæc vero subjungit Apostolus,

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (2) Tert. L. de Spect. 2. — (3) Tert. L. de Pœn. 4. — (4) Tert. ibid. — (5) Psal. 96. — (6) Tert. Lib. de Pœn. 7. — (7) Lib. 2. Quæst. ad Simpl. q. 2. c. 2. — (8) Sess. 14. c. 2. — (9) Sess. 14. c. 4. — (10) D. Aug. L. 14. Civ. 15. — (11) Cap. 20. — (12) Tert. L. 1. ad Nat. 1.

(1) Climac. Grad. 7. — (2) Serm. 66. de Temp. — (3) D. Chrysost. Hom. 13. in Matth. — (4) D. Cypr. de Lapsis. — (5) Tert. L. de Pœn. 3. — (6) Tert. L. de Pud. 22. — (7) 1. Cor. 7. — (8) D. Basil. in Reg. brevior. Interrog. 194

nempe *quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (1), id est, salutarem, firmam, solidam, et, ut legit D. Augustinus, impœnitendam. Prosequitur Apostolus dinumerans septem effectus tristitiæ secundum Deum, et veræ pœnitentiæ, quæ in pœnitentibus operatur: *sollicitudinem, defensionem, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem, vindictam.* Pœnitentia operatur 1. *Sollicitudinem* expiandi offensam et in gratiam cum Deo redeundi; 2. *Defensionem* vel Dei adversus diabolum, vel innocentiæ adversus peccatum, vel veritatis adversus mendacium; 3. *Indignationem*, qua peccator agnocens et recensens quæ commisit crimina, sibi ipsi irascitur, seseque redarguit, dicens: Quid feci? quem offendi? quo prolapsus sum? ubi fuit mens mea? ubi sensus? itane demens fui? 4. *Timorem*, quo peccator Deum amplius offendere pertimescit; 5. *Desiderium*, quo sese corrigere exoptat, Deoque offenso satisfacere; 6. *Æmulationem*, hoc est, zelum quo Dei zelat honorem, mavultque omne malum pœnæ incurrere, quam illum per culpam rursus inhonorare; 7. *Vindictam*, quam de peccatis vindictam sumat, sive affligendo animam dolore, mœrore et contritione cordis, sive castigando corpus per pœnas et macerationes.

3. Idcirco nonnulli *hic tam carnis interitum, in officium pœnitentiæ interpretantur; quod videatur jejuniis, et sordibus, et incuria omni, et dedita opera malæ tractationis, carnem exterminando Deo satisfacere.* (2) Merito etenim affligitur: tum quia per eam homo peccavit: *Nam cum ex hac duplicis substantiæ congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit, quam unde constat* (3); constat autem ex anima et corpore: tum quia quod Deum offendit, pœna mulctandum est, peccata autem corporalia Deum offendunt: *Siquidem et caro et spiritus, Dei res: alia manu ejus expressa, alia afflatu ejus consummata. Cum ergo ex pari ad Dominum pertineant, quodcunque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit.* (4) Tum quia non bene discernuntur actus carnis et spiritus, quorum in vita tantum est consortii atque communionis, ut pariter aut delinquant, aut innocentes agant: *Communis reatus amborum est, communis igitur et pœnitentiæ medela.* His rationibus demonstrat Tertullianus corpus merito affligendum esse, quod fuit animæ incentivum et instrumentum peccati: *Hoc eo præmisimus, ut non minorem alteri, quam utrique parti, si quid deliquerit, pœnitentiæ necessitatem intelligamus impendere.*

(1) Tert. L. de Pat. 7. — (2) Tert. L. de Pœn. 13. — (3) Tert. L. de Pœn. 3. — (4) Tert. ibid.

Nam, ut ait Ruritius Episcopus, « Pœnitentia non est nomen otiosum, quæ ex qualitate operis possidet laboriosa vocabulum. Non enim potest pœnitens dici, qui pœnitenda committit, sed ille, qui præterita peccata vel maculas humilitate cordis, subjectione corporis, bonorum operum sedulitate, assiduitate orationum, continuatione gemituum, pectoris contusione, lacrymarum profusione detergit. (1) » Hoc operosum pœnitentiæ negotium, seu negotiosum laborem vivacius expressit Climacus: « Pœnitentia est seipsum condemnans cogitatio; est consolationis corporeæ perpetua repudiatio; est cruciatuum sibi semper opifex; est valida ventris afflictio, animæque in sensu firmissimo, jugis reprehensio; est abyssus humilitatis. » (2) Sed nemo melius Tertulliano externos pœnitentiæ deducit actus, quæ *de ipso quoque habitu et victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animam mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare. Cæterum, pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* (3) Loquitur de publice vel solemniter pœnitentibus, ad ostium ecclesiæ remanentibus, quos ait *sacco et cineri incubare*, seu conciliciatos et concineratos, ut ex ipso in superioribus diximus, hoc est, cinere aspersos et cilicio indutos. *Pastum et potum pura nosse*, id est, mero pane et aqua, absque aliis alimentis et condimentis victitantes. *Presbyteris advolvi;* nam cum pro foribus templi starent prætereuntibus sacerdotibus, cæterisque fidelibus, externis contriti animi signis suam testabantur pœnitentiam, non parcebant lacrymis, precibus insistebant, omnibus volvebantur, nullumque omittebant veræ pœnitentiæ indicium, quo ad misericordiam provocarent, et deperditam Ecclesiæ pacem recuperarent. *Charis Dei adgeniculari*, id est, martyribus, quos rogare solebant ut se Ecclesiæ redderent, et nonnihil de pœnitentia indulgerent, ea ratione faciliores habebant presbyteros, cæterosque fideles sibi reddebant benevolos.

Exempla et mores pœnitentium refert adhuc Climacus: « Cum pervenissem ad

(1) Lib. 2. Ep. 14. — (2) Grad. 5. — (3) Tert. Lib. de Pœn. 9.

pœnitentium monasterium, imo vero ad religionem fugientium, vidi revera res et verba quæ Deo vim inferre possent. Quosdam ex reis illis vidi noctibus totis usque sub diem stare pervigiles, pedesque immobiles tenere, contra somnum vim naturæ inferre, nullam sibi ipsis requiem indulgere, sed seipsos increpare. Alios in oratione reorum more, vinctis post terga manibus, humi luridas facies suas inclinantes, indignos se qui cœlum aspicerent, vociferantes, nihil petentes, sed tacitam mutamque Deo mentem offerentes confusione plenam. Nonnullos in pavimento strato cilicio et cinere sedentes, et faciem genibus operientes, et frontem in terram collidentes. Alios pectora jugiter tundentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti revocantes; alios lacrymantes, alios quod id non possent, lamentantes. Vidi nonnullos veluti æneos ex mœrore effectos, et insensibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terram caput assidue moventes, leonum rugitum edentes, et æstuantes, linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alii sub ardentissimo solis æstu seipsos cruciabant, alii acerrimo frigore se affligebant; aliqui cum panis exiguum accepissent, reliquum tanquam illo indigni projiciebant. Quem locum apud illos risus habuit? quem sermo otiosus? ubi pomorum degustatio? Jugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur.» (1) Plura alia stupore dignissima refert Climacus, concludens: *Vidi, et feliciores existimavi, qui post lapsum ita lugent, quam qui nunquam lapsi sunt, et seipsos non sic deflent.*

Ubinam sunt, hac ætate, qui stupenda illa imitentur pœnitentiæ exempla, qui peccata detestentur, utpote Dei offensiva, qui habeant cor dolore et amaritudine contritum? qui de suis corporibus vindictam sumant, et externis afflictionibus divinæ justitiæ satisfaciant? *Attendi et auscultavi: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci?* (2) Quæ tamen necessaria est, tum ad satisfaciendum Deo offenso; tum ad vitandam ejus punitionem et justitiam; tum ad obtinendam peccatorum veniam: *Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* (3) Illa impœnitentia duorum regum pœnitentia confutatur: unus est David, de quo sic fatur D. Ambros. *Peccavit David, quod solent reges; sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges.* (1) Quasi pœnitentia sit regibus quodammodo extranea, et principes sint infeliciter a pœnitentiæ bono velut extorres: quod procedit, tum ex impunita peccandi licentia, tum ex adulatione curialium, qui regum blandiuntur criminibus: principes qui ad peccandum sua abutuntur auctoritate, multum a Regio Vate discriminantur, qui sua pœnitentia privatos adhuc et impœnitentes redarguit peccatores: nam *quod erubescunt facere privati, rex non erubuit confiteri.* Tertullianus prodit Nabuchodonosoris exemplum: *Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesim operatus, unguium aquilinum in morem efferatione, et capilli incuria horrorem leoninum præferente. Pro malæ tractationis! quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.* (2) Per exomologesim confessionem auricularem non intelligit, sed actus externos quibus manifestabatur pœnitentiæ veritas. Neque hujus regis pœnitentiam imitantur multi peccatores, sed potius Pharaonis æmulantur duritiem. De quo sic fatur Tertullianus: *Contra autem Ægyptius imperator, qui populum Dei aliquando afflictum diu Domino suo denegatum persecutus, in prælium irruit post tot documenta plagarum, dissidio maris, quod soli populo pervium licebat, revolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim et ministerium ejus exomologesim abjecerat.* Huic similes sunt plures peccatores qui post patrata innumera crimina, nec ullum corde dolorem concipiunt, neque exterius ullum pœnitentiæ indicium ostendunt.

Vult Tertullianus pœnitentiam *passionem animi quamdam esse quæ veniat de offensa sententiæ prioris* (3), quasi rigidum pœnitentiæ negotium sit bona mali delicti e converso æmulatio: passio tum animi, tum corporis stimulavit ad delictum; passio tum animi, tum corporis conducat ad pœnitentiam; cordis contriti passio et dolor æmuletur vitiosam animi passionem; passio et afflictatio corporis scelerosam carnis æmuletur passionem: quod tunc accidit, Christiane, *quando fit ut ibi amarum sapiat in anima quod ante in vita fuit dulce; et quod te prius delectabat in corpore, ipsum te cruciet in corpore.* (4) Frater, passionem passione compensa, et iniquam cordis et corporis dulcedinem justa animi et corporis amaritudine puni. *Esto armiger pœnitentiæ, et protinus evertes peccatum; dulce fuit vitium cum delectavit animam, sed fiat tibi nunc*

(1) Grad. 5. — (2) Heremen. 8. — (3) Tert. Lib. de Pœn. 6.

(1) In Apolog. David. c. 4. — (2) Tert. L. de Pœn. 12. — (3) Tert. L. de Pœn. 1. — (4) D. August. Serm. 7. de Temp.

dulcior pœnitudo, quæ non solum delectet, sed nutriat animam. (1) Interno cordis dolore et externa carnis afflictione : quibus pœnitentiæ veritas denotatur et discriminatur.

II. PARS. *Hujus pœnitentiæ, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est : ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* (2) Actus pœnitentiæ externi non sunt Deo necessarii, ut veram a falsa pœnitentia discernat : quia perspicue internum animi dolorem discernit. Etenim *nihil a conspectu ejus remotum, unde omnino delinquimus* (3); quia tamen, ut ait Tertullianus, *mediocritas humana, facti solum judicat, quia voluntatis latebris par non est* ; aliquo signo exteriori denotanda est pœnitentia, ut ejus veritas appareat hominibus : et ob hanc causam, ut animadvertit D. Augustinus, Ecclesia olim publicam instituerat pœnitentiam aliquo determinato tempore persolvendam : *Quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitia per verba, vel quæcunque alia signa procedit, recte constituuntur ab iis qui ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satisfactio Ecclesiæ.* (4) Ob eamdem rationem ipsemet pœnitens voluntarie externis pœnitentiæ operibus vacat, non ut inde vanam gloriam captet, sed ut proximum ædificet, eique virtutis pœnitentiæ præbeat exemplum. Quoniam *bonum verum et plenum non amat tenebras, gaudet videri, et in ipsas denotationes exsultat.* (5) Pluribus autem signis et indiciis, « sed potissimum tribus » vera denotatur pœnitentia : scilicet, 1. Lacrymarum effusione ; 2. Sensibili peccatoris punitione; 3. Scelerosæ vitæ immutatione.

1. *Frustra flevit* (6) qui lacrymas aut malas, aut vanas emisit. Lacrymæ malæ illæ sunt, vel quas fundunt illi qui de aliena felicitate mœrent ; vel qui non valentes de illatis injuriis vindictam sumere lugent ; vel qui insano furentes amore pluviam oculorum edunt. Hinc istud græci poetæ : *Imbriferi oculi sunt amantium.* (7) Vel qui flent ad suadendum flagitium, animosque molliendos, ut patet in multis mulieribus, quibus Catullus tribuit *falsas lacrymulas.* Lacrymæ vanæ sunt quæ funduntur vel ad vanitatem captandam, quales sunt hypocritarum, qui *falso oculorum mœrore præconia mundana mercantur* (8) ; vel quæ temere et nullo fructu emittuntur. De quibus Sidonius Apollinaris : *Ego lacrymas omnes perire definio, quas quisque profuderit, nisi quoties Deo supplicat.* (1)

Uti malæ aut vanæ lacrymæ depretiantur a Patribus, ita bonæ commendantur. Has Gregorius Nazianzenus nuncupat *lacrymas laudabiles.* (2) S. vero Macharius *pretiosas margaritas* (3) vocitat, suntque in triplici differentia : quædam compassionis de aliena miseria ; quædam devotionis, ex ardentissima divinorum meditatione et dilectione dimanantes ; quædam compunctionis et doloris, *peccatorum spina cor nostrum compungente.* (4) Ait D. Cyprianus : *Lacrymarum perennes effluunt rivi.* (5) Si pro aliena miseria fundo lacrymas ; si ex devotione *ploro, bonum est.* (6) Verum D. Chrysostomus laudat pœnitentiam *compunctionis lacrymis plenam* (7), et merito, tum quia, ut dubius ait Augustinus, *pœnitentia vera est admissa deflere* (8) ; tum quia, ut indubitatus ait Augustinus, lacrymæ peccati culpam diluunt, inde peccatorem hortatur : *Si ardet conscientia delicti, lacrymis exstingue flammam peccati.* (9) Nam, ut te adhuc stimulat D. Chrysostomus, *spongiæ instar sunt lacrymæ tuæ ; plora, et ea deleveris.* (10) Tum maxime ad propositum, quia *sicut est testis pœnitentiæ dolor, ita lacrymæ testes sunt doloris.* (11) In peccato opere consummato fuit delectatio exterior carnis : in pœnitentia quoque est dolor cordis, qui per sensibilem corporis luctum significatur.

Multis solatio sunt lacrymæ, et magna ex parte doloris imminuunt magnitudinem. *Dolor siquidem speciem ignis gerit, quia dum plus regitur, plus ignescit.* (12) Verum si lacrymæ, quæ naturaliter fluunt, minuunt dolorem, quæ a gratia procedunt, non minuunt, sed potius ejus denotant magnitudinem : et quanto quis magis dolet de peccatis, tanto uberius lacrymatur ; et eo abundantius luget, et acerbius dolet, quo majorem suorum criminum habet notitiam. *Sine dolore ullo vivere, qui sua ignorent mala* (13), docet Philosophus. At ex Magno Gregorio *tunc culpas plangimus, cum pensare cœperimus.* (14) Adde ex D. Augustino : *Quanto reatus noster nobis innotescit, tanto plus imus in fletus et lacrymas ;* et hac de causa monet D. Augustinus : *Constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor ; inde quidam sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat.* (15)

(1) Laur. Novar. Hom. de Pœnit. — (2) Tert. Lib. de Pœn. 6. — (3) Tert. de Pœn. 3. — (4) In Enchir. c. 65. — (5) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 13. — (6) Tert. L. de An. 34. — (7) Anthol. L. 7. Epist. 116. — (8) S. Max. Serm. in die Ciner.

(1) L. 7. Ep. 14. — (2) Orat. 13. — (3) Hom. 25. — (4) Cas. coll. 9. c. 28. — (5) Tract. de Pass. Dom. — (6) Tert. L. de An. 56. — (7) In Ps. 129. — (8) L. de Eccles. Dogmat. c. 54. — (9) In Ps. 94. — (10) In Ps. 50. — (11) D. Aug. L. 50. Hom. hom. 50. — (12) Pet. Bles. Epist. 49. — (13) L. 16. Mor. c. 13. — (14) In Ps. 98. — (15) L. 50. Hom. hom. ult.

Quantus autem debeat esse pœnitentis fletus declarat Michæas propheta : *Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens.* (1) Dolorem quærit prope dicam parturientis, hoc est, maximum, qualis vulgo in partu solet esse : *Respondete, vos puerperæ steriles, et masculi taceant, vestræ passionis fides convenitur* (2), id est, vestri doloris, qui interdum tantus est, ut dum parens vitam et lucem dat proli, ipsa et lumine et vita privetur. Acerrimum illum dolorem suis clamoribus et luctibus satis innuit mulier parturiens. Verum quia parturientis feminæ clamores et fletus cito finiuntur, Jeremias propheta peccatorem adhuc acerbiorem dolorem urget, ad uberiores luctus stimulat : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* (3) Mater in morte unigeniti alte vociferatur, amare lacrymatur, ut leæna rugit, neque vix a dolore, et luctu, et clamore cessat : talis debet esse dolor et planctus pœnitentis.

Cujus illustre habemus exemplum in Regio Vate, qui haud contentus die ac nocte fundere lacrymas, et fletibus stratum suum rigare, subjungit : *Turbatus est a furore oculus meus* ; furore, id est, indignatione in seipsum concepta. D. Hieronymus legit: *Amaritudine caligavit oculus meus.* In Chaldæo habetur *obtenebratus est.* Cajetanus vertit, *tineavit.* Doloris acerbitate et lacrymarum abundantia et effusione, vitiatus est caligine, obscuratus, et fere excæcatus est Prophetæ oculus, et ut ipse ait suum declarans dolorem : *Rugiebam a gemitu cordis mei.* (4) Suo fletu et planctu leonis æmulabatur rugitum ; seu, ut legit Aquila, *præ fremitu cordis mei rugio.* Tantus est dolor quem reprobatio peccatorum quæ commisi, ingerit cordi meo. Planctu, ululatu, rugitu demonstravit Propheta, pœnitentiam suam non fucatam, et in speciem tantum adumbratam, sed veram et ex intimo animo ortam. Iisdem indiciis et signis pœnitentiæ veritatem denotarunt illi, quos asseverat Tertullianus, *ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum* (5) ; dolorem cordis præ se ferentes sensibili corporis afflictatione.

2. Corporis afflictatio est veræ pœnitentiæ indicium : quapropter primi Christiani sic fantur apud Tertullianum : *Nos vero jejuniis aridi, et omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco et cinere volutantes, invidia cœlum tundimus.* (6) Jejuniis aridi, id est, extenuati et macilenti ; ab omni vitæ fruge dilati, hoc est, pane et aqua alimentis ad vitæ sustentationem absolute necessariis, aut in serum, aut in crastinum dilatis; omni continentia expressi, hoc est, ab omni libidine carnisque concupiscentia alieni ; in sacco et cinere volutantes, hoc est, *sacco induti et cinere conspersi* (1), flexis genibus die noctuque Deum deprecantes ; quia *inanis venter, et habitus luctuosus, ambitiosius Dominum deprecantur.* (2) Externam illam pœnitentiam, seu carnis afflictionem nonnulli nuncupant *baptismum lacrymarum* (3) ; alii *crucifixionem interioris hominis* (4) ; quidam vero *servilem quodam, modo, et duram corporis tractationem* (5), quæ potissimum quatuor pœnales complectebatur actus, nempe arctum jejunium, humilem dejecti corporis orationem, disciplinam et flagellationem : *Nosmetipsos verberibus acriter accipientes* (6), ait Cyrillus Alexandrinus ; tandem cilicium, quod est *contritionis signum* (7); seu, ut vult D. Ambros. *symbolum pœnitentiæ.* (8) Unde D. Hieronymus scribens ad Lucinium, *quotidiana symbola pœnitentiæ tibi et sorori tuæ misi quatuor ciliciola.* (9) Gregorius Nazianzenus in exemplum adducit Magnum Basilium, *cilicinam vestem, asperamque gestantem* (10), suum corpus *flagellantem, disciplinantem, et velut in equuleo torquentem* (11); continuis jejuniis, vigiliis et orationibus ita carnem macerantem ut illum *exsulem vitæ* (12) merito dixerimus. Pretiosa profecto mors, *ubi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum.* (13) Felix pœnitentia quando *per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur.* (14) Pœnitentia justitiæ conformis, qua pœnitens in se vindicans peccata, Deo offenso satisfacere nititur : *Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi de his quæ facta sunt satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis* (15), jejuniis, orationibus, aliisque externis pœnitentiæ signis et indiciis. Quæ omnia per *interitum carnis, id est, conflictationem carnis* (16), intelligit Tertullianus. Caro etenim quodammodo moritur, dum voluptatibus, quas velut vitam

(1) Cap. 4. — (2) Tert. L. de An. 25. — (3) Cap. 6. — (4) Ps. 37. — (5) Tert. L. de Pœn. 9. — (6) Tert. Apol. 40.

(1) Tert. Lib. de Jejun. 16. — (2) D. Hier. in c. 3. Jonæ. — (3) Greg. Nazianz. — (4) Orat. de Sacr. limin. — (5) D. August. L. 2. de Trinit. 4. — (6) In c. 2. Joel. — (7) S. Rurit. Ep. 20 — (8) Ad Virg. laps. — (9) Ep. 28. — (10) Orat. 20. — (11) Greg. Nyss. — (12) Tert. Apol. 42. — (13) S. Leo Serm. in Machab. — (14) S. Leo Serm. 2. de Jejun. dec. mens. — (15) D. August. L. 50. Hom. hom. ult. — (16) Tert. L. de Pud. 15.

diligit, privatur, et pœnas sustinere cogitur, quas velut mortem aversatur.

Verum quantumvis exterior pœnitentia de utilitate, æquitate, imo et necessitate commendetur, multi tamen eam refugiunt: *Quod incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod sordulentos, quod extra lætitiam oportet deversari in asperitudine sacci, et horrore cineris, et oris de jejunio vanitate.* (1) Molles illos et delicatos Christianos multis rationibus redarguit Tertullianus: 1. Irridet quod pœnitentiam velint adimplere absque ulla pœna, seu punientia: *Num ergo in coccino et tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis, et bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas urgeat: præterea exquirito balneas lætiores hortulani maritimive secessus.* 2. Christiani vitia fugere et virtutes etiam *incommodis omnibus* prosequi tenentur: at *virtus duritia struitur, mollitia vero destruitur.* (2) 3. Inducit spiritum de communi salute cum carne colloquentem: *Colloquatur spiritus cum carne de communi salute* (3), quæ carnis voluptatibus amittitur et afflictationibus acquiritur. 4. Prodit athletas, qui omnimoda corporis afflictatione corruptibilem florum coronam sibi comparare moliuntur: *Nempe enim et athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent; continentur a luxuria, a cibis lætioribus, a potu jucundiore, cruciantur, fatigantur, quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria sperant.* (4) Quot si tot incommoda sustinebant athletæ, *ut coronam corruptibilem consequerentur*, quanto magis *nos æternam consecuturi*, quam non possumus adipisci, nisi per actus pœnitentiæ debellaverimus tres infensissimos hostes, scilicet mundum, carnem et diabolum. 5. Christianos ad Dei militiam vocatos, ad labores et dolores stimulat, ex laboribus et incommodis quæ patiuntur in bello milites. *Vocati sumus ad militiam Dei vivi tunc cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis et substrictis, ubi omnis duritia, et imbonitas, et insuavitas consistit. Etiam in pace, labore et incommodis bellum pati jam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem densando: sudore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant: de umbra ad solem, de sole ad cœlum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.* 6. Proponit curas, sollicitudines, mœrores, labores, dejectiones et afflictiones, quas tolerant ambientes. *Sed enim illos qui ambitus obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ et corporis, nec incommodis tantum, verum et contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis et crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exsules a libertatis et lætitiæ felicitate: idque totum propter unius anni volaticum gaudium.* (1) Inde concludit: *Nos in periculo æternitatis tolerare dubitamus* externos pœnitentiæ actus, *et castigationem victus atque cultus offenso Domino præstare cessabimus, quæ Gentiles nemine omnino læso sibi irrogant?* Profecto timor æternæ damnationis, quam impœnitentes incurrunt, spes interminabilis beatitudinis, quam veri pœnitentes acquirunt, desiderium satisfaciendi Deo offenso incitare debet Christianos ad pœnitudinem, peccatorumque vindictam, et ad scelerosæ vitæ immutationem.

3. *Emendatio culpam non antecedit* (2), sed subsequitur: vitæ autem emendatio quatuor involvit: 1. Errati cognitionem, quæ causa doloris est: *Pœniteat errorum reperta veritate.* (3) 2. Displicentiam seu dolorem internum anteactæ scelerosæ vitæ: *Pœniteat amasse quæ Deus non amat.* (4) 3. Spontaneam castigationem, quæ est displicentiæ effectus, et interni doloris indicium: *Peccator es, vindica in te, redi ad conscientiam tuam, et exige de te pœnas, crucia teipsum.* (5) 4. Vitæ immutationem: *Vos pœnitentes, et non irridentes, corrigite vitam, mutate mores.* (6) Ex D. namque Bernardo, « tres sunt species pœnitentiæ: simulatoria et infructuosa, cujus exemplum est in Esaü et Saül. Crudelis et desperata, sicut in Caïn et Juda. Utilis et consummata, sicut in Maria et Zacchæo. » (7) Pœnitentia Saül fuit simulatoria, quia exterius simulavit pœnitentiam, interius autem nullum habuit peccati dolorem. *Noscamus peccatum David, quia Propheta correctus, dixit:* Peccavi, *et continuo ei dictum est:* Dimissum est tibi peccatum: (8) *Pec-*

(1) Tert. L. de Pœn. 11. — (2) Tert. L. ad Mart. 3. — (3) Tert. L. ad Mart. 4. — (4) Tert. L. ad Mart. 3.

(1) Tert. L. de Pœn. 11. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 4. — (3) Tert. L. de Pœn. 4. — (4) Tert. ib. — (5) D. August. in Psal. 140. — (6) D. August. Tract. 3. de Pœn. — (7) in Sen. — (8) L. 2. Reg. 12.

cavit Saul, et a Propheta correctus, dixit: Peccavi, *nec dimissum est peccatum, sed mansit ira Dei super eum. Quid erit hoc nisi quia similis vox, dissimile cor? Homo enim est vocis auditor, Deus est vocis conspector.* (1) Unde David vere in corde pœnitens, obtinuit delicti remissionem, Saül nequaquam, quia in voce simulavit pœnitentiam, et in corde nullum habuit peccati dolorem. Pœnitentia Judæ fuit desperata, ob diffidentiam de misericordia Dei. *Tam perversa impii conversio fuit ut pœnitendo peccaret.* (2) Pœnitentia vero Magdalenæ fuit utilis et consummata, quia vere doluit, in misericordia Dei speravit, et, ut ait D. Bernardus, in ea fuit *contritio in corde, maceratio in carne, correctio in opere.* Pœnitentiam Saül imitantur hypocritæ, *quorum individua cum diabolo amicitia est, quorum pœnitentia nunquam fidelis.* (3) Peccator de divina misericordia desperans imitatur Judæ pœnitentiam, de quo fatur Tertullianus tanquam *de infidæ pœnitentiæ viro.* (4) Qui vero immutatur, Magdalenæ imitatur pœnitentiam.

Hujusmodi autem vitæ immutatio duo importat: unum, anteactæ vitæ dolorem et pœnitentiam. *Pœnitentiam quippe agere est mala commissa plangere, et plangenda non iterare. Qui sic peccata deplorat, ut alia committat, adhuc pœnitentiam agere dissimulat.* (5) Aliud, pœnitentiæ facere fructus. Nam, ut docet D. Augustin. (6) *mutat quidem in melius hominem pœnitentia peccatorum, sed nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. Testatur hoc veritas per Joannem, qui venientibus ad se dicebat*: Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira? (7) *Quisquis itaque istos fructus non fecerit, sine causa putat per sterilem pœnitentiam se mereri veniam peccatorum.* De fructibus pœnitentiæ intelligit Magnus Gregorius istud Canticorum: « Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. » (8) Myrrha probatissima est pœnitentia, quæ in corde per dolorem incipit, et in manu per bonum opus consummatur: *In fructu, non in foliis, aut ramis, pœnitentia cognoscenda est.* (9)

Quot sunt qui vere non pœnitent, qui internum in corde non habent dolorem, nec ullum faciunt pœnitentiæ fructum, sed in peccatis de quibus pœnitere fingunt, perseverant! *Nullus hominum transibit ad Christum ut incipiat esse quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse quod erat.* (1) Mutatio illa est transitus a veteri ad novam vitam: idcirco peccator, *nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare.* (2) Christiane, *si vitam mutaveris, peccata pereunt, tu invenieris et dicetur de te*: Mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est. (3) Si autem in peccatis tuis animam efflaveris, *pereunt tunc peccata tua, sed tecum*: cum peccatis tuis descendes in infernum; vanam ibi et inutilem efficies pœnitentiam. Etenim *mala consuetudo post excessum ex hac vita, vanam pœnitentiam affert cum supplicio.* (4) Pœnitebunt damnati, sed frustra. Pœnitebunt « pœnitentes, et præ angustia spiritus gementes » (5), et infructuose pœnam sustinentes. *Pœnitentia hujus temporis dolor medicinalis, pœnitentia temporis judicii, dolor pœnalis est.* (6) Pœnitentia sumitur duobus modis: scilicet prout est passio et prout est virtus. In damnatis autem est pœnitentia in quantum passio, non inquantum virtus: virtus enim pœnitentiæ ortum habet a gratia, voluntarie sustinet dolorem, detestatur peccatum prout est offensa Dei, habet spem veniæ: damnati autem carent gratia, coacte et involuntarie patiuntur tormenta, aversantur peccata, non propter offensam Dei, sed propter pœnam quam sustinent, nullam habent spem veniæ. Ideoque *erit in ultimo die pœnitentia, sed infructuosa; erit pœnitentia dolorem habens, medicinam non habens. Nunc est fructuosa pœnitentia, quando correptio est libera. Pœniteat ergo nunc ad vocem* (7) miserentis, et pollicentis Dei, qui peccatores stimulat ad pœnitentiam.

III. PARS. *Pœniteat itaque vos et resipiscite ad abolenda delicta vestra, ut tempora vobis superveniant refrigerii ex persona Dei* (8), qui peccatores misericorditer vocat ad pœnitentiam; pœnitentibus pollicetur peccatorum veniam, et humanatus est ut scelerosis mereretur gratiam. Trino itaque incentivo peccator stimulatur ad pœnitentiam, nimirum, 1. Dei miseratione; 2. Divina pollicitatione; 3. Dominica redemptione.

1. Deus, *misericordiarum pater, idem erit qui misericors, et miserator, et misericordiæ plurimus est dictus* (9), qui peccatorem pœ-

(1) D. August. Serm. 18. de Nat. S. Joan. Bapt. — (2) S. Leo Serm. 5. de Pass. — (3) Tert. L. de Pœn. 5. — (4) Tert. L. de Pœn. 6. — (5) D. August. in Serm. Com. Serm. 4. — (6) Serm. 50. de Temp. — (7) Luc. 3. — (8) Cap. 5. — (9) Lib. 6. in l. 1. Reg. c. 2.

(1) D. August. L. 50. Hom. hom. 50. — (2) D. Aug. ib. — (3) Luc. 15. — (4) Clem. Alex. Adhort. ad Gent. (5) Sap. 5. — (6) D. Aug. in Ps. 57. — (7) D. Aug. in Serm. Com. Serm. 46. — (8) Tert. L. de Res. Carn. 24. — (9) Tert. L. 5. adv. Marc. 11.

nitentem misericorditer recipit. *Hinc securum me credo, quia salvare me noverit, velit et possit.* (1) 1. Noverit salvare, qui enim novit me de nihilo creare, agnoscit etiam de nihilo peccati revocare, *quia non ignorat, nec omittit* (2) modum mihi condonandi delicta et conferendi gratiam. 2. Vult me salvare, nisi enim vellet non me toties vocaret ad pœnitentiam. *Dubium, si non et alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Non ait: Qui reciderit, resurget; et qui aversatus fuerit, convertetur: ille est scilicet, ille est qui misericordiam mavult quam sacrificium.* (3) Tandem, 3. Potest salvare, et peccatoribus veniam concedere, ab actu enim ad potentiam legitima est consequentia, Deus multoties peccatoribus fecit misericordiam : ergo potest adhuc erga peccatores suam exercere misericordiam. Quod latius demonstrat: *Illa patientia quæ exspectat pœnitentiam potius peccatoris quam mortem, et mavult misericordiam quam sacrificium; avertens jam destinatum exitium Ninivitis; et largiens spatium vitæ Ezechiæ lacrymis; et restituens statum regni Babylonis tyranno pœnitentiam functo. Illam dico misericordiam, quæ et filium Saülis moriturum ex devotione populo concessit; et David delicta, in domum Uriæ, confessum, venia liberavit: et ipsum Israël toties restituit, quoties judicavit; toties refovit, quoties et increpuit.* (4)

Plura misericordiæ Dei erga peccatores congerit Tertullianus exempla : verum divina miseratio magis adhuc splendet in parabola Prodigi, quam ex Evangelio refert Tertull. *Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, et post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim invenerat, quem amiserat; cariorem senserat, quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus est pater? Deus scilicet. Tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo quam de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pœniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos, immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum: Deliqui, dicens, pater, nec dignus ego jam vocari tuus.* (5) Misericordiam quam filio adeo ingrato et sceleroso contulit Pater cœlestis, debet peccatori quantumvis criminoso ingerere veniæ fiduciam, modo revertentis Prodigi imitetur pœnitentiam. *Fortasse dicis: Ego jam baptizatus sum in Christo, a quo omnia mihi præterita peccata dimissa sunt. Vilis factus sum nimis iterans vias meas, et canis abominabilis coram oculis Domini, conversus ad vomitum suum.* (1) Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? (2) *Quo, frater, nisi ad ejus misericordiam pœnitendo, cujus potestatem peccator peccata committendo contempseras? Nemo enim recte fugit ab illo nisi ad illum, ab ejus severitate ad ejus bonitatem. Quidquid enim feceris, quæcunque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Deus si sanare nollet, auferret.* Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Qui enim clamando tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas* (3), et etiam jurejurando tibi misericordiam pollicetur.

2. *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum: Pœnitere, et salvum faciam te.* (4) Cunctis in universum peccatis pœnam ordinavit Deus, cunctis quoque pœnitentibus est veniam pollicitus, nullum peccatum divina justitia eximit a pœna, nullum peccatorem excipit misericordia; et quo magis homines suis sermonibus adhibeant fidem, pollicitationem factam jurejurando confirmat. *Vivo, inquit Dominus, pœnitentiam malo quam mortem.* (5) Non semper credendum est homini etiam juranti, quia pejerare potest; at Deus absolute credendus est, quia est infallibiliter verax; cum enim sit summa sapientia et infinita bonitate præditus, neque falli, neque fallere potest: quod si Deo simpliciter loquenti credendum est, quanto magis Deo juranti adhibenda est fides? *Vivo dicens, cupit credi sibi* (6), scilicet misericordiam pœnitentibus etiam cum juramento promittenti. Inde exclamat Tertullianus: *O beatos nos, quorum causa Deus jurat! o miserrimos, si nec juranti Deo credimus!*

Fratres, Deo veraci, pollicenti et juranti adhibeamus fidem, pœniteamus de peccatis nostris, speremus in ejus misericordia. *Fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* (7) At quomodo justus? 1. Justus, id est, benignus et misericors, misericordia etenim maxime Deo competit : conveniens est divinæ bonitati, divinæque clementiæ dignum, ut in

(1) D. Bern. 20. in Cant. — (2) Tert. L. de Pœn. 3. — (3) Tert. L. de Pœn. 8. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 17. — (5) Tert. L. de Pœn. 8.

(1) D. August. L. 50. Hom. hom. 50. — (2) Ps. 138. — (3) Rom. 2. — (4) Tert. L. de Pœn. 4. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. ibid. — (7) 1. Joan. 1.

gratiam recipiat, sibique reconciliet pœnitentes. *Justum est, o Deus, ut malos punias; sed et justum est ut parcas malis* (1) 2. Justus et fidelis, in stando promissis; promissum enim est debitum, unde justum est illud solvere : Deus autem promisit veniam pœnitentibus. *Qui orare nos pro debitis et peccatis monuit, paternam misericordiam promisit, et veniam secururam.* (2) 3. Justus, quia Christus suo sanguine et morte hanc nobis veniam promeruit : unde Christo ex justitia debetur peccatorum remissio, tum quia promissa, tum quia merita per redemptionem, qua ad pœnitentiam stimulantur peccatores.

3. Humanatio Verbi divini est præcipuum pœnitentiæ incitamentum, cum humanam assumpserit naturam ut quæreret peccatores. *Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa : scilicet ad restituendum quod perierat : homo perierat, hominem restitui oportuerat.* (3) Quod ipsemet Christus demonstrat, tum asseverando se venisse vocare, non justos, sed peccatores. *Non hic Dominus justos respuit, sed superbos, et eos notat, qui cum non sint, esse se jactant justos : ut confiteantur se peccatores, ut modo Christus parens et conviva largiatur veniam, ne post judex ferat in contumaces debitam sine fine sententiam.* (4) Tum declarans se ad sanandos ægrotos venisse. Ægri etenim non bene habentes egent medico : *Et suis non erat ægrotus, ipsa generis humani sic ægrotante natura? Ad omnes ergo venit, qui omnes male habentes ut curaret invenit.* (5) Sed hoc ideo dixit *ut intelligant ægritudinem, medicum, ut curentur, admittant.* Tum adducens similitudinem drachmæ perditæ, ovis errantis. *Quid illa similitudinum dominicarum argumenta nobis volunt? Quod mulier drachmam perdidit, et requirit, et reperit, et amicas ad gaudium invitat, nonne restituti peccatoris exemplum est? Erat et una pastori ovicula, sed grex una carior non erat : una illa conquiritur, una præ omnibus desideratur, et tandem invenitur, et humeris pastoris ipsius refertur : multum enim errando laboraverat.* (6) Tum ex parabola prodigi filii quem pœnitentem benigne recipit pater. *Illum quoque prodigum filium patientia patris et recipit, et vestit, et pascit, et apud impatientiam irati fratris excusat. Salvus est igitur qui perierat, quia pœnitentiam iniit.* (7) Tum feminis peccatricibus, quales fuerunt Magdalena et Samaritana, largiens criminum veniam : *Et factis aliquid tale pro peccatoribus edidit Dominus, ut cum peccatrici feminæ etiam corporis sui contactum permittit lavanti lacrymis pedes ejus, et crinibus detergenti, et unguento sepulturam ipsius inauguranti, ut cum Samaritanæ sexto jam matrimonio non mœchæ, sed prostitutæ etiam quod nemini facile, quis esset ostendit.* (1) Tum magnum gaudium in cœlo pro conversione et pœnitentia peccatoris testificans : *Lætantur cœli, et qui illic angeli, pœnitentia hominis. Heus tu peccator, bono animo sis : vides ubi de tuo reditu gaudeatur.* (2) Tum peccatorum domus frequentans, et cum publicanis manducans, ut ex Zachæo constat : *Consequitur et Zachæi domus salutem* (3) : et merito, nam *et ignorans Esaiam præcepta ejus impleverat, hoc cum maxime egebat, exceptum domo sua pascens Dominum*, et cum viderent omnes murmurabant dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. (4) *Tu ergo quid reprehendis, qui murmuras cur ad peccatorem diverterit Christus, viam salutis, exemplum veniæ, misericordiæ spem, de tali ingressu cape.* (5) Tum pro peccatoribus sanguinem fundendo, et cruentam crucis mortem patiendo. Humanati namque Verbi amor et misericordia in peccatores potissimum *a redemptione carnis, id est, Domini passione censetur.* (6) Hac ratione murmurantes Pharisæos eloquenter redarguit Chrysologus : *Miraris, Judæe, cur misceatur convivio peccatorum, qui propter peccatores et nasci voluit, et non recusavit occidi? Oblatras cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus sanguinem suum fudit? Etsi vis posse amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores : in se sententiam suam judex retorsit, ut amasse se peccatores proderet magis solvendo debitum quam donando.* (7) Uno verbo, ut peccatores convertat, et dignos salutis efficiat, Dei Filius incarnatus est, natus in stabulo, pauperem et humilem duxit vitam, veritatem docuit, exempla virtutis præbuit, cum publicanis manducavit et bibit, in cruce sanguinem suum fudit. *Horum bonorum unus est titulus : salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa, hæc opera.* (8) Dei igitur misericordia maxime elucet in redemptione humana, per Christi mortem operata, quo ex mente Origenis alludere

(1) Anselm. Prosol. 9. — (2) D. Cypr. de Orat. Dom. — (3) Tert. L. de Car. Chr. 14. — (4) Chrysol. Serm. 29. — (5) Chrysol. ibid. — (6) Tert. L. de Pœn. 8. — (7) Tert. L. de Pat. 12.

(1) Tert. L. de Pud. 11. — (2) Tert. L. de Pœn. 8. — (3) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 27. — (4) Luc. 19. — (5) Chrysol. Serm. 54. — (6) Tert. L. de Pud. 11. — (7) Serm. 29. — (8) Tert. L. de Pœn. 2.

videtur Regius Vates aiens : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. » (1) *Forsan vero cum David prævideret quod Christus aliquando in terris illucesceret, et omne mundi peccatum auferret, misericordiam magnam merito hanc ideo insignem et illustrem gratiam appellat.* (2) Quanto major est Dei misericordia, tanto magis ad illam occurrere debent pœnitentes, ut accipiant peccatorum veniam, et per gratiam Deo reconciliati, immortalem acquirant gloriam.

CONCIO TERTIA.

Merita *pœnitentiæ* (3) tanta sunt ut quodammodo innocentiæ antistare videantur. Hanc præexcellentiam colligit Hugo Cardinalis, ex primo Matthæi capitulo, ubi Evangelista referens Christi genealogiam, David, deinde Abraham nominat junioremque seniori præfert : Quia *profundus fuit peccator David, ideo ut ex misericordia ostendatur natus, David peccator Abrahæ justo præponitur.* Profundus peccator ad Deum per pœnitentiam conversus, sententiose dicitur ex misericordia oriundus, non quod innocens Sanctorum justitia ex Dei misericordia non oriatur, sed antonomastice profundus peccator ob pœnitentiæ meritum singulariter dicitur misericordiæ proles ; quia ex munificentiori oritur misericordia : et ob hanc generosæ nobilitatis prærogativam David peccator Abrahæ justo præponitur. Idipsum confirmat D. Ambrosius ex ovis errabundæ parabola. *Erroneam ovem patientia pastoris requirit et invenit, et humeris insuper advehit bajulus patiens peccatricem derelictam.* (4) Tanti æstimatur ovis perdita, quæ agnoscens errorem, ab errore se revocare satagit, ut super pastoris Christi humeros sublimetur et cæteris nonaginta novem quodammodo præferatur. *Vides ergo quia errori renuntiasse, non vitii, sed profectus est. Nec immerito cæteris antefertur, quia plus est a vitio se revocasse quam prope vitia ipsa nescisse.* (5) Porro difficillimum est se a vitio ad virtutem revocare ; quia homo carne materiatus, et concupiscentiæ fomite semiustulatus, proclivis est ad vitia ; tum quia error ad errorem, et peccatum ad peccandum trahit ; tum quia peccator in sceleribus detinetur carnis blanditiis, mundi fallaciis, diaboli astutiis : unde se post peccatum a peccatis cohibere, et a vitiis ad virtutes transmeare, plus sit quam prope vitia ipsa nescisse : hoc sane humanæ virtutis fastigium excellit, et pœnitentiæ denotat excellentiam quæ adhuc commendatur, 1. Virtutis honestate ; 2. Sacrificii nobilitate ; 3. Martyrii dignitate.

(1) Ps. 50. — (2) In Cat. Pat. Græc. — (3) Tert. L. de Pœn. 2. — (4) Tert. L. de Pat. 12. — (5) D. Ambr. in Ps. 118.

I. PARS. *De bono pœnitentiæ enumerando materia diffusa est* (1) : cujus potest considerari principium a pro procedit ; objectum quod respicit, subjectum in quo inest, *et per hoc magno eloquio committenda materia est* (2) : et virtutis pœnitentiæ excellentia mutuanda a 1. Nobilitate principii, a quo producitur ; 2. Honestate motivi a quo inducitur ; 3. Dignitate eorum in quibus reperitur.

1. Actualis pœnitentiæ virtus, a gratia et a voluntate procedit. A gratia, quia peccatori *per Dei gratiam obvenit* (3) ; a voluntate, quia est actus liber a voluntate, vel elicitus vel imperatus : *utilis ergo erit pœnitentia, si sit spontanea.* (4) Per gratiam distinguitur a pœnitentia naturali, quæ sequitur rationis lumen, quod dictat Deum ut auctorem naturæ non esse offendendum ; per voluntariam pœnam discriminatur a pœnitentia damnatorum, qui non sponte, sed coacte patiuntur. A gratia denominatur supernaturalis, quia sine illa produci non potest. *Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo : Nequando Deus det illis pœnitentiam.* (5) Ut enim docet D. Augustinus : *Nisi ipse dederit quis agit pœnitentiam ?* (6) Quod testatur Scriptura sacra, quoties a Deo petimus ut nos convertat : *Converte me, Domine, et convertar : postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* (7) A voluntate autem dicitur libera: sicut enim peccatum fuit liberum et voluntarium, quia v. g. *nemo nolens fornicatur* (8), ita pœnitentia debet esse spontanea, quia nemo nolens dolet de peccatis.

Inde colligenda est excellentia pœnitentiæ quia actus tanto sunt digniores, quanto causæ a quibus oriuntur sunt nobiliores : pœnitentia autem oritur a gratia, quæ est qualitas supernaturalis, et Dei donum omne bonum naturæ superans, eo quod sit ordinis supe-

(1) Tert. L. de Pœn. 4. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. de Pud. 22. — (4) D. Aug. L. de ver. et fals. Pœn. c. 9. — (5) Lib. Leo Ep. 91. — 2. Timoth. 2. — (6) Lib. 5. Contr. Julian. 5. — (7) D. Hier. c. 31. Jerem. — (8) Tert. L. de Pud. 22.

rioris. Dimanat adhuc a voluntate, quæ inter animæ potentias primum tenet nobilitatis gradum ; imperans, non solum corporis membris , sensibusque externis, sed etiam intellectui quantumvis lumine rationis splendeat. *Bonum est pœnitere , quid necesse est Scripturas afferre ? Vox est ipsa naturæ* (1) : imo et fidei dogma, quod colligit pœnitentiæ excellentiam, tum a nobilitate principii a quo producitur, tum ab honestate motivi a quo inducitur.

2. *Causas pœnitentiæ delicta condicimus.* (2) Verum licet peccatum sit objectum materiale circa quod versatur pœnitentia , hoc non obstat quin de honestate decoretur; tum quia Deus præcipit pœnitentiam ; honestum est autem quod Deus præcipit : *Bonum est pœnitere, an non ? Quid revolvis ? Deus præcipit* (3) ; tum quia virtus honestate decoratur, quia ex Philosopho *facit bonum habentem , et opus ejus reddit bonum* (4) : pœnitentia autem est virtus moralis ad justitiam pertinens quæ bonum facit habentem , imo persæpe meliorem efficit peccatorem pœnitentem , quam fuerit ante lapsum : ut enim ait Magnus Gregorius : *Discretus quisque ex eo quod mala se egisse intelligit, ad discretionis regulam reducitur ; et inde altius ad justitiam proficit ; unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur* (5) ; tum maxime quia honestum est detestari peccatum propter Deum offensum ; pœnitentia autem peccatum ut Dei offensivum, et hoc ex amore ipsiusmet Dei , detestatur, quod est laude dignissimum.

Tot condensatæ rationes probe pœnitentiæ ostendunt excellentiam : quæ a nonnullis dicitur « res optima , quæ omnes defectus revocat ad perfectum. » Aliquid autem potest dici optimum tribus modis , scilicet in genere informationis, in genere operationis, et in genere declinationis. In genere informationis, quia magis ornat, et perficit subjectum : quomodo virtutes Theologiæ sunt optimæ. In genere operationis ; quia optime operatur bonum, quo sensu charitas est optima. In genere declinationis, quia a malo commisso declinat. Sic pœnitentia est optima , ad quam pertinet , non solum declinare a malo, sed facere bonum. Ex Angelico namque Doctore (6), duæ sunt partes justitiæ universalis , quæ in omni virtute reperiuntur , declinare scilicet a malo , et facere bonum : ex eodem adhuc D. Thoma, quælibet virtus odio habet malum sibi contrarium (1) ; et consequenter diligit bonum malo quod aversatur oppositum : quod innuere videtur S. Joannes Damascenus aiens : *Pœnitentiæ est remotio ab eo quod est contra naturam , ad id quod est secundum naturam* (2) : nimirum a peccato ad gratiam , a vitio ad virtutem , ab odio et contemptu Dei ad ejus amorem et honorem , quod media pœnitentia efficitur, cujus excellentia nunquam magis elucescit quam ex dignitate eorum in quibus reperitur.

3. Non est mirum quod peccator *nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus* (3) , agat pœnitentiam de peccatis ab ipso commissis : sed prorsus stupendum est quod innocui , qui nullo sunt peccato contaminati , pœniteant, quod tamen certissimum est, ut constat ex Joanne Baptista , Virgine Deipara, Christo Domino, et quod mentis superat aciem, ipsomet Deo : Joannes Baptista qui fuit in utero matris sanctificatus , *qui victu , vestitu, honore, castitate, abstinentia et omnibus virtutibus repræsentat Christum* (4), et tamen a cunis pœnitentiæ admirabili operam dedit, et, ut fatur Chrysologus, *vestitu, victu, loco, totus pœnitentia formatus incedit.* (5) Beatissima Virgo longe multo sanctior Joanne , quia hic si non veniale commisit , ut vult Galatinus , originale tamen peccatum contraxit : Deipara vero neque ullum actuale commisit , neque originale contraxit, et tamen humilem , luctuosam et pœnitentem vitam duxit : *Pœnitentiæ etsi in illa non invenerit quod diluere , invenerat quod ornaret : quæ quoties innocentibus datur coronam pro humilitatis affectione conciliat.* (6) Verum mirum non est si Messiæ præcursor pœniteat , si Maria mater pœnitentem vitam ducat *Christo pœnitente* (7), qui in semetipso impeccabilitatem cum pœnitentia confœderavit : *ipse placatio est pro peccatis nostris* (8): unde punitus est, non pro suis peccatis, quia erat impeccabilis, sed pro nostris tantummodo delictis. *Quis alienam mortem sua solvit , nisi solus Dei Filius ? Ad hoc enim venerat, ut ipse a delicto purus , et per omnia sanctus, pro peccatoribus obiret* (9) , et pœnam illorum criminibus debitam subiret ; et , ut fatur D. Ambrosius , *nos suo sanguine redemit , quos propria peccata vendiderant : chirographum sustulit , fœneratorem removit , exuit debitorem, unus exsolvit, quod ab omnibus de-*

(1) D. August. de duab. Anim. c. 14. — (2) Tert. L. de Pud. 2. — (3) Tert. L. de Pœn. 4. — (4) Lib. 2. Ethic. 6. — (5) Lib. 11. Mor. 19. — (6) 2. 2. q. 79.

(1) 1. 2. q. 113. a 5. ad 1. — (2) L. 4. de Fid. Orthod. 21. — (3) Tert. L. 11. — (4) Chrysol. Serm. 88. — (5) Serm. 167. — (6) Ennod. L. 2. Epist. 1. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 4. — (8) Tert. L. de Pud. 18. — (9) Tert. L. de Pud. 22.

bebatur. (1) Per pœnitentiam seu pœnam humana debita solvit *ipse Dominus*, *nullius pœnitentiæ debitor.* (2) Plus audet Tertullianus, et in ipso Deo pœnitentiam recognoscit. *Nam Deus post condemnatum hominem cum seculi dote, post ejectum paradiso, mortique subjectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, jam inde in semetipso pœnitentiam dedicavit, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi et imagini suæ.* (3) Dotem seculi vel delicta intelligit, per quæ homo, a divina gratia cecidit, vel humanas miserias, quæ post peccatum mortalibus in dotem assignatæ sunt. Cum ad suam misericordiam maturavisset, hoc est cum mature ad suam misericordiam se recepisset, jam inde in semetipso pœnitentiam dedicavit; quasi Deum pœnituerit fecisse hominem; vel quasi pœnituerit damnasse, pœnitentiam dedicavit. Punito namque Adami peccato, cum mortales prævideret delictis obnoxios, docuit pœnitentiam, per quam possent delictorum obtinere veniam. Verum etsi res hominis proprie sit pœnitentia, Tertullianus tamen Scripturam imitatus, de Deo more humano loquens, asseverat Deum in semetipso pœnitentiam dedicasse, quo nihil illustrius dici potest ad commendandam pœnitentiæ excellentiam, quæ adhuc sacrificii honore nobilitatur.

II. PARS. Sacrificii nobilitas ex trino desumitur capite: 1. Ex Dei, cui soli sacrificatur, majestate, quod ipsemet asseverat: *In omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo.* (4) Et ob hanc causam dæmon affectans divinitatis honorem, sibi offerri sacrificium molitus est: *Dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret.* (5) 2. Ex sacerdotum qui Deo sacrifiant dignitate, quos a laicis semper discriminavit Ecclesia, et in honore præferri decrevit: *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus.* (6) 3. Ex hostiæ oblatæ pretio et valore: nimirum corpore Christi, quod cruente immolatum fuit in ara crucis, et quotidie in Missa incruente offertur. Verum ultra sacrosanctum Altaris sacrificium: *Sacrificia spiritalia accepta prædicantur; gloriæ scilicet relatio et benedictio, laus et hymni.* (7) Oratio quoque, cordis contritio, corporis afflictatio: et licet *sacrificium facere* (1), et offerre tremendum Altaris sacrificium, ad solos ordinis sacerdotes pertineat; attamen *participatio sacrificii* (2) ad laicos etiam spectat, qui etiam aliquo modo ad sacerdotalem sublimati sunt dignitatem: *Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo, et Patri suo fecit* (3); non quidem charactere indelebili insignitos, neque ad corpus Christi sive reale, sive mysticum ordinatos; *sed his accommodantur sacrificia* (4) pœnitentiæ, in qua Deo immolant, 1. Humilem mentis orationem; 2. Sinceram cordis contritionem; 3. Rigidam carnis afflictationem.

1. Cunctos in universum homines ad sacrificandum Regius Vates invitat: *Afferte Deo claritatem et honorem, afferte sacrificia nomini ejus. Tollite hostias et introite in atria ejus.* (5) Quænam sint autem hostiæ honoris Deo offerendæ, declarat ipsemet Deus immunda Judæorum respuens sacrificia: *Sacrificia vestra non excipiam de manibus vestris; quoniam a solis ortu usque ad occasum glorificatum est in nationibus nomen meum, et in omni loco sacrificium nomini meo offertur, et sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientia pura.* (6) Ut orationis sacrificium Deo sit acceptum, debet offerri conscientia pura, attenta mente, humili animo. 1. Conscientia pura: nam *oratio de conscientia procedit; si conscientia erubescat, erubescit oratio.* (7) 2. Attenta mente, ut enim ait D. Aug. *ubi putas sacrificium justitiæ sacrificari, nisi in templo mentis, et in cubilibus cordis? ubi autem sacrificandum est, ibi est orandum.* (8) 3. Animo humili, quia *humilitas cordis sacrificium Deo est.* (9) Æquissimum etenim est ut homo qui superbia inflatus toties peccavit, Deumque peccatis cordis, oris et operis contempsit, pœnitendo Deum honoret per humilitatem, quam corde, ore et opere Deo immolat: *Quisquis pœnitentiæ recusat humilitatem, Deo appropinquare non cogitat. Aliud est enim levare se ad Deum, aliud levare se contra Deum. Qui ante illum se projicit, ab illo erigitur; qui adversus illum se erigit, ab illo projicitur. Alia est soliditas magnitudinis, alia inanitas inflationis; qui foris tumescit, intus tabescit.* (10) At qui vere pœnitet, intus dejicitur, Deoque immolat cordis contritionem.

(1) Lib. de Joseph. c. 4. — (2) Tert. Lib. de Bapt. 12. — (3) Tert. L. de Pœn. 2. — (4) Tert. L. adv. Jud. 5. — (5) D. August. L. 1. advers. leg c. 18. — (6) Tert. L. de Exh. Cast. 7. — (7) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 22.

(1) Tert. L. ad Scap. 4. — (2) Tert. L. de Orat. 14. — (3) Tert. L. de Exh. Cast. 7. — (4) Tert. L. de Idol. 15. — (5) Tert. L. adv. Jud. 5. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 1. — (7) Tert. L. de Exh. Cast. 10. — (8) L. de Magistro. cap. 1. — (9) D. August. in Ps. 120. — (10 D. August. L. 50. Hom. hom. 50.

2. *Namque quod non terrenis sacrificiis Deo litandum sit, ita legimus ut scriptum est : Cor contribulatum et humiliatum hostia Deo est.* (1) Hunc locum a Regio Vate mutuatur Tertullianus, quo etiam utitur D. Augustinus, ut stimulet peccatorem ad immolandum Deo cor contritum per pœnitentiam : *Humilia cor tuum, contere cor tuum, crucia cor tuum, ita enim offers sacrificium Deo* (2) ; sed sacrificium gratum : ad quod adhuc ab eodem urgeris Propheta apud Tertullianum : *Sacrifica Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Sic itaque sacrificia spiritualia laudis designantur, et cor contritum acceptabile sacrificium Deo demonstratur* (3) ; hoc autem sacrificium per pœnitentiam Deo offertur. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus : *Sacrificium justitiæ est quod fit per pœnitentiam. Quid enim justius quam ut suis quisque potius quam alienis irascatur peccatis, seque ipsum puniens Deo mactet ?* (4) Imo Deus, ut animadvertit Tertullianus, *etsi mavult opera justitiæ, non tamen sine sacrificio, quod est anima conflictata jejuniis.* (5) Ibi animam sumit pro corpore, quod per afflictionem Deo immolatur.

3. *Ut etiam ipsorum sacrificiorum alia officia potiora* (6), quibus pœnitens offert Deo non solum mentem per demissam orationem; neque adhuc cor, per doloris contritionem : sed etiam carnem per jejunii et mortificationis afflictionem : *Nam et sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, et seras, et aridas escas, et appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat.* (7) Ad hujusmodi sacrificium Christianos hortatur Apostolus : *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* (8) In illa hostia quinque conditiones desiderat Apostolus, quas aliorsum (9) explicatas, silemus, dicentes cum D. Augustino, quod homo pœnitens quadruplicem habet in semetipso hostiam quam Deo immolet : 1. Corpus, « corpus nostrum cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum faciamus, sacrificium est : » (10) 2. Animam : « Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est : quanto magis ipsa anima cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita, reformetur ; hinc ei placens quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium ? » 3. Totum hominem ex corpore et anima compositum. « Ipse homo Dei nomini consecratus, et Deo devotus in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. » 4. Opera justitiæ a pœnitente Deo reconciliato et justificato facta. « Sacrificium justitiæ opera justitiæ sunt post pœnitentiam. » (1) Christiane, si veniam criminum a Deo es consecutus ; si es gratia sanctificante decoratus, offerasque Deo corpus tuum, animam tuam, temetipsum, opera tua, *ascendet sacrificium tuum libera fronte.* (2) Deoque erit gratissimum ; et quia ex Origene *prima hostia est martyrum* pœnitentia, martyrii dignitate commendatur.

III. PARS. *Martyriorum præstantiam* (3) aliorsum (4) demonstravimus, impræsentiarum sufficiat pœnitentiam de martyrii dignitate commendare. Ex D. autem August. *martyria græce testimonia nuncupantur* (5) ; quia scilicet de Deo perhibent testimonium : et quia *in tribus testibus stabit omne verbum* (6), duplicem trinitatem in Dei testimonium dilectus refert Discipulus : unam in cœlo : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Filius et Spiritus Sanctus* (7) ; alteram in terra : *Tres sunt qui testimonium dant in terra : spiritus, aqua et sanguis.* (8) Omissis variis hujus loci expositionibus dicendum est cum Balduino Cantuariensi, cujus manuscriptum habetur Lovanii : *Spiritus justorum, aqua pœnitentium, sanguis martyrum testantur Christum redemptorem.* Spiritus justorum est charitas, aqua pœnitentium luctus, sanguis martyrum est cruor fusus pro Christo. His tribus pœnitentia dat de Deo testimonium, scilicet, 1. Charitate et amore; 2. Fletu et mœrore ; 3. Sanguine et cruore.

1. *Dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat; ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit.* (9) Dilectioni autem illi, qua homo pro Deo sanguinem fundit, et cruentam sustinet mortem, D. Ambrosius adæquat justorum charitatem : *Est et illa mors sanctorum martyrum valida, cujus non impar est charitas, quæ adæquatur mar-*

(1) Tert. L. adv. Jud. 5. — (2) Ps. 50. — (3) In Ps. 140. — (4) In Ps. 4. — (5) Tert. L. de Jejun. 16. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 1. — (7) Tert. L. de Res. Car. 8. — (8) Rom. 12. — (9) Tert. Prædic. Tom. 2. Tract. de Carn. Conc. 5. — (10) Lib. 5. Civ. 6.

(1) In Ps. 4. — (2) Tert. L. de Exh. Cast. 11. — (3) Tert. L. de Res. Carn. 43. — (4) Tert. Prædic. tom. 4. Tract. de Mart. Conc. 3. — (5) Serm. 31. in Esal. 118. — (6) Tert. L. de Bapt. 6. — (7) 1. Ep. c. 5. — (8) L. 1. de Enchir. c. 48. — (9) Tert. Scorp. 6.

tyrum passioni (1), tum qui homo Dei amore fragrans moritur mundo, sibiipsi, cunctisque rebus quæ divino contrariantur amori; tum quia paratus est pati, et mori, et sua passione de Deo ferre testimonium. Tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis: *In spiritu charitatem intellige diffusam in cordibus nostris* (2), qua sufflammatus pœnitens testatur Dei majestátem dilectione et amore, fletu et mœrore.

2. *Novum testimonium advoco* (3), aquæ scilicet: « jam vero (4), quia baptismum aqua diximus designari, memento et unicum, et quotidianum baptismum. Est et baptismus aliquis in compunctione cordis, et lacrymarum assiduitate. Sic et baptismi sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione deleri. Unde et Propheta: lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo. (5) Lacrymas nuncupat S. Isidorus *baptisma laboriosum* (6), quod actuale diluit peccatum non secus ac baptismi sacramentum originale. Uti enim baptismi sacramentum est mare in quo Pharao et superbissimæ ejus copiæ demerguntur, ita baptismus lacrymarum est mare divinum, *unde reus exiret ad portum, et sola paterentur delicta naufragium.* (7) Plus audet Climacus et baptismum lacrymarum baptismatis sacramento præponit: *Major ac potentior baptismate, post baptisma* (*etsi audax dictu id videatur*) *fons lacrymarum est.* Cujus duas subministrat rationes: tum quia baptismi sacramentum delet duntaxat originalem culpam, et peccata actualia quæ in tenebris ignorantiæ commissa sunt; lacrymarum autem baptismus diluit atrocissima quæque delicta, quæ etiam in luce Evangelii perpetrantur: tum quia baptismi sacramentum iterari nequit: *Felix aqua quæ semel abluit* (8); baptismus autem lacrymarum iteratur. Hoc lacrymarum fonte, si ita lubet, quotidie eluuntur pœnitentes, *quorum lacrymæ peccati diluvium sunt, et mundi expiamentum.* (9) In sacramento baptismi *supervenit statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt* (10): baptismus quoque lacrymarum a Spiritu Sancto suam mutuatur virtutem. Aqua sola non sufficit ad baptismi sacramentum; ad regenerationem animæ Spiritus Sanctus requiritur: *Nisi quis nascetur ex aqua et Spiritu Sancto, non ibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus* (1); baptismus quoque lacrymarum a Spiritu Sancto suam habet efficaciam, Spiritus Sanctus proprio charactere amor est: qui hoc divino non ardent amore, quantumvis lacrymentur, *viduis aquis sibi mentiuntur* (2); qui vero sacro hoc igne accensi compunctionis emittunt lacrymas, suis fletibus sanctificantur. In baptismate Christi, Messiam Joannes *testimonio exornavit* (3), Spiritus Sanctus Salvatoris testatus est divinitatem, *columbæ figura delapsus in Dominum* (4); æternus quoque Pater dedit *fidei testimonium* (5): et, ut fatur OEcumenius, *per aquam Jesus Patris testimonio Filius Dei est declaratus.* In baptismo quoque lacrymarum, pœnitentes æternus Pater acceptat in filios, Spiritus Sanctus reddit testimonium quod sint filii Dei, et a Christo Domino prædicantur *beati flentes atque lugentes* (6) suis lacrymis de sanctissima Trinitate, Christoque *testimonium veritatis* (7) perhibentes. Verum quantumvis ab humanato Verbo declarentur beati, qui suis lacrymis Christi testantur divinitatem, longe multo sunt *beatiores qui valent beata testimonii confessione non excedere* (8); et testimonio spiritus, seu charitatis, testimonio aquæ, seu lacrymarum, addunt sanguinem ad *redundantiæ testimonium.* (9)

3. *Grande testimonium* (10) præstiterunt martyres pro Christo sanguinem fundentes. Magnum fuit equidem testimonium spiritus, majus testimonium aquæ, sed maximum *teneo testimonium* (11) sanguinis. Uti autem in spiritu charitatem, in aqua baptismum, ita *in sanguine martyrium* (12) intelligit D. Bernardus; « Jam vero martyrium diximus sanguine designari: memento et unicum, et quotidianum esse martyrium. Est enim et martyrii genus, et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Sicque infirmis et pusillis corde necesse est ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori martyrio sanguinem fundant: martyres in cruciatibus vitam finientes, *testimonium Christi sanguine litaverunt.* (13) Pœnitentes asseverat Magnus Basilius, *æquivalere martyrio*, quia et ipsi testimonium quoque litant sanguinis, nimirum doloris lacrymas, quæ

(1) L. de Isaac et Anim. c. 8. — (2) D. Bern. Serm. 1. in Oct. Pasch. — (3) Tert. L. de Test. An. 1. — (4) D. Bern. Serm. 1. in Oct. Pasch. — (5) Ps. 6. — (6) Lib. 5. de Offic. Ecc. c. 21. — (7) Fulb. Carn. Ep. 1. — (8) Tert. L. de Bapt. 15. — (9) Greg. Naz. Or. 1. in Julian. — (10) Tert. L. de Bapt. 4.

(1) Tert. L. de An. 39. — (2) Tert. L. de Bapt. 5. — (3) Tert. L. ad Scap. 4. — (4) Tert. L. de Bapt. 8. — (5) Tert. L. de Orat. 9. — (6) Tert. L. de Pat. 11. — (7) Tert. L. de Test. An. 2. — (8) Tert. L. 3. ad Ux. 3. — (9) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (10) Tert. L. de Pat. 1. — (11) Tert. L. de Spect. 16. — (12) Serm. 1. in Oct. Paschæ. — (13) Tert. L. adv. Valent. 2.

sunt cruor e pœnitentis corde dimanans. Inde Christianum hortatur D. Augustinus : *Sacrifica lacrymas tanquam vulnerati sanguinem cordis.* (1) Theodorus quoque Studita religiosos viros nuncupat martyres, eo quod eorum vita sit *crucifera* (2), id est, pœnitentiæ et mortificationis operibus sedulo vacans; quapropter valent dicere cum Vate Regio : *Calicem salutaris accipiam.* (3) Calix namque passionem et martyrium significat ; et ob hanc causam inter munera charitatis, quibus olim Christiani pietate illustres sese mutuo invitabant, ad corporis sensuumque castigationem, ad austerioris vitæ disciplinam, ad patientiam in persecutionibus tolerandam, et ad martyrium constanter perferendum, ponebantur caliculi ; quales Marcella (4) misit ad D. Hieronymum. Ut autem ipse testatur : *Calices mortificationem carnis ostendunt, et semper animum ad martyrium præparatum.* (5) Christiane, *vis adhuc apertius discere, qualiter in pace Ecclesiæ valeas martyrium invenire ? Ascende igitur tribunal mentis, et temetipsum pertrahe ad judicium quæstionis. Cogitatio accuset, animus judicet, pœnitens conscientia velut carnifex feriat, lacrymarum vulnus velut rivus erumpat. Sic per martyrii similitudinem ad veram pervenies martyrum dignitatem.* (6) Nihil etenim videtur esse in martyre, quod in vero pœnitente non inveniatur. Amor martyrem excudit, Dei quoque amor ad pœnitentiam inducit. 2. Martyrium peccatorum maculas diluit ; pœnitentia delictorum sordes extergit : unde martyrium nuncupatur a Clemente Alexandrino *delictorum expurgatio.* (7) 3. Martyrium pœnam peccato debitam solvit, pœnitentia peccatorem puniens, pœnas peccatorum aut prorsus tollit, aut saltem minuit. 4. Martyr pro Deo constanter patitur; pœnitens quoque pro Deo spontaneum sustinet dolorem ; 5. Martyr venarum fundit sanguinem, pœnitens cordis sanguinem emittit ; 6. Martyr fert testimonium sanguinis, pœnitens quoque præbet sanguinis testimonium : *Quotiescunque bonis actibus mandatum Christi facimus, toties de Christo testimonium perhibemus.* (8) Illi, ait D. Bernardus, « præstant testimonium spiritus, qui superbiam vitæ aut spiritum vanitatis vincunt spiritu charitatis ; testimonium aquæ, qui oculorum concupiscentiam, compunctionis lacrymis lavant, testimonium sanguinis, qui carnis concupiscentiam sanguine mortificationis domant : » qui trino hoc testimonio tria quæ potissimum in mundo vigent, detriumphant, *magnum profecto habituri sunt testimonium, quos in cœlo Pater susceperit tanquam filios et hæredes ; Filius adsciverit tanquam fratres et cohæredes ; Spiritus Sanctus adhærentes Deo unum spiritum faciet esse cum eo* (1), per consummatam cœli dilectionem.

(1) In Psal. 32. — (2) Semes. 33. — (3) Psal. 115. — (4) Epist. 20. — (5) Pet. Dam. — (6) Serm. 3. de S. Apost. — (7) Lib. 4. Strom. — (8) D. Aug. Serm. 32. de Sanct.

CONCIO QUARTA.

Poenitentia *homini proficit, Deo servit.* (2) In inferioribus afferentur fructus quos homo colligit ex pœnitentia, quæ Deo servit ad ostensionem suæ potentiæ, sapientiæ et justitiæ. Potentiæ, triumphans de obdurata et rebelli hominis voluntate ; sapientiæ, educens lucem de tenebris, et Dei inimicum in ejus filium convertens; justitiæ, adstringens pœnitentem ad satisfactionem Deo debitam. Verum quia aliorsum (3) hæc materia agitata est, impræsentiarum consideranda est virtus et efficacia pœnitentiæ, quæ divinam, 1. Ostendit misericordiam ; 2. Rescindit sententiam ; 3. Exercet justitiam.

I. PARS. Magna profecto efficacia pollet pœnitentiæ virtus. *Negotium divinæ misericordiæ curans.* (4) Dei misericordia erga peccatores potissimum elucet; nam, ut eloquenter fatur Cassiodorus, *materia est gloriæ principalis delinquentis reatus : quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* (5) Peccatum hominem polluit, destituit, dejicit, Deique misericordia contaminatum hominem emundat, destitutum restaurat, dejectum relevat : *O pœnitentia, quid de te novi referam ? omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas.* (6) Nam divinæ misericordiæ negotium curans, hominem, 1. Maculosum diluis; 2. Deperditum restituis ; 3. Dejectum extollis.

1. Divina misericordia immundos emundare volens peccatores, *pœnitentiam destinabat purgandis mentibus propositam, uti quidquid error vetus inquinasset, id pœnitentia verrens et radens, et foras abjiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui Sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat.* (7) Alludere videtur Tertullianus ad prophetam Evangelicum, peccatoribus quantumvis scelerosis et con-

(1) D. Bern. Serm. 1. in Oct. Pasch. — (2) Tert. L. de Pœn. 2. — (3) Tert. Prædic. tom. 3. Tract. 2. Conc. 3. — (4) Tert. L. de Pœn. 2. — (5) Lib. 3. Ep. 46. — (6) D. Cypr. de Laud. Pœn. — (7) Tert. L. de Pœn. 2.

taminatis munditiam pollicentem, modo vere pœniteant: tanta est pœnitentiæ ad eluendas sordes vis et efficacia: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* (1) Peccata ut coccinum sunt facinora atrocissima, intimius et medullitus peccati labe imbuta, quæ nullatenus elui posse videntur, non secus ac coccinum vermiculi succo tinctum. Per peccatum adhuc ut coccinum intelligit Propheta peccatum vel meretricium; meretrices namque coccino induebantur; vel peccatum publicum, ob coccini nitorem; vel tandem peccatum regum, reges etenim coccino et purpura vestiuntur. Quovis autem modo peccatum sit ut coccinum, per pœnitentiam emaculatur, ut Davidis comprobatur exemplo, cujus peccatum erat omnibus modis coccineum, et quia adulterio dehonestatum, et homicidio cruentatum, et scandalo publico diffamatum. Et tamen *David Uriæ cædem, tum causam ejus mœchiam confessione purgavit.* (2) Davidis exemplo peccatorem ad pœnitentiam stimulat D. August. (3): *Agere debet pœnitentiam Christianus ex toto corde, ubi Deus videt; qui vidit cor David, quando increpatus a Propheta post comminationes terribiles Dei, exclamavit dicens:* Peccavi; *et mox audivit:* Dominus abstulit peccatum tuum. (4) *Tantum valent tres syllabæ. Tres syllabæ sunt, peccavi: sed in tribus his syllabis flamma sacrificii cordis ascendit in cœlum;* et David immundus fuit emundatus, et Dei gratia et amicitia per peccatum distitutus, fuit per pœnitentiam in Dei gratiam et amicitiam restitutus.

2. *Pœnitentia, quæ per Dei gratiam ostensa et indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat* (5), deperditam Dei amicitiam recuperat, et in pristinum statum restituit, et hoc multiplici exemplo ex Scriptura sacra desumpto demonstrat Tertullianus: 1. Prodit *Evam lugentem et pœnitentem.* (6) Adamum quoque lugentem et pœnitentem existimat, et mox repræsentat eosdem, *ut restitutionis candidatos, ut confessione relevatos* (7); quia per pœnitentiam in Dei gratiam recepti sunt, et quamvis ad felicem innocentiæ statum et justitiam originalem non fuerint restituti, tamen sanctitatem acceperunt, jus ad cœlestem gloriam acquisierunt, et beatæ æternitatis facti sunt candidati; 2. Adducit Nabuchodonosoris exemplum, qui per pœnitentiam Deo satisfecit, et humanam formam simul cum regno recuperavit: *Sic ille rex Babylonius, offenso Domino cum squalore et pœdore septenni, ab humana forma exsulasset, immolata patientia corporis sui, et regnum recuperavit, et quod optabilius est homini, satis Deo fecit.* (1) Tandem, 3. Proponit toties decantatum Prodigum, qui longe divagatus, acceptam a patre dissipavit substantiam, vivendo luxuriose, et porcis mancipatus, fame et inedia mulctatus: *Recordatur Patris Dei, satisfacto redit, vestem pristinam recipit, statum scilicet eum quem Adam transgressus amiserat.* (2)

Christiane, si vis deperditam per peccatum recuperare gratiam, pœnitere; per pœnitentiam etenim potes *Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari.* (3) Pœnitentem Prodigum pater cum gaudio recipit, cum exsultatione etiam te Deus recipiet, si pœniteas ex animo. Siquidem *exsultare illius est de pœnitentia peccatoris, id est, de perditi recuperatione; qui se professus est olim malle peccatoris pœnitentiam quam mortem.* (4) Protoparentes fuere per pœnitentiam restitutionis candidati, quia simul cum gratia acceperunt jus ad æternam beatitudinem: et ut sis æternitatis candidatus, *rape occasionem inopinatæ felicitatis* (5), quam per pœnitentiam potes adipisci. Nabuchodonosor septenni vacans pœnitentiæ, regiam recuperavit dignitatem: et tu quoque in divinam potes restitui filiationem, modo pœnitentiæ studeas: *Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesim sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit* (6) et dejectum extulit; quia

3. Pœnitentia *cum provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit.* (7) Nec mirum, quia, ut ait Petrus Damianus, *consuevit Deus honorare pœnitentes magis quam innocentes* (8); quod ipse multiplici exemplo declarat, 1. Magdalenam pœnitentem inducit in domum Pharisæi: *Osculatur Maria pedes Christi, et oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit. Videt et invidet singularitatis amator, et utrumque redarguit Pharisæi instantia: Jesum, ignorantiæ; præsumptionis, Mariam.* (9) Verum immerito Pharisæus tum Jesum, tum Magdalenam increpat; quin potius commendanda est Salvatoris misericordia, peccatricem benigne recipientis; admiranda est pœnitentiæ virtus et efficacitas,

(1) Isai. 1. — (2) Tert. L. de Pud. 6. — (3) Aug. L. 50. Hom. hom. 41. — (4) L. 1. Reg. 12. — (5) Tert. L. 3. de Pœn. 5. — (6) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 25.

(1) Tert. L. de Pat. 13. — (2) Tert. L. de Pud. 9. — (3) Tert. L. de Pœn. 10. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 32. — (5) Tert. L. de Pœn. 4. — (6) Tert. L. de Pœn. 12. — (7) Tert. L. de Pœn. 9. — (8) Serm. 56. — (9) Serm. 29.

quæ mulierem peccatricem, Deiparæ vocabulo honorat. Nam, ut fatur Chrysologus, *venit mulier, sed rediit Maria* (1): venit peccatrix, rediit sancta; venit despecta, rediit honorata: quæ a lascivia erat mulier, a gratia efficitur sancta, et adeo per pœnitentiam exaltatur ut beatissimæ Virginis fuerit nomine decorata. 2. Matthæi adducit exemplum, quem Scriptura Sacra sub peccatoris nomine denotat; quia erat publicanus ad telonium sedens, mendaciorum architectus, rapacitatis magister, alienarum divitiarum deprædator: a pœnitentia tamen et Apostoli et Evangelistæ assecutus est dignitatem: *Quis nesciat Evangelistam ab Angelico vocabulo derivari? Non solum Apostolus est, sed Evangelista, et, ut ita fatear, Evangelista Evangelistarum non immerito dicitur, qui dux et prædecessor, ac primus omnium reperitur.* (2) Omnium namque primus Christi genealogiam, nativitatem, vitam, mortem, resurrectionem, ascensionem, doctrinam, prædicationem, virtutes, miracula, cunctaque in universum quæ Christum spectant, in suo Evangelio enarravit. Inde concludit Damianus: *Atque, ut audacter dicam, nemo post Christum est cui magis debeat sancta universalis Ecclesia.* Ipse vero Matthæus pœnitentiæ debet tot honoris titulos, totque officia quæ illi debitricem reddiderunt universalem Ecclesiam. Tandem, 3. Petri proponit exemplum, quem pœnitentia in Apostolatus restauravit dignitatem: *Respectum Christi sequitur fletus Petri, et lacrymarum amaritudo dulcedinem antiquæ dignitatis instaurat.* (3) Petrus sua negatione fuerat deturbatus, tum a gratia, tum a Christi discipulatu; post pœnitentiam autem tanta est a Deo sanctitate donatus, ut dicatur a S. Maximo *justitiæ ac pietatis plenitudo* (4), et ita est in fide et amore Christi solidatus, ut Ecclesiæ sit basis et firmamentum. Ut enim prosequitur D. Maximus, *Petrus tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Tanquam bonus pastor Petrus gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum*, Apostolorum princeps, visibile Ecclesiæ caput; et, ut fatur D. Ambrosius, *major gradus redditus est ploranti, quam fuerat ablatus neganti.* (5)

Magnum est inter Apostolos tenere primatum, sed Verbi Præcursor Apostolicæ antistat dignitati. De quo post Christi oraculum nullus potest dubitare: *Cum Dominus testimonio Joannem extulisset: Nemo, dicens, major inter natos feminarum Joanne Baptizatore.* (1) Tantus tamen est pœnitentiæ vigor ut ex flagitiosissimo peccatore, delictis turpato, sceleribus diffamato, dæmonibus mancipato, gehennæ destinato, faciat, non modo virum sanctum, sed transformet in Joannem Baptistam, quo non surrexit major: *Noli tu jam quærere neque Joannem, neque Jordanem; ipse esto tibi Baptista.* (2) Quid magnificentius de pœnitentia dici et excogitari potest? Porro Joannes Baptista est Virgo, Martyr, Præcursor, Anachoreta, imo et Angelus. Per pœnitentiam, *ipse tibi esto Baptista:* esto Virgo puritate, Martyr acerbitate, Præcursor veritate, Anachoreta solitudine, Propheta vaticinatione, Angelus sanctitate, Baptista dignitate.

Magnum hoc pœnitentiæ encomium, sed majus adhuc habet ex comparatione ad Deiparam, quam constat esse Apostolis, cunctisque hominibus et Angelis, *præ cæteris justitiæ cultu, vitæ integritate meliorem.* (3) Nec mirum si Deipara angelicam et humanam superet dignitatem, postquam Tertullianus *Christum per Mariam censendum* (4) asseverare ausus est. Nec minus audacter Deiparæ, pœnitentiam assimilat Hugo Cardinalis, in istud: «Tunc Holophernes præcepit servis suis ut comprenhenderent Achior et perducerent eum in Bethuliam. (5) *Bethulia interpretatur domus dolens Domino, vel domus parturiens Dominum, et significat pœnitentiam quæ Dominum parturit: Maria enim Mater est Domini.* Inepta tamen hujusmodi videtur comparatio: quid enim magis alienum a Deiparæ puritate, prorsus ab omni peccati labe immuni quam similitudo cum peccatore etiam dolente peccata? Homo enim pœnitens propter illatas Deo injurias dolens, detestatur peccata, quibus fuit dehonestatus, et Deum offendit; Deipara autem semper fuit sancta, Deoque gratiosa, nec ulla unquam peccati umbra devenustata. Apta tamen comparatio, quia sicut Maria, sanctitate decorata, parturivit Christum, effectaque est vere Mater Dei, sic pœnitens justitia ornatus, Spiritus Sancti gratia fecundatus pœnitentiæ beneficio, quasi divino semine, in se velut parturit Christum, potestque quodammodo Deiparens nuncupari. Nam, ut aliorsum docet præfatus Cardinalis, subtilis pœnitentiæ encomiastes: *Quilibet justus debet habere Mariam conjugem, id est, amaritudinem pœnitentiæ. Accipienda est enim pœnitentia in uxorem, quia pulchra,*

(1) Serm. 77. — (2) Serm. 49. — (3) Serm. 56. — (4) Hom. 4. — (5) Serm. de Cathed. S. Petri.

(1) Tert. L. de Bapt. 12. — (2) L. Novar. Hom. de Pœn. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 48. — (4) Tert. L. adv. Jud. 9. — (5) Judith. 6.

quia dives, quia nobilis. Hoc matrimonium inchoatur per contritionem; ratum fit per confessionem; consummatur per satisfactionem, et nunc quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. (1) Humilis pœnitentia, pia squaloris ambitione, superbas Mariæ expetit nuptias : hujus autem connubii soboles est Christus, qui in animo pœnitente generatur. Quemadmodum enim Maria Spiritus Sancti virtute fecundata concepit Christum, qui fuit in ejus utero per novem menses, ita vere pœnitens, Spiritus Sancti gratia fecundatus, in suo corde concipit Christum, qui tandiu in ejus anima adest quandiu in gratia perseverat. Misericordiam Dei in humanatione Verbi commendat D. Augustinus : nam *quæ major esse misericordia super miseros potuit, quam illa quæ cœli Creatorem de cœlo deposuit, et terreno corpore terræ induit Conditorem, et quæ in æternitate Patris manet æqualis, mortalibus coæquavit?* (2) Dei quoque misericordiam in pœnitentia splendescentem agnoscit Petrus Damianus : *Quam leni et dulcissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui novit spiritu lenitatis peccatores instruere, suspendere vindictam, et affectuosis officiis inviscerare sibi peccatorem donec vitæ reddatur.* (3) Quid faventius, quid amantius quam Deum, sibi inviscerare peccatorem pœnitentem? Pœnitens sibi inviscerat Christum, dum illum in semetipso parturit, et rursus Christus sibi inviscerat pœnitentem : vicem Christus rependit pœnitenti, qui eum per pœnitentiam peperit sibique invisceravit. Nam, ut animadvertit præfatus Hugo Carensis expendens istud Matthæi : « Assumpsit eum diabolus : » (4) *Alii portant in brachiis cum Simeone; alii portant in utero cum Maria, id est, facientes amaram pœnitentiam*, quæ divinam ostentat misericordiam, et rescindit sententiam.

II. PARS. *Deum indemutabilem credimus.* (5) Mutatio etenim repugnat supremo enti, æterno, absolute necessario, et actui puro. Si Deus esset mutationi obnoxius, nec esset actus purus, quia potentiam passivam importaret; neque ens absolute necessarium, quia contingenter se haberet; neque esset æternus, quia æternitas omnimodam excludit mutationem. Verum licet Deus subjective nequeat mutari, objective tamen seu terminative mutari potest : imo de facto pœnitentia, 1. Illum immutat; 2. Ad pœnitentiam incitat; 3. Ejus sententiam revocat.

1. Acute Marcionitas refutat Tertullianus scite declarans quomodo Deus erga homines mutetur absque ulla levitate et imprudentia : *Si vero etiam circa personas levem vultis intelligi, cum reprobat aliquando probatos; aut improvidum, cum probat quandoque reprobandos, quasi judicia sua aut damnet præterita, aut ignoret futura* (1), huic objectioni sic occurrit : *Atquin nihil tam bono et judici convenit quam pro præsentibus meritis, et rejicere, et adlegere.* Quando homo est justus, amatur a Deo; quando est peccator, oditur a Deo : quod Saulis et Salomonis comprobat exemplo : *Adlegitur Saul; sed nondum despector Prophetæ Samuelis. Rejicitur Salomon; sed jam a mulieribus alienis possessus, et idolis Moabitarum et Sidoniorum mancipatus.* Deus invariabiliter amat beatos in cœlo regnantes, et odit præscitos in inferno patientes; quia illi invariabiliter perseverant in bono, isti vero immutabiliter persistunt in malo. *Exhibe bonum semper, et non recusabitur : exhibe malum semper, et nunquam adlegitur.* At quia in hoc seculo justus cadit a justitia, et labitur in peccatum; et econverso peccator de suis delictis pœnitet, et efficitur justus, Deus justum pro tempore justitiæ diligit, pro tempore peccati odit, peccatorem quoque quando est in statu peccati aversatur, amat vero quando est in statu justitiæ : *Aut quis hominum sine delicto, ut eum Deus semper adlegeret, quem nunquam posset recusare? Vel quis item sine aliquo bono opere, ut eum Deus semper recusaret, quem nunquam posset adlegere?* Quando Deus odit hominem, quem antea dilexit, aut odit, quem ante amavit, in homine fit realis et intrinseca mutatio, quia mutatur aut de gratia in peccatum, aut de peccato ad justitiam; in Deo autem nulla fit intrinseca mutatio, sed duntaxat extrinseca, objectiva et terminativa, quia idem actus infinitus divinæ voluntatis terminatur ad hominem modo amabilem, ratione justitiæ, modo odibilem ratione peccati. Inde concludit Tertullianus : *Cæterum, si idem homo, ut in utroque pro temporibus, in utroque dispungetur a Deo, et bono, et judice, qui non levitate, aut improvidentia sententias vertit; sed censura gravissima et providentissima, merita temporis cujusque dispensat.* Pro diverso tempore eumdem hominem, et diligens et odio habens : diligens, quando est innocuus; odio habens, quando est scelerosus.

Gregorius Nyssenus (2) id exemplo speculi declarat, quod tale est erga hominem, qua-

(1) In cap. 1. Matth. — (2) Serm. 71. de Diversis. — (3) Serm. 50. — (4) Cap. 4. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 12.

(5) Tert. L. 2. adv. Marc. 23. — (2) Orat. 9. in Orat. Dom.

lis homo erga ipsum : si homo rideat, speculum se ridens exhibet ; si homo ad lacrymas et tristem vultum subito se convertat, etiam in speculo lacrymas et tristem vultum inspicias. Deus est *speculum sine macula.* (1) Si Deum amas, et ille te amat; si Deum odio habes, et ipse te aversatur : dum deliberate cogitas Deum offendere, et ipse a te offensus cogitat te punire ; si conversus te Deum offendisse pœnitet, convertitur etiam Deus, eumque pœnitet de pœna, quamcogitaverat, et decreverat tibi inferre, *pœnitentia, mutatio rerum significatur. Quomodo ergo tu cum aliquis te pœnitet, doles factum quod fecisti : quando aliquid Deus, præter spes hominum, id est, præter quam sperant homines, mutat in aliud, pœnitere se dicit : usque adeo ut de pœna nostra pœniteat eum, si nos de vita nostra mala pœnituerit* (2) : Pœnitentia namque nostra Deum ad pœnitentiam inducit.

2. Pœnitentiæ incapax Deus esse videtur: *Nam et hoc tibi Scriptura determinat, dicente Samuele Sauli : Discidit Dominus regnum Israël de manu tua hodie, et dabit illud proximo tuo, optimo super te ; et scindetur Israël in duas partes, et non convertetur, neque pœnitentiam aget, quia non sicut homo est ad pœnitendum.* (3) Hunc textum ex Historia Regum (4) desumpsit Tertull. « Porro triumphator Israël non parcet, et pœnitudine non flectitur, neque enim homo est ut agat pœnitentiam. » quam prorsus a Deo alienam existimat Marcion, quia procedit vel ab animi levitate, aut ignorantia, aut delicti recordatione. Deus autem pœnitere nequit ex levitate seu mobilitate animi, quia immobilis et immutabilis est; neque ex ignorantia, quia est omniscius ; neque ex delicti recordatione, quia impeccabilis est : *Sic et pœnitentiam apud illum prave interpretaris, quasi proinde mobilitate vel improvidentia, imo jam ex delicti recordatione pœniteat : quoniam quidem dixerit : Pœnituit quod regem fecerit Saul; præscribens scilicet, pœnitentiam confessionem sapere mali operis alicujus vel erroris.* (5) Marcionem redarguit Tertullianus prave de pœnitentia Dei sentientem : tum quia non semper pœnitentia sapit alicujus erroris vel delicti confessionem. *Evenit enim in bonis factis pœnitentiæ confessio, ad invidiam et exprobrationem ejus qui beneficii ingratus exstiterit. Sicut et tunc circa personam Saulis honorandam annuntiatur a creatore : qui non deliquerat cum Saulem assumit in regnum, et Sancto Spiritu auget : optimum enim adhuc : Qualis, inquit, non erat in filiis Israëlis, dignissime adlegerat. Sed malum factum Saulis onerabat pœnitentiæ suæ professione; quam, vacante delicto circa Saulis adlectionem : consequens est invidiosam potius intelligi, quam criminosam.* Tum quia non eodem modo ratiocinandum est de pœnitentia Dei, ac de pœnitentia hominis pœnitentia. Hominis pœnitentia in animi levitate seu mobilitate fundatur; pravi operis commissi, vel boni operis omissi, includit damnationem, dolorem et vindictam de re commissa significat, propositum exhibendi Deo offenso satisfactionem importat : quæ omnia a pœnitentia Dei exsulant. *Superest jam agnoscere quid sit pœnitentia Dei. Non enim si hominem ex recordatione plurimum delicti, interdum et ex alicujus boni operis ingratia pœnitet, ideo et Deum proinde. Inquantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat; in tantum nec pœnitentiæ boni aut mali, apud eum locus est. Hæc itaque definitio in omnibus aliam formam divinæ pœnitentiæ statuit, quæ neque ex improvidentia, neque ex ulla boni aut mali operis damnatione reputetur, sicut humana.* Tum quia licet pœnitentia, ut est propria et peculiaris hominis de suis sceleribus pœnitentis, admittat suorum criminum agnitionem, detestationem, animique dolorem, pœnitentia tamen in communi, prout abstrahit a divina et humana, nihil horum importat, sed tantummodo simplicem mutationem prioris sententiæ. *Quis ergo erit mos pœnitentiæ divinæ ? jam relucet, si non ad humanas conditiones eam referas. Nihil aliud intelligetur quam simplex conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti, etiam in homine, nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa. Nam et in græco sono, pœnitentia nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est, quam apud Deum pro rerum variantium sese occursu, regi ostendimus.* Pœnitentia itaque in Deo est sententiæ duntaxat mutatio, quæ pro varietate objectorum et rerum regitur. « Ubi legitur, quod pœniteat Deum, mutatio rerum significatur : immutabili præscientia manente divina. » (1) Quod ipsemet Deus apud Jeremiam declarat: *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitaveram, ut facerem ei.* (2) Pœnitentia hominis Deum ad pœnitentiam adducit : peccatoris conversio, secum Dei mutationem inducit. Prophetæ oraculum attente considerans Oleaster exclamat : *Mira*

(1) Sap. 7. — (2) D. August. in Psal. 109. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (4) L. 1. Reg. 15. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc 24.

(1) D. August. L. 17. Civ. 7. — (2) Jerem. 18.

Dei dignatio ! quem, quæso, non pœniteat peccatorum, cum Deum videat pœnitere pœnarum ? Quis suas non retractet iniquitates, cum Deum videat suas retractare comminationes ? Quis sua non revocet scelera, cum Deum videat fulminatas jam revocare sententias, quas ob pœnarum pœnitentiam rescindit ?

3. Deus *iniquissimam civitatem, digne meritoque decreverat abolendam* (1) : loquitur de Ninive civitate, quam subvertendam intra quadraginta dies per Jonam prophetam asseveraverat : latam tamen a Deo sententiam Ninivitarum pœnitentia revocavit : *O novam rem et admirabilem ! denuntiatio mortis peperit vitam, sententia ut lata fuit, invalida fuit.* (2) Cives namque superbæ illius civitatis audientes Jonam in plateis prædicantem : « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur, » (3) omnes accincti ciliciis, cinere aspersi, a rege ad parvulos sugentes ubera, imo et pecora, arctissimum servantes jejunium, orationibus instantes, et acerbam pœnitentiam facientes, fulminatam a Deo revocarunt sententiam. *Et pœnituit Dominum de malitia quam dixerat facturum se illis, nec fecit.* (4) Ibi autem sumitur malitia non pro malo culpæ, sed pro pœna culpæ, ut sese explicat Tertullianus: *Nam et apud Græcos interdum malitiæ pro vexationibus et læsuris, non pro malignitatibus ponuntur : sicut isto articulo, pœnam ipsam malitiam nominavit*; de qua pœnituit Deus, et sententiam adversus Ninivem latam revocavit.

In Scriptura sacra duæ continentur sententiarum species. Quædam absolutæ, quædam duntaxat comminatoriæ : illæ sunt scriptæ, istæ voce tantummodo latæ ; illæ sunt irrevocabiles, istæ revocari possunt: Deus habere se videtur ad modum terreni regis, qui sententias a seipso obsignatas nullatenus rescindit, dicens : Quod scripsi, scripsi. Idcirco Satrapæ Babylonis desiderantes a rege decretum irrevocabile, dixerunt ei : *Rex, confirma sententiam, et scribe decretum, ut non immutetur quod statutum est.* (5) Duas ejusmodi sententias adversus duos reges datas a Deo, sacer refert textus. Absolutam scriptam unam adversus Balthasar qui conspexit manum in pariete scribentem : *Mane, Techel, Phares* (6) : alteram, comminatoriam, adversus Nabuchodonosor patrem ejus. Sententia adversus Balthasar fuit irrevocabilis, et exsecutioni mandata. Sententia adversus Nabuchodonosor fulminata, revocata fuit ob ejus pœnitentiam, ut ei prædixerat Daniel : *Forsitan ignoscet delictis tuis Deus.* (1) Trinam adhuc sententiam adversus peccatores comminatam, eorum pœnitentia revocatam refert Tertullianus : *Habes apud Jonam cum ipso misericordiæ exemplo, quam Ninivitis exorantibus præstitit, facilis et Ezechiæ fletibus flecti, et Achab marito Jezabelis deprecanti sanguinem ignoscere Nabuthæ : malens scilicet pœnitentiam peccatoris, quam mortem, utique ex misericordiæ affectu.* (2)

Ezechias de tot beneficiis a Deo acceptis ingratus, audivit ab Isaia : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.* (3) Quo audito, Ezechias *flevit fletu magno*, suaque pœnitentia et lacrymis revocavit Dei sententiam, qui denuo ad eum mittens Isaiam, propheta in persona Dei loquens dixit ei : « Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos. » Ezechias suis lacrymis comminatam mortis sententiam evasit : *Et Nabuthæ sanguinem Achab deprecatione delevit.* (4) Achab tantis fuit criminibus contaminatus, ut de eo asseveret Scriptura sacra : *Fecit Achab malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum.* (5) Bone Deus ! quot pessimi reges fuerant in Israël, quos omnes Achab in malitia et iniquitate superans, adversum se divinam concitaverat justitiam, quam tamen sua pœnitentia exarmavit. Nam de peccatis suis dolens, *scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite.* Deus humiliatum et pœnitentem conspiciens cum gaudio regem, dixit ad Eliam : *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me ? Quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* (6) Inde exclamat D. Hieron. *O felix pœnitentia ! quæ ad se Dei trahet oculos, et furentem sententiam Dei, confesso errore, mutavit.* (7) Neque minus fortunata fuit pœnitentia Ninivitarum, qui post annuntiatum a Propheta Ninives excidium, comminatam a Jona revocarunt sententiam. *Sicut et ipse Jonas ad Dominum : Propterea præveni profugere in Tharsos, quia cognoveram te esse misericordem et miserescentem, patientem, et plurimum misericordiæ, pœnitentem malitiarum super agnoscentes et deplangentes delicta sua, quales tunc Ninivitæ.* (8) Rationem subministrat cur Deus pœnituerit, de excidio quod adversus Ninivem decreverat, quia scilicet Ninivitæ sua agnoverunt facinora, et de eis pœnitentiam ege-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (2) D. Chrysost. Hom. 5. ad Pop. Antioch. — (3) Jonæ. 3. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (5) Dan. 6. — (6) Dan. 5.

(1) Dan. 4. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 11. — (3) Isai. 38. — (4) Tert. L. de Pud. 6. — (5) Lib. 3. Reg. 16. — (6) L. 3. Reg. 21. — (7) In Epitaphio Fabiolæ. — (8) Tert. L. 2. adv. Marc. 24.

runt : *Mutavit Deus sententiam, quia vidit opera commutata.* (1)

Christiane, vis ut Deus mutetur et erga te præstet officium, non severi judicis, sed benigni parentis? Muta teipsum. Exoptas ut Deus de pœna quam adversus te decrevit, pœniteat? Pœnitere prius de tot criminibus quæ adversus Deum commisisti; desideras ut Deus comminatam revocet sententiam? Rescinde potius scelerosam tuam vitam. Nam *novit Deus mutare sententiam si tu noveris emendare delictum.* (2) Et ut belle ad propositum ratiocinatur D. Augustinus : *Nunquid quasi errantem pœnitet Deum? Sed pœnitentia dicitur in Deo, mutatio in rebus creatis, ipso immutabili manente : ipsa autem mutatio non est iniqua, sed justa : quia qui mutat est Deus. Mutavit judex sententiam, noli terreri : sententia est mutata, non justitia, quæ integra manet, quia justus est; quomodo pertinaci non parcit, sic mutato parcit.* (3) Supremi judicis Dei mutatur sententia, quando peccatorum per pœnitentiam mutatur vita, cum mutatione autem sententiæ, immutata et integra remanet justitia. Quemadmodum enim Deus pœnitentibus parcit, ita obstinatos et contumaces punit. Christiane, vis ut tibi parcat Deus? pœnitere, sic puniens temetipsum, divinam exercebis justitiam, et supremi judicis fungeris officio.

III. PARS. Duo sunt genera hominum qui de justitia Dei male sentiunt : quidam volunt Deum misericordem, sed non justum: *Cæterum Deus, inquiunt, bonus, et optimus, et misericors, et miserator, et misericordiæ plurimus, quam omni sacrificio anteponit, non tanti ducens peccatoris mortem, quam pœnitentiam.* (4) His aliisque hujusmodi Scripturæ locis *et Deo adulantur, et sibi lenocinantur.* Alii e converso Deum volunt justum, et non misericordem, contrariis Scripturæ muniti locis, *quibus Dei severitatem intentent.* (5) Inter duas illas opiniones oppositas, quarum *pœnitentiæ subsidium illa prosternere per lenitatem, hæc negare per austeritatem* videtur, cum constet *hæc restringere frenos disciplinæ, illa laxare* (6), media via incedendum est, *quia etsi bonus natura Deus, tamen et justus. Ex causa enim sicut sanare novit, ita et cædere; faciens pacem, sed et condens mala; pœnitentiam malens*, sed contumaces puniens. Eodem modo concludit D. Augustinus, relatis duabus contrariis opinionibus : *Nos perversitate nostra sic volumus Deum esse misericordem, ut non sit justus. Alii rursus quasi præfidentes de justitia sua, sic volunt justum, ut nolint misericordem. Utrumque se exhibet Deus, utrumque præstat, nec misericordia ejus præscribit justitiæ, nec justitia ejus aufert misericordiam, misericors, et justus est.* (1) Verum uti pœnitentia, negotium divinæ misericordiæ curat, ut diximus in superioribus cum Tertulliano, ita vices gerit justitiæ, quæ per pœnitentiam, 1. Mitigatur; 2. Compensatur; 3. Frustratur.

1. *Pœnitentia Deus mitigatur.* (2) An non stupendum quod peccator Dei dulcedinem amaram efficiat, ejusque clementiam et misericordiam in justitiam et severitatem convertat? Propterea Oseas propheta Samariæ ominatur excidium : *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* (3) Imo ipsemet Deus se ab Ephraim concitatum ad iracundiam conqueritur : *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis* (4); id est, ut explicat D. Hieronymus, *sceleribus suis amarum me fecit, qui dulcis eram.* Et ob eamdem rationem domus Israël nuncupatur ab Ezechiele propheta, *Domus exasperans* (5); seu, ut alii legunt, *exasperans Deum;* juxta istud Davidicum : *Exacerbavit Dominum peccator.* (6) Si per impossibile aquæ maris mellis saperent dulcedinem, et stillata gutta fellis eas redderet amaras, profecto summa in illa esset amaritudo. Quanta, quæso, peccati amaritudo, quæ Deum, qui est ipsamet dulcedo et suavitas, amarum reddit, et ad iracundiam quodammodo cogit? *Exacerbamus Deum impietatibus nostris, et ad puniendum nos trahimus invitum : cumque ejus naturæ sit, ut nulla iracundiæ passione moveatur; tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci : vim, ut ita diximus, pietati suæ, et manus quodammodo inferimus misericordiæ suæ.* (7) Verum uti peccata Deum ad amaritudinem concitant; ita pœnitentia ad suavitatem inducit : peccata trahunt ad justitiam, pœnitentia trahit ad misericordiam : *Conversationem injungens misericordiæ illicem.* (8) Peccata vim Deo faciunt, illumque quodammodo ad punitionem impellunt : pœnitentia quoque vim Deo facit, illumque ad veniam et indulgentiam cogit : *Vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo, non provocando injuriis, sed lacrymis exorando* (9); sed inhærendo

(1) D. Hier. in Joan. (2) D. Ambr. L. 2. in Luc. — (3) Serm. 40. in Commun. — (4) Tert. L. de Pud. 2. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. ibid.

(1) Serm. 109. de Temp. — (2) Tert. L. de Pœn. 9. — (3) Cap. 14. — (4) Osee. 12. — (5) Cap. 11. — (6) Psal. 10. — (7) Salvian. L. 4. de Prov. — (8) Tert. L. de Pœn. 9. — (9) D. Amb. in Luc.

actibus pœnitentiæ, quæ *severitatem dispergit*, *clementiam elicit* (1); tum quia humilitas iracundiam mitigat et justitiam flectit. At *exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est* (2); tum quia lacrymæ ad compassionem excitant, pœnitentia autem mandat *ingemiscere*, *lacrymari*, *et mugire dies noctesque ad Dominum Deum* (3); tum quia homines jejuniis aridi, inedia extenuati, facile movent ad compassionem; pœnitentia autem solet *corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere*, *illa quæ peccavit tristi tractatione mutare* (4); tum quia mortuo nullus irascitur, neque erga defunctorum cineres exardescit: pœnitentia autem *symbolum mortis indulget*. (5) Deinde caput cinere spargit, *de ipso quoque habitu atque victu mandat*, *sacco et cineri incubare* (6); tum quia quo facilius pœnitentia Dei exarmet indignationem, studet *omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere*. (7) Qui volunt offensi principis mitigare iracundiam, mittunt ad illum legatos qui civilitate et precibus eum demulceant. Ante Deum offensum habes, Christiane, non modo legationes fratrum pro te deprecantium, sed adhuc *habitum legatum pœnitentiæ* (8), quo Dei iracundia mitigatur et vindicta compensatur.

2. Deus etenim *hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem*. (9) Deus per peccatum offensus potest sumere vindictam de peccatore, eique pœnam infligere, quæ compensatione facta reparet injuriam sibi factam. Hæc autem reparatio per pœnitentiam efficitur, reparantem interno animi dolore, et externis corporis actibus, offensam Deo tum animo, tum corpore factam. *Hæc omnia exomologesis*, *ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur*. (10) Terreni judices in administranda justitia vices regis gerunt: non enim rex per semetipsum solet condemnare, neque pœna mulctare reos læsæ etiam regiæ majestatis; sed id munus committit judicibus, qui sub ejus auctoritate utrumque præstant; pœnitentia est in ordine ad Deum, quod terreni judices per respectum ad regem, isti in judicandis, condemnandis et puniendis reis, vices regis gerunt. Pœnitentia quoque *adversus peccatorem pronuntians, pro Dei indignatione fungitur*. Et quemadmodum rex ratas habet sententias latas a judicibus, ejus personam et auctoritatem repræsentantibus; ita Deus ratam habet sententiam a pœnitentia latam, neque vindictam sumit de criminosis quos ipsa punivit. *Justitia Dei de cœlo prospexit*, dicens: *parcamus huic homini*, *quia ipse sibi non Parcit; ignoscamus*, *quia ipse agnoscit; conversus est ad puniendum peccatum suum*. (1) Non convertar ego ad vindictam denuo de illo sumendam, pœnitentia namque justitiæ meæ satisfecit: at hæc satisfactio mihi est honorabilior quam si ego peccatorem in inferno punirem; tum quia satisfactio quam præstat præscitus, est coacta, non spontanee pœnam sustinens; satisfactio autem pœnitentis est voluntaria ultro pœnam vel acceptatam, vel sibi impositam sustinentis; tum quia peccator nequit Deo offenso pro injuria illi illata ex æquo satisfacere, quandiu remanet injuria. In inferno autem semper remanet peccatum et offensa Dei, neque per pœnam tollitur; per pœnitentiam vero tollitur et cessat facta Deo offensa; tum quia in inferno, non tantum punitur peccatum, sed etiam homo peccator; unde complacentia quam habet Deus est velut dimidiata, quia si ex punitione peccati quo fuit offensus, gaudet, non adeo sibi complacet ex damnatione hominis ad ejus imaginem formati: at in pœnitentia destruitur quidem peccatum, attamen homo conservatur: *Mira ratio! mirum profecto mysterium; salvo reo, punitur reatus in reo! O dulcis sententia! o damnatio necessaria!* (2) in qua pœnitentia pronuntians divina justitia prævenitur, et quodammodo frustratur.

3. Peccata necessario punienda sunt, aut a Deo vindicante, aut ab homine pœnitente. Deus punit ea in inferno pœna æterna; pœnitentia punit ea in hoc mundo: ut *temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat*. (3) Ex jure tum civili, tum canonico, multa sunt crimina quæ a variis judicibus puniri possunt: ideoque in eis datur præventioni locus. Si enim unus eorum prævenit causam, processum format, sententiam fert, et exsequitur, quamvis inferior, nullus alius judex, etsi superior, causam illi juste devolutam usurpare præsumit. Ad divinam jurisdictionem pertinet peccati plena punitio, aut vera remissio: peccatum tamen Deus, ex sua infinita misericordia, suaque adjuvante gratia, nostræ subjecit jurisdictioni, deditque facultatem ut

(1) Tert. Lib. de Pat. 13. — (2) Tert. L. de Pœn. 9. — (3) Tert. L. de Pœn. 9. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. de Pœn. 6. — (6) Tert. L. de Pœn. 9. — (7) Tert. ib. — (8) Tert. L. de Pud. 13. — (9) Tert. L. de Pœn. 6. — — (10) Tert. Lib. de Pœn. 9.

(1) D. August. in Ps. 84. — (2) S. Zeno Bern. 7. ad Neoph. post. Bapt. (3) Tert. L. de Pœn. 9.

præscriptis ab Scriptura et Ecclesiæ legibus peccata punire valeamus. Unde si jurisdictionem prævenerimus, et contra nosmetipsos processum formaverimus, sententiam tulerimus, delictis conformem, eamque exsecutioni mandaverimus non amplius Deus ad punienda peccata procedet. Quare, frater, præveni Dei justitiam : nam, ut ait D. Aug. (1) *prorsus aut punis, aut punit? vis non puniat: puni tu. Nam cum peccasti, illud fecisti quod impunitum esse non potest : non ille inveniat, quod puniat.* In tuo arbitrio positum est, punitionis eligere ministrum, aut temetipsum aut tortorem extraneum, inter ignem et aquam positus est ut ad quod volueris porrigas manum, vel ad ignem inferni a divina justitia sufflammatum, vel ad aquam pœnitentiæ a divinæ gratiæ imbre emissam : si te per impœnitentiam ad ignem converteris, ardebis in æternum ; si ad aquam pœnitentiæ, temporali afflictione æterna inferni expunges supplicia. Siquidem *de contritione animi redimuntur crimina voluptatum, et per duræ crucis exercitia deceptæ dudum carnis gaudia puniuntur: ac sic mortificatione præsenti futuræ mortis sententia prævenitur; et dum culpæ auctor humiliatur, culpa consumitur; dumque exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi judicis offensa sedatur, et ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus.* (2)

Christiane, mortificatione præsenti futuræ mortis præveni sententiam, ingentia debita per exiguum solve laborem, et per temporalem pœnam æterna expunge supplicia. *Deliqui dicito in Deum, et periclitor in æternum perire : itaque nunc pendeo, et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi quem delinquendo læsi.* (3) Et ut te adhuc hortatur D. Augustinus : *Justum invocas; odit peccata. Si justus est, vindicat in peccata; si justus est, utique non poteris auferre a Domino Deo justitiam ejus. Implora misericordiam, sed attende justitiam; misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat David, respondeant lapsi? Respondeant cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, et dicant: Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi justitiam ejus cujus quæro misericordiam. Non impunitum erit, sed ideo nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideo peto ut ignoscas, quia ego agnosco.* (4) Longiuscule quidem, sed belle D. Augustinus ostendit quomodo peccatum nequit manere impunitum, quod non punitur a Deo si puniatur a pœnitente. Quod Ninivitarum demonstrat exemplo, in quibus adimpletam Dei sententiam acute declarat : *Ninivitæ quippe in hac vita egerunt pœnitentiam, et ideo fructuosam. Et tamen quis negabit quod Dominus prædixit, in eis fuisse completum, nisi parum advertat quemadmodum peccatores Deus, non solum iratus, sed etiam miseratus evertat? Evertuntur enim peccatores duobus modis : aut sicut Sodomitæ, ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur; aut sicut Ninivitæ, ut ipsa hominum peccata destruantur. Factum est ergo quod prædixit Deus. Eversa est Ninive, quæ mala erat, et bona ædificata est quæ non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus, eversa est civitas in perditis moribus.* (1) Diverso longe modo evertuntur peccatores et pœnitentes. Peccatores simul cum suis peccatis puniuntur, pereuntes dum scelerum suorum luunt pœnas, ut Sodomitarum comprobatur exemplo, qui cum civitate, in qua demorabantur, igne combusti sunt : pœnitentium vero peccata puniuntur, sed ipsi non destruuntur, ut constat Ninivitarum exemplo, quorum peccata per pœnitentiam punita, destructa sunt, ipsis simul cum urbe remanentibus. *Ac sic quamvis Propheta fuerit contristatus, quia non est factum quod illi homines timuerunt illo prophetante venturum; factum est tamen quod fuerat Deo præsciente prædictum, quoniam noverat qui prædixit, quomodo in melius esset implendum.* Destruendam Ninivem intra dies quadraginta prædixerat Jonas propheta : videns autem Deum Ninivitarum pœnitentia ad veniam et misericordiam inductum maxime doluit, quod ex Dei mandato prædixerat, non fore adimplendum : *Num ergo et Jonas idcirco ethnicis Ninivitis non putabat pœnitentiam necessariam, cum cavillaretur prædicationis officio? an potius misericordiam Dei providens etiam in extraneos profusam, quasi destructuram præconium verebatur? atque adeo propter civitatem profanam nondum Dei compotem, adhuc ignorantia delinquentem, pene periit Prophetes : nisi quod exemplum passus est Dominicæ passionis, Ethnicos quoque pœnitentes redempturæ.* (2) Tria mira hic occurrunt consideranda : 1. Salus Jonæ qui naufragium passus, liberatus fuit a ventre cæti in qua quadraginta diebus delituerat; 2. Quod prædixerat Jonas, adimpletum est, non prout cogitaverat Propheta,

(1) In Psal. 58. — (2) Cæsar. Hom. 1. — (3) Tert. L. de Pœn. 11. — (4) In Ps. 50.

(1) Tert. L. 21. Civ. 24. — (2) Tert. L. de Pud. 9.

sed prout præviderat Deus ; 3. Ninive destructa est, non in domibus, sed in perditis civium moribus. *Stetit Ninive, an eversa est Ninive ? Aliter quidem videtur hominibus, et aliter visum est Deo. Ego autem puto completum fuisse quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Ninive, et vide quæ eversa est; eversa est in malo, ædificata est in bono; sicut eversus est Paulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator.* (1) Itaque Ninive destructa et ædificata est; destructa quoad malum, ædificata quoad bonum; destructa quoad peccatum, ædificata quoad pœnitentiam; crimina destructa sunt, non ædificia; passiones corruerunt, non cives; scelerosa Ninive destructa est, innocua fabricata est. Subjungit D. Augustinus : Si Carthago immutaretur, et tot homines tumidi qui in illa sunt, fierent humiles; tot libidinosi fierent continentes; tot avari, liberales; tot ebriosi, temperantes; tot blasphemi, orationi studentes; tot innoxii, innocentes : *Nonne diceremus : Ubi est illa Carthago ? quia non est id quod erat, eversa est; sed si est quod non erat, ædificata est.*

Nonne Ninivitarum pœnitentia multos confundit Christianos? Ninivitæ erant idololatræ, in tenebris versantes; ipsi vero sunt fidei lumine illustrati. Ninivitæ Jonam duntaxat pœnitentiam prædicantem audierunt, ipsi vero audiunt quotidie pœnitentiam annuntiantes, non solum concionatores de cathedra docentes, non solum Joannem Baptistam in solitudine clamitantem, ubi *pœnitentiæ erat præco* (2), sed etiam ipsummet Christum in Evangelio intonantem : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Ninivitæ ad prædicationem Jonæ humiliati sunt, sacco et cinere induti, triduo jejunaverunt, oraverunt, divinamque misericordiam exoraverunt; ipsi vero ad prædicationem Joannis, imo et Christi, non student humilitati, orationi non vacant, non jejunant, neque divinam misericordiam implorant. Ninivitæ a malo in bonum conversi sunt, depravatos in bonos commutaverunt mores; ipsi vero in suis facinoribus perseverant. Ninivitarum destructa sunt vitia, ædificatæ virtutes; ipsi vero destruunt virtutes et fabricant vitia. Tandem Ninivitæ sunt veniam consecuti, illorum duntaxat punita sunt peccata; ipsi vero metuere debent ne in inferno suorum scelerum luant pœnas, ad instar Sodomitarum, qui simul cum sua urbe perierunt : *Omne delictum aut venia expungit, aut pœna; venia, ex castigatione; pœna, ex damnatione.* (1) Christiane, in tuo positum est arbitrio quos imiteris : Ninivitas, aut Sodomitas : si sequaris Sodomitas, æternum patieris excidium; si Ninivitas imiteris, a Deo misericordiam impetrabis: quod ut assequaris, *damna quod es, ut merearis esse quod non es.* (2) Damna vitia, ut acquiras virtutes; damna crimina, ut merearis obtinere gratiam, quæ est necessaria ad comparandam gloriam.

(1) D. August. in Ps. 60. — (2) Tert. L. de Pud. 10.

CONCIO QUINTA.

Fructiferum *suggestum* (3) pœnitentiæ pluribus commendat Antistes Parisiensis : « Hanc ex effectibus suis et utilitatibus laudantes nominare consuevimus in publicis exhortationibus resuscitatricem, succurritricem in prælio occisorum, sanatricem infirmorum, rectificatricem rimarum, renovatricem inveteratorum, restitutricem deperditorum, reconciliatricem offensorum, reparatricem defunctorum, relevatricem lapsorum, reductricem aberrantium, emendatricem malefactorum, justificatricem maleficiorum, lautricem sordidatorum, solutricem male concreditorum, liberatricem captivorum, resolidatricem fractorum, et felicis convivii communicatricem. Has omnes utilitates fructus ejus esse, sola dubitat vel ignorat impietas infidelitatis, quæ omnes utilitates ei denegat. » (4) Quantum vero damnanda sit impietas eorum qui negant pœnitentiæ fructus, demonstrat dubius Augustinus : « Quam sit appetenda pœnitentiæ gratia declarat omnis auctoritas, omnis bonorum vita conatur ostendere : languores enim sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, conservat claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum; vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat, omnia sanat, omnia redintegrat. » (5) Pluraque addit elogia, subjiciens: *In hac omne bonum invenitur, per hanc omne bonum conservatur.* Verum quia præfata fatur incertus Aug. audiamus indubitatum Augustinum : *Non dedignemur in hoc seculo pœnitentiam agere, ut peccatorum possimus veniam accipere, et inferni pœnas evadere, et ad æternam beatitudinem pervenire.* (6) Hi sunt tres præcipui fructus pœnitentiæ, quæ, 1. A peccatis emundat; 2. Ab inferno liberat; 3. Cœli gloriam comparat.

I. PARS. *Gratia illic superabundavit, ubi*

(1) Tert. L. de Pud. 2. (2) D. Aug. — (3) Tert. L. adv. Valent. 16. — (4) De Sacram. Pœn.c. 1. — (5) L. de ver. et fals. Pœn.1.—(6) Serm. 8. de Quadrag.

iniquitas abundavit. (1) In homine peccatore abundavit iniquitas, at in homine pœnitente superabundat gratia : homo peccando erga Deum suam ostentarat ingratitudinem, temeritatem et perversitatem; Deus alliciens peccatorem ad pœnitentiam, suam demonstrat potentiam, clementiam et magnificentiam : *Quid magnificentius quam justificare impium ? Hæc est magnificentia Domini, quoniam ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia.* (2) Quomodo autem superabundet gratia subjungit Tertullianus, scilicet, *quod periit, salvum faciens; quod mortuum est, vivificans; quod elisum est, suscitans.* Peccatum animæ mortem intulerat, charitatem, aliosque habitus virtutum moralium infusarum destruxerat, opera meritoria mortificaverat; at pœnitentia, 1. Mortuam animam ad vitam revocat; 2. Charitatem aliasque virtutes morales, supernaturales et infusas deperditas restaurat; 3. Mortificata bona opera vivificat.

1. Postquam Tertullianus induxit Deum malentem pœnitentiam peccatoris, quam mortem, delictorumque veniam etiam jurejurando pollicentem, concludit : *Ergo pœnitentia vita est, cum præponitur morti.* (3) Dicitur autem vita, non quod sit vita per essentiam, quo sensu solus Deus est vita; sed quia animam per peccatum emortuam, ad gratiam revocat. Aliorsum declaravimus peccatum ideo nuncupari mortale, quia mortem infert animæ, privans eam gratia sanctificante, quæ est supernaturalis ejus vita. Per pœnitentiam autem deletur peccatum, gratia denuo recuperatur; et ob hanc causam asserimus *ex mortuis vivos effici* (4); quia animæ per peccata emortuæ ad vitam revocantur, et charitas virtutesque morales infusæ deperditæ restaurantur.

2. *Crimina exitiosa* (5) merito nuncupat Tertullianus, quia non solum gratiam sanctificantem ad nihilum reducunt, sed etiam charitatem, virtutesque morales infusas destruunt : at per *pœnitentiæ subsidium* (6) charitas, virtutesque morales deperditæ restaurantur. *Tribus modis renovamur : carne, per baptismi mysterium ab originali delicto; opere, per pœnitentiæ remedium, ab actuali delicto; carne et spiritu, per resurrectionis domum.* (7) In baptismo anima mundatur ab originali delicto, gratia sanctificante donatur, et adhuc virtutibus moralibus infusis decoratur. *Patientia pœnitentiæ subministrat, solitæ lapsis subvenire.* (1) Patientia pœnitentiæ subministrat, quia corporis afflictatio æquo animo tolerata iram divinam mitigat, peccatorumque veniam a divina misericordia impetrat. Nam, ut subjungit Tertullianus, *afflictatio carnis, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, cum sordes, cum angustia victus Domino libat, contenta simplici pabulo, puroque aquæ potu, cum jejunia conjungit, cum cineri et sacro inolescit. Hæc patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat; hæc aures Christi Dei aperit, severitatem dispergit, clementiam elicit.* (2) Præcipuos exomologesis dinumerat actus, quibus pœnitentia subvenit lapsis in actuale peccatum, eisque restaurat ea quæ in baptismate acceperant, et peccando amiserant : nam et a delictis emundat, et gratia sanctificat, et virtutibus ornat, mortificataque merita vivificat.

3. *Et vos cum mortui essetis in delictis, vivificavit cum eo, donatis vobis omnibus delictis.* (3) Opera quæ valet producere viator sunt in quadruplici differentia, scilicet viva, mortua, mortifera et mortificata. 1. Viva, quæ oriuntur a gratia, seu charitate, quæ est principium vitæ supernaturali; 2. Mortua, quæ ex genere suo sunt bona, sed carent principio vitæ spiritualis, fiuntque ab homine in peccato mortali existente; 3. Mortifera, quæ ex genere suo mala et scelerosa sunt, cujusmodi sunt peccata lethalia, quæ privant animam principio vitæ spiritualis; gratia scilicet; 4. Mortificata, quæ quidem sunt bona ex genere suo, proceduntque etiam a charitate seu gratia, mortificantur tamen per subsequens peccatum, quod impedit vim et efficaciam promovendi hominem ad vitam æternam. Opera mortua, id est, ex suo genere bona, facta tamen in peccato mortali, etsi prosint ad collationem boni temporalis, et ad diminutionem pœnæ æternalis, attamen nunquam reviviscunt, seu resurgunt, quia a non vivo non generatur aliquid vivum, nec vivificabile, hoc est, habens potestatem ad vitam. Opera vero mortificata per pœnitentiam reviviscunt : tum quia ex Ambrosio *pœnitentia omnes defectus revocat ad perfectum;* quod non præstaret, nisi mortificata vivificaret opera, tum quia peccatum mortale mortificat opera viva : *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur.* (4) Sed non minus est efficax pœnitentia ad vivificanda opera

(1) Tert. L. de Res. Car. 47 — (2) D. Aug. in Ps. 111. — (3) Tert. L. de Pœn. 4 — (4) Tert. L. de An. 28. — (5) Tert. L. de Idol. 2. — (6) Tert. L. de Pud. 2. — (7) D. Bern. in Sent.

(1) Tert. L. de Pat. 12. — (2) Tert. L. de Pat. 13. — (3) Tert. L. de Res. Car. 23. — (4) Ezech. 18.

mortificata, quam peccatum ad mortificanda opera viva. Nam, ut subjungit Ezechiel propheta, *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor; in justitia sua quam operatus est, vivet.* Tum quia id asseverat ipsemet Deus : *Reddam vobis annos quos comedit locusta* (1); seu, ut interpretatur Glossa, *non patiar perire ubertatem quam cum animi perturbationibus amisistis.* Ejusmodi autem ubertas fuit multitudo bonorum operum : tum quia opera in gratia et charitate facta, per se habent jus ad vitam æternam : quod per subsequens peccatum non tollitur, sed duntaxat impeditur : sublato autem impedimento reviviscunt. Duo namque præcipui sunt pœnitentiæ effectus, scilicet remissio peccatorum, et meritorum reviviscentia : ille ei competit directe et per se, iste vero per concomitantiam et per accidens: pœnitentia etenim per se ordinatur ad diluenda peccata, quibus expunctis et remotis, opera mortificata reviviscunt, et iterum jus habent ad æternam beatitudinem.

Ex his tria colligenda sunt. Unum, nullum esse peccatum quod per pœnitentiam non possit remitti. Nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *si aliqua pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur pœnitentia, si caret venia. Omnis autem pœnitentia agenda est : ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agatur.* (2) Alterum, cessandum esse a delicto, ut de eo habeatur venia et remissio. Nam *si venia est pœnitentiæ fructus, hanc quoque consistere non licet sine cessatione delicti. Ita cessatio delicti radix est veniæ, ut venia sit pœnitentiæ fructus.* (3) Tertium, faciendum esse pœnitentiæ fructum. Ex D. namque Bernardo, *fructus ille amarus est, sed salubris* (4); quia animam ad vitam revocat, virtutes restaurat, opera mortificata vivificat, et ab inferno liberat.

Damnati in pœnam mortis deputantur (5), patiunturque in inferno Dei privationem, ignis combustionem, æternam tum damni, tum sensus punitionem. Christiane, *cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi* (1) pœnitentiam, quæ te, 1. Deo conjungit; 2. Inferni ignem exstinguit; 3. Pœnam æternam expungit?

(1) Joel. 2. — (2) Tert. L. de Pud. 3. — (3) Tert. L. de Pud. 10. — (4) Serm. in istud. Sap. 7. Sapiens vincit malitiam. — (5) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 2.

II. PARS. 1. *Quoniam duo hæc mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere.* (2) Duo mala ejusmodi facit peccator, quoties peccat mortaliter : nam et Deum, qui est objectum veræ felicitatis, deserit, et ad creaturas se convertit, quæ valent illum præstare miserum, sed non beatum. Illa duo mala duplici pœna punit Deus : conversionem quidem ad creaturam, pœna sensus; æquum enim est ut qui inordinate adhæsit creaturæ, a creatura patiatur : aversionem etiam a Deo, pœna damni; est etenim justitiæ consentaneum, ut qui inique sese avertit a Deo, a Deo in æternum separetur. Magna prorsus infelicitas hominum recedentium a Deo : *Væ eis quoniam recesserunt a me!* (3) Sed longe major, quando Deus perpetuo recedit ab eis, *sed væ eis cum recessero ab eis!* (4) A Deo namque separati, in suppliciis cum dæmonibus conjungentur, quos Deo ejecto, in semetipsis habitatores habere voluerunt. Uti per peccatum homo recedit a Deo, ita per pœnitentiam ad Deum accedit : quomodo D. Augustinus intelligit istud Davidicum : « Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos. » (5) Pœnitentia *prima est justitia, ipsa fit via Deo, ut veniat ad te Deus.* Pœnitentia est hominis justitia, qua punit peccata, Deoque pro illata offensa satisfacere nititur. Ipsa adhuc fit via Deo, ut veniat ad te Deus : *Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, et hoc est viam præparare.* (6) Remissio non fit nisi per justitiam et gratiam, ubi est justitia, ibi est Deus. « Benedicta gloria Domini de loco suo. » (7) Ut autem interpretatur Magnus Gregorius, *corda pœnitentium fiunt jam Domino locus suus, quæ prius in peccato posita fuerant locus alienus.* (8) Corda criminosa erant diaboli locus; at per gratiam emundata, sunt Dei locus. *Vetus quidem videtur domicilium, sed novus est inquilinus* (9); et hoc virtute pœnitentiæ quam prædicavit Joannes : quia, ut diximus supra cum Tertulliano, Deus *pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam : uti quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens et*

(1) Tert. L. de Pœn. 12. — (2) Tert. L. adv. Jud. 13. — (3) Osee. 7. — (4) Osee. 9. — (5) Ps. 84. — (6) Tert. L. de Pœn. 10. — (7) Ezech. 3. — (8) Hom. 20. in Ezech. — (9) S. Zeno Serm. 7. ad Neophyt.

radens, et foras abjiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui Sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat (1), et aquis pœnitentiæ, quæ a sua gratia profluunt, gehennæ ignem exstinguat.

2. *Jam et ipso diabolo cum angelis suis, ignibus merso.* (2) Similem pœnam expavescere debent homines scelerosi, quam patientur; *cum abierint in ignem quem præparavit diabolo et angelis ejus.* (3) Merito cruciantur in inferno ab igne, quia in seculo vitiorum accensi sunt flammis. Cum civitatem Viennensem in Gallia nobilem ingens devastaret incendium, Mammertus Episcopus cives hortabatur ad pœnitentiam, asseverans ignis depopulationem *aqua potius oculorum quam fluminum posse restingui.* (4) Binam adhuc conspicio flammam, periculosius facientem incendium. Unam a dæmonibus et hominibus scelerosis accensam; alteram a justitia Dei sufflammatam: illa devorat virtutes et incendit vitia; hæc peccatorum comburit animas: utraque tamen aquis pœnitentiæ potest exstingui. Æschilus in suis tragœdiis aquam nuncupat *ignis supplicium:* hoc elogium aquis pœnitentiæ probe competit, quia, ut fatur D. Augustinus, *excoquit omnia ipsa ignis consumens* (5): tum quia pœnitentis aquæ vitiorum ardores exstinguunt. Nam, ut fatur D. Chrysostomus, *rogos peccatorum exstinguimus, non jam aquis multis, sed parvis cum lacrymis.* (6) Cui arridens Theodorus Studita, serio recogitans *tela nequissimi ignea* (7), hortatur Christianos: *Lacrymemur, et ignea ejus tela voluptatum exstinguemus.* (8) Tum quia gehennæ exstinguunt ignem: quod præfiguratum vult Cyrillus Hierosolymitanus per fornacem Babylonicam, quæ nullatenus tres pueros læsit: *Qui cum Azaria erant, quales effuderunt fontes, quot vasa aquæ quadraginta novem ulnarum flammam exstinguere potuerunt? sed ubi ascendit flamma, ibi fluvium effudit fides, et illi dixerunt pro remedio malorum: Justus es, Domine, in omnibus quæ fecisti; peccavimus, inique egimus, et pœnitentia dissolvit flammas.* (9) Plus audet Galfridius (10) apud Tilmannum, asseverans quod licet in inferno sit fletus et stridor dentium, fletus ex dolore, stridor ex rancore, attamen si infelices animæ quæ cruciantur in gehenna, possent dicere cum Regio Vate: *Peccavimus;* aut cum bono latrone: *Nos quidem juste; nam digna factis recipimus; audeo dicere, ignis ille inexstinguibilis tamen exstingueretur.* Fratres, si acerbitas pœnitentiæ vos terret, et si, ut fatur S. Pacianus, Episcopus Barcinonensis, *de cruciatu exomologesis retractatis gehennam recordamini, quam exomologesis exstinguit.* (1) Hæc verba non secus ac integram de pœnitentia orationem desumpsit a Tertulliano, Christianum sic urgente: *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis exstinguet: et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites* (2); quod adeo est efficax ut etiam æterna gehennæ supplicia expungat.

3. *Enimvero nos æternam a Deo pœnam providemus* (3), ordinatam ad puniendam peccati malitiam objective infinitam. In peccato mortali duo sunt: culpa scilicet, et reatus pœnæ æternæ peccatori debitæ: pœnitentia vero delet 1. Culpam. Ex D. namque Chrysostomo, *pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugit libidinem, calcat superbiam, excludit invidiam, odit malitiam.* (4) 2. Tollit reatum vitæ æternæ: unde D. Ambrosius postquam descripsit labores et afflictationes, quas ultro pœnitens subire debet, concludit: *Peccator ergo si sibiipsi non pepercit, adeo illi parcitur; et si futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat.* (5) D. Ambrosio arridet S. Prosper loquens de laicis pœnitentiam voluntarie suscipientibus et exsequentibus: *Quod si sibiipsis judices fiant, et velut suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.* (6) Sed in hac materia nemo melius Tertulliano, cujus verba in superioribus relata denuo referimus. Postquam enim adduxit severiores actus, quos publice pœnitentes exercebant, subjungit: *Hæc omnia exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* (7) Exomologesis est actus externus pœnitentiæ complectens severiores pœnitentium labores et afflictationes. Exomologesis, 1. Pœnitentiam commendat, quæ potissimum in interno animi dolore sita est;

(1) Tert. L. de Pœn. 2. — (2) Tert. L. de Res. Car. 58. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 11. — (4) Sido Apoll. L. 7. Ep. 1. — (5) L. de ver. et fals. Pœn. cap. 1. — (6) Hom. 4. de Pœn. — (7) Ephes. 6. — (8) Serm. 22. (9) Catech. 3. — (10) In Allegor.

(1) Orat. Paneg. de Pœn. — (2) Tert. L. de Pœn. 12. — (3) Tert. Apol. 45. — (4) Hom. de Pœn. — (5) Ad Virg. laps. cap. 8. — (6) Lib. 2. de Vit. Contempl. cap. 7. — (7) Tert. L. de Pœn. 9.

2. Dominum honorat: uti enim caro et spiritus convenerunt simul ad offendendum Deum, ita conveniunt ad eum honorandum. *Cum ergo ex pari ad Dominum pertineant, quodcunque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit. An tu discernas actus carnis et spiritus? quorum et in vita, et in morte, et in resurrectione, tantum communionis atque consortii est, ut pariter tunc aut in vitam, aut in judicium suscitentur : quia scilicet pariter aut deliquerint, aut innocentes egerint. Hoc eo præmiserimus, ut non minorem alteri quam utrique parti, si quid deliquerit, pœnitentiæ necessitatem intelligamus impendere. Communis reatus amborum est, communis et judex, Deus scilicet : communis igitur et pœnitentiæ medela.* (1) Exomologesis 3. Dei vices gerit, et judicis fungitur officio, eadem præstans quæ in ultimo judicio præstabit Dominus constitutus a Patre judex vivorum et mortuorum; qui præscitos examinabit, convincet, condemnabit, et æternis suppliciis mancipabit. Ea omnia negotiatur exomologesis pro Dei indignatione fungens; nam peccatorem examinat, ei commissa crimina exprobrat, adversus illum sententiam pronuntiat, afflictationibus cruciat, et temporali pœna æternam pœnam compensat.

Eodem modo ratiocinatur Apostolus apud Tertullianum de gratia ac de peccato : *Stipendia enim delinquentiæ, mors; donativum autem Dei, vita æterna in Christo Jesu, Domino nostro.* (2) Peccato æterna debetur pœna, quia licet sit actus humanæ voluntatis finitus et limitatus, malitiam tamen habet objective infinitam, utpote offensam divinæ majestatis infinite perfectæ : pœnitentia quoque etsi ut procedit ab homine sit limitata ; aliunde nihilominus infinitatem quamdam importat : tum quia oritur a gratia, quæ est divinæ participatio naturæ ; tum quia ab infinita Dei majestate acceptatur ; tum quia efficaciam suam ab infinito Dominicæ passionis valore mutuatur ; itaque remissa per pœnitentiam mortali culpa, remittitur etiam pœna reatus seu obligatio ad luendam pœnam æternam : de via enim ordinaria mortalis non remittitur culpa, nisi infundatur gratia sanctificans, per quam pœnitens tollit reatum mortis æternæ, et æternam in cœlo sibi comparat vitam et gloriam.

III. PARS. *In fructu et emolumento* (3) pœnitentiæ proficiens Regius Propheta dicebat : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte » (4) : et adhuc « Potasti nos vino compunctionis. » (1) Quod si id dicebat Propheta de fructu pœnitentiæ : quare ergo ait D. Bernardus : *Non dixerim pœnitentiam messem vel fructum, quæ panis vocatur et vinum?* (2) Ut autem melius dignoscatur quantum sit fructuosa in ordine ad cœlum ; cœlum potest considerari ut finis, per media consequendus ; ut præmium per merita acquirendum ; et ut terminus, per viam attingendus. Pœnitentia autem habet rationem ; 1. Medii, quo consequitur cœlum ; 2. Meriti, quo acquiritur cœlum ; 3. Vitæ, qua attingitur cœlum.

1. *Nunc vero liberi facti a delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctificium; finem autem, vitam æternam.* (3) Locum illum mutuatum ab Apostolo (4) tantisper immutavit Tertullian. textum græcum secutus. Quatuor autem in hoc loco Apostoli sunt animadvertenda : 1. Romanos ad fidem conversos, a servitute peccati liberatos asseverat ; 2. Deo famulatos declarat ; 3. Sanctificatos seu sanctitatem consecutos prædicat : tandem ; 4. Vitam æternam, finem sanctificationis demonstrat. Illa autem quatuor præstat pœnitentia : 1. A peccato liberat : *Non est aliquod peccatum quod non cedat virtuti pœnitentiæ.* (5) 2. Pœnitentes Dei efficit famulos. Ut enim arguit Theodoretus, *revera mutatio fuit rerum omnium maxima: qui quondam inimici erant, amici sunt; longinqui, proximi; servi filii; in spe vitæ sunt, qui mortui erant; pauperes, hæredes regni cœlorum. Et hæ Salvatoris artes sunt decoræ.* (6) 3. Sanctificat, ex Tridentino : *Ipsa autem justificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* (7) Per pœnitentiam autem acquiritur gratia quæ est causa formalis justificationis et sanctificationis. Tandem, 4. Est medium acquirendæ felicitatis æternæ, carni namque per pœnitentiam afflictæ Deus *compensationem salutis repromittit, cui nullam omnino competisset imperari propriam sanctimoniæ et justitiæ disciplinam, si non ipsius esset et præmium disciplinæ.* (8)

2. Pœnitentia est satisfactoria, impetratoria et meritoria : 1. Satisfactoria, quia offenso Deo satisfacit, ejusque justitiam placat. *Afflictatio carnis hostia Domino placato-*

(1) Tert. L. de Pœn. 3. — (2) Tert. L. de Res. Carn. 47. — (3) Tert. L. de Pœn. 4. — (4) Ps. 41.

(1) Psalm. 59. — (2) Serm. ibid. — (3) Tert. L. de Res. Car. 47. — (4) Rom. 6. — (5) D. Chrysost. Hom. 33. in Matth. — (6) In Ps. 9. — (7) Sess. 6. c. 7. — (8) Tert. L. de Res. Carn. 47.

ria per humiliationis sacrificium. (1) 2. Impetratoria : nam, ut subjungit Tertullianus, *precationes commendat, deprecationes affirmat, aures Christi Dei aperit.* 3. Meritoria, quia fructus producit cœlestis mercedis dignos. Quare Tertullianus peccatorem hortatur : *Rape occasionem inopinatæ felicitatis : ut ille tu nihil quondam penes Deum, nisi stilla situlæ, et areæ pulvis, et vasculum figuli, arbor exinde fias illa quæ penes aquas seritur; et in foliis perennat, et tempore suo fructus agit, quæ non ignem, non securim videbit.* (2) Duo hominum genera per duas arbores in Evangelio denotantur. Peccatores ad bonum steriles et ad malum fecundi, significantur per arborem aridam nihil producentem, jam ad securim et ad ignem destinatam. Bene operantes econtra figurantur per arborem viridem, juxta aquas plantatam, frondosam, floribus vernantem et fructibus onustam. Per pœnitentiam autem peccator fit arbor virens, florens, et fructus producens. Fratres, *agamus pœnitentiam, etiamsi indulgentiæ modum peccata excedere videantur; et non modo venia sive remissione peccatorum, sed etiam præmiorum gloria perfruemur.* (3) Ad pœnitentiam adhuc Christianum stimulat D. Augustinus, tum ut evadat interminabilem pœnam peccatoribus debitam, tum ut adipiscatur æternam mercedem pœnitentibus et bene operantibus promissam. *Non erubescat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere : sed cito se in bonis operibus contendat Dei imaginem reparare, ut inter filios agnosci mereatur a Patre : ne ab illa æterna beatitudine exclusus, a convivio nuptiali projectus, et ligatis manibus et pedibus projiciatur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium : sed magis medicamentis pœnitentiæ, humilitatis et compunctionis, ad sanitatem pristinam revocatus, et bonorum operum margaritis ornatus, audire mereatur.* (4), «Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.» (5) Dignus es enim ut tibi cœli aperiantur portæ, quia ambulasti per viam pœnitentiæ quæ ducit ad cœlum.

3. Omnes homines quandiu degunt in seculo, sunt navigantes, itinerantes, peregrinantes : cœlum vero est 1. Portus ad quem navigantes a naufragio liberati, se recipiunt; 2. Terminus quem itinerantes postquam deviarunt, attingunt; 3. Civitas in quam peregrinantes finito itinere introeunt. Navigantes post *navem procella dissipatam* (1), fractæ navis aliquam arripiunt tabulam, cujus auxilio ducantur ad portum salutis. Peccata sunt *naufragia vitæ.* (2) Per originalem culpam passi sumus naufragium justitiæ originalis, et per actualia peccata naufragamur adhuc, deperdentes gratiam in baptismate acceptam. A naufragio originalis culpæ, *sacro navigio* (3), nempe baptismate salvamur: a secundo naufragio peccatorum actualium, per pœnitentiam liberamur. *Eam tu, peccator, ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, et in portum divinæ clementiæ protelabit.* (4) Quod denotatum videtur per mysticam illam visionem in qua Dilectus Discipulus vidit Deum majestate splendescentem, in augusto throno gloriæ sedentem, *et in conspectu sedis tanquam mare vitreum, simile cristallo.* (5) Ex mente Dionysii Carthusiani, mare illud vitreum simile christallo circumdans thronum gloriæ, est pœnitentia, peccatoribus naufragatis necessaria, ut ad portum salutis valeant pervenire. *Impossibile est ut anima post peccatum ad thronum gloriæ perveniat, nisi mare pœnitentiæ navigando pervaserit.* O fortunatum mare, ubi nonnisi peccatum submergitur! fausta navis, qua plenis velis, afflante benigna Spiritus Sancti aura, secure navigantes, ad fortunatas paradisi appulimus insulas! Felix tabula, in qua a naufragio liberati, pervenimus ad salutis portum, et viæ attingimus terminum!

Homines in seculo viventes dicuntur viatores, quia tendunt ad terminum, nempe cœlum. Omnes virtutes sunt viæ ad felicem illum terminum; et ut fatur Abacuc propheta (6), itinera beatæ æternitatis. At pœnitentia illo ducit errantes et deviantes peccatores. Quod innuit Joannes *præparator viarum Dominicarum, per denuntiationem et laudationem pœnitentiæ* (7); ejus fructus declarans, inter quos præcipuum regni cœlorum assecutionem asseverat : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* (8) Ad Præcursoris attendens verba Petrus Damianus exclamat : *Inter pœnitentiam igitur et regnum cœlorum nihil est medium.* (9) Uti autem cœlum est terminus ad quem deveniunt viatores per pœnitentiam et virtutum semitam incedentes, ita infernus est terminus ad quem tendunt qui in via

(1) Tert. L. de Pat. 13. — (2) Tert. L. de Pœn. 4. — (3) D. Chrysost. Hom. 10. de Pœn. — (4) Serm. 58. de Temp. — (5) Matth. 25.

(1) Tert. L. de Res. Car. 6. — (2) Tert. L. de An. 52. — (3) Tert. L. de An. 1. — (4) Tert. L. de Pœn. 4. — (5) Apoc. 4. — (6) Cap. 3. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (8) Matth. 3. — (9) Serm. 50.

scelerum et delictorum ambulant : quod præfiguratum vult Tertullianus per scalam Jacob, super quam Angelos ascendentes et descendentes vidit Propheta: *Cum vero Jacob somniat scalas obfirmatas in terra ad cœlum, et Angelos, alios ascendentes, alios descendentes, innixum desuper Dominum : scalis his iter ad cœlum demonstrari, quo alii perveniant, unde alii decidant.* (1) Illi perveniunt qui incedunt per viam quæ ducit ad cœlum ; illi vero decidunt, qui ambulant in itinere quod ducit in infernum : ut quis ad cœlum perveniat *non quæritur, qui latam viam sequi paratus sit, sed qui angustam* (2): scilicet non qui vitam mollem et voluptuosam, sed qui austeram, rigidam et pœnitentem agat. Nam, ut docet ipsamet humanata veritas, *intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam ! et pauci sunt qui inveniant eam.* (3) Qui vitia prosequuntur et inhiant post vanitates, voluptates et mundanas facultates, per spatiosam viam incedunt quæ ducit ad infernum, neque per angustam cœli portam possunt intrare. *Quisquis nefandæ turpitudinis se contagione fœdaverit, nisi fructuosæ pœnitentiæ fuerit satisfactione purgatus, nunquam habere Dei gratiam poterit, nunquam Christi corpore et sanguine dignus erit, nunquam cœlestis patriæ limen intrabit.* (4) Qui vero sectantur virtutes et pœnitentiæ student, merentur ingredi in cœlestem civitatem.

Apostolus municipatum in cœlis esse pronuntians, alicui utique civitati cœlesti eum deputat. (5) Dilectus autem Discipulus denotat et eos qui ab illa civitate sunt exclusi, et qui eam ingredi merentur. Excluduntur libidinosi, cupidi, inflati : *Foris canes, et venefici, et impudici, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* (6) Miseri peccatores, quantumvis sitis dignitatibus sublimati, fama et honore apud homines existimati, divitiis opulenter ditati, cunctisque fortunæ bonis locupletati, si moriamini in peccatis vestris, exclusi estis a superna Hierusalem, quia *non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium.* (7) Quinam sunt illi qui intrabunt? 1. Martyres : *Beati qui lavant stolas suas in sanguine, ut per portas intrent in civitatem.* (1) Quorum sanguis, ut fatur Tertullianus, est clavis paradisi : *Si pro Deo in martyriis occumbas, si crucem tuam tollas, et sequaris Dominum, ut ipse præcepit, tota paradisi clavis tuus sanguis est.* (2) 2. Non qui scripti sunt in libro mortis, sed *qui scripti sunt in libro vitæ.* (3) 3. Qui sibi ipsis violentiam inferunt : nam *a diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* (4) 4. Generatim omnes innocentes qui efflant animam justitia et sanctitate decoratam: *Nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint.* His omnibus titulis, pœnitentibus patet janua civitatis cœlestis : tum quia ad martyrum assurgunt dignitatem, cordisque sanguinem fundunt per lacrymas ; tum quia scripti sunt in libro vitæ, signoque redemptionis in fronte sigillati. *Scribe signum Thau in frontibus virorum qui gemunt et dolent super facinora* (5) ; tum quia non solum sibi ipsis vim faciunt per corporis afflictationem, sed etiam cœlo, quod est locus justorum, quod per pœnitentiam rapiunt; ut enim ait Magnus Gregorius, *regnum cœlorum, locus justorum : cum vero quis, vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpam ad pœnitentiam redit, quasi in locum intrat alienum* (6) ; tum quia pœnitentes sunt restituti ad innocentiam, gratiam et *viam quæ ad Deum ducit.* (7)

CONCIO SEXTA.

Tempus *omni rei* (8) Ecclesiastis verba refert Tertul. qui in omnibus rebus captandum opportunum tempus desiderat, quod præsertim in agenda pœnitentia debet observari. Ex D. autem Bernardo, *tres sunt status animæ, in corpore, posito corpore, recepto corpore.* (9) *In corpore*, quando unitur corpori et homo vivit: dissoluta namque unione animæ et corporis, moritur ; *posito corpore*, quando scilicet anima a corpore per mortem separata, corpus in sepulcro tumulatur ; tandem *recepto corpore :* nempe post resurrectionem generalem, in qua anima rursus suo corpori conjungetur, ut recipiat cum illo, vel præmium virtutis, vel pœnam vitii. Anima vel posito corpore, vel recepto

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 24.—(2) Tert. L. de Fug. in Pers. 14.—(3) Matth. 7.—(4) Pet. Dam. in L. qui dicitur Gomorrhianus c. 2. — (5) Tert. L. 3. adv. Marc 24. — (6) Apoc. 22. — (7) Apoc. 21.

(1) Apoc. 22.—(2) Tert. L. de An. 55.—(3) Apoc. 21. — (4) Matt. 11.— (5) Tert. L. adv. Jud. 11.— (6) Hom. 20. in Evang. — (7) Tert. L. ad. Mart. 2. — (8) Tert. L. de vel. Virg. 1. — (9) Serm. 106. de Diversis.

corpore, nequit facere pœnitentiam, quia duo illi status dantur *ad habendam requiem, vel pœnam; scilicet prout gessit in corpore sive bonum sive malum.* Solus primus status quando nimirum anima est in corpore, *datus est ei ad agendam pœnitentiam.* Subjungit D.Bernardus: *Ad agendam pœnitentiam, tria sunt necessaria: corpus, locus et tempus.* 1. Corpus, *in corpore quippe possumus mala pati et bona operari: pati scilicet pro commisis delictis; operari pro adipiscendis æternis præmiis.* 2. Locus, *Ecclesia scilicet vitæ præsentis.* Beati qui in cœlo immortali fruuntur felicitate, proprie nequeunt agere pœnitentiam, quia incapaces sunt doloris et pœnæ: damnati quoque qui luunt in inferno suorum criminum pœnas, non possunt adhuc agere pœnitentiam, quia etsi tormenta patiantur, sunt gratia destituti, neque ullum virtutis valent elicere actum. Infideles adhuc et hæretici qui sunt extra Ecclesiam, veram pœnitentiam non agunt; quia, ut ait Alexandrinus Clemens, *fidei officium est pœnitentia.* (1) Ipsi vero fidem non habent; 3, Tempus requiritur: pœnitentia siquidem fieri debet *opportuno in tempore.* (2) Peccatores autem trino in tempore possunt studere pœnitentiæ, vel brevi post admissum delictum, vel eam procrastinari diu post peccatum commissum, vel tandem illam differre usque ad finem vitæ. Primi sunt sapientes, secundi imprudentes, tertii insanientes. Pœnitentia itaque 1. Prudenter acceleratur; 2. Imprudenter procrastinatur; 3. Stulte usque ad finem vitæ retardatur.

I. PARS. Qui sunt vera sapientia præditi, fugiunt *omne cunctationis et tergiversationis erga pœnitentiam vitium* (3), et quam citius a suis peccatis mundari festinant. Ad accelerandam autem pœnitentiam stimulantur, 1. Æquitate; 2. Utilitate; 3. Multorum pœnitentium celeritate.

1. *In pœnitentiæ quoque causa, justitiam Deo præstandam esse* (4) sapienter existimat Tertullianus, et licet in superioribus dixerimus præceptum pœnitentiæ, utpote affirmativum, obligare duntaxat per se pro opportunitate temporis; multi tamen Doctores (5) censent brevi post peccatum commissum faciendam esse pœnitentiam, præsertim cum patratum delictum revocatur ad memoriam: tum quia qui bonum furatus est alienum, tenetur ad restitutionem mox faciendam; tum quia qui alteri irrogavit injuriam, diu satisfactionem differre non potest: peccator autem Dei abstulit honorem, supremæque ejus majestati infinitam intulit injuriam. Itaque cito pœnitens, justitiam exercet, tanquam qui sapienter *per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere* (1); illatam reparare offensam, ablatum restituere honorem. Nam si Christianus a fratre offensus tenetur ante solis occasum suam deponere iracundiam, neque licite possit vacare orationi, nisi prius etiam offensus fuerit offendenti reconciliatus: *Memoria præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est: Ne prius ascendamus ad Dei altare, quam si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Etiam si irascendum est, non ultra solis receptum, ut Apostolus admonet. Quam autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseverante iracundia perdere?* (2) Eadem ratione stimulatur peccator ad pœnitentiam et reconciliationem cum Deo, maxime diebus festivis et Dominicis, pietati et divino cultui dicatis, sic satisfaciens exercet æquitatem, et multam consequitur utilitatem.

2. In mundo sapientes habentur homines qui sollicite et diligenter curant et terrena reparare damna, et temporalia comparare bona. Non mundana et terrena, sed cœlestis et christiana sapientia, docet cito *delicta pœnitentia purganda* (3): tum ut toleratum peccato reparetur damnum; tum ut denuo novum comparetur bonum. Quam sit damnosum peccatum fuse in superioribus demonstratum est: peccator etenim Dei inimicus efficitur; salutis jacturam patitur; ad merendum cœlum inutilis redditur; at insuper animam suam contaminat, ad mortem vulnerat, opera ejus meritoria mortificat; cœlesti beatitudine privat; inferni suppliciis mancipat. Tot mala quæ incurrit homo per peccatum, et tot bonorum jacturam quæ sustinet, nonne illum ad pœnitentiam cito faciendam stimulant? Christiane, si tibi occurreret opportunitas vel amplam hæreditatem captandi, vel officium sublime comparandi, vel magnos thesauros lucrandi, vel pingue beneficium pro filio acceptandi, non differres in crastinum; alias ut insipiens, et boni tui osor ab omnibus habereris. Per pœnitentiam acquiritur gratia, quæ omne bonum naturæ superat, pretiosus meritorum thesaurus; cœlum ipsum et æterna *salus*, *cri-*

(1) Lib. 2. Strom. — (2) Tert. Lib. de An. 1. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) Tert. L. de Pœn. 2. — (5) Guil. Parr. L de Sacram. — Alens. 4. p. q. 77. Memb. 4. a. 1. D. Ant. 3. p. Tit. 2. c. 18. §. 2. Major. dist. 17. q. 5.

(1) Tert. L. de Pœn. 5. — (2) Tert. L. de Orat. 12. — (3) Tert. L. de Pœn. 3.

minum pristinorum abolitione præmissa. (1) Si sapis, nonne debes cito pœnitere, ut tot gratiæ et gloriæ diteris gazis?

Seculi homines omni studio nituntur principis placare indignationem, ejusque deperditam recuperare benevolentiam, humiliter veniam postulant, aliorum auxilium implorant, commissæ culpæ testantur dolorem, fidelitatem in posterum pollicentur, nihilque non tentant ut regem placent, sibique benevolum reddant : peccata Dei concitaverunt iracundiam, adversus nos suam armarunt justitiam. *Pœnitentia in gratiam nos Domino revocat.* (2) Ideoque prudentia expostulat ut quam citius illi reconciliari studeamus. Si nobis furatus esset pretiosus thesaurus, omni diligentia illum recuperare conaremur, neque in posterum differremus ejus inquisitionem. Si casu essemus lapsi in aliquod cœnum, fuissemusque vestibus, manibus, facie, totoque corpore sordidati, statim ad emundandas sordes adhiberemus aquas. Peccando pretiosum gratiæ et meritorum perdidimus thesaurum, animam sordidavimus, *quoniam vice sordium delictis inquinamur.* (3) Quanto anima est corpore dignior, tanto majori diligentia a peccatorum emundanda est sordibus, quæ diluuntur per pœnitentiam. *Si forte parum aliquid morbi corpus pulsaverit, statim et medicos adhibemus, et pecuniam profundimus, et omni observantia quod convenit agimus ; nec prius cessatur, quam quæ molesta sunt, mitigentur. Anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, et modis omnibus pereat, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat* (4) : quod quam sit imprudens et stolidum, nemo non videt, qui serio ad animæ dignitatem attendat, et corporis sanitatem cum animæ salute conferat. Ideoque, fratres, *quotiescunque peccavimus, non exspectemus mortifera securitate vulnera ipsa putrescere, sed continuo salutem recipere festinemus* (5), adhibentes pœnitentiæ remedium : nam, ut fatur D. Chrysostomus, *pœnitudinis pharmacum, maximum est vulnerum nostrorum remedium* (6) : ad quod stimulamur accelerata plurium peccatorum pœnitudine.

3. *Igitur benedicti quos gratia Dei exspectat.* (7) Quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis (8), per pœnitentiam scilicet. Quod denotatum vult D. Augustinus per parabolam Virginum, quarum quinque erant sapientes, et quinque fatuæ, quæ non habentes oleum in vasis suis, prudentibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur. Quibus sapientes prudenter responderunt : Ite potius ad vendentes, et emite vobis. Quibus abeuntibus ad comparandum oleum, venit sponsus, laute epulaturus, ad convivii intrans locum, quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua : tunc supervenientes fatuæ fores pulsant, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis : quibus respondit sponsus : Nescio vos. Prudentibus aperta est janua, ob acceleratam earum pœnitentiam. Quasi eis dicat sponsus : Cito pœnitentes *quæsistis, et invenistis; pulsastis, et apertum est vobis* (1) : fatuis vero virginibus clausa est janua, quia tarde venerunt *per seram pœnitentiam*, ut explicat Glossa. Inde concludit Magnus Gregorius (2) : « Qui tempus congruæ pœnitentiæ perdit, frustra ante regis januam cum precibus venit : ut demonstrat exemplum de fatuis virginibus clamantibus : Domine, Domine, aperi nobis ; quibus responsum fuit : Amen dico vobis, nescio vos. Et clausa est janua. »

Sed omissis parabolis, veritatem illam comprobemus accelerata Davidis, Petri et Zacchæi pœnitentia. Dei instinctu Nathan propheta Davidi regi scelus suum animose denuntiat : quo audito, statim David (3) suum confitetur delictum, de eoque animatus dolet. *Ille rex tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino.* (4) Davidis confessio dicitur præmatura : non quia rudis, incondita et imperfecta, sed quia ab immenso cordis dolore quantocius profertur : quæ adeo fuit velox, ut audita voce Prophetæ, peccati conscientiam penes se manere, ne uno quidem passus sit momento : « Peccavi Domino : dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum. » Velox Davidis pœnitentia, velox quoque peccatoris venia, in momento pœnituit, et in momento peccati remissionem obtinuit. Nam *culpam simpliciter confitetur, et dicit : Peccavi Domino, et Propheta respondit : Et Dominus transtulit peccatum tuum. Velox confessio, velocior medicina : facto peccavit, verbo pœnituit* (5), et mox delicti veniam est consecutus. Inter Davidis pœnitentiam, et Dei misericordiam quædam de velocitate fuisse

(1) Tert. L. de Pœn. 2. — (2) Tert. L. de Pœn. 5. — (3) Tert. L. de Bapt. 4. — (4) D. Chrysost. l. 1. de Compunct. — (5) D. Aug. Serm. 102. de Temp. — (6) Hom. 24. in Gen. — (7) Tert. L. de Bapt. 20. — (8) Matth. 7.

(1) Tert. L. de Bapt. 20. — (2) Hom. 11. in Evang. — (3) Lib. 2. Reg. 12. — (4) D. Ambr. in Apol. 2. David. — (5) Euseb. Emiss. Hom. 1. ad Monachos.

videtur æmulatio : non potuit esse velocior confessio quam ut ubi primum Nathan audivit vocem, confestim absque ulla mora, de commisso peccato pœniteret : neque potuit esse velocior Dei misericordia quam ut audita sceleris confessione, statim incunctanter nullaque interposita mora, pœnitenti largiretur gratiam, ne in pietatis stadio, velocior esset confessio, quam venia.

Neque minus velox fuit pœnitentia Petri: nam, ut fatur D. Chrysostomus, *Petrus ad pœnitentiam non multorum spatia postulavit annorum, sed ipsa nocte qua cecidit, ipsa quoque surrexit, ipsa nocte quæ vulnus sensit, sensit et remedium sanitatis.* (1) Imo eodem momento quo Christus in eum pietatis injecit oculos, statim, mox, illico absque ulla cunctatione egressus foras, flevit amare. Adeo fuit velox et prompta Petri pœnitentia ut ei apte conveniant Ennodii verba : *Quis credat deliquisse in correctione velocissimum ? pene non vocandus est sectator excessuum, qui obviam manum ponit in subreptione culparum.* (2) Qui festinus assumit pœnitentiam, fere non dicitur perdidisse gratiam, etsi de facto amiserit : neque credendus est deliquisse, licet vere peccator exstiterit : quasi cito pœnituisse, sit quodammodo non deliquisse. Addamus tertium festinatæ pœnitentiæ exemplum.

Zacchæus (3), princeps publicanorum et ipse dives, quærebat videre Jesum quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum, quia inde erat transiturus. Salvator annuens Zacchæi votis, indeque captans occasionem illum convertendi, dixit ei : Zacchæe, festinans descende : quia hodie in domo tua oportet me manere : et ecce sine mora Zacchæus, *festinans descendit*, Christum libenter in domo sua suscipit, bonorum suorum dimidium pauperibus largiendum, et si quid aliquem defraudavit, quadruplum reddendum promittit. Festina vocatio, festina Zacchæi obeditio. *Unde hæc subito exorta mutatio*, ait D. Chrysostomus, publicani alieni boni alias avidissimi, et nunc proprii liberalissimi ? Respondet aureum eloquentiæ flumen, *ex pœnitentia improviso accelerata : unde si festinans vocatur, festinans descendit* ; et ideo a Christo Domino audire meruit : Hodie salus huic domui facta est. Fratres, si hodie vocat vos Deus ad pœnitentiam, ad instar Zacchæi de tumore mentis vestræ descendite festinanter: *Videte quam salubriter admoneat nos Propheta* (1), *ut si vocem ejus audierimus hodie, ne obduremus corda nostra ; utilius namque et multo salubrius est hodie audire eum consulentem, admonentem, docentem, quam in die illa tam amara, audire illum judicantem, sævientem, condemnantem.* (2) Quomodo ut plurimum illum audiunt, qui pœnitentiam imprudenter procrastinant.

(1) Hom. de Jona. — (2) Lib. 5. Ep. 27. — (3) Luc. 19.

II. PARS. *Improvidentiam existimo* (3) procrastinare pœnitentiam. Quemadmodum qui eam accelerant prudenter agunt, ita qui eam diu retardant imprudentes merito existimantur : imprudentia autem ejusmodi pœnitentiam procrastinans, trino præsertim innititur fundamento, confidens habere, 1. In sua dispositione tempus pœnitentiæ opportunum ; 2. Congruum gratiæ divinæ auxilium ; 3. Liberum voluntatis consensum. Hac fiducia freti, libere vitiis indulgent : siquidem *securitas delicti libido est ejus.* (4) Ad hanc securitatem, ad quam sua imprudentia feruntur peccatores, inducuntur adhuc diaboli malitia. Nam, ut ait D. Augustinus, *immittit diabolus securitatem, ut inferat perditionem : nec dinumerari possunt quantos hæc inanis spei umbra deceperit* (5), cui potius præbuerunt assensum, quam Apostolo apud Tertullianum monenti. *Ne fraudemur a Satana, quoniam non ignoramus injectiones ejus* (6) : qui ut nos decipiat et ad peccandum inducat, pollicitur tempus pœnitentiæ opportunum, continuum gratiæ auxilium, liberum voluntatis consensum : at infelices et propria malitia, et diaboli astutia decepti, sæpe sæpius frustrantur : 1. Tempore pœnitentiæ opportuno ; 2. Efficaci auxilio divino ; 3. Libero consensu humano.

1. *Propter angustias temporum* (7) procrastinanda non est pœnitentia, sed potius acceleranda, 1. *Tempus in collecto est.* (8) Quid inde colligit Apostolus apud Tertullianum ? *Superest ut qui matrimonia habent, tanquam non habentes agant*, ut qui utuntur hoc mundo tanquam non utentes sint, quia præterit figura hujus mundi. Eadem ratione admonentur peccatores ne pœnitentiam differant ; ne minus sint diabolo providentes, qui sciens quia *modicum tempus habet* (9), nihil non tentat ut homines ad peccatum inducat. *Sed enim pervicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit. Atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene*

(1) Psal. 94. — (2) D. Aug. Serm. de Verb. Abacuc. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (4) Tert. L. de Pud. 7. — (5) Serm. 121. de Temp. — (6) Tert. L. de Pud. 23. — (7) Tert. L. 1. ad Uxor. 3. — (8) Tert. L. 1. ad Uxor. 5. — (9) Apocal. 12.

sentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum exstinguitur. Itaque observat, oppugnat, obsidet : si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris secularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere, aut a via certa perversis traditionibus detorquere, non scandalis, non tentationibus deficit. (1) Uti diabolus sciens quia modicum habet tempus, omni quo potest modo homines vincere et ad malum inducere nititur; ita peccator probe instructus modicum sibi superesse ad pœnitendum tempus, debet accelerare pœnitentiam, juxta Ecclesiastici consilium : *Ne frauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat.* (2) Eadem ratione, ut animadvertit Magnus Gregorius, ad celerem pœnitentiam cunctos hortatur peccatores. « Et quoniam tempus breve est, et finis peccatorum mors est, erubescant se peccasse, erubescant conversionem distulisse : convertantur et erubescant valde velociter. » (3) 2. Quia tempus futurum non est in hominis potestate. *Ne glorieris in crastinum* (4); quod nullus, neque etiam rex aut imperator nisi de stultitia laborans, debet sibi polliceri. *Quam stultum est ætatem disponere? ne crastino quidem dominamur.* (5) Peccatores itaque *quibus crastinum non est* (6), pœnitentiam accelerare debent; neque 3. Imprudenter, ob juventutem et *ætatis occasionem* (7) illam procrastinare. Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus : *Ipse se illudit, et de morte sua ludit, qui cogitat quod potest extremi temporis indulgentia subvenire. Insanum est hoc primum, quia periculosissimum est in ultimum diem promissa securitas. Deinde stultissimum est ut causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, utilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem reservatæ liberius peccat. Credite mihi, charissimi, difficile est ut callida simulatio ordinandæ consummationis obtinere digna sit facultatem. Apud illum cordis interpretem ars non, admittitur ad salutem.* (8) Longiuscule quidem D. Augustinus, sed belle demonstrat quam sit stultum, periculosum, Deoque odibile ad senectutem usque procrastinare pœnitentiam; quam 4. Adhuc non vult differendam ratione sanitatis et bonæ valetudinis : *Non sanitati credendum est, non ætati, ad remedium salutis suæ semper tardus est, quia vitæ suæ incertus est. Nos ergo quibus adhuc sub incerta brevitate vivere conceditur, curemus maculas lavare culparum, emendare præterita, providere et cavere futura, totisque viribus laboremus, ut quod vivimus, morti non proficiat, sed saluti.* (1) Incertitudo itaque horæ, in qua mors adveniet, reddere nos debet sollicitos, ne forte præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus, et *a die illo deprehendamur ut Sodoma et Gomorrha.* (2) Neque, 5. Procrastinanda est pœnitentia, quia multi post diuturnam in sceleribus vitam, in fine vitæ conversi sunt, sed multi etiam criminibus polluti scelerosam efflarunt animam. *Sed multis, inquit, dedit Deus spatium, ut in ultima senectute confiterentur. Quid igitur? Nunquid et tibi dabitur? Fortasse dabit, inquis. Cogita quod de anima deliberas, proinde etiam de contrario delibera, et dic : Quid autem si non det? quid autem si det, dicis? Esto, dat quidem ipse, verumtamen hoc certius et utilius.* (3) Idem argumentum prosequitur adhuc D. Chrysostomus (4) peccatoris retundens imprudentiam, qui æternam salutem dubio, forsitan, vel quandoque committit : « Quis miles iturus ad bellum, dicit : Nolo modo condere testamentum, quia fortasse vivus revertar e prælio? Quis nubere volens, dicit: Volo nubere pauperculæ alicui mulieri, quia plurimi quandoque sic evaserunt divites? Et quis est qui domum fabricaturus dicat : Volo jacere debile fundamentum, quia quandoque sic ædificia conservantur stabilia? Reperiturne quis adeo mentis impos, qui has res terrenas et caducas tam fragilibus superædificet fundamentis? *Quare ergo cum de anima vitæque æternitate consilium inis, imbecillioribus niteris fundamentis? fortassis, et sæpe, et aliquando poneres; incertis ergo eventibus teipsum committis.* Neque 6. Exemplum boni latronis, qui in fine vitæ conversus est, patrocinatur, ut quis differat pœnitentiam. Nam, ut optime ad propositum ait D. Augustinus, *primum considerandum in latrone illo, non solum credulitatis compendium, sed devotio, sed temporis illius sub quo hæc agebatur occasio, quo justorum legitur titubasse perfectio. Deinde ante mihi fidem latronis ostende, et tunc tibi latronis beatitudinem pollicere. Beatus latro etiam ex hoc extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema illa hora, sed prima.* (5) Plures condensat D. Augustinus ratio-

(1) Tert. Lib. de Pœnit. 7. — (2) Cap. 14. — (3) Psal. 6. — In 7. Psal. Pœn. — (4) Prov. 27. — (5) Senec. Ep. 103. — (6) Tert. L. de Exh. Cast. 12. — (7) Tert. L. 1. ad Ux. 4. — (8) Serm. 120. de Temp.

(1) Serm. 24. de Commun. — (2) Tert. L. 1. ad Ux. 5. — (3) D. Chrysost. Hom. 22. in 2. Cor. — (4) Hom. 23. in 2. Cor. — (5) Serm. 121. de Temp.

nes, quibus ostendit peccatori imprudenter ex exemplo boni latronis procrastinare pœnitentiam : *Noli ergo huic periculosæ exspectationi tradere temetipsum : si enim bene memini, in toto canone Scripturarum unum latronem invenies sic salvatum* (1) : et ne de exemplo boni latronis temere præsumas, infaustus mali latronis finis tibi debet ingerere pavorem.

Sigismundus II, Poloniæ rex, ob perpetuam cunctationem et segnitiem in gravissimis quibuscunque negotiis, nuncupatus est *Rex crastinus :* quantum a fortiori *crastini* possunt vocitari peccatores in negotio salutis pœnitentiam procrastinantes, falso de sanitate, juventute, vitæ diuturnitate confidentes, et hoc dicto Tertulliani abutentes : *Nihil sine ætate, et omnia tempus exspectant.* (2) Fabius Maximus dictus est Cunctator; cunctatione sapienter utens ad defendendam Romanam rempublicam, quam imprudens celeritas fere everterat; unde de illo dicitur: *Unus homo nobis cunctando restituit rem.* (3) At peccatores non prudenter, sed imprudenter sunt cunctatores, pœnitentiam procrastinantes, ut liberius sceleribus vacent: *Certi indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur; et commeatum sibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi.* (4) Peccator ut liberius delinquat, medium tempus furatur illi misericorditer traditum ut pœnitentiam ageret : Deus pro sua bonitate *dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere de fornicatione sua* (5) : sed in ea imprudenter conversionem procrastinando perseverat. Columba pœnitentis est symbolum, quia emissa de arca, cito redit portans ramum olivæ florentis : corvus vero est peccatoris impœnitentis figura : tum quia emissus de arca non amplius rediit, sed vorandis cadaveribus remansit ; tum quia suo cantu crastinum denotat : *Quando corriperis ? quando mutaris ? Cras, inquis. Ecce quoties dicis : Cras, cras, factus es corvus. Ecce dico tibi, cum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina: nam ille corvus, cujus vocem imitaris, exiit de arca, et nunquam rediit.* (6) Tu quoque exiisti de arca misericordiæ Dei, de arca sanctitatis et gratiæ, mox ut peccasti ; et cum corvo non rediens, sed cras, cras continuo canens, impœnitentiæ finali et æternæ damnationi te exponis.

Archias Thebarum usurparat imperium : Thebani impatienter ferentes dominationem, conspiraverunt in vitam tyranni (1) : nonnemo ex fidelioribus ejus amicis detecta conjuratione misit ad eum epistolam eo tempore quo cum familiaribus suis laute epulabatur, et jucunde bibebat tyrannus, præcepitque nuntio ut Archiam inducere ad legendam absque ulla mora epistolam ; siquidem *seria continet*, nempe totam conjurationis seriem. Archias recipiens epistolam, amici monitum, et nuntii instantiam contemnens, noluit eam perlegere : nuntio urgenti ut legeret, quia *seria continet*, imprudenter respondit : *Seria in crastinum;* at crastinum non est illi concessum : nam illa ipsa nocte, a conjuratoribus fuit enecatus, et Thebana civitas ab ejus tyrannide liberata. Peccator ad pœnitentiam urgetur, et ne eam procrastinet, instanter monetur, quia de re seria agitur, nimirum de vita, aut morte æterna. *Emenda igitur, frater, vitam tuam dum tempus datur ; implora nunc auxilium divinum dum locus datur; fleto nunc dum lacrymis non intercluditur via; noli pœnitentiam differre, dum hoc in tempore vivis, in quo tantum ejus fructus est utilis* (2) : de re agitur magni momenti, noli procrastinare ne pœnitentiæ sit *tarda cogitatio.* (3) Dæmones versus tuam salutem conspirarunt, tibi æternam inferre necem moliuntur, ad tam seria diligenter attende : *Time ne mors superveniens te rapiat, et pereat dilatio, et succedat æterna damnatio.* (4) Seria hujusmodi nihil ducens imprudens peccator, neque ullo modo illa considerans, sed dicens : Seria in crastinum ; tunc pœnitentiæ locus erit quando senectus advenerit; nunc epulemur, bibamus, vitiis indulgeamus quandiu viget juventus : *Quare cum ad senectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamentum confugiam ; quare hoc de se fragilitas humana præsumat, cum diem unum in vita sua in potestate non habeat ?* (5) Et miser dum scelerose vivis, subitanea te mors deliciis simul cum vita orbat, et interminabili morti mancipat : *Largitur tibi Deus spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem quam emendationem. Exspectas, et de misericordia Dei polliceris, quasi illi qui tibi per pœnitentiam promisit salutem, promiserit tibi et longam vitam. Metuendum est ne te occidat spes.* (6) Idemque tibi eveniet ac stulto illi diviti (7), temporalium bonorum frustra sollicito, salutis suæ oscitanter improvido, intra se dicenti;

(1) D. Bern. Serm. 38. inter parvos. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (3) Plutarch. — (4) Tert. L. de Pœn. 6. — (5) Apoc. 2. — (6) D. Aug. Serm. 164. de Temp.

(1) Plutarch. in Apoph. — (2) D. Aug. Serm. 58. de Sanctis. — (3) Clem. Alex. — (4) D. Aug. L. 9. de inhonesta mulier. — (5) Cæsar. Hom. 29. — (6) D. August. Serm. 47. de Verb. Dom. — (7) Luc. 12.

« Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare : dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetent. » O inopinatam Dei vocem ! o subitaneam divitis mortem ! *Qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum, et longæ securitatis spatia cogitavit, in ipsa nocte moritur.* (1) Eadem pœna mulctantur peccatores de vitæ diuturnitate stulte præsumentes, et ob hanc spem imprudenter pœnitentiam differentes : *Quam multi se credebant longo tempore victuros, et ita illos mors repentina substraxit, ut nec ad illam momentaneam possint pœnitentiam pervenire* (2) : quia ad illam agendam deest illis, non solum tempus opportunum, sed etiam efficax auxilium divinum.

2. *Neque ego renuo divinum beneficium* (3), et auxilium gratiæ sufficiens ad pœnitentiam, quod Deus nulli peccatori, quantumvis sceleroso denegat, auxilium quoque efficax largitur misericorditer iis qui agunt pœnitentiam : *Aspexit et dissolvit gentes* (4) : hoc est, ut explicat D. Augustinus, *misertus est, et fecit pœnitentes.* Ex divina misericordia quæ nulli gratiam sufficientem denegat, et quosdam efficaciter ad pœnitentiam vocat, nonnulli imprudenter in peccatis persistunt, et pœnitentiam procrastinant, temere præsumentes efficax gratiæ auxilium sibi nunquam defuturum, sed præsto esse quovis tempore, quo pœnitentiam agere voluerint : *Quidam autem sic opinantur quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis, quod spopondit, et liberalitatem ejus faciunt servitutem* (5) : quo nihil stultius concipi et dici potest. Qualis, quæso, stultitia, gratiæ auxilium opinari ab humana voluntate dependens; Deoque qui libere et gratis illud largitur, necessitatem imponere? Verum, ut acute ratiocinatur Tertullianus, *si necessitate nobis symbolum mortis indulget, ergo invitus facit.* Per symbolum mortis intelligit lethale peccatum de facto homini afferens necem, si peccatum Deus necessitate et non libere dimittit, veniam invitus concedit : quæ permansura non foret, si eam invitus tribueret : *Quis enim permittit permansurum, id quod tribuit invitus*, et tamen plures peccatores pœnitentia functi, acceptaque delictorum venia, in gratia perseverant : *Non enim multi postea excidunt, non a multis donum illud aufertur.* Tot conglobatis rationibus redarguit Tertullianus illorum temeritatem qui efficax auxilium gratiæ a se dependens efficiunt, Deoque libertatem auferentes, illi necessitatem agendi ad extra imponunt.

Absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum: quia patet ad pœnitendum, et redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. (1) Certum etenim est, 1. Neminem absque efficaci gratiæ auxilio posse pœnitere. Ut enim ait D. Augustinus, *nisi ipse dederit, quis aget pœnitentiam?* (2) Indubitatum est, 2. Illud auxilium a Deo libere dari, alias non esset gratuitum, seu gratis datum ; 3. Deum illam gratiæ prærogativam nulli debere, alias mera ejus liberalitas tributaria esset servitus ; 4. Deum nemini facere injuriam si peccatori pœnitentiæ non largiretur gratiam, quia peccator est potius pœna quam gratia dignus ; 5. Deum illud auxilium non dedisse, non solum dæmonibus, quibus ne momentum quidem pœnitentiæ dedit, sed statim de cœlo dejicit in barathrum; sed etiam hominibus, qui post grave aliquod peccatum incidunt in insaniam, aut phrenesim, aut lethargum, vel qui subitanea, vel violenta morte scelerosam efflant animam. 6. Deum illud auxilium juste denegare iis qui procrastinant pœnitentiam, ut diutius peccent. Quare, Fratres, ex Dei misericordia non sumamus delinquendi occasionem : *Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens ignoscendo, quotiens delinquitur.* (3) Si enim ex Dei bonitate imprudenter pœnitentiam procrastinaverimus, non venia, sed supplicium nobis imminet, et dilata peccandi licentia, *finem utique evadendi habebit cum offendendi non habebit?* Ne nobis talis et tanta obveniat infelicitas, ne nobis jure merito efficax pœnitentiæ Deus deneget auxilium, et impœnitentes et criminosi moriamur, *festinemus* (4) *emendatam vitam Domino, antequam auferatur, offerre. Hic exstinguamus mortem moriendo peccatis; hic vitam vitæ meritis acquiramus, nec nos ad tempus senectutis ad pœnitentiam reservemus. Qui enim dixit*: peccator quacunque die conversus fuerit, *ipse dixit:* Noli tardare converti ad Dominum (5), *si te faciebat promissio illa securum, faciat te contestatio ista sollicitum.* « Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius et in tempore vindictæ disperdet te. » (6) Syrus legit : « Ne cuncteris pœnitere coram Deo, et ne impedimentum patiaris de die in diem; quia repente egredietur furor; »

(1) Tert. L. de Orat. 6. — (2) Cæsar. Hom. 13. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) Habac. 3. — (5) Tert. L. de Pœn. 6.

(1) Tert. Lib. de Pœn. 7. — (2) Lib. 5. adv. Julian. 3. — (3) Tert. L. de Pœn. 7. — (4) D. Aug. Serm. 24 in Comm. — (5) Ezech. 18. — (6) Eccles. 5.

et a Deo irato et furibundo correptus, impœnitens et inemendatus æternum peribis, ad instar Ammonis regis, qui ex eo quod pater ejus rex Manasses post diuturnam in sceleribus et abominationibus vitam, in fine instante morte pœnitentiam egit : « Fecit malum in conspectu Domini sicut fecerat Manasses, pater ejus, et ambulavit in omni via per quam ambulaverat pater ejus : » (1) se pœnitentiam quoque acturum imprudenter confidens, et sic apud semetipsum ratiocinans : « Pater meus a puero multa scelera fecit, et in senecta pœnitentiam egit: quamobrem et ipse hac in ætate pro animi libidine me geram, et deinceps ad Dominum me convertam. Hac igitur de causa pœnitentiam ejus non exspectavit Deus: » (2) nam secundo anno regni sui, in propria domo, a servis suis, et mediis in peccatis occiditur. *Audiant omnes, verba recito Scripturæ divinæ. O male dilator, et crastini male appetitor! audi Dominum dicentem, audi Scripturam sacram prædicantem :* Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem; subito enim venit ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te. *Nunquid ego scripsi hoc? nunquid delere illud possum? Si delevero, timeo deleri. Illud possum tacere, timeo tacere; prædicare cogor, territus terreo.* (3) Audiant omnes verbum Dei, Scripturæ sacræ oraculum, ipsiusmet increatæ veritatis testimonium : « Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim venit ira illius. » Quot enim sunt qui perfecta fruentes sanitate, in juventute mortui sunt? quot in deliciis vitam ducentes, sunt subitanea morte præventi? quot somnum capientes, perpetuo sunt somno sepulti? quot manducantes interierunt? Itaque *nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei diutius in suis remanere peccatis, cum etiam nemo in ipso corpore velit sub spe salutis futuræ diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant* (4) : neque etiam adsit tempus pœnitendi opportunum, et præsto habeant Dei auxilium, divinæque gratiæ consensum præbeant.

3. Pœnitentibus Deus peccata dimittit et largitur gratiam, *sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est* (5); et liber voluntatis requiritur consensus : difficile est autem ut pœnitentiam procrastinans voluntarie resipiscat, tum quia quo plura committit peccata, eo magis passiones rationi dominantur, concupiscentia in voluntatem exercet imperium ; tum quia fortioribus diaboli laqueis constringitur ; tum quia diuturna consuetudo peccandi fecit necessitatem : *Utiliter malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, et cito ad sanitatem vulnus reducitur, quod putrescere longa abusione non sinitur* (1) : at vulnus vel callosum, vel putredine corruptum, vix aut nunquam sanatur. Eodem modo peccator antequam obduretur, aut peccatis assuescat, facili negotio pœnitere potest; at vix pœnitet dum est prava consuetudine in malo obstinatus, ut optime declarat Eusebius Emissenus : *Videamus quid est : Peccator adjicit ad peccandum. Verbi gratia, mali cujuslibet passio impugnare me cœpit, si non statim me pœnitudo vitæ hujus momordit, cras tanta mihi hujus vitii facilitas veniet, et quædam, ut sic dixerim, suavitas, ut revocare me ab illo, et continere non possim. Ita enim evenit, ut qui primo tempore emendare noluerit, incipiat in sequenti nec velle, nec posse: Verbi gratia, superbiæ acquiescere cœpi, si non statim me pœnituit tam graviter fuisse præventum, ita de die in diem libentissime me rapiet ipsa violentia consuetudinis et impetus passionis, ut jam nec delinquere me intelligam, nec peccare me sentiam. Obscurat enim atque obruit intellectum onus delicti, assiduitas delinquendi : etenim ita cor negligentis obduratur* (2), ut pœnitere neque velit, neque possit, tum quia conversionis non solum potestas, sed etiam voluntas nequit haberi absque gratiæ auxilio. *Noverit anima se præventam, et prius quæsitam non quærentem : nisi quæratur, non quæret; nisi reducatur, non revertetur; nisi præveniatur, non veniet.* (3) Peccator autem diuturna in delictis cunctatione, et gratiæ contemptu sese indignum præstitit, quem Deus quærat, et suo auxilio efficaci præveniat ; nam, ut fatur Cæsarius, *qui remedium animæ suæ, quando potuit, noluit quærere, postea etiam si velit, dubium est utrum mereatur accipere.* (4)

Belle ad propositum Tertullianus : *Quædam enim sunt divinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis; quæ a Domino indulgentur, sua gratia gubernantur; quæ ab homine*

(1) Lib. 4. Reg. 21. — (2) Glossa. — (3) D. August. Serm. 152. de Verb. Apost. — (4) D. August. L. de Fid. ad Pet. c. 3. — (5) Tert. L. de Pœn. 6.

(1) D. August. Serm. 20. de Verb. Dom. — (2) Hom. 3. ad Monach. — (3) D. Bern. Serm. 74. in Cant. — (4) Hom. 13.

captantur, *studio perpetrantur*. (1) Peccator autem sceleribus et vitiis assuetus, non potest pœnitere, ex defectu et gratiæ quam tandiu respuit; et voluntatis, quia ex longa consuetudine necessitatem quamdam peccandi velut contraxit. Ex D. etenim Augustino, *erit tempus quando peccator velit pœnitere, et non poterit; quia quando potuit, noluit, et propter malum velle perdidit bonum posse.* (2) Quare antequam pravus vitiorum acquiratur habitus, et cor in sceleribus induretur: *pœniteamus, Fratres, pœniteamus cito; quia nobis spatium temporis jam negatur; jam nobis ipsa hora concluditur; judicii præsentia jam nobis satisfactionis locum excludit. Currat pœnitentia, sententia ne prœcurrat: quia Dominus quod non venit adhuc, quod adhuc exspectat, quod moras facit, nos sibi redire desiderat, non perire. Et quia de voluntate meritum non quæsivimus, acquiramus vel de necessitate virtutem; ne judicemur, judices nostri simus; pœnitentiam debemus nobis, ut possimus nobis auferre sententiam.* (3)

Obstinatos Deus ferit peccatores gladio ut fulgur acuto. *Si acuero ut fulgur gladium meum.* (4) Fulgur formatur ex vaporibus, vel exhalationibus, quæ paulatim ad mediam ascendunt aeris regionem, e quibus condensantur nubes, quæ ab initio facile possunt dissipari; at dum frigore calorem superante formatur fulgur, nubes et necessario discinditur, et fulgur cadit super aquam vel super terram, a qua ascendit vapor seu exhalatio, de qua formata est nubes fulguris gravida. Quot peccata committit peccator, tot sunt criminosi vapores, et scelerosæ exhalationes quas emittit, quæ ab initio facile condonantur: at dum scelera sceleribus addit, per abusum divinæ patientiæ thesaurizat sibi iram, et format gladium divinæ justitiæ, qui acutus ut fulgur, insanabili plaga eum ferit. Christiane, currat pœnitentia, pœna ne succurrat. Accipe gladium pœnitentiæ, ait Origenes, rescinde nascentia crimina, sic eris immunis a gladio divinæ justitiæ et a fulgure furoris ejus. Videns Phinees filius Eleazari sacerdotis quemdam ex filiis Israël impudenter coram Moyse et populo ingredientem ad Madianitidem, surrexit de medio populo, et arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem in locis genitalibus, cessavitque plaga a filiis Israël. (5) Ad illud facinus alludens Origenes, sic philosophatur: *Tibi de manibus gladius corporalis ablatus est, et oblatus est gladius spiritualis. Accipe pœnitentiæ gladium, et si vides Israëliticum sensum, id est, voluntatem cum Madianitis scortantem, ne parcas, ne dissimules, statim peccatum percute, imo ipsum fomitem peccati reseca, ne ultra concipiat et generet.* Voluntatem cum concupiscentia lascivientem non percutiunt, neque peccatorum illecebras resecant peccatores in suis criminibus perseverantes; unde timere debent gladium iræ Dei et fulgur divinæ justitiæ, eo quod pœnitentiam imprudenter procrastinaverint, et stulte ad mortem usque retardaverint.

(1) Tert. L. 1. ad Ux. 8. — (2) Serm. 58. de Temp. — (3) Chrysol. Serm. 167. — (4) Deut. 32. — (5) Num. 25.

III. PARS. *Pœnitentiæ quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est.* Inde elucet stultitia eorum qui usque ad mortem differunt pœnitentiam, cujus operosiorem vix demonstrare possunt probationem: nolebat Deus ut in lege mosaica (1) sibi noctuæ offerrentur in sacrificium. Respuebat, ait Cyrillus Alexandrinus, *sacrificia nocturnarum avium, hoc est, opera dilata in supremas mortis angustias, atque obscurissimas tenebras.* Cygnum quoque a numero victimarum rejiciebat Deus, hac præsertim de causa, ut animadverit D. Augustinus (2), quia tota sua vita tacens et obmutescens, suavissimum suum cantum ad ultimam differt vitæ periodum. En verum peccatorum symbolum, qui conversionem retardant usque ad mortem. Verum quidem est peccatorem etiam in extremo vitæ posse pœnitere, ut ex boni latronis exemplo docet Chrysologus: *Pœnitentes ergo revertamur, Fratres, et ne de arcto temporis pertimescamus: quia auctor temporis nescit arctari. Probat hoc Evangelicus latro, qui in cruce et hora mortis rapuit veniam, invasit vitam, effregit paradisum, penetravit ad regnum.* (3) Quandiu enim homo capax est gratiæ, tandiu potest pœnitere; capax est autem gratiæ quandiu vivit habetque rationis usum et liberi arbitrii exercitium. Ideoque *nemo est desperandus dum est in hoc corpore constitutus, quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur.* Verum etsi peccatores pœnitentiam ad mortem usque retardantes possint converti, quia *peccata per fidem nominis Christi omnibus in eum credentibus remittuntur* (4), modo vere pœniteant; attamen pœnitentia ad ultimum vitæ terminum, in quo peccator gravi morbo laborat, est

(1) Levit. 11. — (2) Lib. 50. Hom. hom. 41. — (3) Serm. 167. — (4) Tert. L. adv. Jud. 8.

1. Valde difficilis; 2. Fere impossibilis; 3. Ut plurimum inutilis.

Ægrotantes in extremo vitæ termino constituti, *pœnitentiæ fidem aggressi super arenas domum ruituram ædificant* (1), non dicentes bonum *peccavi*. Quod sibi stulte polliciti sunt Saül, Antiochus et Judas, dixerunt : Peccavi, et tamen damnati sunt, quia non bene dixerunt : Saül ore duntaxat, non ex corde; Antiochus timore mortis, non ex amore Dei; Judas ex desperatione, non ex fiducia in Dei misericordia. Idem accidit stultis illis qui ad extremitatem vitæ retardant, qui vere non pœnitent; quia non habent Dei dilectionem, liberam voluntatis operationem, sinceram peccatorum detestationem, quæ ad veram pœnitentiam requiruntur. 1. Requiritur, ut docet Doctor Subtilis, « Debita circumstantia finis, ut quod homo pœniteat, non solum propter timorem pœnæ, sed timore filiali. » (2) Nam, ut ait Dilectus Discipulus apud Tertullianum : *Perfecta dilectio abjicit timorem : quoniam timor pœnam habet; et qui timet non est perfectus in dilectione.* (3) Ut autem subjungit Scotus, « Difficile est tunc dolere nisi ex timore solum, qui non disponit ex congruo; » id est, non est dispositio sufficiens ad obtinendam gratiam. Dilectio enim necessaria est : *Quam dilectionem perfectam affirmat Joannes, nisi fugatricem timoris?* (4) Nam, ut ratiocinatur dubius Augustinus : *Quem vere pœnitet, oportet non solum timere Deum judicem, sed et justum diligere : non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria.* (5) Difficile est autem ut in extremis homo non timore pœnæ, sed ex Dei dilectione pœniteat; 2. Requiritur ut pœnitentia fiat libertate, non necessitate. Catechumenos, qui differebant suscipere baptisma, ut diutius suis vacarent sceleribus, sic redarguit Tertullianus : *Si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate præcellens, cui non licet, an cui displicet malo esse? qui jubetur, an qui delectatur a crimine vacare? Ergo nec a furto manus avertamus nisi claustrorum duritia repugnet, nec oculos a stupri concupiscentiis refrænemus, nisi a custodibus corporum obstructi, si nemo Domino deditus delinquere desinet, nisi intinctione alligatus. Quod si quis ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare desierit, quam lætetur quod evaserit.* (6) Quantum a fortiori, necessitate non sponte pœnitent qui ad finem vitæ differunt pœnitentiam? qui peccare desistunt, quando peccandi non habent potestatem. Itaque *nullus exspectet quando jam non potest peccare. Pœnitentia enim arbitrii quærit libertatem, ut dolere possit commissa, non necessitatem. Qui itaque prius a peccatis relinquitur, quam relinquat peccata, ea non libere, sed necessitate, quasi condemnat.* (1) Ab incerto Augustino ad verum deveniamus Augustinum in præsenti materia sic disserentem : *Agere pœnitentiam aliquem qui ægrotat, aut quando jam nimis senex est, nec laudo, nec vitupero, quia peccata eum dimiserunt, non ille peccata; sed laudo si tunc declinat a malo, et facit bonum quando omnia mala perpetrare potest.* (2) Adeo difficile existimat D. Cyprianus scelerosam vitam ducentes, instante morte, spontanee pœnitere, ut eos qui ad tempus gravis infirmitatis differunt pœnitentiam, ab illa velit arcendos. *Frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque periculo cœperint deprecari : quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* (3) Salvianus, Massiliensis antistes, censet quoque eum qui in morte pœnitet, coacte et necessitate, non sponte et libertate pœnitere. *Peccare non desinit, quem in extremis situm, recedere a criminibus sola tantum facit impossibilitas, non voluntas : qui enim a malis actibus tantum in morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur a sceleribus, quia quantum ad animum nondum desiit; qui adhuc peccare velit, si possit.* (4) Quod si inquiramus a Salviano an peccator hujusmodi in mortis periculo sit ad pœnitentiam admittendus, dubius hæret; attamen cunctis serio consideratis, potius concedendum quam negandum pœnitentiæ remedium concludit : « Quod si aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotantium fuerit incuria, ut valetudinis labem usque ad dies ultimos trahant, quid dicam nescio, quid promittam pœnitus ignoro : revocare ab inquisitione ultimi remedii periclitantes, durum et impium; spondere autem aliquid in tam sera curatione, temerarium; sed me-

(1) Tert. L. de Pœn. 6. — (2) In Report. L. 4. dist. 20. — (3) Tert. Scorp. 12. — (4) Tert. ib. — (5) L. de Ver. et Fals. Pœn. 17. — (6) Tert. L. de Pœn. 6.

(1) D. Aug. L. de Ver. et fals. Pœn. 17. — (2) Serm. 1. de Pœn. et Jejun. — (3) Epist. 32. ad Antonianum. — (4) Lib. 1. ad Eccles. Cathol.

lius tamen est absque dubio, quamvis diuturna paralysi aridas manus, aliquo tamen nisu ad cœlum erigi, quam lethali penitus desperatione dissolvi. Melius est nihil inexpertum relinquere, quam morientem non curare; maxime quia nescio an in extremis aliquid tentare medicina sit, certe nihil tentare perditio. » Hucusque Salvianus, ex cujus verbis colligitur quam sit difficilis mortis tempore pœnitentia, ad quam 3. Requiritur vera peccatorum detestatio, et ut fatur Doctor Subtilis, « magna consideratio intellectus et detestatio, ad hoc quod sit attritio sufficiens ex congruo ad remissionem peccati, sicut fuit vehemens delectatio prior in peccato. » Subjungit Scotus : « Ideo credo quod ad hoc quod infirmus mereatur gratiam ex congruo, multo majorem attritionem requirat, cum sit interitui proximus, quam si esset sanus; sed difficile est habere tantam attritionem, sicut in sanitate non solum majorem. » Inde concludit : « Igitur difficile est tunc maxime contra istum habitum inclinari, detestando quæ prius erant detestabilia. » Eodem fere modo ratiocinatur Salvianus : *Non quidem ulli vitiis carnalibus implicato sufficere ad vitam æternam putem, si cum usque ad mortem in flagitiis consenuerit, in obitu bene cuncta dispenset; nisi antea peccatis renuntiaverit.* (1) Difficile est autem renuntiare peccatis quæ *consuetudo corroboravit.* (2) Est velut miraculum ut qui toto vitæ curriculo assueti sunt vel inimicitiis, vel impudicitiis, vel falsis juramentis, vel usuris, in momento pravos illos detestentur et deserant habitus. *Dicunt quidem pristinis renuntiare, et pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid, ipse finis desiderandi; velut poma, cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiæ suæ adulantur.* (3) Et ut fatur aliorsum Tertullianus, *vitia usu viriosa* difficillime obliviscuntur, neque per contrariarum virtutum usum valent eradicari. Quomodo eliciet contritionis vel dilectionis Dei actus peccator inveteratus, vitiis assuetus, et virtutum ignarus, potiori jure dicens quam David, *usum non habeo.* (4) Passiones quæ toto vitæ tempore durarunt, in mortem non deficiunt. *Fornicarius senescit, in quo libido non senescit* (5) : lascivus antiquatur et senescit, non lascivia; quam semper juvenescentem sentit; lasciviæ opus, non desiderium; effectus, non affectus deficit. Et ut fatur D. Ambrosius, *possibilitatem perpetrandi crimen non habuit; habuit affectum* lasciviendi : amisit vires, sed lasciviendi voluntatem non perdidit. *Ob hoc proculdubio inflexibilis et obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum; quia quod breve fuit tempore, vel opere longum esse constat in pertinaci voluntate; ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret : imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset* (1) : qui pœnitentiam assumere negligit, sicut semper vivere desiderat, ita et semper peccare, si posset : illi enim deest vita, sed non peccandi animus, quia obstinatam, pertinacem et inflexibilem ostendit voluntatem, cunctando pœnitentiam, quæ in morte est fere impossibilis.

2. Uti de sapientia merito commendatur Christianus salutis suæ sollicitus : nam pœnitentiam accelerans et sanitatis tempore agens velut *securus morietur* (2) : ita de stultitia culpatur, salutis suæ curam remittens usque ad mortem, quando pœnitentia fere est impossibilis : et hæc impossibilitas oritur 1. Ex carnali ægrotantis amicitia; 2. Propinquorum et adstantium imprudentia; 3. Morbi violentia. 1. Imprudenter *posteritatem recogitant Christiani, quibus crastinum non est* (3), quantumvis juventute et bona corporis valetudine polleant. Quantum a fortiori stultitia laborant qui in ultima vitæ periodo salutem suam negligentes, uxorem duntaxat, prolem et terrena curant ? *Venient dies quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere; quia percutitur etiam hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* (4) « Ego ipse, inquit Bellarmin. (5) invisens aliquando ægrotum morti proximum, cum inciperem loqui de præparatione ad exitum de præsenti vita, respondit constanti animo et sine ullo metu : Ego, Domine, cupivi alloqui te, non pro me, sed pro conjuge mea et filiis, ego enim propero ad inferos, neque est quod aliquid pro me agas. Hæc vero protulit animo tranquillo, ac si de itinere ad villam, vel oppidum aliquod loqueretur. Cumque multis verbis illum ad meliorem mentem revocare tentassem, nihil efficere potui : Dei namque et animæ suæ

(1) Lib. 1. ad Eccles. Cathol. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 3. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) Lib. 1. Reg. 17. — (5) D. Aug. Serm. 18. de Verb. Apost.

(1) D. Bern. Epist. 253. — (2) Tert. L. de Exh. Cast. 12. — (3) Tert. ibid. — (4) D. Aug. Serm. 3. de Innoc. — (5) L. 2. c. 11. de arte bon. mor.

oblitus, uxoris duntaxat et filiorum recordabatur. » Inde merito, ait D. Augustinus, *timendum de pœnitente sero: maxime cum filii, quos ille ante dilexit, sint præsentes, uxor et mundus ad se vocent.* (1) 2. Propinquorum negligentia, vel nimia potius sollicitudo, pœnitentiam reddunt impossibilem. *Nam secularibus satis agentes sumus, et utrique nostrum consultum volumus talibus tabulas ordinamus? Cur non magis de divinis atque cœlestibus, posteritati nostræ prospicere debeamus, et legatum quodammodo prælegare, admonitionem et demonstrationem eorum, quæ ex bonis immortalibus et hæreditate cœlorum deputantur?* (2) Ægrotantium propinqui de secularibus et terrenis multum solliciti, de cœlestibus et divinis nullatenus curantes, student omni animo ut æger condat testamentum, eosque constituat bonorum suorum hæredes. At tantum abest ut eum de cœlestibus admoneant; quinimo a restitutione male parti removent, impediuntque ne eum sacerdotes adeant, vel si adeundi licentiam præstent, hac solummodo lege ut duobus ac tribus de Deo prolatis verbis, de camera cito exeant; ne prolixi sermones corporis morbum augeant, vel cordi timorem ingerant. Animadverit D. Chrysost. (3) in morte Absalonis rem prorsus stupendam. Ad condensam quercum hærebat implexis crinibus, et quasi omni corporis robore, animi viribus, quæ tunc erant potissimum exerendæ, destitutus, nec brachia attollere, nec manum admovere conatus, ut fatalem illum solveret nodum, seseque ab hoste persequenti expediret: cumque tot militum millibus imperaret, neminem auxilium præbuisse, neminem invenisse, qui regi obtemperans præcipienti: *Servate mihi puerum Absalon* (4), illum ab imminenti morte liberaret: neque putes, ait D. Chrysostomus, id casu accidisse, *sed ut scias quod factum est, non humanæ industriæ, sed totum fuisse divini judicii*, qui in pœnam dilatæ etiam pœnitentiæ permittit, ut neque medicus, neque amicus, neque domesticus, neque filius, neque uxor ægrotantem de sua salute admoneant, et si forte id exsequantur in extrema duntaxat necessitate, dum doloris violentia 3. Pœnitentiam reddit fere impossibilem. Adstantes nolunt ægro manifestare imminens mortis periculum, *ne forte abundantiori tristitia devoretur* (5); et tunc solummodo hortantur ad pœnitentiam quando desperata res est, et ægrotus *subita dolorum concussione* (1), mortem proximam denotat. Quid enim, inquit Magnus Basilius, *ut te tum febris ad pœnitentiam vocet, cum neque salutaria verba amplius proloqui, neque quidquam auribus accipere poteris; cum in ipso capite morbus inhabitet, non manus amplius ad cœlum tollere, non commode doceri, non certo confiteri, non redire in gratiam cum Deo* (2), neque ullum virtutis possis producere actum? Hujusmodi *relinquito in suo sopore morientem* (3), cui inutilis est pœnitentia.

Quæ pœnitentia miserabilior (4) ea quæ fit ab ægroto ad finem vitæ properante, quam D. Augustinus incertam, ægrotantem et morientem existimat 1. Incertam: *Si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam et accipit, et mox reconciliabitur, et hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus affirmare quod hinc bene exit. Non præsumo, non vos fallo. Fidelis bene vivens securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam et reconciliatus cum sanus est et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, do securitatem; unde non sum securus, non do securitatem; pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.* (5) Post pauca subjungit D. Augustinus: *Quod dico attendite. Debeo illud planius exponere, ne me aliquis male intelligat. Nunquid dico damnabitur? Non dico, sed dico etiam liberatur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio, non præsumo, non promitto. Vis te a dubio liberari, vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, et invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris: si sic agis, securus es. Quia egisti pœnitentiam eo tempore quo et peccare potuisti: si autem tunc vis agere ipsam pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Pergit objectioni sibi factæ respondens. *Sed unde scis*, inquit, *ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem nihil tibi prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit nescio.*

(1) Lib. de Ver. et fals. Pœn. 17. — (2) Tert. L. 1. ad Uxor. 1. — (3) In Ps. 7. — (4) L. 2. Reg. 18. — (5) Tert. L. de Pud. 13.

(1) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 21. — (2) Serm. 4. de Pœn. — (3) Tert. Scorp. 1. — (4) Tert. L. de Pud. 22. — (5) Lib. 50. Hom. hom. 41.

Ergo dimitte incertum, et tene certum. Pœnitere dum sanus es, ne æger pœnitens, ægrotantem 1. Agas pœnitentiam : quia, ut ait D. Augustin. *pœnitentia quæ ab inferno petitur, infirma est.* (1) Qui enim gravi morbo laborant, vel doloribus impediti, vel debilitate aut deficiente judicio, vel horrore propinquæ mortis, vel amore charorum, quos inviti relinquunt arrepti, non sanam, sed morbidam faciunt pœnitentiam. Arborem multo tempore radicatam evellere non infirmi aut debilis hominis est : inimicitiam multis annis in animo nutritam, ab infirmo ex corde deponi ; lucra injusta per plures annos possessa et in varios dispersa; colligi ab infirmo, et justo domino restitui ; scortum, cui ab adolescentia tenaciter adhæsit, ab infirmo dejici, ac sordes suas aversari posse, quis credet ? *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt, qui dissimulant in vita sua agere pœnitentiam, et de extrema confessione præsumunt : quomodo sub unius horæ articulo, revocari posse æstimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ et desideria per totum mundum sparsa sunt ?* (2) Quomodo recogitabunt et ad memoriam revocabunt cuncta quæ a pueritia a 20 et 30 annis peracta sunt ? Quomodo longam illam peccatorum seriem cum omnibus suis circumstantiis, confessario poterunt enarrare ? Quomodo nunc ex animo temulentiam, luxuriam, injusta lucra, inveterata odia aversari et exsecrari valebunt ? Quomodo inordinatum creaturarum amorem in divinum commutabunt amorem ? Quomodo actum contritionis, quem nunquam produxerunt valide producent? Quomodo Christum, Deiparam, Sanctos quos contempserunt invocabunt ? O quam vere, 3. ait D. Augustinus, *pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur!* Utinam ad istud Salvatoris oraculum attenderent peccatores : *Orate ut non fiat fuga vestra hyeme.* (3) Etenim compertum est hyemis tempore dies breves esse et noctes longas ; solem cito occumbere, sero exoriri ; magnos ventorum turbines ac cœli injurias ; vias fractas atque ob nivem invias ; iners gelu membra constringere et cor comprimere. Ut autem animadvertit D. Ambrosius, *hyems non temporis, sed infirmitatis hic designatur.* (1) Nimis tarde fugere ab infernali hoste moliuntur, cum jam occidit intellectus lumen ; cum sol divinæ clementiæ longius recessit ; cum horrida peccati nox mentem occupat ; dum frigidus sudor et glacies moribundi cor constringit ; cum viæ ad cœlum sunt inviæ. At proh dolor ! *semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit.* (2) Hujus memorandum et formidabile refert Magnus Gregorius (3) exemplum : « Fuit quidam vir nobilis in Valeria provincia, nomine Chrisaorius, superbia tumidus, Veneri deditus, avaritiæ igne succensus, multisque aliis sceleribus obnoxius, quibus finem volens ponere Deus, Chrisaorius gravi morbo oppressus, et eadem hora qua de mundo erat exiturus, vidit tetros spiritus scelerosam animam ad tartarum delaturos. Tunc cœpit tremere, pallescere, sudare, et magnis vocibus clamare : *Inducias vel usque mane ; inducias vel usque mane!* Sed cum hæc clamaret in ipsis suis vocibus de habitaculo suæ carnis evulsus est. De quo nimirum constat, quia pro nobis, ita non pro se viderit, ut ejus visio nobis proficiat ; quos adhuc divina patientia longanimiter exspectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, et inducias petiisse quid profuit, qui easdem inducias quas petiit non accepit ? *Nos ergo, Fratres charissimi, nunc sollicite ista cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, et tunc quæramus ad bene agendum vivere, cum jam compellimur de corpore exire.* Nunc igitur sollicite ista recogitemus ; nunc toto corde pœniteamus ; nunc vitiis renuntiemus ; nunc pauperibus bona erogemus ; nunc bonis operibus studeamus ; nunc sollicitam salutis nostræ curam suscipiamus, ut morientes in Dei gratia, immortalem in cœlo possideamus vitam.

(1) Serm. 57. de Temp. — (2) D. Bern. in Serm. parvi Serm. 38. — (3) Matth. 24.

(1) Apol. 6. David. — (2) Chrysolog. Serm. 125. — (3) Hom. 22. in Evang.

POENITENTIA SACRAMENTUM.

SCHOLIUM.

Ad Pœnitentiæ Sacramentum requiritur ex parte pœnitentis : 1. *Examinata vitæ discussio ;* 2. *Vera cordis contritio ;* 3. *Integra oris confessio ;* 4. *Pœnalis justitiæ satisfactio ;* 5. *Vitæ scelerosæ emendatio ;* 6. *Vitata peccandi occasio.*

CONCIO PRIMA.

Peccatores in foro pœnitentiæ *ipsi proditores sui.* (1) Semetipsos omni studio examinare debent, ne aliquod peccatum *lateat in occulto.* (2) Ad illud examen peccatorem stimulat D. Augustinus. *Non audes dicere te non esse peccatorem; discute conscientiam tuam ; ascende tribunal mentis tuæ; noli tibi parcere, examina te ; loquatur tibi medulla cordis tui* (3) : et ut te adhuc hortatur D. Bernardus, *fac a teipso exactionem ; præteritæ diei rationem exige* (4) ; vitam tuam diligenti examine discute, et ut peccata tua studiosius *examinare* (5) valeas, hujus examinis tibi 1. Necessitas demonstratur ; 2. Conditio denotatur ; 3. Diligentia declaratur.

I. PARS. Scire debet peccator ad pœnitentiæ accedens sacramentum : *Observandum utique sibi et omni vigilia investigandum* (6), delictorum suorum examen, quod non est aliud, ut vult D. Bernardus, quam *intensa ad investigandum cogitatio ; vel intentio animi vestigantis verum.* (7) Hæc autem suiipsius investigatio ad pœnitentiæ sacramentum necessario prærequiritur. Nam, ut docet Concilium Tridentinum (8), *peccator debet seipsum diligenter excutere, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras explorare.* (1) Hujus veram rationem dubius subministrat Augustinus. *Cum nulla scientia melior sit illa qua cognoscit homo seipsum, discutiamus cogitationes, locutiones, atque opera nostra : examinemus quæ fecimus, si secundum quod debuimus, ea fecerimus. Valde siquidem est necessaria circumspectio examinationis :* necessaria ad 1. Contritionem ; 2. Confessionem ; 3. Morum correctionem.

Pœnitens de suis peccatis vere contritus, ea detestatur et aversatur pro amore Dei qui ea horret et odit. Odium autem non secus ac amor cum sit actus voluntatis necessario præexigit in intellectu notitiam objecti, ut illud voluntas possit vel amare vel abominari : nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *tunc res meretur odium, cum cognoscitur, an mereatur ; vacante autem meriti notitia, unde odii justitia defenditur, quæ non de eventu, sed de conscientia probanda est ?* (2) Tempore præsertim Bernardi vigebat istud adagium : « Quod non videt oculus, cor non dolet : » et vetus auctor acute animadvertit naturam, seu potius Deum naturæ auctorem, eumdem sensum ordinasse et ad videndum, et ad fundendas lacrymas ; quia ut plurimum mala quæ videmus nos incitant ad lacrymas : profecto qui serio recogitat peccatorum suorum gravitatem, fœditatem, diversitatem, malaque quæ ab illis proveniunt, ad contritionem facile movetur. *Hæc duo ita*

(1) Tert. Apol. 7. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) In Psal. 101. — (4) De Octo punct. perfect. asseq. — (5) Tert. Apol. 1. — (6) Tert. Apol. 8. — (7) Lib. 2. de Consid. 2. — (8) Sess. 14. 5.

(2) Lib. de Spir. et Anim. c. 51. — (2) Tert. Apol. 1.

sibi invicem conjuncta sunt, ut agnoscere se non possit nisi pœniteat; pœnitere non possit nisi se cognoscat. (1)

Ad notitiam peccatorum suorum, contritionis scaturiginem, animam pœnitentem stimulat Jeremias : *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam*. Per statuendam pœnitenti speculam, innuit Propheta præmittendum conscientiæ examen, quo commissa scelera clarentur et pateant. Septuaginta vertunt : *Statue teipsum Sion*. Sion *acervum* significat : anima pœnitens, statue ante te multitudinem et acervum delictorum tuorum. *Pone tibi amaritudines*, nimirum dolorem et contritionem cordis. Symmachus legit : *Pone tibi transmutationes :* nempe multiplex olim peccandi dulcedo, in varia voluptabilia effusior, transmutetur in amarissima contritionis fella, quibus peccatorum recordatio quondam mellea, pœnalius amarescat.

Hujus amaritudinis quæ ex prævia criminum cognitione procedit, illustre habemus in Ezechia rege exemplum : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. (2) D. Hieronymus legit : *Reputabo*, hoc est, diligenter expendam, et versabo in animo meo cuncta delicta vitæ meæ quæ feci ab adolescentia usque ad præsentem ætatem. Alii hebræam vocem *Dada* interpretantur *perambulabo*, non velociter, sed lento gradu, ut attentius inspecta peccatorum enormitas majorem cordi incutiat dolorem. Tigurina editio vertit : *Motando caput, concutiendo corpus meditabor ;* seu tandem, ut vult Agellius, *horrebo et contremiscam*, quæ præteritorum scelerum detestationem, et animi contriti dolorem significant. Addit : *In amaritudine animæ meæ :* hoc est, in doloris acerbitate, quem ipsa criminum memoria et recogitatio suggerit ; et ut aloes potum præbet : vel in profusione lacrymarum, quæ natura sua falsæ sunt et amaræ, quia a corde contrito dimanant, suntque pœnitentiæ et compunctionis indices, quibus stratus abjectusque princeps fœdas animi labes eluere conabatur. Christiani ad pœnitentis regis imitationem recogitate annos vestros per exactam vitæ discussionem, et *hoc non quo cognoscatis, sed recognoscatis* (3) scelerum vestrorum enormitatem, et ex hac recognitione, cor vestrum amaritudine repleatur. *Pœniteat igitur anima pœnitentiæ jaculo vulnerata, pœnitentia triplici : quia innocentiam amisit, amissam non requisivit, et patientiam Dei neglexit* (1) ; et quia, ut fatur D. Bernardus, *post dolorem cordis sequitur confessio oris*. Vitæ examen est necessarium, non solum ad cordis contritionem, sed etiam ad oris confessionem.

2. *Unde scientia instructa judicium gubernat.* (2) Pœnitentiæ sacramentum est judicium et tribunal, multum ab ultimo judicio differens. In ultimo judicio præsidet Dei justitia, in pœnitentiæ tribunali misericordia. Ibi non erit *examinatio criminis* (3) : in momento absque ulla discussione erit rei convictio, et sententiæ prolatio. Ibi judex condemnabit reos ; hic sacerdotes reos *cognoscunt, et sustinent, et ignoscunt*. (4) Ibi testes non sunt necessarii, quia judex testis obit munus ; hic adhibentur testes, et commissum scelus *ab ipsis reis prodi potuit*. (5) Ibi judex cognoscit etiam quæ reus ignorat. *Cujus utique scientiam non effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam*. (6) Hic judices crimina ignorant ; antequam reus illa manifestet, et adhuc postquam confessi sunt, *amant ignorare*. (7) Ibi judex in momento manifestat reo cuncta scelera quæ commisit ; hic reus tenetur instruere judicem, ferre et testimonium contra seipsum. *Jam non ideo meruit pœnam, quia nocens est, sed quia non inquirendus inventus est* (8) ; cum de jure divino positivo teneatur ad examen et inquisitionem. Præceptum etenim divinum ad confessionem obligans, obligat etiam ad examen, sine quo pœnitens cognoscere nequit sua delicta, neque ea sacerdoti manifestare, neque rite confiteri. Unde ex D. Ambrosio *plena est definitio pœnitentiæ, commemoratio delictorum* (9), ut ea pœnitens recte cognoscat, et integre ministro pœnitentiæ detegat. Necessariam illam delictorum commemorationem Regius Vates de cœlo edoctus innuere voluit, præfato ab Antistite Mediolanensi psalmo apponens hunc titulum : *Doctrina confessionis in recordationem*. Inter plures egregios psalmos, quibus David delicta confitetur, illum *in recordationem* intitulavit, ut eum semper mente volveret, ore ferret, eoque uteretur *pro quodam veluti incantamento* (10), atque pharmaco ad animi sui medelam : nobis relinquens exemplum, delicta serio investigandi, rememorandi et recogitandi, ut ea valide valeamus confiteri. Quapropter Christianus accedens ad pœnitentiæ sacra-

(1) D. Bern. Serm. 40. de Diversis. cap. 3. — (2) Isai. 38. — (3) Tert. Apol. 10.

(1) D. Bern. Serm. 4. de Diversis. — (2) Tert. L. 1. ad Nat. 19. — (3) Tert. Apolog. 2. — (4) Tert. Apol. 8. — (5) Tert. Apolog. 7. — (6) D. Bern. Ep. 42. — (7) Tert. Apol. 1. — (8) Tert. Apol. 2. — (9) Præfat. in Ps. 37. — (10) D. Basil.

mentum, *sollicite caveat ne se ad invicem dissideant ratio, voluntas et memoria, ut nullum in eo peccatum maneat, quod non pura confessione, et dignis pœnitentiæ fructibus deleatur.* (1) Tria D. Bernardus desiderat ad inquisitionem confessionis præviam: 1. Memoriam, quæ, ut ipse aliorsum fatur, est delictorum repositorium. *Nec a me speres audire quid in memoria tua ratio deprehendat, quid dijudicet, quid decernat. Applica intus auditum, deflecte oculos cordis, et proprio disces experimento quid agatur.* (2) Nemo enim scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. (3) *Si superbia, si avaritia, si invidia, si ambitio, aut similis aliqua pestis abscondita est, vix poterit effugere hoc examen. Si fornicatio, si rapina, si crudelitas, si fraus ulla, aut quælibet culpa admissa est, internum hunc judicem non latebit, reus esse nec inficiabitur coram eo. Transiit enim velociter totus ille pruritus delectationis iniquæ, et voluptatis illecebra tota brevi finita est; sed amara quædam impressit signa memoriæ, sed vestigia fœda reliquit. In illud siquidem repositorium velut in sentinam aliquam tota decurrit abominatio, et immunditia tota defluxit. Volumen grande, cui universa descripta sunt stylo utique veritatis.* (4) Idcirco D. Bernardus rationem 2. Desiderat, quæ grande illud volvat et revolvat memoriæ volumen, quæ in illo repositorio conspiciat, quæ impressa delictorum vestigia deprehendat. Unde Sapientia clamitat in plateis: Redite, prævaricatores, ad cor. *Hoc verbum ad omnes qui convertuntur ad cor, præcessisse videtur, et non modo revocans eos, sed reducens, et statuens contra faciem suam. Est enim non tantum vox virtutis, sed et radius lucis annuntians pariter hominibus peccata eorum, et illuminans abscondita tenebrarum. Quid enim illo agitur sive radio, sive verbo, nisi ut anima noverit semetipsam? Aperitur siquidem conscientiæ liber, revolvitur misera vitæ series, tristis quædam historia replicatur, illuminatur ratio, et evoluta memoria velut quibusdam ejus oculis exhibetur. Utraque vero non tam ipsius est animæ quam anima ipsa: ut eadem sit et inspiciens et inspecta: contra suam statuta faciem, et a violentis quibusdam apparitoribus immissarum utique cogitationum coacta, proprio interim judicanda assistere tribunali.* (5) Prolixus est D. Bernardus ad explicandum quomodo memoria et ratio concurrant ad manifestandum peccatorem sibiipsi, ad investiganda peccata quæ commisit. Memoria est velut liber in quo descripta sunt scelera; ratio est velut radius tenebras illuminans et librum revolvens; quibus ad examen et investigationem adhibitis, requiritur; 3. Voluntas occulta vere et simpliciter examinans, discutiens et inquirens. Quare, Frater, *discute te semper sine dolo, sine palpatione proba et teipsum tuipse, semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod non es* (1): tui ipsius namque examen necessarium est ad vitæ correctionem.

3. Multiplex ex examine et inquisitione sui sequitur fructus: 1. Cordis contritio: investiganda enim per examen peccata, *tantum auctori suo dolorem incusserunt.* (2) Ideo Christianum hortatur D. Bernardus: *Statue te ante te, tanquam ante alium, et sic temetipsum plange, plora iniquitates et peccata quibus Deum offendisti.* (3) 2. Detestatio peccatorum, quorum recogitata est enormitas, ut fatur Tertullianus, *repudium agniti erroris* (4); et hanc delictorum notitiam siderum et cœlorum cognitioni præponit D. Bernardus: *Stude cognoscere te, quia multo melior et laudabilior es, si te agnoscis, quam si te neglecto cognosceres cursum siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, et haberes omnium cœlestium et terrestrium scientiam.* (5) Quia horum scientia non est utilis, sed potius noxia; multoties enim vanitati servit et inducit ad malum: suorum autem scelerum notitia utilissima est, quia tumorem animi deponit, et ad contritionem inducit: et hac de causa D. Chrysost. (6) censet utilius esse homini si delictorum, quam si bonorum operum recordatur; quoniam ex recordatione bonorum operum tumescit, et tumendo illorum meritum perdit: delictorum autem memoria est superbiæ frenum, humilitatis incentivum, ut Apostoli comprobatur exemplo, qui licet a suis sceleribus absolutus, gratia sanctificatus, et ad apostolicam dignitatem sublimatus, revocans tamen ad memoriam præterita et jam condonata delicta se apostolico honore indignum profitetur: *Jam non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* (7) 3. Inquisitio et inspectio delictorum peccatores inducit ad postulandam delictorum veniam *cum pœnitentiæ sententiæ*, et vitæ præteritæ prævio examine. Idcico Regius Propheta

(1) D. Bern. Serm. 2. de Dedic. Eccles. — (2) Tract. de Convers. ad Clericos. c. 3. — (3) 1. Cor. 2. — (4) Tract. de Convers. ad Clericos. c. 3. — (5) Ib. c. 2.

(1) D. Aug. Serm. 15. de Verb. Apost. — (2) Tert. Apol 4. — (3) Medit. de Cognit. human. condit. — (4) Tert. Apol. 12. — (5) Ib. — (6) Hom. de Pœn. — (7) 1. Cor. 15.

iniquitatis suæ postulat indulgentiam, quia iniquitatem fecisse cognoscit : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam : quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. » (1) 4. Examen et recognitio delictorum est delictorum remedium. Nam, ut fatur Cæsarius Arelatensis, *peccatum ipsius peccati cognitione curatur, et homo quando bene respicit peccatum suum, sanat morsum serpentis per serpentis aspectum.* (2) Alludit ad serpentem æneum jussu Dei a Moyse fabricatum, cujus aspectu sanabantur Israëlitæ a venenatis serpentibus percussi in deserto. « Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. » (3) *Quo confugientibus tam prompta aderat salubritas medicandi, quam velox inerat facilitas intuendi : sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in serpente mysterium.* Æneus serpens percussos suo aspectu sanans Israëlitas, fuit signum ineffabili mysterio designans peccati remedium. Nam, ut subjungit Cæsarius, non solum olim serpentium morsus fuerunt serpentis intuitu sanati, *sed etiam modo medela, si volumus, contra morsum serpentis viso serpente confertur. Quod tunc evidenter impletur, quando peccatum peccati cognitione curatur.* 5. Inquisitio et examen scelerosæ vitæ scelerosam corrigit vitam. Christiane, ex inspectione tuorum criminum, *sequitur ne ultra velis id te esse quod si prius scisses, non fuisses.* (4) Hujusmodi autem *cognitio sui stat in tribus : ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid amisit.* (5) Fecit peccatum, meruit infernum, amisit cœlum. *Horum igitur omnium consideratione perterritus, transi ad pœnitentiam ultricem vitiorum, altricem virtutum.* Tandem, 6. Examen et investigatio suiipsius bonos componit mores : qui etenim delictorum enormitatem serio recogitant, ea oderunt, ea sedulo vitant, nolentes *errare amplius in eo in quo errasse se recognoscendo cessaverint.* (6) Examinatam suiipsius cognitionem adeo ad probe componendos mores utilem censuit Pythagoras, ut eam singulis diebus serotinis horis fieri voluerit a suis discipulis :

Nec prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longe repetiverit acta dici.

Hanc methodum redigebat ad praxim Moralis Philosophus, aiens apud D. Bernardum : *Initium salutis notitia peccati.* (1) D. quoque Bernardus Christianum hortatur ad illam suiipsius inquisitionem, ultricem vitiorum, altricem virtutum : *Integritatis tuæ curiosius explorator vitam tuam in quotidiana discussione examina : attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias : qualis sis in moribus, et qualis in affectibus. Redde te tibi, et si non semper, vel sæpe, saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos : in te nihil remaneat indisciplinatum.* (2)

Plures tamen Christiani, non solum quotidianum non faciunt conscientiæ examen, quod Pythagoras suis mandabat discipulis, et Seneca ad praxim redigebat, sed neque ante confessionem sua investigare peccata nituntur, quæ *malunt nescire* (3), ne si ea cognoverint, detestari, moresque corrigere teneantur; quos de dolo accusat D. Augustinus : *Sunt enim homines qui conantur quærere iniquitatem suam, et timent illam invenire, quia si illam invenerint, dicitur illis : Recedite ab illa. Multi autem dolose agunt, ut inveniant iniquitatem suam, id est, non ex animo agunt invenire et odisse; sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inventione defensio iniquitatis est.* (4) Tria hominum genera distinguit D. Augustinus. Quidam dolose quærunt iniquitatem suam, et timent eam invenire, ne teneantur illam deserere et odisse. *Qui enim quærit ac timet ne inveniat illam, dolose quærit.* Nonnulli iniquitatem quærunt, et inventam defendunt. Non sciebamus, inquiunt, quia peccatum est : hi etiam sunt dolosi et non sinceri inquisitores : *Nam si non dolose, sed sinceriter ageres, jam invenisses, et odisses; modo invenisti, et defendis : dolose ergo agebas cum quæreres.* Tandem alii sincere quærunt iniquitatem, quam postquam invenerint, non defendunt, sed oderunt et derelinquunt. *Cum viderit homo quia peccatum est, et desiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat. Vere sic voluit nosse iniquitatem, ut inveniret et odisset.*

Probus Christianus horum exemplum sibi imitandum proponit. 1. Omni studio investigat iniquitatem suam, ut illam aversetur et deserat : quia *neque judex juste ulciscitur nisi cognoscat admissum esse quod non licet, neque civis fideliter legi obsequitur, ignorans quale sit quod ulciscitur.* (5) 2. Inventam

(1) Ps. 50. — (2) Hom. 4. — (3) Num. 21. — (4) Tert. Apol. 8. — (5) D. Bern. Serm. 4. de Diversis. — (6) Tert. Apol. 14.

(1) Serm. de S. Andr. — (2) Medit. de Cognit. hum. condit. — (3) Tert. Apol. 1. — (4) In Ps. 35. — (5) Tert. Apol. 4

inquisitione iniquitatem suam non celat, sed sincere in foro pœnitentiæ manifestat, et *ultro confitetur*. (1) 3. Iniquitatem diligenti studio quæsitam; inventam, animitus detestatam; sincere manifestatam, dolose non defendit : *cujus accusatio votum est*. (2) Inde concludit D. Bernardus loquens de examine delictorum ad pœnitentiæ sacramentum prævio : *Quid restat, nisi ut de cætero, toti incumbamus huic operi tam sancto, tam necessario* (3), cujus conditio et qualitas denotatur.

II. PARS. Examen delictorum ad confessionem necessario prærequisitum, omni studio faciendum est, ne quid investigatum *quasi de conscientia præterissemus*. (4) Deus cuncta produxit *in numero, pondere et mensura*. (5) Examen quoque ad pœnitentiam prævium faciendum est in numero, pondere et mensura. Est etenim, 1. Peccatorum multitudo investiganda; 2. Delictorum gravitas recogitanda; 3. Peccantium qualitas mensuranda.

2. Ad peccatorum mortalium numerum *inquisitio extenditur*. (6) Examen enim fieri debet de cunctis peccatis in confessione manifestandis. In confessione autem manifestanda sunt cuncta mortalia, non solum in genere, non solum in specie, sed etiam in numero sigillatim quantum fieri potest. Ex Tridentino etenim : *Si quis dixerit in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, anathema sit !* (7) Ad debitam autem illam et diligentem præmeditationem examinanda sunt cuncta peccata cordis, oris et operis, quæ sunt contra Deum, seipsum et proximum; considerare peccata, non solum commissionis, sed etiam omissionis; inquirere, non solum eorum genus, speciem, sed etiam numerum, imo et gravitatem.

2. Circumstantias etiam vel speciem mutantes, vel peccatum aggravantes. *Si damnas, cur non et inquiris?* (8) Inquirenda sunt examine prævio ea quæ sunt confitenda; circumstantiæ autem quæ speciem peccati mutant, vel peccatum notabiliter aggravant, confitendæ sunt; ergo et discutiendæ, imo mensuranda est personæ conditio et qualitas.

(1) Tert. Apol. 1. — (2) Tert. ibid. — (3) Serm. 58. in Cant. — (4) Tert. Apol. 16. — (5) Sap. 11. — (6) Tert. Apol. 2. — (7) Sess. 14. Cant. 7. — (8) Tert. Apol. 2.

3. Tria sunt in examine investiganda, scilicet : 1. Peccatorum numerus; 2. Circumstantiæ vel speciem mutantes, vel notabiliter aggravantes : furtum v. g. est peccatum ex genere suo mortale; furari autem in Ecclesia est circumstantia speciem mutans, quia ratione loci sacri est sacrilegium : furari autem centum nummos aureos est circumstantia notabiliter aggravans peccatum : cujus 3. Requirenda est personæ qualitas : lascivire cum soluta est simplex fornicatio; cum virgine, stuprum; cum uxorata, adulterium; cum religiosa, sacrilegium; cum propinqua, incestus. Circa personam, investiganda est adhuc ejus conditio, an sit miles, mercator, causidicus, agricola, paterfamilias, servus, uxoratus, solutus : sunt etenim multa peccata quæ respiciunt officium, negotium, quæque ad conditionem aptantur : *Redi ergo ad cor tuum, et diligenter discute teipsum*. (1) Qualis autem debeat esse tua diligentia, impræsentiarum declaratur.

III. PARS. Multi *inquisitione et agnitione neglecta* (2) accedunt ad pœnitentiæ sacramentum, nec attendunt ad Prophetam fulminantem : *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*. (3) Nonnulli post annum a confessione elapsum se nullum peccatum fecisse testantur. *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens : Quid feci?* (4) Quo nihil stolidius concipi potest. Scelerosus post tot patrata peccata cordis, oris et operis, quot fert in capite capillos, se nihil fecisse asseverat. Alii etiam alicujus notæ homines, se quidem grandes peccatores proclamant, nulloque declarato peccato rogant confessarium ut eos interroget, dicentes se confitendi ignorare methodum. Tales sunt *foris acuti, intus cæci*. (5) Patronus memoria tenens cunctas leges quæ continentur in jure civili, nescit investigare peccata, quæ sunt contra decalogum. Chirurgus probe noscit facere anatomiam corporis humani, et cordis sui ignorat secreta. Mercator est acutissimus in vendendis mercibus, et in dinumerandis peccatis quæ commisit, stupidissimus. Hi omnes *sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt* (6) : et hoc quia nolunt. Ignorantia cum sit affectata, eos non excusat. Quemvis eorum redarguit Regius Vates, quia *noluit intelligere ut bene ageret*. (7) Ex Concilio autem Tridentino, *tenetur quilibet facere inquisitionem*,

(1) D. Bern. Tract. de Interm. Dom. c. 6. — (2) Tert. Apol. 3. — (3) Jerem. 48. — (4) Eccles. 1. — (5) D. Greg. L. 23. Mor. 16. — (6) Jerem. 4. — (7) Ps. 35.

qualem meretur negotium arduum, boni viri arbitrio, pro ratione vitæ suæ et negotiorum. (1) Quare, Fratres, ne incurramus maledictionem adversus negligentes vibratam : in examine confessionis annuæ prævio tantam adhibeamus diligentiam, quantam ad 1. Sententiam ferendam ; 2. Rem perditam recuperandam; 3. Rationem de re magni momenti reddendam.

3. Judex sententiam laturus omnimoda diligentia inquirit *qualitatem facti, locum, modum, tempus, conscios, socios.* (2) Eadem præstet peccator accedens ad pœnitentiæ tribunal : diligenter examinet tempus ultimæ confessionis, loca in quibus mansit, negotia quæ pertractavit, modum quem in rebus adhibuit, qualitatem facinorum quæ fecit, socios quos in patrandis criminibus habuit; et ut eum hortatur D. Bern. *considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis ; quantum quotidie proficis, vel quantum deficis : quibus cogitationibus magis incursaris; quibus affectionibus frequentius tangeris; vel quibus tentationum maculis a maligno spiritu acrius impugnaris* (3), tantamque in tuis investigandis peccatis adhibe diligentiam, quanta requiritur ad rem perditam recuperandam.

2. Exemplum habemus in Evangelio, *quod mulier drachmam perdidit, et requirit.* (4) Alludit Tertullianus ad Evangelistam Lucam dicentem : *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat?* (5) Peccando perdidimus, *non drachmam, sed talentum* (6) : non vilia fortunæ bona, sed immensos gratiæ thesauros, *quibus exquirendis non lucernæ spiculi lumine, sed totius solis lancea opus est.* (7) Quanto pretiosius est quod perdidimus, tanto est diligentius inquirendum. Itaque *scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum* (8), cui non parvi momenti reddenda est ratio.

3. Villicus patrifamilias redditurus rationem, tutor seu curator pupillo restituturus patrimonium pluribus annis administratum, ut hoc facilius exsequatur, *multis instrumentis cum digitorum supputariis gesticulis assidendum est, reseranda archiva, advocandi municipes eorum per quos notitia subministrata est ; censuales conferendi, et quæ quando sint gesta, ut concatenationes temporum aperiantur, per quæ luceant annalium numeri.* (9) Censuales sunt librarii, scribæ, tabelliones; concatenationes temporum, id est, continuationes. Si igitur villicus redditurus rationem diligenter attendit ad annos suæ villicationis, supputat reditum annum quem solvere tenetur; scripta contractusque initos attente legit et perlegit: qualis, quæso, debet esse diligentia peccatoris rationem Deo in pœnitentiæ throno reddituri? Discamus a villico Evangelico, qui cum ad reddendam rationem a Domino fuisset advocatus : « Redde rationem villicationis tuæ, ait intra se (1) : » *Pungit cor suum, stimulat mentem suam, et omnia vexat interna ut a se pœnitentiam, quam pro se dare possit, extorqueat.* (2) Peccator Deo rationem redditurus, ut *pœnitentiæ solvat usuram* (3), omnimoda uti tenetur diligentia, ut imprimis semetipsum cognoscat, ad instar D. August. Deum enixe deprecantis : *Ostende meipsum mihi.* (4) Sui namque cognitio est via ad Dei notitiam. Ut enim ait D. Bernardus, *cum totum interioris exteriorisque hominis statum et habitum, inquantum possibile est, plene cognoveris, et non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debueras, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei.* (5) Quare, Frater, omni studio ad tui cognitionem invigila, ut te cognoscas, diligenter temetipsum examina, et ut examen ad confessionem requisitum tibi temetipsum reddat, sæpe sæpius conscientiam tuam inspice, actus tuos discute, et vias tuas scrutare: *Tunc non te frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti; et toties non te fefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaveris : si autem hoc cum opus facis semper facis* (6), repetita illa et quotidiana inquisitio facilius tibi reddet examen ad confessionem necessario prævium : *Sic ergo tibi cognitus, et in te pœnitens, transvola* (7) ad cœlum immarcessibili potiturus felicitate.

(1) Sess. 14. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) Lib. de Inter. Dom. c. 6. — (4) Tert. L. de Pœn. 8. — (5) Luc. 15. — (6) Tert. L. de Pud. 7. — (7) Tert. ibid. — (8) Thren. 3. — (9) Tert. Apolog. 19.

(1) Luc. 16. — (2) Chrysol. Serm. 125. — (3) Chrysol. Serm. 126. — (4) Lib. 10. Confess. 37. — (5) Lib. de Inter. Dom. c. 6. — (6) D. Bern. Serm. 58. in Cant. — (7) D. Bern. Serm. de S. Andrea. — (8) Tert. Lib. de Pœn. 7.

CONCIO SECUNDA.

Doleat *et ingemiscat necesse est* (8) peccator accedens ad pœnitentiæ sacramentum, quod est velut totum quoddam artificiale constans materia et forma. Unde postquam concilium Florentinum decrevit quod « omnia sacramenta tribus perficiuntur : videlicet rebus tanquam materia ; verbis, tanquam

forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. » Mox de sacramento pœnitentiæ subjungit : « Quartum sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes ; quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero ; secunda, est confessio, ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter ; tertia, satisfactio pro peccato secundum arbitrium sacerdotis : quæ quidem fit per orationem, jejunium et eleemosynam. » Idipsum de pœnitentiæ sacramento docet Tridentinum : *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti, ipsius pœnitentis actus : nempe contritio, confessio et satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, et ad plenam et perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* (1) Non immoror in disputando, an actus pœnitentis sint materia ex qua constat sacramentum, aut materia circa quam versatur sacerdotalis absolutio ; neque adhuc an sint partes essentiales vel integrales : hæc theologis examinanda relinquo ; impræsentiarum, de contritione dissero ad sacramentum pœnitentiæ necessaria, includens 1. Peccati detestationem ; 2. Cordis compunctionem ; 3. Constantem non amplius peccandi resolutionem.

I. PARS. *Quisque contritus atque contusus est* (2) per contritionem ut sic et in communi acceptam. Ex Tridentino autem, *contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, est dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* (3) Hæc definitio competit tum contritioni perfectæ, tum imperfectæ, seu attritioni, quæ dicitur imperfecta, non absolute, sed respective et comparative, quia scilicet comparata ad contrionem est minus perfecta, quia habet motivum minus perfectum, quæ convenit et disconvenit cum contritione. Convenit, quia utraque est, 1. Supernaturalis, et a Spiritus Sancti impulsu dimanans ; 2. Spontanea et a voluntate procedens ; 3. In misericordia divina fiduciam habens ; 4. Peccatum odio habens et detestans. Disconvenit vero ratione motivi ; motivum enim contritionis est amor Dei super omnia ; motivum autem attritionis est, 1. Fœditas culpæ ; 2. Metus gehennæ ; 3. Amor felicitatis seu gloriæ.

Tertullianus christianam religionem ab omni probro sic vindicat : *Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet, pudorem, pœnitentiam, deplorationem ?* (1) Cum enim peccatum sit fœdissimum, fœdat et turpat peccatores, qui Spiritus Sancti gratia et fide illustrati, conspicientes et peccati turpitudinem et fœditatem, quam ipsi *maculis capitalium delictorum* (2) contraxerunt, peccati detestantur turpitudinem, rubore et verecundia afficiuntur, impudenter monstro adeo horribili adhæsisse. *In pudoris notam capitis pœna conversa.* (3) Peccator est æterna morte mulctandus ; Deus tamen *suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere,* obligans peccatorem ad attritionem ob turpitudinem peccati conceptam, *cujus pavorem et pudorem rubore atque pallore testetur* (4), et hoc motivum sufficiens declarat Concilium Tridentinum, contritionem distinguens in perfectam et in imperfectam quæ *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, et voluntatem peccati excludat cum spe veniæ.* (5) Attritionis duplex denotat motivum : scilicet culpæ pudorem et gehennæ timorem.

1. *Timor fundamentum salutis est* (6) : quia scilicet gehennæ metus movet ad attritionem, quæ disponit peccatorem, ut in sacramento gratiam sanctificantem recipiat. Hujusmodi motivum ex metu gehennæ desumptum, peccatori proponit Tertullianus, ut eum ad delictorum suorum detestationem et dolorem inducat. *Deliqui dicito in Deum, et periclitor in æternum perire : itaque nunc pendeo, et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.* (7) Hæc Tertulliani doctrina destruit binum Lutheri errorem. Unum, quo vult dolorem ex metu gehennæ conceptum, esse malum, efficereque hominem pejorem et hypocritam ; alterum, hujusmodi dolorem ex metu gehennæ conceptum, esse omnino insufficientem ad recipiendam gratiam etiam in sacramento virtute absolutionis. Nam quod est fundamentum salutis non est malum, neque hominem efficit pejorem et hypocritam : sed ex Tertulliano, timor est fundamentum salutis, ergo non est malus. Deinde, quod disponit hominem ut reconcilietur Deo, non est insufficiens ad receptionem gratiæ,

(1) Sess. 14. c. 3. — (2) Tert. Apol. 13 — (3) Sess. 14. c. 4.

(1) Tert. Apol. 1. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (3) Tert. Apol. 5. — (4) Tert. L. de An. 5. — (5) Sess. 14. c. 4. — (6) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (7) Tert. L. de Pœn. 11. — (8) Serm. 2. de Pœn.

sed dolor de peccato ex metu gehennæ conceptus disponit hominem ut in sacramento reconcilietur cum Deo; ergo attritio ex metu gehennæ concepta est dispositio sufficiens ad pœnitentiæ sacramentum. Binum Lutheri errorem damnavit Tridentinum. Primum quidem : *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit !* (1) Alias Christus Dominus consuleret malum dum discipulos *monet non eos timendos qui solum corpus occidant, animam autem interficere non valeant; sed illi potius metum consecrandum, qui et corpus et animam occidere et perdere possit in gehenna.* (2) Verba ab ipsomet Christo prolata (3) refert Tertullian. ubi D. Augustinus : *Audiunt hæc homines, timent, et continent se a peccato : timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et jam incipit homo juste vivere.* Secundum etiam : *Si quis dixerit eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, infidelitatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem : anathema sit !* (4) Postquam concilium decrevit attritionem non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, mox subjungit : *Verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens ad intus viam sibi ad justitiam parat : et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* (5) Etenim eodem modo ratiocinandum est de sacramento pœnitentiæ ac de baptismate, cum utrumque sit sacramentum mortuorum : baptisma quidem sacramentum regenerativum : pœnitentia vero, sacramentum ressuscitativum et reparativum : sed attritio est in adulto baptizando sufficiens dispositio ad gratiam sanctificantem suscipiendam : ergo attritio in pœnitente est sufficiens dispositio ad gratiam sanctificantem in pœnitentiæ sacramento recipiendam. Minor est D. Augustini dicentis : *Qui volunt fieri Christiani, tenentur habere aliquam dispositionem non omnino perfectam, sed sufficientem, ut baptismum suscipiant, et per illum justificentur.* (1) Loquitur autem de attritione quæ habetur ex metu damnationis, quam dicit sufficientem, ut per baptismum recipiant gratiam. De hac dispositione ab adultis baptizandis ex metu pœnæ prærequisita, ut in baptismate a peccatis absolvantur, et gratiam sanctificantem recipiant, loquitur Tertullianus. *Tunc opinor emendatos liquebit, cum absolvimur. Nullo pacto. Sed cum pendente venia, pœna prospicitur ; cum adhuc liberari non meremur, ut possimus mereri ; cum Deus comminatur, non cum ignoscit. Peccator ante veniam deflere se debet, quia tempus pœnitentiæ idem quod periculi et timoris. Neque ego renuo divinum beneficium, id est, abolitionem delictorum, inituris aquam omnimodo salvum esse ; sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est.* (2) Non dissimiliter ut homo justificetur in pœnitentiæ sacramento, elaborandum est sese disponendo per attritionem ex metu gehennæ excitatam, quo timore concipitur spiritus salutis, ut fatur Evangelicus Propheta: *A timore tuo concepimus spiritum salutis.* (3) Seu, ut vertunt Septuaginta interpretes, *a timore tuo, Domine concepimus spiritum salutis, et pœnitentiæ salutaris.* Pœnitentia salutaris non dicitur generari a timore, sed concipi : tum ut denotetur prima pœnitentiæ origo. Conceptio proprie fit intra uterum, pœnitentia autem concipitur in corde, postea conceptus in corde dolor ex metu gehennæ producitur exterius per oris confessionem : tum quia quod generatur habet causam per se et perfectam ; quod autem concipitur, non habet respectum ad causam efficientem per se et primo, sed quodammodo cooperantem : causa autem per se primo pœnitentiæ est gratiæ auxilium : timor vero est duntaxat cooperans ; unde pœnitentia salutaris non generatur, sed concipitur, timore gehennæ, qui non excludit alia motiva detestandi et odiendi peccatum.

Licet voluntas hominis attriti proxime stimuletur ad vitandum peccatum ex metu gehennæ, in eo tamen non quiescit, sed virtualiter et mediate tendit in Dei justitiam peccata punientem : non secus ac actus spei proxime et immediate tendit in beatitudinem mediate, tendit in Deum beatificantem,

(1) Sess. 6. Cant. 8. — (2) Tert. Scorp. 9. — (3) Matth. 10. — (4) Sess. 14. Can. 5. — (5) Sess. 14. c. 4.

(1) Lib. de Catech. Rud c. 17. — (2) Tert. Lib. de Pœn. 6. — (3) Cap. 26.

quatenus bonum ipsi sperantí. Imo attritio ex metu gehennæ concepta virtualiter et remote divinum includit amorem : qui enim timet infernum, virtualiter saltem desiderat gloriæ possessionem ; quoniam inter utrumque non datur medium : qui autem desiderat beatitudinem, virtualiter desiderat amorem Dei, in quo sita est formalis beatitudo : quæ est sufficiens attritionis motivum.

3. *Bonorum quorumdam sicuti, et malorum intolerabilis magnitudo est.* (1) Loquitur et de cœlesti beatitudine, et de infernali miseria, quæ tantæ sunt ut neque humana mente concipi, neque lingua declarari possint. Quemadmodum autem timor pœnarum inferni est motivum attritionis, ita spes beatitudinis ad dolorem peccati nos stimulat. Trino potissimum motivo incitamur ad detestationem peccati : 1. Ex affectu charitatis, et amore Dei ut summi boni super omnia dilecti, et est contritio perfecta procedens ex amore amicitiæ qua Deus propter se diligitur ; 2. Ex affectu spei, seu amore concupiscentiæ qua Deus summum bonum, summe amandum diligimus, non propter se quatenus est sibi bonus, sed propter nos ut bonum nostrum in cujus possessione consistit æterna nostra felicitas, et in cujus amissione æterna nostra miseria et infelicitas sita est ; et dolor ejusmodi de peccatis et metu gehennæ incurrendæ, et timore amittendæ beatitudinis, est contritio imperfecta, seu attritio inducta ex virtute spei, quæ cum habeat pro objecto Deum ut nobis bonum, et a nobis possidendum, odit peccatum quod huic possessioni contrariatur ab eaque removet. Et hujusmodi attritio ex affectu spei concepta virtualiter et implicite includit Dei dilectionem : non enim dolet de peccato nisi quatenus impedit Dei possessionem ; non doleret autem de remotione possessionis Dei, nisi saltem virtualiter Deum diligeret, quia tantus est dolor in amittendo, quantus est amor in possidendo; 3. Ex timore gehennæ concepto ex consideratione divinæ justitiæ, in inferno peccata punientis. Ex triplici illo motivo illud quod ex affectu charitatis et amore benevolentiæ in Deum nascitur, est cæteris perfectius : quod vero procedit ex affectu spei et amore concupiscentiæ in Deum prout nobis bonum, est nobilius illo quod ex metu gehennæ procedit, et licet utilius sit et magis meritorium detestari peccatum ex pura Dei dilectione, quam ex amore gloriæ, quam ex metu gehennæ : plures tamen dolent de peccatis ex timore gehennæ, quam ex affectu gloriæ, aut Dei charitate: quia animalis homo præsertim existens in peccato mortali, non sapit infinitam Dei amabilitatem, neque degustat æternæ felicitatis dulcedinem. Sentit autem et experitur temporales pœnas, ex quibus colligit quantum gravia sint inferni supplicia ob quorum timorem peccata detestatur et de illis in corde conteritur.

(1) Tert. L. de Pat. 1.

II. PARS. *Voluntas facti origo, non tanto potior ad pœnam est, quanto principalis ad culpam.* (1) Voluntatis autem pœna est *contritio cordis* (2), quæ animi dolorem importat. Unde Concilium Tridentinum (3) contra Lutheranos declarat pœnitentiam non esse simplicem resipiscentiam, et nudam cessationem a peccato, sed etiam dolorem de peccato commisso. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus : *Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi de his quæ facta sunt satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium.* (4) Quod quam justitiæ sit consentaneum, quadruplici ratione demonstrat : 1. Æquum est ut animus qui sese peccando extulit adversus Deum per contriti cordis humilitatem Deo satisfaciat : etenim *tritura cordis est humilitas.* (5) 2. Justum est ut criminosa cordis delectatio, dolorosa cordis amaritudine puniatur : *Animus sicut delectatus est in peccatis, sic tribulari debet in pœnitentia.* (6) 3. Ex justitia tenetur peccator cordis tolerare dolorem, non solum ob peccata quæ commisit, sed etiam ob virtutes quas amisit *dolendum est, et dolore purgandum, non solum quod peccavit, sed quod se virtute privavit.* (7) Tandem, 4. Non solum justitiæ consentaneum, animi dolorem, sed necessarium ad remissionem peccatorum declarat : *Ut corporis membra læsa utique non possunt sanitatis recipere medicinam; sicut et peccatores non possunt peccata sua redimere nisi dolorem senserit animus qui peccaverit* (8) : absque contritione perfecta, et confessione in voto non remittuntur peccata extra pœnitentiæ sacramentum, neque etiam in pœnitentiæ sacramentum, nisi adsit contritio, vel saltem attritio, supposita itaque contritionis necessitate, declaranda est in præsentiarum ejus 1. Extensio ; 2. Intentio; 3. Duratio.

(1) Tert. L. de Pœn. 3. — (2) D. Aug. Serm. 29. de Verb. Apost. — (3) Sess. 14. c. 4. — (4) Lib. 50. Hom. hom. ult. — (5) In Ps. 74. — (6) Lib. quæst. vet. et nov. Test. q. 162. — (7) Lib. de Ver. et fals. Pœn. 14. — (8) L. q. Ver. et Nov. Test. c. 162.

1. *Cor contribulatum et humiliatum hostia Deo est.* (1) Modo contritio ad omnia peccata mortalia se extendat, et cor de cunctis in communi, et sigillatim quantum possibile est dum confitenda sunt doleat: si enim pœnitens doleret quidem de quibusdam peccatis, et in aliis complacentiam haberet, talis contritio esset inutilis, neque sacrificium illud Deo esset acceptum. At proh dolor! *Sunt plures quos pœnitet peccasse, sed non omnino, servantes sibi quædam in quibus delectantur; nec animadvertunt Dominum simul mutum et surdum a dæmonio liberasse. Per quod utique docet nos nunquam nisi de omnibus sanari; si enim vellet ex parte peccata reservare, habenti septem dæmonia proficere potuit sex expulsis: expulit autem septem, ut omnia crimina simul elicienda doceret, legionem vero dæmonum ab alio ejiciens nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret; ostendens quod si etiam peccata sint mille, oportet de omnibus pœnitere; qui nunquam aliquem sanavit Dominus, quem non omnino liberavit: totum enim hominem sanavit in sabbatho, quia corpus ab infirmitate et animam ab omni contagione liberavit, indicans pœnitentem simul pœnitere omni crimine.* (2)

Qui scienter de aliquo peccato mortali non pœnitet, hostiam dimidiatam offerens, Deo non placet, neque probe illum honorat; cui aptari possunt verba D. Bernardi: *Bene honoras Deum munere fœtido? Quomodo hostia pacifica, ubi tam sæva discordia est? Concilias Deum tibi, discors tecum; non placas, sed peccas; recta oblatio, sed crudelis divisio.* (3) Qui dimidiatam Deo offert pœnitentiam, imitatur Saulem Regem cui præcepit Deus: « Recensui quæcunque fecit Amalec Israëli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, et percute Amalec et demolire universa ejus: non parcas ei et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid; sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum: percussitque Saül Amalec, et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii, et pepercit Saül, et populus, et Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus, et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. » (4) Non dissimiliter plures peccatores quidquid vile est demoliuntur de parvis peccatis dolent, quod vero pulchrum est conservant; non pœnitent de peccato illo quod in eis prædominatur.

Nec animadvertunt quod repugnat, ut de quibusdam peccatis vere pœniteant, si in aliis delectentur; alias simul placerent et displicerent Deo; simul Dei essent amici et inimici, simul essent conversi ad Deum et a Deo aversi: simul essent in gratia et sine gratia: dimidiam veniam consequerentur a Deo, pluraque alia hujusmodi absurda et incompossibilia sequerentur: nam, ut philosophatur D. Augustinus, *scio Deum inimicum omni criminoso: quomodo ergo qui crimen reservat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei consequeretur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam; hostis enim Dei est dum offendit perseveranter: quædam etiam impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est dimidiam sperare veniam: jam enim foret sine pœnitentia invenire gratiam.* (1) Quare peccator ut redeat cum Deo in gratiam, ejus efficiatur amicus, totalemque delictorum recipiat veniam, *debet dolere de crimine, et de omni ejus varietate.* (2) Tunc pœnitentia est vera et fructuosa, cum est integra, nec voluntariam patitur criminum divisionem: tunc *cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur* (3), cum contritio debitam habet extensionem et intensionem.

2. *Voluntatis delicta, pœnitentia purganda* (4) sunt per dolorem. Ex D. August. (5) duplex est dolor, sensibilis unus, alter mentalis: ille est quædam passio in parte sensitiva; iste est in voluntate, nihilque aliud est quam nolitio seu displicentia peccati, prout est Dei offensa. Dolor sensibilis non est contritio, sed duntaxat contritionis effectus, seu signum, cujusmodi sunt *lacrymæ non fictæ de vena cordis profluentes.* (6) Dolor mentalis seu displicentia peccati propter Deum offensum est contritio, cujus nomen deducitur a verbo *contero*, quod significat rem duram in partes minutissimas dividere. Per peccatum enim hominis voluntas et cor induratur et infirmatur in malo; juxta istud Jobi: *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.* (7) Unde voluntatis et cordis nolitio, displicentia et dolor, ejusmodi tollens duritiem et peccatum expungens, dicitur contritio.

(1) Tert. L. adv. Jud. 5. — (2) D. Aug. L. de ver. et fals. Pœn. 9. — (3) Serm. 24. in Cant. — (4) Lib. 1 Reg. 15.

(1) Lib. de ver. et fals. Pœn. 9. — (2) D. August. L. de ver. et fals. Pœn. 17. — (3) Tert. L. adv. Jud. 5. — (4) Tert. L. de Pœn. 5. — (5) Lib. 14. Civ. cap. 15. — (6) D. August. Serm. 29. de Verb. Apost. — (7) Cap. 41.

Animadvertit D. Bonaventura ex Alexandro Alensi (1) quod in contritione tria sunt attendenda : quod conteritur, a quo conteritur et ad quid contritio terminatur. 1. Quod conteritur est cor peccatoris, quod est tanquam vas plenum veneno ; 2. Quo conteritur est duplex mola, uti frumentum, ita cor duplici mola conteritur. Una est superior sursum elevans, nimirum spes veniæ ex consideratione divinæ misericordiæ ; altera inferior deorsum deprimens, scilicet timor pœnæ veniens ex consideratione divinæ justitiæ ; 3. Contritio ad id terminatur ut peccati delectatio totaliter effundatur, ideo dicitur contritio non fractio. Fractio non etenim est in partes majores et imperfecte divisas, contritio vero in partes minimas et perfecte divisas. Cum autem vas imperfecte et in partes majores frangitur, odor, vel color, vel sapor, remanet in partibus vasis. Quando autem vas confringitur, nihil coloris, odoris, saporis, remanet in partitibus vasis : ideoque cum cor conteritur et per contritionem frangitur, per perfectum dolorem, et displicentiam de peccato, tunc nihil doloris, saporis, id est, delectationis peccati remanet in corde, quod *fit vas in honorem et sanctificationem.* (2) Et hac de causa contritio dicitur a Guillelmo Alverno, *confractio, comminutio, et quasi in pulverem redactio veteris hominis.* (3)

Subjungit Parisiensis Antistes : Contritio nominatur « compunctio, quia tunc primo sentiuntur spinæ et aculei peccatorum, cum Spiritus Sanctus cor peccatoris infusione suæ gratiæ vivificaverit ac sanctificaverit ; sive quia tunc in imo cordis, et intimum cordis infiguntur aculei peccatorum, qui ante adventum Spiritus Sancti non sentiebantur. » Verum licet contritio et compunctio subjectentur in corde, differunt tamen ad invicem: tum quia contritio dicit respectum ad peccatum quod in contritione destruitur : compunctio vero dicit respectum ad subjectum, seu ad cor, quod dolore pungitur : tum quia contritio dicit ipsam doloris acerbitatem, absque alicujus exterioris signi expressione ; compunctio vero dicit dolorem cum aliquo signo externo quod eum exprimit, v. g. cum lacrymis : quia, ut ait D. Augustinus, *lacrymæ testes sunt doloris.* (4) Quomodo contritio definitur a Sancto Isidoro : *Compunctio et humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati et timore judicii.* (5)

(1) 4. p. q. 17. memb. 2. — (2) 2. Tim. 2. — (3) De Sacram. Pœn. c. 5 — (4) Lib. 50. Hom. hom. ult. — (5) Lib. 2. de Sum. Bon. c. 12.

Utinam peccatores tantum conciperent dolorem de peccato commisso, quantum multi homines irrationaliter pœnitentiam in bonis factis suis adhibentes, quique, ut animadvertit Tertullianus, *prout quid in ingratiam cecidit, semetipsos exsecrantur, quia benefecerint, eamque maxime pœnitentiæ speciem quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt* (1) : ut experientia patet, dum aliquod damnum, vel aliqua adversitas eis accidit, internum cordis dolorem, gemitibus, clamoribus denotant, eosque bonorum quæ fecerunt pœnitet : *Contra, pœnitentiæ malorum levius incubant* pro patratis criminibus quantumvis magnis, non conteruntur et dolent in corde, neque ullum compunctionis signum ostentant : unde culpabiles sunt et excessus et defectus doloris. Excessus quidem, pœnitentiam bonorum quæ egerunt, in corde figentes : defectus etiam, pœnitentiæ malorum quæ perpetrarunt levius incubantes. Pœnitentes de suis sceleribus sibi displicentes, et in corde dolore mentali et rationali, non sensitivo, contriti, possunt defectu doloris intellectualis, seu displicentiæ, sed non excessu, peccare. Defectu quidem vel cum eis displicet peccatum, non eo modo quo debet si pœniteant propter sui pœnam, non propter Dei offensam : vel dum non tantum dolent quantum debent, neque habent in parte intellectiva tantum doloris seu displicentiæ peccati, quantum ad contritionis veritatem requiritur, ut si non magis displiceant de Deo per peccatum offenso, quam de amisso obolo. Excessu autem doloris mentalis nequeunt peccare, quia dolor rationalis voluntatis nimius esse non potest (2) : tum quia contritio est dolor divina gratia informatus ; divina autem gratia, nimia in nobis esse nequit : tum quia quantum est diligenda alicujus boni præsentia, tantum detestanda est illius carentia : sed Deus nequit nimis amari et appeti, neque peccatum, quod a Deo separat, nimis detestari : tum quia displicentia peccati ex amore charitatis procedit, amor autem charitatis quo Deum diligimus nequit esse nimius, neque etiam displicentia peccati seu contritio ob Deum charitate dilectum nimia esse potest : et ob hanc causam contritio est dolor summus non sensitive, neque intensive, sed æstimative et appretiative. Non : 1. Sensitive ; quia dolor sensitivus de peccato, seu passio ex displicentia rationis in sensualitate resultans, non debet esse major quam de re temporali ;

(1) Tert. L. de Pœn. 1. — (2) Alex. Alens. 4. p. q. 17. a. 1.

imo non est necessarius : multi enim habent displicentiam peccati, qui exterius nullum contritionis præstant indicium ; deinde plures abunde lacrymantes, non tantum in corde dolent, quantum alii qui nulla fundunt lacrymas; sensitivus enim dolor non est in hominis potestate, et multoties temperamentum et complexionem sequitur, non vero amorem. Non, 2. Intensive : tum quia quod est intensissimum, non est in uno intensius quam in altero : dolor autem cordis est intensior in illis pœnitentibus qui sunt *dolore nutriti* (1) quam in aliis ut Davidis, Petri, et Magdalenæ comprobatur exemplo : tum quia si certus intensionis gradus in contritione requiratur, pœnitens habebit justam doloris mensuram, et casu et fortuito, non ex electione ; tum quia persæpe Sancti majori intensione dolent de amissione liberorum, quam de reatu peccatorum, ut constat ex Jacobo qui nolebat admittere consolationem super amissionem Joseph : Davide, qui intensiorem in Absalonis filii morte dolorem ostendit quam de adulterio et homicidio. Hujus ratio est, quia magnitudo intensiva doloris, oritur ex parte subjecti, et ex conatu quo dolor intenditur ad alicujus mali detestationem ; appretiativa vero, oritur ex parte objecti, quod super omnia doloris objecta odio habetur. Persæpe autem accidit ut de re aliqua magis intensive doleamus, de qua minus appretiative dolemus, et e converso : unde licet Jacob et David habuerint majorem intensive dolorem de amissione liberorum quam de peccatis suis, habuerunt tamen appretiative majorem dolorem de peccatis suis quam de morte liberorum : maluissent enim amisisse liberos, quam peccasse mortaliter. Non secus ac pater senex filium natu minorem intensius et tenerius diligit, quam primogenitum : primogenitum vero appretiative magis diligit quam natu minorem; majora namque illi quam huic largitur bona. Ex his sequitur contritionem debere esse 3. Summam appretiative, quia sicut amor Dei debet esse summus appretiative, ita dolor de peccato summus appretiative. Tunc amor Dei est summus appretiative, quando præfertur creaturarum, parentum, suiipsius amori : tunc etiam dolor est summus appretiative, quando peccatum ut maximum omnium malorum, et super omnia detestatur. Quod tunc accidit, ait D. Bonavent. (2) quando homo mavult amittere omne bonum, sive fortunæ, sive naturæ, et pati omne malum pœnæ quam peccare, Deumque offendere; quia, ut ait D. Augustinus, *Magis eligendum Deo dilecto mori quam offenso vivere* : cujus illustre habemus in Susanna exemplum, quæ *potius elegit infamiam et mortem quam consentire peccato.* (1) Quam pauci sunt hac ætate qui demonstrent illa duo contritionis indicia, qui potius sustineant mala quam consentire peccato, qui potius patiantur bonorum jacturam quam offendere Deum ! Nunquid illi vere dolent, qui in quavis adversitate maledictiones, exsecrationes et blasphemias in Deum vibrant? An vero illi parati sunt jacturam tolerare omnium bonorum, qui pro parvo lucro Deum impudenter offendunt? Profecto qui sunt hujusmodi, contritionis neque intentionem, neque extensionem habent.

3. *Pœnitentia delicto deputanda est.* (2) Ut autem cognoscatur pœnitentiæ et contritionis duratio, duplex discriminanda est pœnitentia : exterior una, interior altera. Illa in exterioribus doloris indiciis sita est ; ista in contritione cordis, qua quis dolet de peccato commisso, consistit ; interior autem tripliciter potest considerari, scilicet secundum actum, et secundum tempus certum et determinatum, et secundum propositum. Homo non tenetur continuo ad pœnitentiam exteriorem ; continuo enim non debet mugire, lacrymari, jejunare, orare, confiteri : neque adhuc tenetur continuo ad pœnitentiam internam si secundum actum, et secundum tempus determinatum consideretur. Non quidem si consideretur secundum actum : tum quia non semper sanis sumenda est medicina ; contritio autem est medicina purgans a peccatis : tum quia non semper tenetur ad confessionem et satisfactionem, neque etiam ad contritionem, quæ est quoque pars sacramenti pœnitentiæ : tum quia perfecta charitas sicut foras mittit timorem, ita et dolorem : timor enim dolorem habet ; sed aliquis perfecte pœnitens habet charitatem. Neque etiam si consideretur secundum tempus determinatum et certum, tenetur pro semper et continuo ad internum dolorem, sed duntaxat ad semper, scilicet pro loco et tempore suo, et hæc pœnitentia præsertim quadruplici ratione abeunda est ab homine. Recordatione 1. Criminis quod commisit, 2. Temporis quod amisit ; 3. Exspoliationis gratuitorum quibus denudatus fuit ; 4. Incertitudinis an peccatum quod commisit sit sibi dimissum. Ideirco *dolendum est de peccato*

(1) Tert. L. de An. 56. — (2) In 4. dist. 16. p. 1. a. 1. q 1.

(1) Dan. 13. — (2) Tert. L. de Pœn. 3.

continue, quod declarat ipsa dictionis virtus, id est, pœnitere, quod idem est ac pœnam tenere. (1) Pœnitentia tandem interior, secundum propositum considerata, debet esse continua : tum quia sicut se habet innocentia perseverans ad peccatum de futuro ; ita pœnitentia contra peccatum de præterito ; sed innocentia perseverans semper refugit peccatum futurum ne fiat : ergo pœnitentia peccatum factum semper detestatur, et de ipso dolet ; tum quia perfecta pœnitentia, non solum peccatum, sed etiam peccandi detestatur affectum, juxta istud : *Effunde sicut aquam cor tuum* (2) : sicut enim aqua nec substantiam, nec colorem, nec saporem, nec odorem relinquit in vase e quo effunditur, sic peccatum pœnitentia deletum, nullum sui in corde relinquere debet affectum.

Quamvis, ut jam diximus, non teneatur homo continue elicere dolorem internum, neque externum; attamen sicut nos Apostolus (3) vult sine intermissione orare, hoc est, horis ad orandum statutis, ita homo tenetur conteri continue de peccatis suis, hoc est, tempore et loco : pœnitentiæ enim obligatio non est actu continue exsequenda, est tamen perpetua habitualiter, quia totum tempus præsentis vitæ est tempus contritionis, neque post hanc vitam est contritionis spatium, quoniam in contritione tria sunt : scilicet, essentia, forma, efficacia, quæ nequeunt esse in animabus post hanc vitam : essentia, scilicet dolor nequit esse in Beatis ob plenitudinem gaudii quo perfruuntur ; forma seu gratia nequit esse in damnatis ; efficacia nequit esse in animabus in purgatorio existentibus, quia licet dolor illarum sit gratia informatus, non est tamen meritorius, quia sunt in termino. *Quicquid mediocritas nostra ad pœnitentiam capessendam, et perpetuo continendam suggerere conata est, omnes deditos Domino spectat.* (4) Ideoque omnes quandiu sumus in via, pœniteamus, de peccatis nostris doleamus, et in proposito non amplius peccandi firmiter persistamus.

III. PARS. Qui irrationabiliter pœnitent fecisse bonum, pœnitentiam boni in corde figunt, *meminisse curantes ne quid boni rursus præstent.* (5) Verum ejusmodi propositum non amplius faciendi bonum quod fecisse pœnitent, non est neque secundum rationem, neque secundum Deum. Nam, ut belle ratiocinatur Tertullianus, *si Dei, ac per hoc quoque rationis compotes agerent, merita primo pœnitentiæ expenderent, nec unquam eam ad argumentum perversæ emendationis adhiberent.* Verum quemadmodum propositum non faciendi bonum, est irrationale et iniquum ; ita propositum non amplius peccandi, est rationi et Deo consentaneum, ad quod pœnitentes stimulat, contritionis 1. Necessitas ; 2. Æquitas ; 3. Veritas:

1. *Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana, quia caret fructu suo* (1) ; sed absque firmo proposito non peccandi emendatio esse non potest. Finis etenim obtineri nequit nisi per media convenientia ; unus autem ex præcipuis finibus pœnitentiæ est correctio et emendatio vitæ præteritæ, ad hunc finem obtinendum nullum est aptius medium quam intentio et propositum obtinendi illum. Itaque eadem necessitate qua pœnitentes tenentur ad vitæ emendationem, tenentur quoque ad emendandæ vitæ, et ulterius non peccandi propositum, quod vel formaliter et explicite, vel saltem virtualiter et implicite ad contritionem necessarium censent omnes theologi : quod patet, cum in definitione pœnitentiæ ponatur. Ex Tridentino etenim *contritio est detestatio et dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* (2) Ubi duo ad contritionem requirit, et detestationem vitæ præteritæ, et propositum rectitudinis vitæ futuræ. Quod innuere videtur D. Augustinus aiens : *Convertitur, qui jam totus et omnino vertitur.* (3) Perfecta autem et totalis voluntatis conversio importat terminum a quo, et terminum ad quem, scilicet aversionem et recessum a malo, et conversionem et accessum ad bonum. Recessus a malo fit per peccati detestationem, accessus vero ad bonum per propositum emendationis : quod ex definitione pœnitentiæ a magistro sententiarum traditæ perspicue patet : *Pœnitentia est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus.* (4) Ubi pœnitentia duplicem habet respectum : unum, ad præteritum, peccata commissa plangens et detestans ; aliud ad futurum, peccata præcavens per propositum de cætero cavendi, et plangenda mala non committendi : alias pœnitentia finem suum non assequeretur, fructuque suo frustraretur, nimirum vitæ emendatione. Quod uno verbo Seraphicus Doctor declarat, aiens : *Contritio est dolor per essentiam.* (5) Quo dicendi modo

(1) D. August. Lib. de Ver. et fals. Pœn. 19. — (2) Thren. 2. — (3) 1. Thess. 5. — (4) Tert. L. de Pœn. 5. — (5) Tert. L. de Pœn. 1.

(1) Tert. L. de Pœn. 2. — (2) Sess. 14. c. 4. — (3) L. de vera et falsa Pœn. 17. — (4) Lib. 4. Sent. dist. 14. — (5) In 4. dist. 16. a. 1. q. 1.

declarat non solum contritionis magnitudinem : quæ enim sunt essentialiter talia, perfectissimo modo sunt. Paries non est perfecte albus, quia albedo ei per accidens competit ; at ignis est perfecte calidus, quia calor est intrinsecus igni : sed contritionis essentia denotat invariabilitatem : existentia enim rerum deperditur; at essentia invariabilis est. Contritio est dolor per essentiam, quia est immutabilis, et firmum non peccandi includit propositum : ex Apostolo etenim *tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* (1) Pœnitentiam hujusmodi *plenam* nuncupat D. Cyprianus, non solum quia omnes animæ potentiæ et cuncta corporis membra quæ servierunt iniquitati, serviunt pœnitentiæ ; non solum adhuc quia respicit præteritum, præsens et futurum : præteritum, ob dolorem peccati commissi ; præsens, ob bonum opus de facto patratum ; futurum, ob firmum propositum non amplius peccandi, sed bene et studiose operandi : sed etiam quia quamdam speciem æqualitatis servat inter satisfactionem et offensam. Offensa Dei per peccatum fuit quodammodo infinita, infinitatem quamdam habet firmum propositum Deum in æternum non offendendi, ad quod pœnitentem inducit æquitas.

2. *At cum judex Deus justitiæ charissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat, et in eam omnem summam disciplinæ suæ sanciat, dubitandum est, sicut in universis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque causa justitiam Deo præstandam esse ?* (2) Peccator Deum offendit voluntarie peccans, voluntarie adhærens peccato, per affectum continuo peccandi ; unde ex justitia debet satisfacere Deo per voluntariam conversionem, per peccati detestationem, et firmum et constans propositum non amplius peccandi, sed Deo in æternum serviendi, dicens cum Vate Regio : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum.* Pœnitentia est virtus ad justitiam spectans ; quæ quantum possibile est, debet servare quamdam æqualitatis speciem inter satisfactionem et offensam Deo factam. Deus infinite fuit offensus; ergo contritio debet Deo infinito offenso satisfacere per propositum constans et perpetuum emendationis. Ad quod nos stimulat Evangelista aiens : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* (3) Non dicit Lucas, ut acute animadvertit Doctor Seraphicus (4):Facite fructus bonos pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ. Magnum sane est discrimen inter bonitatem et dignitatem fructus pœnitentiæ. Bonitas desumitur ex parte subjecti a quo procedit; dignitas ex parte objecti ad quod tendit, nempe Dei, cui digne satisfacere nequit, nisi propositum emendationis sit saltem habitualiter perpetuum, et quodammodo particeps divinæ immutabilitatis et æternitatis. Contritio Deo digna trinam temporis respicit differentiam ; præteritum, peccata præterita detestans ; præsens, fructibus pœnitentiæ incumbens ; futurum, nunquam peccare, sed semper Deo servire fortiter proponens. Ut enim sententiose ait D. Bernardus : *Homo tenet futurum per constantiam boni propositi.* (1) Ex jure civili, justitia est constans et perpetua voluntas reddendi unicuique quod suum est ; pœnitentia est pars subjectiva justitiæ, qua pœnitens debet habere constantem et perpetuam voluntatem Deo satisfaciendi, eique ablatum peccato honorem restituendi, si non semper et de facto; saltem habitualiter, virtualiter, proposito et voluntate; siquidem *Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem* (2) : cujus propositum constans et invariabile exspostulat contritionis æquitas et veritas.

3. *Si ergo qui venditant, prius nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter : etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam mercedem, perennis scilicet vitæ, concessurum.* (3) In nummis trinus potest reperiri defectus, ob quem a mercatoribus et negotiatoribus rejicitur : scilicet si sit rasus, nec in eo regius apparet character; si sit scalptus, neque debitum habeat pondus ; tandem si sit adulter, ex fucato scilicet argento, vel mixtus seu compositus. Veræ pœnitentiæ regnum cœlorum pollicetur Deus ; verum ut illud assequatur, non debet esse rasa, sed gratiæ charactere insignita ; non sculpta et diminuta, sed integra cuncta peccata lethalia detestans ; non adultera et fucata, sed vera, et cum firmo et constanti emendationis proposito. Pœnitentia quæ est rasa, neque a gratia procedit, quæ est sculpta et dimidiata; neque de omnibus peccatis dolet ; quæ est adultera, quæ peccato miscetur, vel voluntatem peccandi habet annexam, vel non fit cum constanti emendationis proposito, *non pœnitentia, sed pœnitentiæ larva*, ait D. Chrysostomus. Ex Magno namque Gregorio, *pœnitentiam agere est perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare.* (4) Qui

(1) 2. Cor. 7. — (2) Tert. L. de Pœn. 2. — (3) Luc. 3. — (4) In 4. dist. 14. dub. 16.

(1) In Sent. — (2) D. August. in Psal. 49. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) Hom. 34. in Evang.

autem emendationis firmum non habet propositum, sed peccandi conservat affectum, vere non pœnitet, neque peccatorum obtinet veniam : tum quia manente causa manet effectus, sed inordinata voluntatis adhæsio est causa peccati; ergo manente voluntate peccati non remittitur peccatum : tum quia non solum opere, sed etiam *voluntate delinquitur* (1) ; sed manente opere pravo non dimittitur peccatum ; ergo neque manente voluntate peccandi : tum quia culpa non potest dimitti nisi per veram conversionem reordinetur voluntas ; sed quandiu voluntas remanet fixa in malo, reordinari non potest ; ergo neque culpa remittit. De fucata illa contritione queritur Deus : *Non est reversa ad me prævaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio.* (2) Peccator hujusmodi *irrisor est et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus.* (3) Quid dicendum est *de tam infidæ pœnitentiæ viro* (4), qui accedit ad pœnitentiæ sacramentum cum animo peccandi, et ut videatur pœnitentia functus, mentitur confessario? Scelerose peccator, *furto quidem aggredi, et præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est. Sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos.* (5) Tantum abest ut obtineas peccatorum tuorum remissionem, et adipiscaris gratiam ; quin imo scelera tua sacrilegio incrementas, et æternam attrahis damnationem. Quot sunt hac ætate falsi et fucati pœnitentes, qui accedunt ad pœnitentiæ tribunal absque ulla peccati detestatione, cordis contritione, emendationis resolutione? *Et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia quæ gesserunt.* (6) Vere lugendi, qui nullam agunt de suis sceleribus pœnitentiam ; sed amplius lugendi qui ficte, fucate et mendaciter accedunt ad pœnitentiam ; *Pœnitentiæ ratio, quam cognito Domino discimus, certam formam tenet* (7), a qua ejus mutuatur veritas : uti enim forma dat esse composito, ita forma pœnitentiæ dat illi esse verum. Quænam est autem ejusmodi pœnitentiæ forma, nisi ut peccator propter Deum offensum detestetur peccata quæ commisit, de illis habeat displicentiam et dolorem in corde, constans habeat emendationis propositum? Quapropter, Christiane, *dole quia Creatorem offendisti, cujus legem cœlestia et terrestria præter te indefessa statione conservant : et in tanta republica Dei tu solus peregrinus es, et imperatoriæ majestatis decreta non curas. Surgat et acrior dolor, quod cum Creatore etiam Patrem offenderis, et illum Patrem qui tibi ministrat siderum cursus, fecunditatem terræ, fructuum ubertatem. Accedat et acerrimus dolor, qui pertranseat animam tuam, quod tantum benefactorem contempseris, qui dolorem crucis sustinuit, nec dolores inferni sustineres* (1), sed cœli gaudia possideres.

(1) Tert. L. de Pœn. 5. — (2) Jerem. 3. — (3) D. Isid. L. 2. de Sum. Bon. c. 16. — (4) Tert. L. de Pœn. 6. — (5) Tert. ib. — (6) 2. Cor. 12. — (7) Tert. L. de Pœn. 2.

CONCIO TERTIA.

Tertullianus trinam agnoscit confessionem, scilicet fidei, laudis et delictorum. Confessio fidei fidem in corde latitantem sermone, opere, vel passione manifestat : et ob hanc causam martyres nuncupantur *alumni confessionis suæ.* (2) Confessio laudis Deum benedicit, glorificat, Deo gratias agit, eique offert sacrificium laudis, juxta Regis Vatis monitum : *Sacrifica Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* (3) Tandem confessio sacramentalis peccata in foro pœnitentiæ detegit sacerdoti, absolvendi habenti jurisdictionem : *Omnis pœnitentia confessio est delicti, quia locum non habet nisi in delicto* (4) : et hujusmodi peccatorum manifestatio est actus pœnitentis. Ut enim ait D. Bernardus : *Post dolorem cordis sequitur confessio oris* (5): cujus impræsentiarum considerandum est 1. Incitamentum ; 2. Complementum ; 3. Impedimentum.

I. PARS. Pœnitentiam et confessionem *Deus sævit hominis saluti.* (6) Quam si utilis ad salutem confessio delictorum, uno ore Patres proclamant. Ex D. namque Augustino : *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura ? obstruit os inferni, portas aperit paradisi.* (7) D. Isidorus vice quadam a nonnullo interrogatus. *Nosse cupio, si est spes in confessione, si est remissio, si est venia ;* respondit : *Est plane, est prorsus, est utique, est profecto, est proculdubio.* (8) Mox, quam sit salutaris confessio, subjungens : *Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccati veniam donat*, pluresque alias recenset utilitates et fructus confessionis, *sub qua*

(1) D. Bern. Serm. de S. Andrea. — (2) Tert. Apol. 39. — (3) Tert. L. adv. Jud. 5. — (4) Tert. L. de Car. Chr. 8. — (5) Serm. 40. de Diversis. — (6) Tert. L. de Pœn. 2. — (7) De Util. Pœn. —(8) Lib. 1. Sinod. c. 3

totius humanæ salutis summa consistit (1): nam 1. Ægrotos sanat; 2. Immundos emundat; 3. Reos justificat.

1. *Sed aiunt quidam satis Deum habere, si corde et animo suspiciatur, licet actu minus fiat* (2): sufficere ut quis in corde suo confiteatur delicta, quæ non sunt detegenda sacerdoti: tum quia, ut fantur Calvinistæ in sua confessione (3), confessio auricularis ab officina diaboli procedit; tum quia, ut ipsi adhuc debacchantur, sacerdotes remittendi peccata potestatem non habent. Verum quam falso et erroneæ hæc duo doceant hæretici demonstrat eloquenter Chrysologus ex ipsiusmet Christi verbis ab Evangelista relatis: « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt. » (4) *Dedit potestatem remittendi peccata, qui insufflatione sua infudit cordibus eorum, et largitus est remissionem.* (5) Hæc cum dixisset, insufflavit eis, dicens: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. *Ubi sunt qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt? qui diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? Qui languoribus curam et vulneribus, crudeli spiritu subtrahunt negantque medicinam? qui peccatoribus remittendi et redeundi desperatione impia resultant? Remittit Petrus peccata, et toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus sacerdotibus hanc a Deo concessam amplectitur potestatem.* Fortiter æque ac eloquenter Chrysologus redarguit hujusce ætatis hæreticos, demonstrans confessionem auricularem, non ex diaboli officina oriundam, sed a Christo Domino institutam, qui sacerdotibus legis gratiæ dimittendi peccata dedit potestatem, dum insufflando super Apostolos largitus est Spiritum Sanctum, criminum remissorem. Neque minori energia eos confutat D. Augustinus: *Nemo sibi dicat: Occulte ago pœnitentiam apud Deum; ergo sine causa dictum est* (6): Quæ solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis: *ergo sine causa claves datæ Ecclesiæ; frustramus Evangelium, frustramus verbum Dei.* Idipsum aliorsum docet D. Augustinus: *Nemo mihi dicat: Ago pœnitentiam in corde. Ut tibi cœlum aperiatur, aperi os tuum sacerdoti, hæc sola est porta paradisi.* (7) Ut ab animæ morbis valeas sanari, ostende infirmitatem tuam sacerdoti, qui spiritualis medici obit munus, et ob hanc causam, ut docet Tridentinum (1), Salvator pœnitentiæ sacramentum instituit tanquam cœleste pharmacum et *medicamentum vulneris.* (2) Qui aliqua gravi infirmitate laborant, vel putrido ulcere infecti sunt, suam infirmitatem medico vel chirurgo manifestant: quia *quod ignorat medicina, non sanat* (3); neque occulto ulceri remedium potest adhibere chirurgus. Unde ægrotum sic monet Boetius: *Si operam medicantis exspectas, oportet ut vulnus detegas tuum.* (4) Experientia ipsa comprobatur sapiens D. Cypriani effatum: *Facilis cura est, ubi plaga perspicua est, et cito ad sanitatem medela subveniente perducitur vulnus quod videtur.* (5)

Quanta Dei misericordia qui composuit remedium efficacissimum, facillimum, et generalissimum pro quibuscunque ulceribus, vulneribus, infirmitatibus et morbis, neque aliud ab infirmis et ægrotis desiderat, nisi ut sua vulnera, suas ægritudines medicis ab ipso institutis manifestent? Christiane, *confitere tantum modo vulnus tuum, et sanabit te Deus: nam omnium peccatorum vulnera sanantur per confessionis medelam.* (6) Et ut aliorsum fatur D. Augustinus: « Tristis esto antequam confitearis, confessus exsulta, jam sanaberis. Nam confitentis conscientia saniem collegerat, et apostema intumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessionem, et defluat omnis sanies. Jam exsulta, jam lætare, quod reliquum est, facile sanabitur. » (7) Neque minoris efficaciæ est pœnitentiæ remedium ad sanandas animæ infirmitates cujusvis sint generis, quam ad ulcera et vulnera curanda. Nam, ut ait S. Nilus, *levatur anima ægritudine cum narratione eorum quæ molesta sunt, velut eximatur animi ægritudo, non secus ac nubes aliqua, a qua distillant guttæ pluviæ.*

Inde utilitatem conjice remedii, quod per confessionem applicatur animæ vulneratæ, vel ægrotanti. *Quam sit utilis et necessaria pœnitentiæ medicina, facillime homines intelligunt, qui se homines meminerunt* (8), qui se peccatores confitentur, et peccata sua manifestant. Nam quemadmodum ulcera ostensa sanantur, ita occultata inveterantur: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* (9)

(1) D. Bern. ibid. — (2) Tert. L. de Pœn. 5. — (3) Art. 24. — (4) Joan. 20. — (5) Serm. 84. — (6) Lib. 50. Hom. hom. 40. — (7) In Ps. 117.

(1) Sess. 14. — (2) D. August. in Serm. Comm. Serm. 4. — (3) D. Hier. in Ps. 57. — (4) Lib. 1. de Cons. Pros. 4. — (5) Lib. de Zelo et Livore. — (6) D. August. Hom. 21. in Evang. — (7) In Ps. 66. — (8) D. Aug. L. 50. Hom. hom. 50. — (9) Ps. 31.

Loquitur Propheta de gravissimo homicidii vulnere, et fœtido adulterii ulcere, quod ad novem foverat menses. *Quid tacuisse se pœnitet, nisi confessionem peccatorum?* (1) Quod præfiguratum in Pharisæo vult D. Augustinus. *Erat tanquam in statione medici curandus Pharisæus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat* (2) : ideoque in suis vulneribus sine curatione permansit. Christiane, noli occultare vulnera tua; et ut concludit D. Augustinus : *Deus ergo tegat vulnera, non tu; nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat et curet, emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus.* Christiane, vis ut vulnus tuum intumescat, incrudescat, putrescat? cela illud medico. Vis ut curetur et sanetur? manifesta illud medico in confessione. *Remedia purgandi facinoris Spiritu Sancto adstruente didicimus, non aliter veniam posse mereri, nisi nostra facinora Deo jubente fuerimus confessi. Quid enim celat peccator quod Deo teste commisit? Quid erubescit fateri, qui peccatis non erubuit coinquinari? Diluat ergo confitendo quod peccando infecerat; satisfactione abluat quod delictorum maculis sordidaverat.* (3)

2. Delictis anima scelerosa maculatur, et sordida efficitur, licet ejus immunditia et turpitudo oculis corporis non appareat : *Sed delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis, ita ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti.* (4) Sordes autem ejusmodi quæ spiritum maculant, et animam contaminant, pœnitentia mundantur; quæ, ut fatur Tertullianus, *cum squalidum facit, magis mundatum reddit.* (5) Merito pœnitentia secundus nuncupatur baptismus : quia sicut baptismi sacramentum diluit sordes originalis culpæ; ita pœnitentiæ sacramentum mundat animam a maculis, quas a peccatis actualibus contraxit. Ut enim ait D. Bernardus, *in confessione omnia lavantur. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ et peccatorem purgat, et justum reddit purgatiorem. Si peccata sunt, in confessione purgantur; si bona, confessione commendantur.* (6)

Nicolaus Lyranus acute animadvertit in civitate Hierosolymitana plures fuisse portas variis officinis destinatas. Una etenim destinata erat ad ingressum carnis; altera delatis piscibus patebat; illa ad ligna, hæc ad aquam ferendam serviebat; una tandem erat per quam exibant et ejiciebantur foras omnes urbis immunditiæ, ita ut sordes per omnes portas ingrederentur in civitatem, et per unam duntaxat egrederentur. Quot sensus externos habet homo, tot sunt portæ patentes sceleribus quæ maculant animam. Peccata ingrediuntur in cor per visum, auditum, olfactum, gustum et tactum : neque nisi per os et confessionem exire, et per absolutionem ministri pœnitentiæ dilui possunt. In quo Chrysostomus magnum agnoscit discrimen inter sacerdotes veteris et novæ legis. (1) In lege Mosaica, sacerdotes declarabant quidem leprosos divina virtute mundatos, sed eos minime mundabant; at in lege Evangelica, sacerdotes non solum leprosos declarant mundatos, sed etiam per potestatem a Christo mutuatam, virtute absolutionis, de facto illos emundant a lepra peccati. Quod præfiguratum vult Tertullianus per curationem leprosi a Christo factam. *Argumenta enim figurata utpote prophetatæ legis adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum.* (2)

Dæmon simia divinitatis, sacramenta a Christo instituta æmulatur. *Hic quoque studium diaboli cognoscimus res Dei æmulantis, cum ei ipse baptismum in suis exercet.* (3) Verum quam vane et inutiliter quis non videt? Nam, ut acute ratiocinatur Tertullianus, *quid simile? immundus emundat, perditor liberat, damnatus absolvit, suam videlicet operam destruens, delicta quæ inspirat ipse.* Quadruplici ratione demonstrat Tertullianus diabolum non emundare a suis sordibus peccatores, quibus suum administrat baptismum, tum quia immundus nequit emundare, dæmon autem est immundus; tum quia perditor hominum non liberat homines, diabolus autem est perditor hominum, quos ad peccandum induxit; tum quia damnatus absolvere non potest, diabolus autem est ad interminabile inferni damnatus supplicium; tum quia quomodo delictorum inspirator destruet delicta? Diabolus autem inspirat delicta, et ad illa patranda incitat : ad Christum, non ad diabolum pertinet mundare a peccatis, tum quia est mundus ab omni delicto; tum quia est hominum Salvator; tum quia peccata prohibet, et ab illis mundandi potestatem habet. Et ob hanc causam Tertullianus belle illum nuncupat *verum disceptatorem et elimatorem humanarum macularum* (4) : quas etiam nunc in foro

(1) S. Isid. L. 2. de Sum. Bon. 24. — (2) In Ps. 31. — (3) D. Aug. L. 50. Hom. hom. 46. — (4) Tert. L. de Bapt. 4. — (5) Tert. L. de Pœn. 9. — (6) Serm. 40. de Diversis.

(1) L. 3. de Sacerd. 6. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (3) Tert. L. de Bapt. 5. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 35.

pœnitentiæ per suos ministros emaculat et emundat. Ubi animadvertendum est quod licet Christus leprosos sanans, peccatoribus peccata dimittens, et ut Petro, Magdalenæ, Chananææ, non requisierit ab eis præviam confessionem, et peccatorum accusationem, non sequitur non esse faciendam peccatorum confessionem sacerdotibus ab ipso delegatis ad remittenda peccata. Tum quia Christus habebat potestatem dimittendi peccata absolutam et independentem : unde ea uti potuit prout voluit et quomodo voluit ; sacerdotum autem potestas est dependens et conditionata, erga pœnitentes duntaxat, qui peccata sua manifestant. Tum quia Christus cognoscebat perfecte peccata, non solum operis, sed etiam cordis : unde non erat necesse ut peccatores ea declararent ; sacerdotes autem non habent peccatorum notitiam, nisi ea pœnitentes manifestent. Tum quia Christus per peccata offensus poterat ea gratis dimittere absque ulla satisfactione ; sacerdotes vero tenentur exigere quamdam satisfactionem injuriæ illatæ vel Deo, vel hominibus, aliquo modo conformem, ad quod delictorum notitia necessaria est. Quo discrimine constituto, inter Christum legisque sacerdotes Marcionem redarguit Tertullianus : *Ut et hic Christum æmulum legis affirmet prævenientem solemnia legis, etiam in curatione decem leprosorum, quos tantummodo ire jussit ut se ostenderent sacerdotibus, in itinere purgavit, sine tactu jam et sine verbo, tacita potestate, et sola voluntate ; quasi necesse sit, semel remediatore languorum et vitiorum annuntiato Christo, et de effectibus probato, de qualitatibus curationum retractari : aut creatorem in Christo ad legem provocari ; si quid aliter quam lege distinxit, ipse perfecit : cum aliter Dominus per semetipsum operatur, sive per filium ; aliter per Prophetas famulos suos ; maxime documenta virtutis et potestatis, quæ ut clariora et validiora, quæ propria, distare a vicariis fas est.* (1) Impertinenter igitur Marcion infert Christum esse destructorem legis, quia sine tactu et sine verbo curavit leprosos : impertinenter adhuc Calvinistæ colligunt ex eo quod Christus dimiserit peccata absque prævia illorum confessione, non esse faciendam peccatorum confessionem suis vicariis, quos instituens sacerdotes *pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam ; uti quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens et radens, et foras abjiciens, mundam peccatoris domum superventuro Spiritui Sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat.* (1) Foras autem nequeunt abjici delicta quæ mentem contaminant, nisi per confessionem, quæ animam emundat, deperditamque gratiæ venustatem restaurat.

(1) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 35.

Pulchra anima justitia et disciplinis philosophiæ, deformis vero contrariis artibus. (2) Pulchra anima gratiæ splendoribus decorata, deformis anima peccati tenebris denigrata. Christiane, desideras recuperare deperditam peccato animæ pulchritudinem ? Audi Prophetam docentem : « Confessionem et decorem induisti : » (3) ubi D. Augustinus : *Ante decorem, confessionem ponit. Primo accusa fœditatem tuam, fœditas enim animæ de peccatis, de iniquitatibus. Accusando fœditatem tuam incipis confiteri, a confessione incipis decorari.* Pulchrum te reddes si te confitearis fœdum, cordis tui manifestando deformitatem, formosum illud, aspectuque jucundum efficies. Nam, ut fatur D. Hieronymus, *qui sua confessus fuerit peccata, et dixerit : Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, fœditatem vulnerum in sanitatis decorem commutat.* (4) Christus Dominus speciosus forma præ filiis hominum in fidelibus amat animæ decorem : *Audis cui places ? Ama unde placeas. Ama confessionem, si affectas decorem. Confessioni jungitur decor* (5), quia confessio et pulchritudo in conspectu ejus. Igitur *ama confessionem, et habebis decorem, quia ubi confessio, ibi decor et pulchritudo.* Bernardus fere D. Augustini refert verba, qui Regium Prophetam elucidans, sic Christianum hortatur : *Pulchritudinem amas, et vis esse pulcher ? confitere : nam præcedit confessio, et sequitur pulchritudo ; fœdus eras, confitere, ut sis pulcher ; peccator eras, confitere, ut sis justus.* (6) Confessio namque reos absolvit et peccatores justificat.

3. *Si quid deliquerit, pœnitentiæ necessitatem intelligamus impendere* (7) : tum ut peccator qui insolenter Dei majestatem contempsit, per humilem peccatorum confessionem eam honoret. *Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est.* (8) Tum ut peccator qui imprudenter Deum offendit, confitendo peccata rubore afficiatur *ex officio venerationis et verecundiæ* (9); tum ut contrarium contra-

(1) Tert. Lib. de Pœn. 2. — (2) Tert. L. de An. 9. — (3) Ps. 103. — (4) Epist. 10. ad Rustic. — (5) D. Bern. Serm. 5. in Cant. — (6) In Ps. 93. — (7) Tert. Lib. de Pœn. 3. — (8) Tert. L. de Pœn. 8. — (9) Tert. Lib. adv. Valent. 16.

rio curetur, et peccatum quod conceptum est, vivit et conservatur in tenebris, productum in lucem intereat. *Qui jaces in tenebris conscientiæ, et delictorum tuorum sordibus, quasi in reorum carcere, exi foras; delictum proprium prode.* (1) Tum ut lingua quæ fuit mortis instrumentum, efficiatur instrumentum vitæ. *Justus ori suo non parcit, quia nimirum iram judicis districtam præveniens, verbis contra se propriæ confessionis non parcit* (2) : tum ut pœnitentium consuleret tranquillitati, tollens justum timorem sibi mitiores fuisse, neque condignam de peccatis accepisse vindictam ; tum ut peccator in foro pœnitentiæ ferat testimonium contra semetipsum, et sese accusando criminum suorum veniam et absolutionem accipiat. Siquidem *exomologesis cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit.* (3) Est, ait Seraphicus Doctor (4), velut litigium inter peccatores et Deum, ad quod terminandum constituit judices, *ideo non angelis hæc est concessa potestas qui nunquam peccaverunt, sed homo passibilis supra homines ordinatur, ut dum in aliis suas recolit passiones mitem apud eos se præbeat, et benignum* (5), cum sint ejusdem cum ipsis naturæ et speciei. *Judicium tribus personis constat, actore, reo et judice.* (6) Pars accusans est Deus a peccatore offensus; reus est ipsemet peccator; judex est Christus, a Patre judex vivorum et mortuorum constitutus, qui cum visibiliter non conversetur inter mortales, auctoritatem suam demandavit sacerdotibus, ut vices suas gererent, qui non possunt ferre sententiam, nisi criminum habeant notitiam, neque crimina noscere nisi peccatores peccata sua in confessione manifestent, et hanc confessionem a reis desiderat Christus, non ut eos condemnet, sed absolvat. *O ingeniosa simplicitas, et mille tergiversationibus cautior puritas, manifestare delictum! illis non judex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt.* (7)

Magnum sane est discrimen inter hominis creationem et justificationem, sola vox Dei creavit hominem, neque ad hanc necessarius fuit humanæ vocis concursus : at ut peccator justificetur in sacramento pœnitentiæ, necessaria est et vox Dei, nimirum vox sacerdotis vice Dei pronuntiantis verba absolutionis, et vox peccatoris semetipsum accusantis : etenim *confessio adjungit nos Christo.* (1) Et ut acute aliorsum ratiocinatur D. August. *Qui confitetur peccata sua, et accusat peccata sua, jam cum Deo facit : accusat enim Deus peccata tua ; si et tu accuses, conjungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo et peccatum. Quod audis, homo, Deus fecit; quod audis, peccator, ipse homo fecit: dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit.* (2) Deus se solo sine homine fecit hominem: homo se solo sine Deo fecit peccatum ; salvandus est homo quem fecit Deus, destruendum est peccatum quod fecit homo. Ad quod necesse est ut vox hominis et vox Dei simul concurrant : vox hominis, per sui accusationem ; vox Dei, per absolutionem a sacerdote vices illius gerente prolatam. *Qui pœnitet, repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præveniat judicium Dei per confessionem.* (3) Confessio præcedat absolutionem, quia *non potest quisquam justificari a peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus.* (4) Peccati condonatio peccati exigit accusationem : Deus non parcit si homo non confitetur; at e converso, *Deus largitur veniam, si homo confiteatur culpam.* (5) Quapropter Christiane, *esto accusator tuus, et Deus erit indultor.* (6)

Si cui reo apud terrenum judicem sua crimina confitenti absque ullo alio dispendio venia ac libertas concederetur, quis non fateri mallet quam ea per tormenta extorqueri, et tandem ad mortem damnari? et quis damnatorum, si modo ex igneo suo carcere exire posset, non toti mundo scelera sua libenter confiteretur et evulgaret? « Hoc est, Fratres, quod nimis cruciat damnatos, et furere facit contra seipsos, et de suis morsibus consumere, cum recordantur quod uno suspirio, et una lacryma, et brevi confessione peccatorum suorum totam illam pœnam æternam evadere potuerunt, et neglexerunt. » (7) Peccator est reus, ejus crimina scripta sunt *stylo ferreo in ungue adamantino.* (8) Tantam tamen in confessione agnoscit D. Bernard. virtutem, ut scelera quamvis adamanti incisa expungere valeat : *Quod ibi scribit transgressio, hic delet confessio.* (9) Plus audet Cassiodorus, exclamans : *O beata confessio, quæ æternum tollit opprobrium! Nam quidquid reatuum invenerit pœnitentia, perpetuis seculi reddidit absolutum.* (10) Et ob hanc causam D. Ambrosius confessionem nuncupat pœnarum compendium : *Confessio est pœnarum com-*

(1) D. Ambr. L. 2. de Pœn. 10. — (2) S. Elig. hom. 11. de Cœn. Dom. — (3) Tert. L. de Pœn. 9. — (4) In 4. dist. 15. a. 1. q. 2. — (5) D. Chrysost. Hom. 80. in Matth. — (6) Cap. Forum de Verborum significatione. — (7) Cassiod. in Ps. 31.

(1) D. Aug. Psal. 75. — (2) Tract. 12. in Joan. — (3) D. August. L. de Ver. et fals. Pœn. 10. — (4) D. Amb. L. de Parad. 14. — (5) D. August. Tract. 14. in Joan. — (6) D. Aug. Serm. 7. de Verb. Dom. — (7) Thom. a. Vill. Nov. Serm. Dom. 3. Quadr. — (8) Jerem. 17. — (9) De Inter. Dom. c. 17. — (10) In Psal. 17.

pendium. Peccatorum pœnas in inferno æternas futuras, confessio in momento solvit. Quod denotatum vult D. Chrysostomus per parabolam villici in Evangelio millia talenta debentis : *Debitum autem in Scripturis delicti figura est, quod perinde judicio debeatur, et ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio.* (1) Ab illo servo Dominus exigens rationem et infidelem reperiens, carceri mancipandum decreverat : sed qua ratione liber e carcere evasit ? *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* (2) Confitetur debitum, moxque ei remittitur : *Omnia dimisi tibi quoniam rogasti me.* Debitum, ut dixi, ex Tertulliano peccatum significat, debitor hominem, paterfamilias Deum, carcer infernum; a quo per confessionem liberatur peccator : et ut fatur D. Chrysost. *in confessione debiti invenit debiti solutionem.* Ab illo servo discamus prudentiam : « præveniamus faciem ejus in confessione. » (3) Ut autem acute animadvertit Chrysologus, *non dixit prævenias eum tantum, sed prævenias faciem ejus in confessione ; hoc est, cum spes misericordiæ est, cum pœnitentiæ locus est, confiteamur Patri, ne judicem sentiamus : Prodamus quæ fecimus pietati, ne severitati cogamur exsolvere quæ tacemus.* At quid est prævenire Deum ? Deus venturus est decreturus singulis suam sententiam : *Prævenamus eum, ne ipse nos prævenat.* (4) Feramus primi adversus nos sententiam. *Quid est prævenamus ? nos confitendo damnemus quod fecimus, ut ille quod coronet, non quod damnet, inveniat.* (5)

Xerxes, Persarum rex, ducenta pollicitus talenta ei qui Themistoclem comprehenderet et ad se adduceret, Themistocles sese sistens et confessus regi, ducenta retulit talenta. Insignis quoque latro Crototta, audiens imperatorem Augustum publica præconis voce decies millia sestertium pollicitum ei qui sibi Crotottam adduxisset, imperatorem adit, se Crotottam profitetur, postulans pretium tradenti Crotottam promissum : fecit imperator, aurum dedit, et latronem confessum in suam benevolentiam recepit. (6) Peccatori peccata confitenti ingens pollicetur pretium. Nam, 1. Illi Deus peccatorum largitur veniam. Unde D. Hieronymus elucidans istud Regii Vatis : « Delictum meum cognitum tibi feci, » (7) ait : *Confessus sum, et patefeci omnia; scio enim te cito remittere delicta, cum tibi fuerint integre reserata.* 2. Confitentes Deus in suam benevolentiam admittit. Unde D. Augustinus propria experientia doctus sic Deum alloquitur : *Vere confessio est via qua ingredior ad te, per quam regredior ab invio, et redeo ad te viam.* (1) Tandem, 3. Confitentibus immensum cœli largitur præmium : inde exclamat Cassiodorus : *Mira compensatio, stupenda vicissitudo, Domino suo proprio maledicere, et ab eodem præmia salutis accipere : Quis non incitaretur ei ad præmium confiteri, cui non possis negare quod feceris.* (2)

Plura sunt quæ peccatores ad pœnitentiam stimulant : exemptio a dæmonis servitute; reatus pœnæ æternæ solutio; delictorum remissio; gratiæ divinæ acquisitio; cœlestis beatitudinis promissio; verum uti confitentes tantorum malorum evitant damnum; et tot bonorum consequuntur pretium. Ita e converso non confitentes tot bonorum patiuntur jacturam et intolerabilem gehennæ tolerant pœnam. Peccator inter cœlum et infernum versaris; inter damnationem et felicitatem; inter Dei justitiam et misericordiam; a te dependent æterna aut merces, aut pœna, Dei animadversio aut benevolentia. Quapropter *tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere. Te accusa, illum glorifica; te reprehende, illum lauda : ut et ipse veniens inveniat te punitorem tuum, ut exhibeat se tibi Salvatorem tuum. Quid times confiteri Deo ne forte confessum damnet ? Si non confessus lates, non confessus damnaberis. Times confiteri qui non confitendo esse non potes occultus : damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. Ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem. Ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum.* (3) Ergo elige confessionem, si vis vitare damnationem, et consequi salutem, quam possidebis, si confessio tua suum habeat complementum.

II. PARS. *Exomologesis est petitio veniæ : qui petit veniam, delictum confitetur* (4) : Scilicet ut delicti obtineat veniam, consequatur gratiam, et valeat promereri gloriam : Nam, ut fatur D. Bernardus, *confessio est peccatoris vita, justi gloria.* (5) Verum quia bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu, ut confessio præfatos adipiscatur fructus, plures desiderat conditiones ad sui perfectionem requisitas sexdecim annumerat Magister Sententiarum, quarum quæ-

(1) Tert. L. de Orat. 7. — (2) Matth. 18. — (3) Psal. 94. — (4) D. Aug. in Psal. 54. — (5) D. August. in Psal. 94. — (6) Ribadeneyr. L. 2. de Princ. 15. — (7) Psal. 31.

(1) Lib. Conf. — (2) In Psalm. 118. — (3) D. August. in Psal. 66. — (4) Tert. L. de Orat. 7. — (5) Serm. 40. de Divers.

dam sunt de necessitate, quædam de congruitate duntaxat, quibus prætermissis dicendum est cum D. Bernardo, quod confessio *debet esse nuda, vera et propria.* (1) 1. Vera sine dissimulatione; 2. Nuda sine occultatione; 3. Propria sine excusatione.

1. *Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi* (2); ut patet in iis qui vere accedunt ad pœnitentiæ sacramentum, ubi sua peccata perspicue declarant. Unde, ut docet D. Bernardus, *illa confessio vera est, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur, sed in spiritu contribulato profert ea quæ sentit.* (3) Plures tamen illam confessionis veritatem non habent. 1. Qui absque ulla contritione accedunt ad sacramentum, ad quod accedendum est *cum pœnitentia mœrente, sed non erubescente ad Dominum de venia.* (4) Illi vero nullatenus de suis peccatis dolent et conteruntur. Quos per Saulem, non secus ac contritos per Davidem denotatos vult D. Bernardus: *Nonne utique reges Saül et David redarguti a prophetis Samuele et Nathan, dixerunt*: Peccavi? (5) *Et tamen Saül audivit*: Transtulit Dominus peccatum tuum, et non morieris.(6) *Quid est hoc, nisi quia quod Saül habuit in ore, non habuit in corde, et humilitas quæ in ore Davidis exstitit, in corde etiam retinuit?* 2. Qui in sacramento mentiuntur, cum quis scienter confitetur peccata quæ non fecit, vel scienter negat peccata quæ fecit. *Omnis petitio decipere, et decipi potest.* (7) Qui mendaciter confitentur decipiunt quidem sacramenti ministrum, at ipsi etiam decipiuntur, quia Deum non fallunt, neque ejus notitiam subterfugiunt. Profecto *nihil occultum quod non revelabitur: quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est.* (8) 3. Qui vel timore, vel inani gloria, et pravo aliquo fine ficte et simulate confitentur. Hujusmodi *simulata confessio* (9) invalida et criminosa est, sapiens hypocrisim. Nam, ut fatur Tertullianus, *sed ista ingenia de semine hypocritarum pullulare consueverunt quorum individua cum diabolo amicitia est, quorum pœnitentia nunquam fidelis.* (10) In hujusmodi fictitiam et simulatam confessionem invehit D. Bernardus: *Tu veram putas illam confessionem quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit, cum Spiritus Sanctus disciplinæ effugias fictum?* (1) 4. Qui peccata sua non confitentes, res quæ ad pœnitentiæ sacramentum non pertinent fuse enarrant. Nam vel ut de rebus domesticis cum confessario habeant sermones, *obumbratorio velamine, tanti sacramenti simulant sanctitatem* (2): vel præclare quæ gesserunt tumenti animo fuse declarant; *dicunt enim si clerici ea quæ litterario, si milites ea quæ gladiatorio gessere conflictu, ut sub humilitatis pallio, superbiam inducant, in tanto se signaculo condemnantes, sub quo totius humanæ salutis summa consistit.* (3) 5. Qui declarant peccata quasi narrarent historiam, absque ullo interiori animi motu, vel elegantibus et politis utuntur sermonibus. Et ut fatur Petrus Damianus, *in confessione tinnulis se, et accuratis verbis magis facete quam humiliter accusant.* (4) Confessio debet esse simplex, superflua prætermittenda sunt; inutiles prohibentur sermones, et qui phalerata captant verba, *ad hoc confitentur, ut saltem specie videantur confessi.* (5) 6. Qui peccata, quæ commiserunt prætermittentes, bona opera quæ fecerunt fuse dinumerant: non sum blasphemator, dicit aliquis, non maledicus, non alieni usurpator, non ebriosus, neque luxuriosus; sed diebus dominicis sum cultui divino addictus, assisto missæ, audio conciones, eleemosynas erogo pauperibus, ad instar Pharisæi: cui merito præfertur Publicanus. *Magis enim justificatus descendit de templo publicanus, peccatorum confessione sollicitus, quam Pharisæus meritorum suorum enarratione securus: non enim Pharisæus tam sua sanitate quam morborum alienorum gaudebat comparatione. Utilius erat ei, quoniam ad medicum venerat, ea de quibus ægrotabat confitendo narrare, quam dissimulare de vulneribus suis, et de cicatribus gloriari alienis.* (6) Pharisæo assimilantur qui ad aliorum attenti defectus, sua obliviscentes crimina, invalide confitentur, quia confessio debet esse sincera et vera, sine mendacio et dissimulatione, et integra et nuda absque voluntaria peccatorum occultatione.

2. *Sed quod in manifesto fuit legis; præcepit: Ite, ostendite vos sacerdotibus.*(7) Non eodem modo se habuit Christus erga decem leprosos quos recenset Lucas, ac erga leprosum cujus meminit Matthæus: iste enim clamans: *Domine, si vis potes me mundare* (8), emundatus fuit a Christo, neque ad

(1) Serm. 40. de Diversis. — (2) Tert. L. adv. Valent 3. — (3) Serm. 40. de Diversis. — (4) Tert. L. de Pud. 22. — (5) Lib. 1. Reg. 15. — (6) Lib. 2. Reg. 12. — (7) Tert. Lib. de Bapt. 18. — (8) Tert. L. de Pœn. — (9) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (10) Tert. L. de Pœn. 5.

(1) Sap. 1. — (2) D. Bern. Serm. de S. Andrea. — (3) D. Bern. Serm. 40. de Diversis. — (4) Epist. 49. — (5) D. Bern. Serm. 40. de Diversis. — (6) D. August. L. 50. Hom. hom. 50. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 35. — (8) Matth. 8. — Luc. 17.

sacerdotes missus : illis vero præcepit: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Et hoc triplici potissimum de causa: 1. Ut se demonstraret, non destructorem, sed tutorem legis. *Quantum ad tutelam legis jussit ordinem impleri.* (1) 2. Ut denotaret potestatem emundandi a lepra peccati, quam daturus erat sacerdotibus legis gratiæ. 3. Ut ostenderet ordinem servandum a peccatoribus, ut ab infirmitatibus animæ sanentur ; scilicet post cordis contritionem, adhibeant oris confessionem sacerdotibus faciendam : *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Non sufficit ut adeant sacerdotes, ut ad eorum pedes prosternantur, sed requiritur ut illis sese ostendant, et manifestent peccata quæ commiserunt : *Qui confitetur, consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, et in perseverantia, et in qualitate personæ, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici exsecutione* (2), diligenterque perquirat cuncta quæ perpetravit delicta, eaque sacerdoti detegat. Quod præfiguratum video in lege mosaica (3) præcipiente quod ex animantibus in sacrificio oblatis pectus integrum reservaretur sacerdotibus, quibus duntaxat apertum dabatur. En verum nudæ et integræ confessionis specimen ; aperiendum est pectus sacerdoti, cunctaque peccata reseranda et denudanda. *Nudam autem eam esse oportet, et totius absconsionis exsutam velamine.* (4)

Sunt tamen multi quorum nuda non est confessio. 1. Nonnulli verbis obscuris et æquivocis peccata occultare nituntur : verus pœnitens suam confessionem *manifestis verborum et sensuum luminibus, ab omni ambiguitatis obscuritate purgavit.* (5) Ipsi vero confessionem suam sermonibus ambiguis obtenebrant, nec attendunt quod *tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat.* (6) 2. Alii dimidiatam faciunt confessionem, partem peccatorum detegunt, partem occultant. Verum *quid prodest partem peccatorum dicere, et partem celare ? Ex parte mundari, et ex parte immunditiæ deservire ? Nunquid de uno eodemque vase, dulce et amarum, sapidum et insipidum, stillare potest ? Omnia nuda et aperta sunt oculis Dei, et tu illi aliquid abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet sacramento ? Ostende et denuda quæcunque cor tuum dilaceraverant, detege vulnus, ut sentias operam medicantis.* (7) 3. Quidam adeo stolidi sunt ut nullum declarent peccatum, seque nihil mali fecisse impudenter asseverent. Verum Deus tegit peccata in confessione revelata ; quem ideo sic loquentem inducit Petrus Blesensis : *Si peccatum tuum aperias, ego operio ; si agnoscas, ignosco ; si accusas, excuso ; si judicas et condemnas te, non judico, neque condemno.* (1) At e contra occultata et celata detegit : unde Regius Vates sic fatur apud D. Augustinum: *Non operui, sed aperui ut operires ; non celavi, ut tegeres ; nam quando homo detegit, Deus tegit ; cum homo celat, Deus nudat ; cum homo agnoscit, Deus ignoscit.* (2) Tandem, 4. Alii suis sceleribus neglectis, vel occultatis, aliorum peccata declarant. Quantum autem desipiant inde patet, quia confessio valida debet esse propria.

3. Peccatoribus in foro pœnitentiæ *nihil permittitur loqui* (3), quod non ad manifestanda sua peccata pertinet. Quia, ut docet D. Bernardus, *confessio debet esse propria* (4), propria, non aliena peccata manifestans. Unde si circumstantia peccati quæ ducit in cognitionem peccati alterius, est de necessitate confessionis, confitenda est circumstantia, sed occultanda persona ; si autem circumstantia non sit de necessitate confessionis, omittenda est, ne ducat in cognitionem alieni peccati. Tum quia nullus debet alium infamare, tum quia non de alienis, sed de propriis peccatis quæritur absolutio. *A vestibulo igitur hujus sacratissimæ virtutis, omnes illos excludimus quos ad confessionem vel timor cogit (quia extorta confessio non est confessio) ; vel aliorum accusatio trahit (quia non est confessio, sed offensio) ; vel sui excusatio ducit (quia non est confessio sed defensio); vel jactantia inanis rapit (quia non est confessio, sed illusio) ; et si quæ aliæ sunt species quæ obumbratorio velamine tanti sacramenti simulant sanctitatem.* (5)

Ad quinque classes redigit D. Bernardus eos quorum confessio non est propria. In prima ponuntur illi qui confitentur ob timorem. Confessio enim non debet esse coacta, sed voluntaria : uti enim peccatum fuit voluntarium, ita confessio voluntaria. Unde Deus interrogat Adam non quasi nescius. *Ut et hic liberi arbitrii probans hominem, in causa aut negationis, aut confessionis daret ei locum sponte confitendi delictum, et hoc nomine relevandi : sicut de Cain sciscitatur, ubinam frater ejus ; ut et ille haberet*

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (2) D. August. L. de Ver. et Fals. Pœn. 14. — (3) Levit. 29. — (4) D. Bern. Serm. 4. de Diversis. — (5) Tert. Lib. de Res. 63. — (6) Tert. L. de Pœn. 8. — (7) D. Bern. ibid.

(1) In c. 1. Job. — (2) In Psal. 31. — (3) Tert. Apol. 2. — (4) Serm. 40. de Diversis. — (5) D. Bern. Serm. de S. Andr.

potestatem ex eadem arbitrii potestate sponte negandi delicti, et hoc nomine gravandi; atque ita nobis conderentur exempla confitendorum delictorum quam negandorum, ut jam tunc initiaretur evangelica doctrina (1): Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis. In secunda constituuntur illi qui aliena peccata, non vero propria confitentur. Interdum mulier narrabit omnia scelera mariti, filiorum, domesticorum, vicinorum, nullumque proprium manifestabit peccatum. *Sunt plerique qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, et sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur. Nesciunt sua, aliena vero perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices et miseri quibus datum est aliena plangere, relinquere sua. An non legisti quia* (2) justus in principio sermonis accusator est sui? *Suis dicit Scriptura non alterius. Nunquid oblitus es Apostolum Jacobum dicentem* (3): Confitemini alterutrum peccata vestra? *Vestra dixit, non aliena.* (4) In tertia collocantur qui bona a se facta jactanter narrant, ad instar Pharisæi dicentis: Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo, non sum sicut cæteri hominum, multum ab illo publicano dissideo; quem repræsentat Tertullianus. *Plane ut invidiosum et in ipsa confessione petulantem, et male adulantem* (5), et publicano demisso arroganter insultantem: et tamen *ille publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior Pharisæo procacissimo discessit* (6) quia dicenti: Deus, propitius esto mihi peccatori, *criminum accusatio facta est illi criminum remissio.* (7) Alii sua peccata excusantes, *mentis malæ impetus vel fato vel astris imputant; nolunt enim suum esse, quod malum agnoscunt* (8), vel impie Deo arrogant. *Multi pronuntiant iniquitatem suam, sed adversus ipsum Dominum Deum. Dicunt: Deus hoc voluit.* (9) Vel diabolum accusant dicentes, ut subjungit D. August. *Diabolus me decepit*; vel alios suorum criminum causam et occasionem proclamant: In vanum Dei nomen juravi, sed mulieris pertinacia impulsus sum; iracundia exarsi, sed filii inobedientia me coegit; animadversionem in corde fovi, sed ad hoc ab inimico provocatus sum: *tolle istas excusationes in peccatis, et memento illius verbi* (10): « Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem. » (1) In istud: «Pone, Domine, ostium circumstantiæ labiis meis,» *non dixit claustrum, sed ostium. Ostium et aperitur et clauditur: ergo si ostium est et aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati, ita enim erit ostium continentiæ, non ruinæ.* (2) In quinta tandem collocantur *qui in defensionem delicti contendunt.* (3) Confessio accusatorio non defensorio modo facienda est. *Quod vere malum est, ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent* (4); et scelerosus peccator in pœnitentiæ tribunali tanquam in foro contentioso scelera sua defendere præsumit? *Peccare humanum est, peccatum vero defendere, diabolicum: hoc enim ex timore et superbia procedit.* (5) Subjungit Cardinalis versans istud Davidicum: « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum: » *Cum peccat homo, quasi in puteum labitur; cum peccata vero defendit, os putei super cum ne pateat egressus, urgetur: corruit enim in puteum homo cum peccat, clauditur sibi os putei, cum excusat.*

Cunctos retulimus defectus qui impediunt ne confessio sit propria, quos omnes D. Bernardus Regii Vatis rejicit exemplo: *Ostendam tibi unum justorum justissime confitentem. Quæris quisnam sit? Psaltes Domini est.* (6) Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. (7) Dixi, *hoc est, in corde proposui, non coactus, non compulsus, sed spontaneus.* Injustitiam meam, *non alienam. Adversum me, arguens et accusans. Vides quia non timore alterius, vel ad alium accusandum, sed seipsum sanctus Domino confitetur.* In illa Regii Vatis confessione sex denotantur conditiones ad confessionem sacramentalem requisitæ, 1. *Dixi:* Ex prava peccatorum recogitatione ad confessionem accedere proposui; 2. *Confitebor*, id est, pronuntiabo. Non dixit, ut animadvertit D. Augustinus, Pronuntiavi, sed, Pronuntiabo. 3. *Adversum me*, quia confessio debet esse accusatoria; 4. *Injustitiam*, non merita, sed demerita; non virtutes, sed vitia, non bona opera, sed peccata; 5, *meam*, non aliena delicta, sed mea; 6. *Domino*, id est, sacerdoti vices Dei gerenti. Hæc sunt quæ confessioni præstant complementum. Videamus modo quodnam sit confessionis impedimentum.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (2) D. Bern. Serm. 40. de Diversis. — (3) Prov. 18. — (4) Jacob. 5. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (6) Tert. L. de Orat. 13. — (7) D. Chrysost. Hom. 61. ad Pop. — (8) Tert. Apol. 1. — (9) D. August. in Psal. 31. — (10) D. August. ibid.

(1) Ps. 140. — (2) D. Aug. in Ps. 40. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (4) Tert. Apol. 1. — (5) Petr. Dam. L. 1 Ep. 16. — (6) Serm. de S. Andr. — (7) Ps. 31.

III. PARS. *Sed de quæstionibus confessionum* (1) nihil amplius videtur discutiendum, præter confessionis impedimentum. Ex D. autem Bernardo, *quatuor sunt quæ impediunt confessionem : Pudor, timor, spes, desperatio.* (2) Quosdam impedit pudor confitendi, alias timor satisfaciendi, nonnullos spes diu vivendi (1), istos desperatio veniam obtinendi. Omissis autem spe diu vivendi, et desperatione veniam obtinendi de quibus in superioribus tractatum est, trinum præsertim occurrit confessionis impedimentum, scilicet, 1. Amor; 2 Timor; 3. Pudor.

1. Tantopere addicti spectaculis erant olim homines, ut eos non tam tormentorum timor quam inordinatus spectaculorum amor avocaverit a religione christiana. *Plures invenias quos magis periculum voluptatis quam vitæ avocet ab hac secta.* (3) Non dissimiliter inordinatus, vel vanitatis, vel voluptatis, vel bonorum amor plures impedit, ne confiteantur : *Ut facias bene, amas Deum, et times Deum ; ut facias male, amas mundum. et times mundum.* (4) Amor vel vindictæ, vel scorti, vel lucri male parti, removet a confessione. Timor quoque vel restitutionis, vel reconciliationis, vel separationis a scorto, est confessionis impedimentum.

2. *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit* (5), et plures Christianos timor removet a bono, et impedit ne confiteantur. *Confessio peccatorum timenda hominibus semper visa est, sed apud hominem judicem* (6) ; et hujusmodi timor trino innititur fundamento : 1. Quia *leges malos damnare præscribunt, non salvare.* (7) 2. Quia terreni judices severitatem legum adversus reos exercent; et ut subjungit D. Augustinus, *times confiteri homini judici, quia malus est, quia severitatis legem implere compellitur.* 3. Quia judices facti inquirunt notitiam, ut puniant reos, et ob hanc causam *malefici gestiunt latere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur.* (8) « Nam sæpissime flagellis, et quibuscunque verberibus, ungulis quoque et ignibus agitur, ut eruatur oris confessio, ut aliquando sic cedant membra tormentis, ut prius corporis compago solvatur, quam doloribus animus. » (9) Ut secretum facinoris propaletur, instant carnifices, crebrescunt omnia genera tormentorum, sed frustra. Laniando aperiuntur viscera, cum clauditur negando conscientia. *Cur autem in tantis cruciatibus homines timent confiteri, nisi quia confessi solent puniri ?* Itaque reus qui tormentorum vi compulsus suum fatetur scelus, tristitia et mœrore afficitur ante confessionem, et post confessionem, ut animadvertit D. Augustinus expendens istud Davidicum : « Confiteantur tibi populi omnes, lætentur et exsultent gentes. » (1) Nam *ille qui plagis in tormentis, si victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem suam nusquam lætus, nusquam exsultans : antequam confiteatur exarat ungula ; cum confessus fuerit, damnat carnifex.* Tres illæ timoris rationes non debent impedire delictorum confessionem in foro pœnitentiæ, quia illam 1. Non desiderat Deus, ut damnationem adversus peccatores latam adimpleat, sed potius ut eos a suis criminibus absolvat et a dæmonum potestate eximat. *Non enim ideo vult Deus ut confiteamur peccata nostra, quod ea scire non potest, sed quia diabolus hoc desiderat, ut inveniat quod ante tribunal judicis æterni objiciat. Ideo vult ut magis defendere quam accusare peccata nostra velimus. Econtrario autem Deus, quia pius et misericors est, vult ea confiteamur in hoc seculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim confitemur nos, ille parcit ; si nos agnoscimus, ille ignoscit.* (2) D. Augustino suffragatur D. Ambrosius, peccatorem alloquens : *Novit Dominus omnia, sed exspectat vocem tuam, non ut puniat, sed ut ignoscat ; non vult ut insidietur tibi diabolus, et celantem peccata tua arguat : præveni accusatorem tuum ; si te accusaveris, non timebis accusatorem.* (3) At si confessus non fueris, diabolum habebis accusatorem tuum, qui summopere metuit confessionem. *Nec acriores ei plagas infligimus quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et pœnitendo sanamus.* (4) Quia, ut fatur Paschasius, « plus perdit diabolus dum homo peccata sua confitetur, quam lucratus fuerat dum homo male loqueretur : quia confitendo potest homo delere quod male loquendo commiserat, et eadem lingua sibi mederi, qua seipsum læserat. » (5) Pudore tamen ne sibi medeatur, impeditur. Neque, 2. Severitas judicis peccatorem a confessione deterrere debet : nam si hominem severum pertimescis, Christiane, « confitere Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. » (6) Nihil enim est quod a supremo illo timeas

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (2) In Sent. — (3) Tert. L. de Spect. 2. — (4) D. Aug. — (5) Tert. Apol. 1. — (6) D. Aug. Serm. 2. Confess. — (7) Tert. Apol. 2. — (8) Tert. Apol. 1. — (9) D. Aug. ibid.

(1) In Ps. 66. — (2) D. August. L. 50. Hom. hom. 12. — (3) Lib. 2. de Pœn. 7. — (4) D. August. L. 50. Hom. hom. 50. — (5) In 20. Matthæi. — (6) Ps. 135.

Judice. *Confessus es non crudeli, non ultori, non insidiatori. Confitere securus quoniam bonus. Quid times confiteri ? Bonus est Deus, ignoscit confitenti. Time confiteri judici homini, ne forte confessum puniat. Deo noli timere confiteri, sed eum fac confitendo propitium, quem negando non facis nescium.* (1) Neque tandem 3. Timendum est peccatori, ne mors sit confessionis suæ pœna et supplicium; quia ad hoc judex cœlestis exigit confessionem, ut liberet humilem pœnitentem. Non est æqua ratio fori secularis et fori Ecclesiæ. *Mortem plerumque generat, vel semel terreno judici crimina confiteri : Deo autem frequentata confessio non parturit periculum, sed salutem.* (2) Apud judices homines crimen fateri summum est discrimen; in foro autem pœnitentiæ crimen fateri, salus est, et, ut animadvertit D. Chrysostomus, *in mundanis et forensibus judiciis post accusationem, et criminum confessionem restat mors : apud divinum autem tribunal post accusationem et confessionem criminum datur corona.* (3)

3. Qui rationis sequuntur lumen, vitamque suam secundum fidei regulas componunt, *turpia timori, impia pudori habent.* (4) Diabolus tamen ut homines ad peccandum inducat, aufert ab eis pudorem, qui pravum opus concomitatur, et ut eos a confessione dimoveat, ablatum restituit pudorem; ideoque quondam respectus a viro sancto confessariorum sedilia obambulans, interrogatus quid ageret : Ego, inquit, pœnitentibus reddo quod abstuli : peccatoribus pudorem furatus sum, pœnitentibus restituo pudorem. (5) *Duo hæc sunt, peccatum et pœnitentia : peccatum vulnus, pœnitentia medicina ; peccatum pudorem habet, pœnitentia fiduciam possidet. Attende diligenter, obsecro, ne ordinem turbes, et utilitatem perdas. Est vulnus et medicina, peccatum et pœnitentia : in vulnere sanies, in medicina purgatio saniei : in peccato sanies, in peccato improprium, in pœnitentia purgatio peccatorum; peccatorum pudor et confusio sequitur, pœnitentiam vero fiducia. Ordinem Satanas pervertit, et confidentiam dedit peccato, et pœnitentiæ confusionem. Sciens igitur peccatum confusionem habere, mutavit ordinem, deditque confusionem pœnitentiæ* (6): mutatoque illo ordine multos ad peccandum promovet, multoque plures deterret a pœnitentia. Quam sint irrationales et stulti quos pudor a confessione deturbat, pluribus rationibus demonstrat Tertullianus : 1. *Agitis circa conscientiæ pudorem* (1); quia erubescitis ubi erubescendum non est, et non erubescitis ubi erubescendum est. Pudendum quidem est facere malum, sed pudendum non est facere bonum. *Ne tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens.* (2) Pudendum est peccare, pudendum non est confiteri peccatum. *Nullus pudor vos a confessione removeat, neque enim pudenda est peccati confessio, sed perpetratio.* (3) Peccatum est probrosum, ideo pudendum; pœnitentia est virtuosa, ideo non erubescenda. Quapropter, Christiane, *pudeat te peccantem, non pudeat pœnitentem.* (4) Qui peccare non erubescunt, confiteri erubescunt, pervertunt rerum ordinem. *O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris et honestatis !* (5) 2. Æquitas ad tolerandam pœnitentiæ confusionem stimulat, ut qui impudenter Deum offenderunt, per pudorem Deo satisfaciant. *Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari.* 3. Utilitas, quæ captatur ex pœnitentia et confessione delictorum. *Ubi pœnitendum est, desinit esse miserum, quia factum est salutare,* scilicet vulnerum animæ sanitas. *Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis : velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt.* Qui peccata sua confiteri verentur, tanto sunt insaniores, quanto animæ salus præferenda est corporis sanitati. Ob tantam stultitiam stupefactus D. Augustinus exclamat : *Sunt multi quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania ! de ipso vulnere non erubescis, de ligatura vulneris erubescis. Nonne nudum vulnus fœdius et putidius est ? Confuge ergo ad medicum.* (6) Hanc stultitiam omnium majorem existimat D. Bernardus. Nam postquam produxit Christum etsi innocuum et absque ulla labe peccati, circumcisionis infamiam absque pudore suscipientem, subjungit : *Nos econtra inverecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam, quad extremæ dementiæ est : male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi.* (7) 4. Damnum, quod ex inordinato illo incurritur pudore. *Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro ;*

(1) D. August. in Ps. 74. — (2) Cassiod. in Psal. 76. — (3) Hom. 5. in c. 74. Isa. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (5) Cassian. Collat. 1. — (6) D. Chrys. Hom. 5. de Pœn.

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 7. — (2) Tert. L. de Pœn 10. — (5) Theodor. L. 10. de Prov. — (4) D. Chrysost. Hom. 3. de Pœn. — (5) D. Bern. Ep. 185. — (6) In Psal. 50. — (7) Serm. 1. de Circumcis.

cum ipse hominem quodammodo hortatur: Ne me respexeris dicens, pro te mihi melius est perire. Quanta, quæso, inccurrit damna, qui ex verecundia peccata non confitetur! 1. Peccati sordes non diluit; 2. Sua scelera sacrilegio augescit; 3. Pœnis inferni sese addicit. *An melius est damnatum latere quam palam absolvi?* (1) At quanta perdit bona? 1. Cordis munditiam; 2. Dei amicitiam; 3. Sanctificantem gratiam; 4. Jus ad felicitatem et gloriam. Qualitates sacerdotis, cui facienda est confessio. *Cæterum inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino et Patre) quid tu hos aliud quam te opinaris?* (2) Quid erubescis confiteri sacerdoti: 1. Homini; 2. Homini peccatori; 3. Homini confessione indigenti; 4. Homini viscera paterna habenti; 5. Homini Christum repræsentanti; 6. Homini inviolabiliter secretum servanti? Sex illæ sacerdotis conditiones pudorem fugare debent a pœnitente. Nam, 1. Pœnitentiæ minister est homo. *O stulte! cur erubescis homini dicere quod non erubuisti in conspectu Dei facere? Remove a te pudorem, curre ad sacerdotem, revela secretum, confitere peccatum; alioquin nihil tibi profuerit contritio cordis, nisi sequatur confessio oris, si possis.* (3) 2. Confessarius est non solum homo, sed homo fragilis et peccator. *Quid erubescis, o homo, confiteri peccata tua? Peccator sum, sicut et tu; homo sum sicut et tu, humani nihil a me alienum putans: confitere ergo homo homini, homo peccator homini peccatori.* (4) 3. Confessarius est homo peccator, confessioni obnoxius. Etiam Reges et Summi Pontifices ad peccatorum suorum confessionem tenentur. *Quid consortes casuum tuorum, ut plausores fugis?* (5) Ut enim ait D. Ambrosius, *nihil est quod pudori esse debeat, nisi non confiteri, cum omnes simus peccatores.* (6) 4. Sacerdos parentis habet viscera, pœnitentium condolens et compatiens infirmitati. *Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere. Condoleat universum, et ad remedium conlaboret necesse est.* (7) 5. Confessarius Christum repræsentat, cujus vices gerit. *Cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras.* (8) 6. Confessarius est ad secretum inviolabiliter servandum obligatus. *Certe periculum ejus tunc, si forte onerosum est, cum penes insultaturos in risiloquio consistit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur.* At periculum nullum est, ut confessarius manifestata in foro pœnitentiæ detegat peccata. Adeo confessionis secretum sacrum et inviolabile est, ut confessarius neque ullo jure, neque ulla vi, ullis suppliciis, ne quidem ipsa morte possit cogi ut vel unicum scelus sibi in confessione commissum prodat verbo, signo, nutu, vel aliquo modo. *Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras.* (1) Tandem, 6. Scientia Dei, cui nihil est ignotum, impedire debet ne indiscretus pudor in confessione occultet peccata. *Grande plane emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus proinde et Deum celabimus. Adeone existimatio hominum, et Dei conscientia comparantur?* (2) At, proh dolor! *Dum erubescimus confiteri quæ commisimus, Deum minus quam homines reveremur,* (3) demonstramusque non credere ultimum judicium, in quo nudanda et manifestanda sunt cuncta delicta, quæ in foro pœnitentiæ perpetuo silentio involvenda erubescimus confiteri. Nam, ut perfecte ait Imperfectus, *confessio peccatorum testimonium est conscientiæ timentis Deum: perfectus enim timor solvit omnem pudorem* (4); scilicet timor Dei occulta quæque conspicientis, et timor ultimi judicii omnia in universum peccata manifestaturi. Inde subjungit D. Chrysostomus: *Illic autem turpitudo confessionis aspiciatur, ubi futuri judicii pœna non creditur.* Christianus ultimum credens judicium, inconsultum in confessione rejiciat pudorem; et, ut concludam cum Cardinali Petro Damiano, *opponamus ergo ei considerationem rationis, reverentiam intuentis Dei, comparationem majoris confusionis. Ut enim confiteamur, ratio movet, Deus cogit qui videt; et si confundimur hic dicere, quid erit in illa magna confusione, ubi omnia patebunt? Cum eo veneris infelix homuncio, quo te flectes? Quas tenebras quæres? quibus os tuum, os impudens, frontem effrontem tenebris vallabis? nonne tunc incipies dicere montibus:* Cadite super nos? *Hoc onus si velis nunc excutere vales, aperi os tuum, et attrahes spiritum vitæ æternæ.*

(1) Tert. L. de Pœn. 10. — (2) Tert. ib. — (3) D. Aug. Serm. de util. Pœn. — (4) D. August. Serm. 124. de Temp. — (5) Tert. L. 2. de Pœn. 10. — (6) Lib. 2. de Pœn. 10. — (7) Tert. L. 2. de Pœn. 10.

(1) Tert. Lib. de Bapt. 20. — (2) Tert. L. de Pœn. 10. — (3) Petr. Dam. Serm. 58. — (4) Hom. 3. in Matth.

CONCIO QUARTA.

Omissis Lutheranis et Calvinistis (1) adversus satisfactionem pro peccatis debacchantibus, satisfactio in communi sumpta, alia est non sacramentalis, alia sacramentalis. Per illam homo nititur Deo pro peccatis satisfacere, vel flagella a Deo missa patienter tolerando, vel pœnas sibi sponte præscribendo, vel injunctas ab Ecclesia submisse adimplendo. Per hanc in sacramento pœnitentiæ homo Deo satisfacit exsequendo pœnitentias sibi a sacerdote impositas. Hæc autem dicitur sacramentalis, quia est pars sacramenti pœnitentiæ, non essentialis, quia sacramentum ante expletam satisfactionem delet peccatum et largitur gratiam, sed integralis, quia aliquo modo ad integritatem sacramenti pertinet, estque 1. Injuriæ illatæ reparatio; 2. Pœnalis afflictatio; 3. Medicinalis curatio.

I. PARS. *Confessio satisfactionis consilium est* (2): ad satisfactionem autem sacramentalem requiritur, ut sit opus 1. Ex genere suo bonum; 2. Opus liberum vel humanum; 3. Opus supernaturale; 1. Opus ex genere suo bonum, quia omne opus ex genere suo est vel malum, vel indifferens, vel bonum: opus autem malum non acceptatur a Deo, sed aversatur. Opus indifferens nequit placare Deum: solum ergo opus ex genere suo bonum ad satisfactionem pertinet; quia Deo placet, ejusque indignationem placare potest. 2. Debet esse opus liberum et voluntarium: tum quia est humanum et morale: tum quia uti homo libere peccavit, ita libere satisfacit. 3 Debet esse supernaturale: tum quia oritur ab impulsu Spiritus Sancti; tum quia a passione Christi suam mutuatur efficaciam; tum quia ad Dei cultum pertinet; tum quia verus animi dolor includit actus spei et charitatis. Satisfactio hujusmodi est, ait Doctor Seraphicus, 1. *Honoris ablati redditio;* 2. *Deordinationis reordinatio;* 3. *Debiti solutio.* (3)

1. Homo per peccatum Deo debitum abstulit honorem: Dei enim contemptus in quovis peccato mortali saltem implicite et virtualiter continetur. Pœnitens autem per humiliationem nititur *Domino offenso satisfacere* (4), et ablatum peccato honorem reddere per contriti cordis humiliationem, et pœnalem operationem. Nam, ut subjungit Seraphicus Doctor, « honorem Deo ablatum debet homo reddere amplius quam si non abstulisset; et ideo requiritur ut non tantum Deo famuletur per operationem bonam, verum etiam seipsum dejiciat per pœnam assumptam. Ex D. autem Anselmo *satisfacere est honorem debitum Deo impendere.* (1) Idcirco D. Augustinus satisfactionem nuncupat *sacrificium justitiæ*, importans tum cordis humiliati contritionem: *Cor contribulatum et humiliatum hostia Deo est* (2); tum externam et pœnalem hominis dejectionem. Ut autem sæpe sæpius dictum est cum Tertulliano, *exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est.* (3) Qui Deo offenso debitum honorem non restituit, contra justitiam agit, et, ut fatur D. Bernardus, *pejus est Dei offensam non satisfaciendo placare quam peccando Dei bonitatem offendere.* Qui vero per satisfactionem illatam Deo reparant injuriam, Deo placent, eique oblatum reparant honorem: siquidem *cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur* (4); quia satisfactio, quæ cor contritione contribulat, et corpus pœnali afflictatione humiliat, est offensæ reparatio, et deordinationis reordinatio.

2. *Nulla res sine ordine rationalis potest vindicari.* (5) Deus, qui est prima et essentialis ratio, et rationalis opifex et auctor, ordinem rationis et justitiæ posuit, tum in magno, tum in parvo mundo. In magno equidem mundo; nam *totum hoc judicato dispositum et ordinatum est.* (6) In parvo etiam mundo; nam, ut subjungit Tertullianus: *Tantum abest ut ratio ipsa in aliquo ordinem amittat* (7): quinimo in homine, qui parvus est mundus, trinum constituit ordinem. Unum ad Deum, alium ad seipsum, et tertium ad proximum. (8) Ad Deum, ordinem dependentiæ, quo creatura essentialiter a Deo dependet; ad seipsum, ordinem præeminentiæ, quo corpus subjicitur animæ, passio rationi, concupiscentia voluntati; ad proximum, ordinem societatis et amicitiæ, quo homo proximum suum diligit, de eo bene loquitur, eique in necessitatibus subvenit. Peccatum trinum illum pervertit ordinem: nam creaturam a Creatore independentem reddit, animam corpori, rationem passioni, et voluntatem concupiscentiæ subjicit; proximumque in persona, fama, et fortuna lædit: in persona, quam odit; in

(1) Luther. de Indulg. Calvin. L. 3. Inst. cap. 4. — (2) Tert. L. de Pœn. 8. — (3) In 4. dist. 15. p. 2. a. 1. q. 3. — (4) Tert. L. de Pœn. 10.

(1) Lib. Cur Deus hom. c. 19. — (2) Tert. L. adv. Jud. 5. — (3) Tert. L. de Pœn. 9. — (4) Tert. L. adv. Jud. 5. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (7) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (8) D. Thom. 1. 2. q. 72. a. 4.

fama, de qua detrahit; in fortuna, quam injuste tollit. Satisfactio autem est *deordinationis reordinatio; quia deordinatum per culpam optime ordinatur in pœna.* Nam et homini a Deo dependentiam imponit, et in homine concupiscentiam voluntati, passionem rationi, corpus animæ subdit; proximoque reddere cogit ablatum odio amorem, detractione honorem, injustitia, rapina et furto fortunæ bonum. Sacerdos absolutionem denegare tenetur pœnitenti, qui recusat vel amorem proximo quem aversatur, vel reparare honorem quem detractionibus denigravit, vel restituere bonum, quod per nefas abstulit. Nam *præceptorum præcipuum est ne prius ascendamus ad Dei altare, quam si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei recedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione?* (1) præsertim cum satisfactio sit debiti solutio; et *quia peccator est debitor pœnæ, ideo debet pœnam satisfacere.* (2)

3. In purgatorio solvendæ sunt pœnæ temporales, nisi vel tempore vitæ, vel *in primo quoque vitæ hujus commeatu omnibus inlicitis satisfiat.* (3) In pœnitentiæ sacramento suam Deus ostentat misericordiam et justitiam. Misericordiam, tum remittendo culpam, tum pœnam æternam peccato mortali debitam commutando in pœnam temporalem. Justitiam, exigendo a pœnitente pœnam temporalem. *Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint, et divinam clementiam decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ne occasione accepta peccata leviora putantes, veluti injurii et contumeliosi Spiritui Sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur.* (1) Plures conglobat Concilium rationes, quibus demonstrat convenientissimum fuisse ut remissa peccati culpa reservaretur solvenda a pœnitente temporalis pœna. 1. Ut pœnitentiæ sacramentum a baptismo discriminaretur, in quo Deus omnem dimittit pœnam peccato debitam; 2. Ut peccati gravitas magis dignosceretur, et homo ab eo removeretur; 3. Ut peccator aliqualem justitiæ divinæ solveret satisfactionem; 4. Ut peccandi licentia metu pœnæ velut fræno quodam cohiberetur; 5. Ut habitus vitiosi prava consuetudine acquisiti, per temporales pœnas facilius evellerentur; 6. Ut pœnitentes Christo patienti magis conformarentur. Adde 7. Ut satisfactio purgatorii frustraret pœnas; quia *si præveniantur, vacabunt.* (2) Ut enim animadvertit D. Augustin. *Non sufficit pœnitenti mores in melius commutare, et a malis recedere; nisi et de iis quæ malefecta sunt, satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. Nullus siquidem pœnæ debitæ gravioris accipiet veniam, nisi qualemcunque, etsi minor est quam debeat, solverit pœnam.* (3) Homo debitor est justitiæ divinæ pœnæ temporalis, vel in hoc mundo, vel in purgatorio solvendæ. *Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* (4) Purgatorii pœnæ sunt absque ulla comparatione graviores atrocioribus quibusque hujus vitæ suppliciis. De fide est, detineri in illo carcere, et purgatorio igne torqueri *animam reliquatricem delictorum, donec exsolvat novissimum quadrantem.* (5) Christiane, vis acerbissimos purgatorii vitare cruciatus, vaca quandiu vivis satisfactionis operibus; quia *inquantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus, crede, parcet* (6): neque patieris ab igne purgatorii, si Deo satisfeceris per pœnalem afflictationem.

II. PARS. *Is actus qui magis græco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* (7) Hæc autem satisfactio, quæ confessione disponitur, et qua Deus mitiga-

(1) Tert. L. de Orat. 10. — (2) D. Bonav. — (3) Tert. Lib. de An. 35.

(1) Trident. Sess. 14. cap. 8. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) Aug. L. 50. Hom. hom. 50. — (4) Tert. L. de Pœn. 6. — (5) Tert. L. de An. 35. — (6) Tert. L. de Pœn. 10. — (7) Tert. L. de Pœn. 8.

tur, 1. Pœnalis demonstratur ; 2. Trina discriminatur; 3. Hujus numeri convenientia declaratur.

1. *Itaque exomologesis de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animam mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare.* (1) Licet enim omne opus meritorium tam internum, quam externum possit esse satisfactorium : tum quia ut homo actum mere internum interdum peccat; ita per actum pure internum satisfacere potest : tum quia Deus potest acceptare actus puræ charitatis in compensationem injuriæ sibi illatæ. Ut plurimum tamen et regulariter opus satisfactorium debet esse pœnale et sensibiliter affectivum. Unde Concilium Trid. (2) pœnas sponte susceptas, vel a Deo inflictas, vel a sacerdote injunctas, nuncupat pœnas satisfactorias. Origenes quoque opera afflictiva vocitat *pretium quo peccata redimuntur.* (3) Idipsum perspicue docet Tertullianus. Nam postquam expostulavit: *Quæ igitur negotiatio patientiæ in carne?* illico respondet : *Imprimis afflictatio carnis hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, cum sordes, cum angustia victus Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquæ potu, cum jejunia conjungit, cum cineri et sacco inolescit.* (4) D. Cyprianus Tertulliani, quem sibi elegerat in magistrum, inhærens vestigiis, Christianos hortatur: *Confiteantur singuli delictum suum ; dum qui deliquit adhuc in seculo est; dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Convertantur ad Dominum mente tota et pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecentur; illi spes hominis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipse.* (5) Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu et planctu. (6) *Ad Dominum toto corde redeamus; iram et offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus.* (7) Ut enim ait Magnus Gregorius, *justum est ut peccator tanto majora inferat sibi lamenta per pœnitentiam, quanto majora sibi intulit damna per culpam.* Sed nemo melius Climaco afflictivam satisfactionis pœnam declarat : *Pœnitentia est seipsum condemnans cogitatio; est consolationis corporeæ perpetua repudiatio; est voluntaria rerum omnium quæ affligunt toleratio; est cruciatuum sibi semper opifex; est valida ventris afflictio; est abyssus humiliationis, animæque in sensu firmissimo jugis reprehensio.*(1) Tot Patrum sententiæ opus satisfactorium pro peccatis commissis pœnale et afflictivum demonstrant, et si quæras quotuplex sit, dico quod trinum passim discriminatur.

2. Opus satisfactorium pro pœna temporali peccatis debita, ad jejunium, eleemosynam, et orationem reducitur. Per jejunium intelligitur omnis carnis afflictatio; per eleemosynam, omne opus pietatis proximo impensum, sive spirituale, sive corporeum; per orationem vero, oratio vocalis, contemplatio, Dei laus et benedictio. Trinum illud opus pœnale recenset Tertullianus aiens : *Itaque exomologesis conversationem mandans misericordiæ illicem* (per misericordiam, eleemosynam denotat) *de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare : cœterum, pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa.* (2) His verbis jejunium et carnis afflictationem commemorat, sequentibus vero orationis satisfactionem demonstrat: *Plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, et omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Quodnam autem ex illis tribus operibus pœnalibus sit magis satisfactorium, distinguenda sunt tria in opere satisfactorio: scilicet, vitatio culpæ, augmentatio gratiæ et solutio pœnæ. Ad vitandam culpam, oratio ; ad augmentandam gratiam eleemosyna ; ad solvendam pœnam, magis valet jejunium. Verumtamen *qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, id est, eleemosynam et jejunium.* (3) Ternarii autem hujus operis pœnalis et satisfactorii convenientia restat declaranda.

3. Quam autem conveniens sit *tota hæc trinitas* (4) operis satisfactorii, multiplici ex parte declaratur : 1. Ex parte peccati, quod corrigimus : tres enim sunt radices peccatorum, superbia scilicet, lascivia et avaritia : oratio autem ordinatur contra superbiam; jejunium contra luxuriam ; eleemosyna, contra avaritiam. 2. Ex parte boni quod offendimus ; nam offendimus Deum, vel proximum, vel nosmetipsos. Per orationem,

(1) Tert. L. de Pœn. 9. — (2) Sess. 13. Can. 13. — (3) Hom. 13. in Levit. — (4) Tert. L. de Pat. 13. — (5) Serm. de Lapsis. — (6) Joel. 2. — (7) Hom. 20. in Evang.

(1) De Pœn. grad. 5. — (2) Tert. L. de Pœn. 9. — (3) D. August. Serm. 59. de Temp. — (4) Tert. Lib. de An. 16.

satisfacimus Deo ; per eleemosynam, proximo; per jejunium , nobismetipsis. 3. Ex parte boni quod nobis subtrahimus. Per orationem, subtrahimus nobis aliquid de bonis animæ ; per eleemosynam , aliquid de bonis fortunæ; per jejunium aliquid de bonis corporis; 4. Ex parte modi satisfactionis, per supplicationem , et est oratio ; per redemptionem, et est eleemosyna ; per punitionem seu carnis macerationem , et est jejunium. *Qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret; imo quidquid sibi pro culpa , quam oderit , injungitur , tacita conscientia utiliter amplexatur.* (1)

Tria autem sunt potissimum genera hominum qui veraciter non pœnitent : 1. Calvinistæ et Lutherani satisfactionis pœnalis osores. *Sed aiunt quidam : Satis Deum habere, si corde et animo suspiciatur, licet actu minus fiat* (2), scilicet caro afflictationibus non puniatur : itaque se salvo corpore, in corde pœnitentiam agere præsumunt. *Hoc est, salva castitate, matrimonia violare ; salva pietate , parenti venenum temperare. Sic ergo et ipsi , salva venia, in gehennam detruduntur.* (3) 2. Plures molles catholici, qui tolerabiles pœnitentias a confessariis injunctas recusant : nec attendunt acerbiores multo pœnas merito debitas sceleribus ab ipsis commissis. *Meditemur duriora, et non sentiemus.* (4) Peccator, qui leves tibi injunctas pœnitentias velut intolerabiles respuis, considera purgatorii pœnas , imo et inferni supplicia, quæ merito tibi debentur. *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis exstinguet; et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* (5) 3. Nonnulli pœnitentiam a confessario injunctam acceptant , eam tamen non exsequuntur. *Pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. Quam porro ineptum , quam iniquum pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere? hoc est, pretium non exhibere , ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* (6) Uti mercator merces suas non donat gratis, sed eas tali pretio vendit, ita Deus solutionem culpæ et pœnæ temporalis exigit. Pretium solutionis culpæ est cordis contriti confessio , pretium solutionis pœnæ temporalis est satisfactio , quæ est debiti solutio , et medicinalis curatio.

III. PARS. Christus est doctor, judex et medicus : 1. Doctor et christianæ *disciplinæ arbiter, magister et illuminator.* (1) 2. Judex, *cum justitiæ charissimæ sibi exigendæ, tuendæque præsideat, et in eam omnem summam disciplinæ suæ sanciat.* (2) 3. Medicus, et ut fatur Tertullian. *remediator valetudinum.* (3) Et quia in pœnitentiæ foro confessarii Christum repræsentant, ejusque gerunt vices , doctorum etiam , judicum et medicorum funguntur officio , pœnitentes vero habentur tanquam discipuli, instructionem quærentes , tanquam rei absolutionem cupientes , et tanquam ægroti medicina indigentes : quapropter confessarii, 1. Ut doctores sanam doctrinam discipulos doceant ; 2. Ut judices, justam sententiam adversus reos ferant; 3. Ut medici , medicinam salutarem ægrotis præbeant.

1. Lugenda est plurimum Christianorum perversitas, qui dum ad pœnitentiæ sacramentum accedere volunt , confessarios eligunt, non doctos, sed ignaros, a quibus nullatenus de salutis negotio possunt erudiri. *Si doctrinæ dicendæ sunt , mali magistri male docuerint necesse est.* (4) Neque audiunt Christum dicentem : *Cæcus si cæco ducatum præstet , ambo in foveam cadunt* (5), lapsus præcipitium et damnatio. *Ista omnia ignaris præparantur* (6) confessariis qui nesciunt discernere inter lepram et lepram ; neque peccatorum naturam , speciem et gravitatem agnoscunt. Qui ad pœnitentiæ accedunt sacramentum , sunt, vel ignari , et eruditione indigentes ; qui est hujusmodi ab indocto confessario non eruditur, sed potius *venenum ab ignaro accipit.* (7) Vel gnari sua crimina vel palliantes, vel propugnantes. *Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana! præsertim cum aliquid ejusmodi de gaudiis et de fructibus seculi metuit amittere?* (8) Quam arguti sunt homines, ut simoniam et usuram pallient, inveteratam inimicitiam propugnent, vel diuturnum consuetudine aliquod vitium excusent : idcirco scientia necessaria est confessariis, *ut et qui ex sollicitudine ignorantiæ quærunt, instruantur; et quæ in defensionem delicti contendunt, revincantur.* (9)

Profunde ratiocinatur Tertullianus: *Omne animi bonum, aut nascitur , aut eruditur, aut cogitur.* (10) Nam anima christiana *omnia*

(1) D. Bern. Tract. de 12. Grad. Humil. Grad. 9. — (2) Tert. Lib. de Pœn. 5. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fœm. 13. — (5) Tert. L. de Pœn. 1. — (6) Tert. Lib. de Pœn. 6.

(1) Tert. Apol. 21. — (2) Tert. L. de Pœn. 2. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 8. — (4) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 2. — (5) Matt. 15. — (6) Tert. Apol. 8. — (7) Tert. L. adv. Jud. 10. — (8) Tert. L. de Spect. 2. — (9) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (10) Tert. L. de Pud. 1.

de cœlo trahit; et naturam, per lavacrum regenerationis; et disciplinam per instrumentum prædicationis; et censuram, per judicia ex utroque Testamento, et coacta constantius ex metu et voto æterni ignis et regni. Confessarii doctrina et probitate pollentes, ut animas a morte peccati ad vitam gratiæ suscitent; disciplina, censura et quadam quasi violentia utuntur. Disciplina, eas erudientes; censura, peccatorum suorum gravitatem exaggerantes, censura cœli damnum et gehennæ supplicium minitantes. At proh dolor! *bonum jam nec nasci licet, ita corrupta sunt semina; nec erudiri, ita deserta sunt studia; nec cogi, ita exarmata sunt jura.* (1) Et hoc ex defectu, vel confessariorum, vel pœnitentium. Ex defectu confessariorum, qui aut parentum non habent pietatem, aut doctorum eruditionem, aut judicum fortitudinem. Ex defectu pœnitentium, qui aut gratiæ semen sua contumacia sterile efficiunt; aut confessariorum doctrinam respuunt, et censuram contemnunt, suaque delicta *de quorumdam occasione defendunt.* (2) Verum *non quæritur, qui latam viam sequi paratus sit, sed qui angustam*; quia illa ducit ad mortem, hæc ad vitam: quam sequuntur confessarii doctrina pollentes, et justam sententiam ferentes.

2. Marcionem a Deo judiciariam potestatem et severitatem auferentem, merito redarguit Tertullian. *Non qualem oportet Deum velles; qualem malles expediret; sub quo delicta gauderent; illum bonum judicares Deum, qui hominem posset magis malum facere, securitate delicti.* (3) Quot sunt hac ætate Christiani qui vellent confessarios non quales oportet, disciplinæ christianæ zelatores, sed molles de imaginaria bonitate commendatos, sub quibus peccata gauderent, quique peccatores in malo detinerent securitate delicti: quod non judicando evellerent, sed potius deliniendo foverent. Verum, ut acute ratiocinatur Tertullianus, *justitiæ opus, procuratio bonitatis est; quod utique bono non malo proficit*, quod a peccato removet, et ad pietatem inducit. *Hanc justitiam malum dices, quæ malo non favet? Hanc bonum negabis, quæ bono prospicit?* Uti enim confessarius qui vel timore, vel mollitie, vel inordinato amore, vel lucro, peccata non judicat, neque condemnat, neque castigat, malo favet: ita qui justitiam exercet, bono prospicit. Nam, ut subjungit Tertullianus, *quis boni auctor, nisi qui et exactor? Quis mali extraneus, nisi qui et inimicus? Quis inimicus, nisi qui et expugnator, nisi qui et punitor?*

Utinam confessarii qui judicum funguntur munere, serio recogitarent! *Sicut in universis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque causa justitiam Deo præstandam esse.* (1) Quod tunc exsequuntur, vel dum peccatoribus obstinatis et indispositis absolutionem denegant, vel pœnitentibus probe dispositis pœnitentiam peccatis quæ commiserunt convenientem imponunt. Ex Concilio namque Tridentino, *debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravibus delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* (2) Quod si participes alienorum peccatorum efficiuntur, qui pro gravissimis peccatis leves injungunt pœnitentias, quanto magis qui absolvunt peccatorem indispositum, qui ob contumaciam merui *ut sacramento benedictionis exauctoraretur?* (3) Confessarii qui criminosos pœnitentiæ indignos absolvunt, sunt inobedientiæ et profanationis rei, qui contra Dei inhibitionem sacrilegis administrant sacramentum. *Nolite dare sanctum canibus, et porcis projicere margaritas vestras.* (4) Subjungit Tertullianus Apostoli referens verba: *Nemini manus de facili imposueris, ne participes aliena delicta.* (5) De ordinatione presbyterorum loqui videtur Apostolus, hortans Timotheum ne temere munus imponat, id est, ordinet sacerdotes. Siquidem *caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.* (6) Quasi dicat Paulus: Video Timothæe, Episcope, ne quem temere ordines, sed unumquemque prius proba et examina an sit probatæ vitæ et doctrinæ, sacerdotalique dignus dignitate; alioquin particeps eris delictorum, quæ et ante ordinationem commisit; et quæ post ordinationem perpetrabit. Ex Sophronio refert Baronius (7) quod S. Leo orationibus et jejuniis vacans ad sepulcrum S. Petri, ut Dei misericordiam ac peccatorum veniam imploraret, hoc a S. Petro accepit responsum: *Deprecatus sum pro te Dominum, remisitque ille tibi peccata, ut solum hoc a te expetendum et a te postulandum supersit, quibus adversus apostolicam legem, manum temere imposueris.* Quod si a S. Leone sanctitate et prudentia

(1) Tert. L. de Pud. 1. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 10. (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 13.

(1) Tert. L. de Pœn. 2. — (2) Sess. 14. c. 8. — (3) Tert. L. de Pud. 14. — (4) Tert. L. de Bapt. 18. — (5) 1. ad Tim. 5. — (6) Tert. L. de Res. Car. 8. — (7) An. 461.

commendato, exigitur ratio de impositione manuum ab ipso facta, quem confessarium non terreat hæc Apostoli exhortatio : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis ?* In pœnitentiæ sacramento, a sacerdote manus imponuntur pœnitentibus, quo symbolo eos a peccati servitute liberatos, et manumissos denotatur : et ob hanc causam, nonnulli virgas Apostolis datas arbitrantur; imo et pœnitentiarii Romæ virgas gestant, easque imponunt capiti pœnitentium, ut eos erudiant a servitute peccati in libertatem filiorum Dei per pœnitentiam esse translatos (1) : confessarii menus imponentes peccatoribus aut concubinariis, usurariis, simoniacis, aut restituere nolentibus quæ per simoniam, usuram, rapinam, injustaque lucra acquisierunt, aut efficax emendandi propositum non habentibus, eorum peccatis communicant, ea in se transcribunt, fiuntque omnium rei, ac pro eis Deo pœnas dabunt, acerbissimosque gehennæ patientur cruciatus, eo quod male judicaverint, et salutares medicinas non adhibuerint.

3. Peccator accedens ad pœnitentiæ sacramentum : *Incidisti in manus medici, sed feliciter incidisti, incidit et ille in ægritudines tuas* (2), ut per medicinam salutarem te ad sanitatem revocaret. Nam, ut docet Seraphicus Doctor, satisfactio est *infirmitatis curatio, quia infirmatus per delectationis calorem, curatur per pœnalitatis languorem.* Remedia sunt in duplici differentia, quædam purgativa, quædam præservativa. Illa ægrotum sanant ; ista sanato valetudinem servant ; confessarius tanquam medicus peritissimus utraque adhibet medicamenta. Purgativa, ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem: præservativa, ad novæ vitæ custodiam et conservationem. De utrisque remediis loquitur D. Augustinus. De curativis quidem : *Cum pœnitendo sanatur peccatum, ipsa afflictio pœnitentis pœna est peccati : quamvis medicinalis et salubris.* (3) De præservativis quoque sic aiens : *Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere.* (4) Ut autem hæc remedia prosint, attendat diligenter spiritualis medicus ad conditiones personarum, species infirmitatum, varietates medicinarum : ita ut, ait D. Cyprianus, *pœnitentia crimine minor non sit.* (5)

Homo semper medico negotium facit (6), ut apparet in multis peccatoribus qui remedia sive purgantia, sive præservantia a confessariis oblata recusant ; vel necessitatem, vel infirmitatem causantes. Nam dum alieni restitutionem injungunt, impossibilem asseverant, alias acquisitam famam amitterent ; a dignitatibus in quibus sunt deciderent ; luxum vestium, domesticorum numerum, supellectilis pompam deponerent, filios egenos et ignobiles relinquerent. Quam futilis et vana sit hæc causata necessitas, profunde declarat Tertullianus : *Male nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus : Non habeo quo vivam. Jam hic enim plenius illi abruptæ propositioni respondebo. Sero dicitur : ante enim fuit deliberandum, ex similitudine providentissimi ædificis illius, qui prius sumptus operis cum viribus suis supputat, ne ubi cœperit defectus, postea erubescat.* (1) Antequam officium sublime emeres, amplum palatium erigeres, in curribus gloriosus incederes, lautam et opulentam mensam conderes, vanam suppellectilis redundantam acquireres, inutilem domesticorum turbam assumeres, consultandæ erant facultates. *Sed et nunc habes dicta Domini, et exempla adimentia tibi omnem causationem. Quid enim dicis : Egebo ? Sed felices Dominus egenos appellat. Victum non habebo ? Sed nolite, inquit, cogitare de victu. Et vestitus habemus exemplum, lilia. Substantia mihi opus erat ? Atquin omnia vendenda sunt, et egentibus dividenda. Sed filius et posteritati providendum ? Parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. Non habeo quo vivam ? Fides famem non timet. Scit enim famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum ?* (2) Cunctas causationes afferri solitas, quibus alieni detentores a restitutione eximi præsumunt, sapienter confutat Tertullianus : *Jam illa objici solita vox, non habeo aliud quo vivam, districtius repercuti potest. Vivere ergo habes ? quid tibi cum Deo est, si tuis legibus ?* (3) Quam partem cum Deo habere possunt, qui conscientiam suam componunt non secundum Dei legem, sed secundum mundi consuetudinem.

Alii infirmitatem causantur ne remedia præservativa sumant. Si superbo injunguntur humiliationes, guloso jejunia, libidinoso carnis macerationes, se infirmos proclamant : *Rideo cum infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo dicenda est.* (4) Fortis est

(1) Rom. 8. — (2) Tert. Scorp. 5. — (3) Lib. q. sup. num. q. 25. — (4) Lib. de Eccles. Dogmat. c. 54. — (5) Serm. de Lapsis. — (6) Tert. Scorp. 5.

(1) Tert. L. de Idol. 12. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. Idol. 5. — (4) Tert. L. de Monog. 16.

caro, dum gulæ indulgendum est, infirma est caro cum est jejunandum. Valens et potens est corpus ad lasciviendum; impotens et male habens est corpus dum est maceratione puniendum. Molles hujusmodi Christiani *habebunt plane Christo quod allegent, speciosum privilegium, carnis usquequaque imbecillitatem.* (1) Ironice loquitur Tertullianus, sed serio habes, Christiane, allatam carnis infirmitatem aliorsum (2) fuse confutatam: in præsentiarum sufficiat dicere cum Tertulliano: *Est et hæc perversitas hominum, salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quærere, medica male vitare; mori denique citius quam curari desiderare. Nam et medicinæ præsidium plures-que refugiunt, plures enim stulti, plures timidi, et male verecundi.* (3) Nonnulli ex mala verecundia erubescunt videri pœnitentes, humiles, pietatis operibus incumbentes; quidam ex metu vel amittendæ venustatis vel pinguedinis, renuunt abstinentiæ et jejunio vacare; alii ex stultitia nolunt pro animæ valetudine perferre quod pro corporis sanitate tolerant. Nam, ut subjungit Tertullianus, *et est plane de sævitia medicinæ, de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio: non tamen secari, et inuri, et extendi, idcirco malum, quia dolores utiles affert: nec quia tantummodo contristat, recusabitur; sed quia necessarie contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus excusat. Ululans denique ille, et gemens, et mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, et artifices optimas prædicabit, et sævas jam negabit* Sic et confessarii *desæviunt, sed in salutem;* amaras præbent medicinas, sed ad sanitatem; dolorem afferunt, sed ut tollant morbum, et post hæc confessarium medicum *culpandum existimabis, si voluit certasse cum causa, injuriæ æmulando prodesse, carnem lædendo juvare* (4), peccatorem ægrotantem jejuniis et macerationibus ad bonam valetudinem revocare, et ne rursus in morbum incidat præservare? Pœnæ medicinales a confessariis impositæ utrumque præstant: *Simul enim et de pristinis satisfacimus conflictatione carnis et spiritus, et subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus.* (5) Itaque confessarii medicinales injungentes pœnitentias, non sunt de crudelitate culpandi, sed de charitate laudandi. *Perversitas quam putas, ratio est; quod sævitiam existimas, gratia est; ita Deo de momentaneis æterna medicante.* (1) Nonne gratia est leves pœnas acceptare in compensationem intolerabilium purgatorii suppliciorum? Nonne gratia est, carnis afflictationibus præservare hominem a peccatis mortalibus quæ æternam inferni merentur pœnam? Nonne gratia est divinæ satisfacere justitiæ, veniam delictorum obtinere, et producere fructus pœnitentiæ dignos æternæ felicitatis?

(1) Tert. L. de Mon. 17. — (2) Tert. Præd. tom. 2. Tract. de Car. Conc. 4. — (3) Tert. Scorp. 5. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. de Bapt. 20.

(1) Tert. L. Scorpiace, 5. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (3) Tert. L. de An. 6. — (4) Tert. L. ad Scap. 1. — (5) Tert. L. de Præsc. hæret. 3.

CONCIO QUINTA.

Emendationis *necessitas* (2) incumbit 1. Idololatris christianam religionem amplectere volentibus; 2. Peccatoribus pœnitentiam suscipientibus; 3. Pœnitentibus post susceptam pœnitentiam, christiane et juste viventibus: quia vitæ emendatio 1. Christianum denotat; 2. Verum pœnitentem demonstrat; 3. Christianum pœnitentem de malo in bonum immutat.

I. PARS. Plura recenset Tertullianus indicia quæ Christianos denotant, et a Gentilibus discriminant: 1. Fides rerum quæ superant sensus experientiam et rationis lumen. *Non enim omnium est credere, quod Christianorum est.* (3) 2. Inimicorum dilectio. *Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem, solorum Christianorum.* (4) 3. Spontanea pro Christo tormentorum perpessio. *Ea nos ostendunt Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi.* (5) Sed ultra illa tria Christianitatis indicia, vitæ emendatio distinguit 1. Fideles ab infidelibus; 2. Catholicos ab hæreticis et apostatis christianam religionem deserentibus; 3. Perfectos pœnitentes a perversis pœnitentibus.

1. Quanta Gentilium cæcitas, qui ex emendatione eorum qui christianam amplexabantur religionem offendebantur! *Ut quisque hoc nomine emendatur, offendit: tanti non est bonum, quanti est odium Christianorum.* Injusti ejusmodi odii trinum refert Tertullianus exemplum. Nam *uxorem jam pudicam maritus, jam non zelotypus ejecit: filium jam subjectum, pater retro patiens abdicavit; servum jam fidelem, dominus olim mitis ab oculis relegavit.* Adeo vitæ emendatio propria erat Christianorum, ut christianam religionem non amplexarentur

Gentiles in suis sceleribus vivere nolentes. Etenim *quæ mulier, quam lasciva, quam festiva; qui juvenis, quam lusius, quam amasius, facti sunt Christiani?* At e converso sceleratissimi quique Gentilium mox ut efficiebantur Christiani, depravatos emendabant mores. *Alii, quos retro ante hoc nomen, vagos, viles, improbos noverant,* de probitate fuerunt commendati. *Ita christianum nomen emendationi imputatur*, fideles ab infidelibus, catholicos ab hæreticis discriminans.

2. Vitæ emendatio ita erat propria fidelium, ut esset velut idem esse Christianum et esse emendatum : et ob hanc causam Christiani sic suos urgebant persecutores : *Emendate vosmetipsos prius, ut Christianos puniatis : nisi quod emendaveritis, non punietis : imo eritis Christiani : imo si fueritis Christiani, eritis emendati.* (1) Eadem ratione Tertullianus insequitur Scapulam, Africæ præsidem, injuste sævientem in Christianos catholicos virtutis studiosos : *Nec aliunde noscibiles, nisi de emendatione vitiorum pristinorum.* (2) Apostatæ et hæretici a fide in hæresim lapsi sunt noscibiles non de emendatione vitiorum pristinorum, sed de perversitate et pristinarum jactura virtutum : nam, ut fatur Calvinus, unus hæreticorum hujusce ætatis patriarcha, loquens de catholicis in hæresim lapsis : *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Evangelio locum dederit, quam ut solutius in omnem lasciviam diffluereret.* (3) Adeo sunt probitatis osores, quod apud eos *emendari pudet* (4), et cœlibatum, vota religionis, confessionem auricularem, jejunium quadragesimale, carnis macerationes, pœnalia opera, de officina diaboli orta proclamant. Nec mirum, quia vitæ emendatio catholicos ab hæreticis, et perfectos pœnitentes, a perversis pœnitentibus discriminat.

3. Qui de bonis operibus pœnitent, *facilius per pœnitentiam delinquunt, quam per eam recte faciant* (5) : unde semel et iterum delinquunt. Semel, quia pœnitentiam quæ respicit peccatum, bonis operibus irrogant : iterum, quia *eam ad argumentum perversæ emendationis adhibent* (6), quæ nonnisi ad argumentum perfectæ emendationis adhibenda est. Pœniteamus non de bono, sed de malo opere, adhibeamus pœnitentiam non ad argumentum perversæ, sed perfectæ emendationis. *Humanum fuit errare, diabolicum est per animositatem in errore manere. Melius quidem erat, si nunquam erravissemus, sed quod secundum est faciamus, ut errorem aliquando emendemus* (1); quia vitæ emendatio pœnitentem verum demonstrat.

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (2) Tert. L. ad Scap. 2. — (3) In 2. Epist. Pet. 1. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (5) Tert. L. de Pœn. 1. — (6) Tert. L. de Pœn. 2.

II. PARS. *Quem censeas digniorem nisi emendatiorem? Quem emendatiorem, nisi timidiorem, et idcirco vera pœnitentia functum?* (2) Certum autem pœnitentiæ *habes testimonium, si contineas a peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.* (3) Ex D. itaque Bernardo trinum est emendationis indicium : 1. Peccati vitatio ; 2. Boni operatio ; 3. Salutis procuratio.

1. Emendatio continentiam a peccatis expostulat, et *nisi desivimus jam talia factitare* (4), veræ pœnitentiæ signa non demonstramus : quia peccata per veram pœnitentiam remittuntur ; si autem perseveramus vel in peccatis, vel etiam in voluntate peccandi, peccata nobis remissa non sunt : ergo signum est evidens quod non sumus vera pœnitentia functi. Quapropter emendationi sedulo vacemus ad instar Avieni, de quo Ennodius : *Bene magnitudo vestra, dum moribus præstat obsequium, emendationem sine intervallo conjungit errori, et quod peccatum sapienter intelligit, priusquam altero denuntietur, avertit* (5) ; neque peccatum duntaxat fugit, sed etiam fructus dignos pœnitentiæ producit.

2. Plures Christiani, si vera essent pœnitia functi, *modum delinquendi tenerent, timentes Dominum scilicet* (6) ; Dei enim timor a peccatis avocat, et ad producendos dignos pœnitentiæ fructus stimulat. *Sed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla; ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana : quia caret fructu suo, cui etiam Deus sævit, id est, hominis saluti.* Dei metus ad emendationem inducit, emendatio pœnitentiæ veritatem ostendit, vera pœnitentia fructus æternæ salutis dignos producit.

3. Postquam Tertullianus nonnullos deduxit pœnitentiæ effectus, animam a peccatis emundat, et domum Spiritui Sancto parat, qui ad eam simul cum supernaturalibus gratiæ donis venit, sic concludit : *Horum bonorum unus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa : hæc pœnitentiæ causa, hæc opera* (7) ; trinum dinumerat pœnitentiæ effectum : 1. Delictorum abolitionem ; 2. Gratiæ infusionem,

(1) D. Aug. Serm. 22. de Verb. Apost. — (2) Tert. L. de Pœn. 6. — (3) Serm. 2. in Oct. Paschæ. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 7. — (5) Lib. 1. Ep. 17. — (6) Tert. L. de Pœn. 2. — (7) Tert. L. de Pœn. 2.

quæ divinam amicitiam conciliat : *Pœnitentia in gratiam nos Domino revocat.* (1) 3. Salutis assecutionem, quæ per gratiam inchoatur et per gloriam consummatur. Idcirco, Fratres, pœniteamus, emendemus nosmetipsos, ut in possessione *divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus et emolumento, proinde perseverare possimus* (2); et adipisci in cœlo consummatam salutem, quam consequitur pœnitens Christianus, quem emendatio de malo in bonum immutat.

III. PARS. Marcionitæ *convertibilem negant naturam; quia arbor bona malos non ferat fructus, nec mala bonos; et nemo de spinis metat ficus, et de tribulis uvas.* (3) Hanc sententiam pluribus Scripturæ locis confutat Tertullianus, optime ad propositum inferens: *Ergo si ita est, neque de lapidibus filios Abrahæ suscitare poterit Deus; nec genimina viperarum facere pœnitentiæ fructus; et erravit Apostolus scribens : Eratis et vos aliquando tenebræ, et fuimus et nos aliquando natura filii iræ, et in his vos quoque fuistis, sed abluti estis.* Tot sacrarum paginarum testimonia evidenter demonstrant hominem viatorem mutari posse de malo in bonum, non secus ac de bono in malum: ideoque *de nullo vivente pronuntiandum est in alteram partem, sive bonam, sive malam.* (4) Quotidie enim et boni pervertuntur, et mali convertuntur. Neque præfata Scripturæ loca repugnant adinvicem, licet contradictoria videantur, ut acute animadvertit Tertullianus, belle declarans quomodo sint intelligenda. *Sed nunquam discordabunt sententiæ sanctæ. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur; et bona malos dabit, si non colatur; et lapides filii Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur; et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint.* Ejecto namque per veram pœnitentiam malignitatis veneno, acquisita gratia per vitæ emendationem, 1. Veterem hominem in novum immutat; 2. Dei amor passiones ad bonum accommodat; 3. Quod servivit iniquitati, justitiæ ministrat.

1. Vetus homo in novum immutandus est: *monente Apostolo* (5) *deponere nos veterem hominem, qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis : renovari autem spiritu sensus, et induere novum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitia et religione veritatis.* (1) Per veterem autem hominem Apostolus non intelligit carnem; neque per novum, animam, ut voluere quidam hæretici. Etenim *tam vetustatem hominis quam novitatem; ad moralem, non ad substantialem differentiam pertinere defendimus.* (2) Quod docet ipsemet Paulus declarans qualis sit vetus homo : *Sed Apostolus veterem hominem manifeste notat : Expone enim, inquit, secundum pristinam conversationem, veterem hominem, non secundum alicujus substantiæ sensum. Neque enim præcipit carnem deponamus, sed quæ et alibi carnalia ostendit : opera non corpora accusans, de quibus et hic subjicit : Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum, quoniam membra alterutrum sumus. Irascimini autem, et nolite delinquere. Sol non occidat super iracundiam vestram. Neque dederitis locum diabolo : Qui furabatur, jam non furetur, imo potius laboret operando manibus, uti habeat impartire indigenti. Omnis sermo turpis non procedat ex ore vestro, sed qui sit optimus ad ædificationem fidei, ut gratiam audientibus præstet. Et nolite contristare Spiritum Dei sanctum, in quo signati estis, in redemptionis die. Omnis amaritudo, et ira, et clamor, et blasphemia, et indignatio auferatur a vobis, cum omni malitia. Estote autem in alterutrum benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus vobis donavit in Christo.* (3) Fuse Tertullianus refert Apostoli verba, quibus ostendit veterem hominem nihil aliud esse quam depravatos mores; novum econtra nihil aliud quam probos mores; illum exuendum, istum induendum exoptat.

Duplex est mutatio. Una a novo in veterem hominem, *quomodo mutatus est Adam de justitia ad iniquitatem.* (4) Alia, a veteri in novum hominem, *quomodo mutantur illi quibus dictum est* : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » (5) *Qui a vetere vita in novam transeunt, absit ut culpanda mutatio intelligatur.* Culpanda est autem eorum mutatio, qui de bono convertuntur in malum. Nam, ut scite ratiocinatur D. Augustinus, *quædam mutantur in meliora : nec dicuntur ista mutatione perverti, sed reverti atque converti.* (6) Qui in deterius commutantur, pervertuntur; qui vero mutantur in melius, convertuntur, aut revertuntur; illi sapiunt vetustatem, isti novitatem redolent. Hujus mutationis in melius, illustre prodit exemplum D. Ambrosius cu-

(1) Tert. L. de Pœn. 5. — (2) Tert. L. de Pœn. 4. — (3) Tert. Lib. de An. 21. — (4) D. August. in Psalm. 36. — (5) Ephes. 4.

(1) Tert. L. de Res. Car. 45.. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. ibid. — (4) D. August. in Psal. 59. — (5) Ephes. 5. — (6) Lib. de Morib. Manich. c. 6.

jusdam juvenis qui post meretricios amores secessit in desertum, ut pœnitentiæ lacrymis Veneris exstingueret ardores. Quadam autem occasione in urbem rediens, occurrit ei amasia, quam cum velut ignotam præteriret, hunc illa blande compellavit, dicens : *Ego sum illa.* Cui juvenis christiane respondit : *Sed ego non sum ille;* non sum ille qui solebam, sed multum *mutatus ab illo.* (1) Cui probe aptari possunt verba Samuelis ad Saülem : *Insiliet in te Spiritus Domini, et mutaberis in virum alterum.* (2) Christiane, si post actam pœnitentiam occurrit tibi vetustas, si superbia, si iascivia, si avaritia, si quævis alia pravitas, dicens : *Ego sum illa*, responde : *Ego non sum ille*, sed multum mutamus ab illo. Imitare Martianum, antiquissimum D. Augustini amicum, qui ad meliorem frugem conversus comicum de Terentio versum, sed tamen aptissimum et utilissimum protulit : *Nunc hic dies vitam aliam offert, alios mores postulat* (3), aliæ jam sunt cogitationes, alii amores, alii sermones, alii oculi, aliæ aures, aliæ manus, alii pedes, totus alius ; et, ut fatur Tertullianus, *novus totus, et ex novo vetus nemo* (4) habendus sum. Vitæ emendatio omnem deponit vetustatem, novitatem induit, pravis renuntiat moribus, probos assumit, iniquitati moritur, justitiæ vivit.

In omni mutabili natura vel creatura, nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit in ea aliquid in ea non esse quod erat. (5) Exemplum proponit animæ rationalis, quæ est immortalis, et secundum modum suum nunquam desinit vivere. *Habet tamen pro ipso suo modo quamdam mortem suam ; quia si juste vivebat, et peccat, moritur justitiæ ; si peccatrix erat, et justificatur, moritur peccato.* Homo emendationis studiosus peccato moritur et justitiæ vivit. Et ob hanc causam Apostolus apud Tertullianum, *veterem hominem dixit confixum esse Christo: uti evacuetur corpus delinquentiæ per emendationem vitæ; uti hactenus delinquentiæ serviamus, et ut hac ratione commortui Christo credamus, quod etiam convivamus illi. Sic enim, inquit, et vos reputate mortuos quidem delinquentiæ, viventes autem Deo in Christo Jesu.* (6) Christianus peccato mortuus et justitiæ vivens, ut fatur S. Zeno Veronensis, *in semetipso jugulatur, ut vivat.* (7) Vetus quidem jugulatur homo, ut novus vivat : ut subjungit sanctus Antistes : *Ipse est, et tamen non est ipse.* Ipse est quantum ad naturam, non est ipse quantum ad qualitates; ipse est quoad substantiam, non est ipse quoad mores. *Vetus quidem videtur domicilium, sed novus inquilinus exaltat mutationem morum.* Dei namque amor passiones ante ad malum applicatas ad bonum accommodat.

2. *Aliud enim demutatio, aliud perditio. Periisse enim est, in totum non esse quod fuerit : mutatum esse, alterum esse est. Porro, dum alter est, idipsum potest esse ; habet enim esse quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest et demutari quid, et ipsum esse nihilominus ut et totus homo in hoc ævo substantia quidem ipse sit ; multifariam tamen demutetur, nec quicquam tamen amittat hominis ; nec ita alius efficiatur, ut cesset idem esse ; imo nec alius efficiatur, sed aliud.* (1) Quod multiplici exemplo ex sacris paginis mutuato comprobat Tertullianus : *Hanc formam demutationis divina etiam documenta testantur. Mutatur Moysi manus, et quidem ad instar emortuæ exsanguis, et ex albida, frigida : sed et recepto calore, et refuso colore, eadem caro et sanguis est. Mutatur postea et facies ejusdem incontemplabili claritate ; sed Moyses proinde qui non videbatur. Sic et Stephanus angelicum jam fastigium induerat, sed nonnulla genua lapidationi succiderant. Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce monstraverat, sed et lineamenta Petro agnoscibilia servaverat.* Sic et homo sub inordinato amore seculi, et sub ordinato amore Dei est idem et aliud. Idem, quia eamdem habet essentiam; aliud, quia diversas habet qualitates. Cum enim amor cunctas secum trahat passiones, si sit inordinatus, ad malum applicat ; si sit ordinatus, a malo eas avertit, et ad bonum convertit. Eisdem velut gradibus et scalis ad Christum ascendit. *Affectu pariter et profectu ascendamus post Christum, etiam per vitia et passiones nostras. Quomodo per passiones nostras ? si utique unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora conscendere. Elevabunt nos, si fuerint infra nos. De vitiis nostris scalam nobis facimus, si ipsa calcamus.* (2)

Neque solum calcando passiones ad Deum ascendimus, sed etiam eis bene utendo :

(1) Ovid. L. 5. Trist. — (2) Lib. 1. Reg. 10. — (3) D. Aug. Ep. 155. — (4) Tert. L. de Res. 45. — (5) D. Aug. L. 3. cont. Maxim. 12. — (6) Lib. de Res. Carn. 43. — (7) Serm. 7. ad Neophit. post baptisma.

(1) Tert. Lib. de Res. 54. — (2) D. Aug. Serm. 176. de Temp.

quod tunc fit cum earum immutatur objectum. Sic non est destructum vehemens Sauli ingenium, sed in Dei zelum commutatum. Sic non est destructus Magdalenæ amor, sed immutatus ob objecti mutationem. Nam ante erat profanus, quia ferebatur ad Venerem; modo sacer, quia terminatur ad Christum. Sic verus pœnitens passionum impetus quæ ferebantur ad vitia, ad Deum retrocedere compellit. Quomodo Richardus intelligit istud Davidicum : Jordanis conversus est retrorsum : *Qualis, quæso, ista est conversio Jordanis ? quam mirabilis, quam amabilis ! Totum impetum amoris, totam inundationem dilectionis, totam affluentiam delectationis magna cum festinatione recurrere non deorsum, sed sursum, ita ut veraciter profiteri possit* (1): Quia Jordanis conversus est retrorsum. (2) Uti enim *non faciunt malos mores, nisi mali amores* (3), ita optimus Dei amor probos efficit mores : tunc enim passiones ad bonum applicantur, et ea quæ iniquitati servierunt, justitiæ ministrant.

3. *Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiæ et iniquitatis ad iniquitatem, ita et nunc exhibete membra vestra famula justitiæ, in sanctificium.* (4) Sub justitiæ nomine omnes simul virtutes intelligit Apostolus, et sub iniquitate cuncta simul vitia comprehendit. Ut autem animadvertit Origenes : *Pudorem hisce verbis auditoribus incutit Apostolus, ut hoc saltem obsequii impendant justitiæ, quod prius impenderunt iniquitati; quasi dicat : Currebant pedes vestri ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius ut aliena diriperent, nunc protendantur ut propria largiantur, circumspiciebant prius oculi alienum ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserandum ; et uniuscujusque membri ministerium quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus ; et actum quem exhibuit immunditiæ, ad sanctitatem nunc convertat;* redigatque ad praxim consilium S. Remigii Clodovæum regem adhortantis : *Incende quod adorasti, adora quod incendisti.* Christiane, fuisti superbus, esto humilis; fuisti avarus, esto liberalis; fuisti impudicus, esto pudicus; fuisti scelerosus, esto innocuus; fuisti peccator, esto sanctus, et tibi comparabis felicitatem sanctitati pollicitam.

(1) Lib. de Extermin. mali. cap. 4. — (2) Psal. 113. — (3) D. Aug. — (4) Tert. L. de Res. Car. 47.

CONCIO SEXTA.

Utilitatis *occasionem* (1) amplexandam desiderat Tertullian. cujusmodi est vel divina gratia inopinate et in momento hominem illuminans et movens : *Rape occasionem inopinatæ felicitatis* (2) : vel vera pœnitentia, quæ *cum provolvit hominem, magis relevat* (3) : vel quodvis bonum opus, quod sese objicit faciendum homini per veram pœnitentiam justificato. Quem sic alloquitur Tertullianus : *Arbor exinde fias illa quæ penes aquas seritur, et in foliis perennat, et tempore suo fructus agit ; quæ non ignem, non securim videbit.* (4) Occasio illa utilis a veteribus pingebatur pennatis pedibus, volubili rotæ insistens, vertigine quadam volocissima sese in orbem circumagens, priore parte capitis capillata, posteriori glabra. Hoc ingenioso figmento denotarunt occasionis brevitatem, volubilitatem, inconstantiam, quæ nisi arripiatur cum sese primum offert, elabitur e manibus, nihilque aliud relinquit præter veram pœnitudinem perdidisse opportunitatem bene agendi : virtutis itaque et boni *amplectenda occasio est* (5) ; peccandi vero occasio 1. Timenda; 2. Præcavenda; 3. Fugienda.

Timor fundamentum salutis, præsumptio impedimentum timoris. (6) Qui timet vitat occasiones peccandi, ne salutis jacturam faciat ; qui vero præsumit, e corde suo expellens timorem, occasionibus peccandi se exponit, et salutis damnum incurrit. Iste infeliciter in peccatum labitur. Nam, ut subjungit Tertullianus, *qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam et firmam securitatem.* Ille feliciter stat, sollicite innocentiam custodiens. *At qui sollicitus est, is vere poterit esse securus.* Unde D. Cyprianus, seu potius Origenes, in istud Ecclesiastici: « Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei, » sic scribit : *Beatus vir qui veretur omnia per metum* (7) ; cujus pulchram subministrat rationem : Quia *ille tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascunque noxias extimescit.* Tria potissimum metuunt homines sapientia præditi: nimirum luem grassantem, ignem deprædantem, scopulum naufragia minitantem.

(1) Tert. L. 2. Cult. Fem. 2. — (2) Tert. L. de Pœn. 4. — (3) Tert. L. de Pœn. 9. — (4) Tert. L. de Pœn. 4. — (5) Tert. L. 1. ad Ux. 7. — (6) Tert. Lib. 2. de Cult. Fem. 2. — (7) Lib. de Singular. Clericor. c. 25.

Porro timenda est peccandi occasio tanquam 1. Lues depopulans; 2. Ignis devastans; 3. Charybdis aut Scylla naufragium minitans.

I. PARS. 1. *Sed invenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem David: Felix vir, inquit, qui non abiit in concilium impiorum, et in via peccatorum non stetit, nec in cathedra pestium sedit.* (1) Concilium impiorum est cœtus male de religione sentientium. Via peccatorum est pravum sceleratorum exemplum, alios ad malum inducens. Cathedra pestium est orci venenata schola, in qua error et vitium tum sermonibus, tum operibus docetur. *Itaque econtrario infelix qui in quodcunque concilium impiorum abierit, et in quacunque via peccatorum steterit, et in quacunque cathedra pestium sederit*, peccandi non metuens occasionem, quæ est pestis prorsus expavescenda: *Longe sit pestis ista et lues, et clandestina pernicies.* (2) Pestem, quæ toxicat corpus, homines pertimescunt; in domibus lue infestis habitare nolunt; carorum etiam vitant contubernium; quantumvis amicus amicum, frater sororem, proles parentem, maritus uxorem amet et deperiat, si quempiam eorum pestilens virus invaserit, alter, ni una perire velit, longe fugiat necesse est. Quanto vita animæ est pretiosior vita corporis, tanto occasio peccandi, quæ est lues inficiens animam, eique mortem afferens, magis est pertimescenda. *Hæc pestis eo ad nocendum proclivior, quo ad repellendum difficilior, subtiliter intrat, et mentem occupat, et nisi subito repellatur, allicit et incendit* (3), quia est ignis devastans.

2. *Ille ipse virorum ac mulierum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio, inter se de commercio scintillam libidinum conflabellant* (4), et incendium efficiunt cuncta depopulans. *Scintilla res perversa est, et pene dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit, et nutrimenta sui quamvis parvus ignis invenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit.* (5) Quod experientia ita est evidens ut probatione non indigeat. Tot incendia quæ quotidie accidunt, adeo ingentem ignis incutiunt timorem, ut nemo nisi stolidus turrim aut caveam pulvere nitrico instructam, officinas stupa, horrea stramine aut palea oppleta, cum candela aut fomite accenso tuto ingrediatur: hæc perhorrescimus, et incendium animæ, cœlestium opum deflagrationem non formidamus.

(1) Tert. L. de Spect. 3. — (2) D. Cypr. ibid. — (3) D. Bern. Serm. de Inter. Dom. cap. 29. — (4) Tert. L. de Spect. 25. — (5) D. Hier. L. 3. Ep. ad Gal.

Hominem vocitat Jobus *stipulam siccam* (1), quæ facile sufflammatur. Unde Propheta Evangelicus has fulminat minas adversus eos qui peccandi occasionem non pertimescunt: *Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla: et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.* (2) Quia, ut expendit Oleaster, *infirmos solet reddere peccatores peccatum, et fortes viros stupam facere, ut facillime comburantur.* Si hominis peccatoris fortitudo ac robur est velut stupa, et ejus opus scintillæ comparatur; si peccatoris fortitudo est stupa scintillæ operis vicina, qualis erit caduca imbecillitas, quæ desidiose igniti operis occasiones non præcavet? O quam avide stupa ignem arripit! peccatoris fortitudo non dicitur stupa, sed stupæ favilla, et opus ejus ardens scintilla; et tamen utrumque simul succendetur. Verum esto scintilla rursum reaccendatur; at favilla, quæ est ignis fere exstinctus, ignitionis velut incapax, quomodo reaccendi poterit scilicet per peccandi occasionem, quæ favillas reaccendit? Quod præfiguratum video in aqua stupendo miraculo in ignem conversa. Hebræus populus captivus Babyloniam ductus, altaris ignem in profundo abscondit puteo, qui conversus est in aquam crassam: sed ut liber populus Hierosolymam rediit, haurire volens de puteo aquam, *accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* (3) Ignis concupiscentiæ per pœnitentiam, velut in aquam conversus, ad minimam occasionem reaccenditur, et ignis magnus et devastans efficitur. *Quod ignis aridæ segeti, hoc vitia corpori sunt humano, quæ sola securius separatione vincuntur: necantur ignorantia, et nescita feliciter evanescunt. Nam si ad mentem et sensus pervenerint, si contigerint animos, si semel membra penetraverint, inextinguibile gignitur et exaltatur incendium; et nisi unda cœlestis corda rigaverit, mentes infuderit, membra madefecerit, totum quod est roboris humani subditur et redigitur in favillam.* (4) Quapropter ne tale ac tantum incendium patiatur, *generosus animus per Christi gratiam transgreditur corporis sui miserandas angustias, et ita totus delicta prævenit, proculcat vitia, et crimina tota internecione prosternit, ut nequeant fucis sensus fallere, dolis ingenium*

(1) Job. 13. — (2) Isa. 1. — (3) L. 2. Machab. 1. — (4) Chrysol. Serm. 126.

depravare tumultuantibus, misero imbecilia corda dissolvere ardore, sanguinibus fumantes occasiones incendere (1) : quasi occasio non sit tantum delicti fomes, sed et scelerosi incendii fumus : longo non distat intervallo fumus ab igne, neque occasio fumans multum elongatur a scelere.

Egressus Loth cum familia de Sodomis, sulphuream audiens tempestatem, metu semiustulatus, propinquius asylum expetit, aiens ad Angelum : « Non possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. » (2) Per hanc civitaculam, religiosam vitam intelligit D. Bernardus : *Plane salvabimur in civitacula ista, si non respexerimus retro, si flammantis Sodomæ nos non apprehenderint, non nos incenderint favillæ caducæ* (3), quas reliquimus in seculo, quæ retro abeuntes incendunt; et ob hanc causam uxor Loth, quia versus Sodomam currenti licet pede, et levibus oculis respexit, versa est in statuam salis. Christiani, non aspiciamus retro ad fumantes adhuc peccati occasiones. *Quod si Apostolo auscultamus, obliti posteriorum, et extendamur in priora* (4), ut possimus evadere Charybdim aut Scyllam naufragium minitantem.

3. *Inter scopulos et sinus velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secura si attonita.* (5) Verum uti fideles inter scopulos tute navigant, eo quod eorum fides velificata sit spiritu timoris, ita timidi naufragium non timentes *exorbitant*, (6) in errorem incidunt, et naufragium faciunt : quia scilicet *fidei veritatis periculum non cavent*, neque formidant. Eodem modo ratiocinandum est in præsenti materia. Veri pœnitentes timentes quod evaserunt naufragium, peccandi metuunt occasionem, quæ est scopulus naufragium minitans. *Plerique naufragio liberati, exinde repudium et navi et mari dicunt; et Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse : formidant videri inculcare, quod consecuti sunt; bona certe sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris* (7), qui vitat naufragium dum peccandi occasionum scopulos tuto pœnitentiæ custodit affectu : *Quid enim ex pœnitentia maturescit, nisi emendationis effectus?* (1) custos autem emendationis est *metus integer.* (2) Metus pœnitentiæ denotat viritatem, ejusque custodit effectum. Quod demonstrat Tertullianus, opponens humilem timidum timido præsumptori : *In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, et idcirco vera pœnitentia functum? Timuit enim adhuc delinquere, ne non mereretur accipere* (3) delictorum veniam, si denuo sese peccandi occasionibus immergeret. *At ille præsumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit : sic nec pœnitentiam implevit, quia instrumento pœnitentiæ, id est metu, caruit,* qui veros pœnitentes a peccandi occasionibus removens liberat a naufragio. Inde concludit Tertullianus : *Utilius ergo si speremus nos posse delinquere, quam si præsumamus non posse : sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus : contra si præsumamus, neque timendo, neque præcavendo salvi erimus.* (4) Multæ sunt feminæ quæ castitatem servant ob timorem; timentes enim pudicitiæ naufragium præcavent, neque consortia hominum frequentant, inter quos periclitatur castitas : et multo sunt plures quæ ob præsumptionem peccandi occasiones non pertimescentes neque præcaventes, miserrime labuntur. Fratres, *estote timidi, ut sitis intrepidi; et licet timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen secundum verbum Apostoli, virtus infirmitate perficitur* (5), vitans peccandi occasionem, quæ a veris pœnitentibus est necessario timenda et præcavenda.

II. PARS. Cautos pœnitentes esse oportet, *non tamen præsumentes : nam qui præsumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur* (6), ut multorum constat exemplo, qui non præcaventes peccandi occasiones, in peccatum infeliciter prolapsi sunt. *Aliorum vulnus nostra sit cautio;* ad quam brutorum exemplo nos stimulat Lactantius : *Muta quidem animalia, cum fraude decipiuntur, si aliquo se modo in fugam extricaverint, fiunt postmodum cautiora, vitantque semper ea omnia in quibus dolos insidiasque senserunt; sic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit, ad evitanda peccata in quæ semel ceciderit.* (7) Tria autem præsertim sunt quæ cau-

(1) Chrysolog. Serm. 126. — (2) Gen. 19. — (3) Serm. de Virginit. — (4) Tert. L. 1. ad Ux. 3. — (5) Tert. L. de Idol. 24. — (6) Tert. L. de Præscr. Hæret. 44. — (7) Tert. L. de Pœn. 7.

(1) Tert. L. de Pud. 10. — (2) Tert. L. de Pœn. 6. — (3) Tert. ib. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (5) D. Cypr. ibid. — (6) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (7) D. Hier. Ep. ad Furiam. Lib. 7.

telam ab illo expostulant: 1. Diaboli calliditas; 2. Humana fragilitas; 3. Gratiæ efficacis necessitas.

1. *Sed enim pervicacissimus hostis ille, nunquam malitiæ suæ otium facit.* (1) Sive enim propria malitia, sive inimicitia in Deum, sive invidia in hominem. *Atquin tunc maxime sævit, dum hominem pene sentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum exstinguitur;* scilicet in corde pœnitentis, a quo ejicitur dum Spiritus Sanctus inducitur. *Doleat et ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis suæ erasos. Dolet quod ipsum et Angelos ejus, Christi servus ille peccator judicaturus est.* Multiplicem affert Tertull. rationem ob quam diabolus tabescit de hominis peccatoris pœnitentia. *Itaque observat, oppugnat, obsidet: si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris secularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere, aut a via certa, perversis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit.* Varios tentationis modos recenset Tertullianus, quibus callidus dæmon solet impugnare pœnitentes, eosque a via innocentiæ removere nititur. *Hæc igitur venena providens Deus* docuit homines ut Deum rogarent ne eos induceret in tentationem, sed liberaret a malo, seu a maligno, ut explicat Tertullianus: *Ne nos inducas in tentationem, sed erue nos a maligno. Id est, ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cum illi non tradimur in tentationem.* (2) Acute autem animadvertit D. Thomas quod in Oratione Dominica hæc petitio: *Dimitte nobis debita*, præcedit istam, *Et ne nos inducas in tentationem:* quia pœnitentes quibus dimissa sunt debita, totis viribus dæmon aggreditur. Idcirco *multa sollicitudine præcavendum est Christianis, ne diabolicis iterum capiantur insidiis, et eisdem rursus quibus renuntiaverunt erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus transfigurans se in Angelum lucis, deceptionum laqueos ubique protendere, et ut quoquo modo credentium mentes corrumpat instare.* (3) Quanto major est diaboli potestas, et astutior ejus calliditas, tanto magis præcavere debemus. Profecto *tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam instando perficiunt* (4); ut apparet in illis qui peccandi non præcavent occasionem; ut plurimum enim corruunt, tum ob diabolicam calliditatem, tum ob humanam fragilitatem.

2. *Prospexerat Deus imbecillitates conditionis humanæ, adversarii insidias, rerum fallacias, seculi retia, perituros plerosque rursum post salutem.* (1) Per pœnitentiam comparatam a peccandi occasione removere nititur pœnitentem, mandans: « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quam totum tuum corpus eat in gehennam. » (2) Ubi plura sunt animadvertenda: 1. Per oculum intelligenda est res pretiosissima et dilecta; velut oculus, sive officium, sive beneficium, sive ministerium, sive persona cum qua conversaris, si sit occasio peccandi proxima: *Tamen cognito Deo, adempta placendi voluntate per luxuriæ occasionem; omnia illa ut otiosa recusantur.* (3) 2. Non dixit, claudendus, sed eruendus est oculus, relinquendum est officium, beneficium, ministerium, quantumvis ejusmodi avulsio sit voluptati contraria, fortunæ noxia: *Sic et Daniel cætera Dario subnixus, tandiu fuit in officio quandiu a periculo disciplinæ vacaret. Nam id ne subiret, regios non timuit leones.* (4) 3. Projiciendus est longe oculus, non ad tempus: ejicienda est e domo concubina, non in vicina domo, vel in villa hospitanda: interdum sese in domum meam recipiet uxori ministratura: *Tanta est voluptatum vis, ut ignorantiam protelet in occasionem, et conscientiam corrumpat in dissimulationem.* (5) Tandem, 4. Ne quis dicat esse duntaxat dominicum consilium, non præceptum, subjungit melius esse ingredi in cœlum cum uno oculo, quam duos oculos habentem mitti in infernum. Profecto *quæcunque necessitas minor est periculo tanto comparata.* (6) Periculo scilicet damnationis quod incurrit humana fragilitas *exposita tentationibus, circumdata scandalis* (7), existens in peccandi occasionibus. Homo pœnitens est 1. Ægrotus qui licet febre non laboret, adeo tamen est debilitatus ut facillime cadat; 2. Candela exstincta, quæ mox reaccenditur; 3. Silentium vitiorum, quæ statim perstrepunt. *Peccatum fragilem, imbecillem, humanam naturam pronam fecerat ad lapsus et vitia.* (8) Adeo ut delictum cum per pœnitentiam oblitteratur etiam semiexstinctum inspiret delinquendi periculum, et dissimulanter instiget ad peccatum; et ut subjungit Chrysologus, *virtutes deficiunt cum colun-*

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) Tert. L. de Fug. in Persec. 2. — (3) S. Leo Serm. 8. de Nat. Dom. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2.

(1) Tert. Scorp. 6. — (2) Matth. 5. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 8. — (4) Tert. L. de Idol. 15. — (5) Tert. L. de Spect. 1. — (6) Tert. L. de Idol. 24. — (7) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 3. — (8) Chrysol. Serm. 16.

tur; crimina dum succiduntur, increscunt.

Quam labilis sit humana fragilitas declarat D. Hieronymus, ex difficultate qua quis adverso flumine remigat : *Dicimus posse hominem non peccare, si velit; pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus. Quod si paululum se remiserit, quando qui adverso flumine limbum trahit, si remiserint manus, statim retro labitur, et fluentibus aquis, quo non vult ducitur. Sic humana conditio si paulatim se remiserit, discit fragilitatem suam* (1); quæ præsertim cum adest externa tentatio, periculis obnoxia est, neque nisi cum discrimine inter occasiones reperitur; præsertim cum speciali gratiæ divinæ indigeat auxilio.

3. *Nemo sibi aduletur* (2) quod peccatorum veniam in pœnitentiæ sacramento est assecutus, *quasi eo etiam nunc delinquere liceat;* et secure omnes captare peccandi occasiones, temere præsumens auxilium Dei efficax nunquam sibi defuturum. Belle ad propositum subjungit Tertullianus, pœnitentem auxilium Dei efficax *optare, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat: qui præsumit, superbit: ille satagit, hic negligit: ille mereri cupit; at hic ut debitum sibi repromitti*, sed falso; quia non meretur accipere auxilium efficax ad superandas graves tentationes necessarium : non enim sufficit auxilium sufficiens, requiritur specialis gratia interior, quam postulamus dum dicimus : « Adveniat regnum tuum. » *Ut sic Deus regnet in nobis, quatenus in nobis desinat regnare peccatum.* (3) Ex D. autem Thoma requitur *etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi homini ex divina providentia tolluntur, et provocantia ad peccatum comprimuntur.* (4) Illam autem gratiam largitur Dei bonitas, hanc externam custodiam præstat divina Providentia, ait D. Cyprianus (5) : 1. Fidelibus, qui agnoscentes suam fragilitatem, ante majestatem Dei sese dejiciunt, ejusque implorant auxilium; 2. Miseris, qui non propria voluntate, sed ministerii aut officii quadam necessitate in periculo versantur; 3. Timidis, qui periculum formidant et præcavent : *Magna compendia providentiæ ut aliquando fiat virtus et victoria per timorem.* (6) Non vero temerariis et præsumptuosis : *Non enim idoneus erat sine fuga, turpi et indigno, et servili præsidio salvos facere* (7) tumidos peccatores, qui probe cognoscentes diaboli calliditatem, propriam infirmitatem, gratiæ efficacis necessitatem, ultro et temere sectantur peccandi occasiones, insolenter sibi Deum propitium præsumentes, dum illum offendendi concipiunt desiderium. *Præsumptio, inverecundiæ portio est: inflat petitorem, despicit datorem. Itaque decipit nonnunquam. Ante enim quam debeatur repromittit, quo semper id qui est præstaturus offenditur.* (1) His verbis temerarios probe depingit peccatores, qui sibi debitum præsumentes speciale gratiæ auxilium sese peccandi occasionibus exponunt : idcirco sua temeritate Deum offendunt, qui merito efficax denegat auxilium quo sua præsumptione se præstiterunt indignos. *Dei servi cognoscite qui cum maxime ad Deum acceditis, recognoscite qui jam accessisse vos testificati et confessi estis, ne aut ignorando, aut dissimulando quis peccet.* (2) Salutem vestram cum metu et tremore operamini, formidantes peccandi occasiones; quasi a facie colubri fugite, non solum peccatum, sed etiam peccandi occasiones.

III. PARS. *Fugæ præceptum* (3) maxime observandum est, dum maxima incumbit peccandi occasio quæ desideratur, tum ut *sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, substractio occasionis.* (4) Tum ut quis a peccato liberetur : unde *Petrus, quia fugere noluit, abnegavit : Joannes ne abnegaret, aufugit.* (5) Imitandum est, non Petrus in occasione Magistrum negans, sed Joannes per fugam innocentiam conservans : fugienda est occasio 1. Periculosa; 2. Scelerosa; 3. Exitiosa.

1. Fuge peccandi occasionem : *Nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per voluptatem.* (6) Ratione imminentis periculi occasionis fugam consulit Chrysologus. *Fugiendum est, ut non subeat de temeritate discrimen.* (7) Ex jure canonico *ob pericula vitanda, multa fugiunt, et dimittuntur* (8) : Unde, ut docet idem jus canonicum, *periculum majus ubi vertitur, ibi cautius agendum est.* (9) Quodnam, quæso, majus periculum quam illud ubi agitur de vita aut morte spirituali hominis, de peccato aut gratia, de salute aut damnatione? *Periculose dicitur fieri, id quod est peccatum fieri.* (10) Ut autem belle ad propositum fatur D. Hieronymus (11), *nulla securitas est cum vicino ser-*

(1) Lib. 3. adv. Pelag. — (2) Tert. L. de Pœn. 6. — (3) Chrysol. Serm. 70. — (4) Lib. 3. contr. gent. 16. — (5) Serm. de Lapsis. — (6) D. Cypr. L. de singul. Cleric. — (7) Tert. L. de Fug. in Pers. 7.

(1) Tert. L. de Pœn. 6. — (2) Tert. L. de Spect. 1. — (3) Tert. L. de Fug. in Pers. 6. — (4) D. Bern. Serm. in die Pasch. — (5) Chrysol. Serm. 150. — (6) Tert. Lib. de Spect. 27. — (7) Serm. 151. — (8) Can. Neganda 3. q. 11. —(9) Cap. Ubi periculum de Electionibus. — (10) Can. Quod ait Dist. 14. — (11) Lib. contr. Vigil.

pente dormire : potest fieri ut me non mordeat ; tamen potest fieri ut me aliquando mordeat : sub discrimine versor. Pudicitiæ funambulum nuncupat Tertullianus hominem qui sese lasciviendi exponit periculo : *Age tu, funambule pudicitiæ et castitatis, qui tenuissimum filum pendente vestigio ingrederis.* (1) O quam periculosum est iter quod per prætentum funem perficitur ! non tam solerter ludit quam audacter periclitatur qui per illum graditur : aut cerebrum vertiginat, aut genua nutant ; aut fallitur vestigium , et ita calamitose ruit , qui ita temerarie audet : funambuli vita præceps et ruinæ proxima. Frequens plane spectaculum hoc in mundo, totus orbis funambulorum theatrum est ; tot fere videre licet funambulos, quot homines : frequens est casus, ubi periculum est lubricum ; occasio cadendi vaticinatur lapsum. *Sicut schænobatæ qui in funibus sursum deorsumque extentis ascendere et descendere solent, si parum respexerint, præcipites in orchestram decidunt et pereunt, ita et in hac vita ambulantes , si parumper fuerint desides, in præceps feruntur : vita enim hæc et angustior, et directior, nec non et periculosior quam funis ille.* (2)

De peccandi occasione idipsum dici potest quod de Cannensi prælio refert Plinius : *Unde fugisse, virtutis summum opus fuit* (3); et stetisse vitii et dedecoris. Etenim stetisse, fuit victum esse ; at e contra *libertatis cujusdam speciem , fugisse.* (4) Innocuus Joseph est *fuga usus pro armis* (5), ut servaret castimoniam : ideoque *infirmitatem quorumdam prospiciens Dominus pro sua humanitate portum fugæ demonstravit* (6) , quæ non est inhonorata et ignominiosa : nam , ut ait D. Ambrosius , *illa fuga est trames innocentiæ, pietatis assumptio, via virtutis* (7) , signum veræ pœnitentiæ. Quapropter D. Bernardus existimat : *aut penitus impœnitentes , aut tepide pœnitentes, nec periculosa fugientes vel post miseram experientiam incentiva peccati, quia non satis cecidisse piget hominem, qui adhuc manere disponit in lubrico* (8) , neque fugit peccandi occasionem periculosam et scelerosam.

2. Veri pœnitentes peccandi occasionem *uti malum fugiunt* (9) , quia est incentiva peccati. Duplex est incentivum peccati, remotum unum, proximum alterum : illud est concupiscentiæ fomes ; istud est occasio peccandi , quam Gregorius Nazianzenus nuncupat *impietatis basiliscum* (1) : quia uti basiliscus suo visu toxicat , ita impietas et malitia , vel ipso visu venena infundit ad necem. Per pœnitentiam non tollitur causa remota peccati , nempe concupiscentia , etsi ejus fomes debilitetur , tollitur tamen causa proxima et exterior peccati , ut prava consuetudo , occasio scelerosa. Ex D. namque Thoma, *occasio significat causam imperfectam, non autem semper causam per accidens.* (2) Est enim causa peccati, non accidentalis, sed propria , quamvis non completa et totalis. Ut autem ratiocinatur Abulensis : « Non pœnitet aliquem vere, cum permanet in peccato, nec aliquis vere dolet de fornicatione, dum tenet concubinam in domo. » (3) Nam , ut docet Doctor Angelicus , *qui vult causam ex qua necessario, vel regulariter, sequitur effectus , cupit virtualiter effectum.* (4) Christianus sectans peccandi occasionem quæ est causa peccati , virtualiter peccat , Deumque contemnit. *Despicit porro qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus , quod intelligit fugiendum , quodque jam fugit, resumens , Dei dono contumeliam facit, respuit datorem , cum datum deserit* (5) ; et per Dei contemptum , et gratiæ jacturam, damnationem incurrit, captando occasionem scelerosam et exitiosam.

3. Quam *exitiosa* (6) sit peccandi occasio, plurium Sanctorum comprobatur exemplo ; præsertim Samsonis , Davidis et Salomonis. *David vir bonus secundum cor Domini, postea cædis et stupri reus est. Salomon omni gratia et sapientia donatus a Domino , ad idololatriam a mulieribus inducitur.* (7) Omitto Martinianos , Jacobos , innumerosque alios qui post diuturnam pœnitentiam et vitæ sanctimoniam , occasione accepta infeliciter prolapsi sunt. Christiane , ne causa peccati *sit occasio, impedire debes* (8) fugam capiendo. Rogatus olim Magister vitæ spiritualis ut quoddam præberet perfectionis documentum, dixit : *Scribe : Occasiones fuge.* Producere ulterius urgebat discipulus. Subjungit Magister : *Occasiones fuge.* Et quid præterea ? *Occasiones fuge.* Idipsum semper respondens quod Demosthenes de præcipua parte orationis interrogatus , semel , iterum et tertio dicit esse *pronuntiationem.*

Et hoc denotat egregium symbolum a

(1) Tert. L. de Pud. 10. — (2) D. Chrysost. Hom. 3. de Osiæ. — (3) Lib. 7. cap. 28. — (4) In Pandectis de Ædil. lib. 17. — (5) Basil. Sel. Orat. 8. — (6) Tert. L. de Fug. in Pers. 7. — (7) Lib. de Fug. Sat. cap. 4. — (8) Serm. in die Pasch. — (9) Tert. L. de Fug. in Pers. 4.

(1) Orat. in laud. D. Athan. — (2) 2. 2. q. 43. a. 1. ad 3. — (3) In L. 4. Reg. cap. 23. — (4) 2. 2. q. 6. — (5) Tert. L. de Pœn. 5. — (6) Tert. L. de Idol. 1. — (7) Tert. L. de præsc. Hær. 3. — (8) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 3.

Francisco Villana recitatum, ex avicula quam accipiter sospitem relaxavit, hoc titulo : *Adverso tuta volatu*. Nam ne in avis carnivoræ incidat ungues, alias init vias. Ita et tu, Christiane, per pœnitentiam a dæmonis captivitate liberatus, servabis libertatem, fugiendo peccati occasionem, ad instar Magorum, non per eamdem, sed per aliam viam redeuntium. *Quid igitur magis somnium sine dubio ex Dei voluntate suggessit, ut irent in sua, sed alia, non qua venerant via : id est, ne pristina secta sua incederent, non ne illos Herodes persequeretur; qui nec persecutus est, etiam ignorans alia via digressos, quoniam et qua venerant, ignorabat. Adeo viam rectam et disciplinam intelligere debemus. Itaque magis præceptum, ut exinde aliter incederent.* (1) Herodes diabolum significat, magi pœnitentes denotant, qui ne incidant in manus Herodis, debent per aliam viam reverti. Herodes *convenienter dixit : Renuntiate mihi, quia semper diabolo renuntiat, qui pervenire festinat ad Christum. Christianus futurus a sacerdote, cum audit : Renuntias diabolo? respondet : Renuntio* (1) : pœnitens quoque interrogatus a confessario: Renuntias peccato, respondet : Renuntio. Quare fugere debet occasiones, quia per peccatum *destituere promissiones suas potest, et proventu malæ indolis falli* (2), et ego ne fallam docendo errorem, cuncta quæ in hoc volumine continentur, subjicio auctoritati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam ut columnam immobilem fidei et veritatis recognosco et veneror.

(1) Tert. L. de Idol. 9.

(1) Chrysolog. Serm. 158. — (2) Tert. L. de Bapt. 8.

FINIS QUINTI TOMI.

INDEX

MATERIARUM

QUÆ IN TOMO QUINTO CONTINENTUR.

A

Admirationem tria ingenerant. fol. 3
Æmulo (quod ab) Dei conceptum est, non est amicum Dei rebus. 149
Æmulatio diaboli adversus Dei pacem. 151
Amicus persæpe inimicus creditur. 153
Amicitiæ larva loricatus. ibid.
Amalthææ cornu. 125
Adversitas virtuti studet. 155
Angeli in ordine dispositi. 177
Animæ ingenia. 124
Animæ stigmatibus obnoxiæ. 217
Animi vernus oratio. 126
Animæ imperium carni obsequium convenit. 127
Arbiter quis. 188
Armarium compingit. 126
Arma magna sunt preces. ibid.
Arma offensiva et defensiva. ibid.
Aurum et argentum principes materiæ cultus seculi. 125

B

Inter Babylonem et Jerusalem nulla est pax. 149
Beatus qui non sedit in cathedra pestium. ibid.
Bella undique circumdant hominem. 127
Bella et victoriæ captis et eversis plurimum urbibus constant. 128
Beneficientiæ vis. 136

C

Christianismi generositas. 222
Christianum nomen unde deductum. 46
Christianum nomen sanctum est. 45
Christianorum trina fraternitas. 50
Christianos inter bonorum communitas. 164
Christus mediator. 88
Christus sacerdos. ibid.
Christus in altari deprecator. 89
Christus orat pro nobis, orat in nobis, oratur a nobis. ibid.
Christus bellator. 154
Christus quomodo patrem deprecatur. 108
Christus non venit pacem mittere, sed gladium. 152
Chananæa commendatur. 121
Christianus pactus est renuntiare diabolo, pompæ, et angelis ejus. 149
Christianismus Dei imitatio. 173
Cœlum sideribus coronatum. 177
Cœli enarrant gloriam Dei. ibid.
Concordia bona et mala. 151
Confessio conscientiam mundat. 116
Confiteri non potest elatus. 117
Confessio humilificandi hominis disciplina est. ibid.
Confessio ægrotos sanat, immundos emundat, reos justificat. 467
Confessio debet esse vera, nuda, et propria. 472
Confessionem impediunt amor, timor, pudor. 475
Confessarii molles redarguuntur. 482
Confessarii, medici. 483
Conscientiæ examen ad confessionem prævium. 455
Conscientia scelerosa, mare æstuans, tribunal justitiæ condemnans, infernus crucians. 369
Consuetudo peccandi difficillime tollitur. 244
Consuetudo peccandi est fere irremediabilis. 247
Consuetudo peccandi, quomodo sananda. 250
Contritionis natura declaratur. 460
Contritionis necessitas. 464

D

Deus rationalis. 209
Deus sui notitiam armavit. 213
Dei amor stimulatur. 439
Dei timor inducitur. 301
Deo multa tribuuntur nomina. 1
Dei nomen falso tribuitur fictitiis Gentilium diis. ibid.
Dei trina cognitio abstractiva, intuitiva, comprehensiva. ibid.
Deum viatores intuitive non vident, Beati intuitive videntes non comprehendunt. 2
Deus ineffabilis. ibid.
Deum regio latebrarum obumbrat. ibid.
Dei nomen admirabile. 3
Deus Dominus. 5
Dei dominatio qualis. 6
Domini nomen quo sensu dicit Tertullianus in Deo non semper fuisse. ibid.
Deus a quibus negotium patitur. 9
Deus judex. ibid.
Deus dives in omnes qui invocant illum. 93
Deus hominum pater. 97
Deus perfectæ potentiæ et majestatis. 130
Deus optimus, diabolus pessimus. 151
Deo neque fallacia neque perversitas competit. 152
Deus humanissimus. 153
Deus judex in productione mundi. 176
Diabolus Dei æmulus. 149
Diabolus ad hoc se regnare putat si sanctos a religione Dei deturbat. ibid.

Diabolus discrepantia congregat ad inferendam Christo necem. 150
Diabolus odit justam pacem Dei, et amat iniquam pacem mundi. 151
Diabolus posuit in cœlo bellum. ibid.
Dilectio principale præceptum. 163
Discordia eadem rerum quæ et auctorum. 149
Discordiam diabolus seminat. 175

E

Ecclesia de latere Christi formata. 197
Ecclesiæ pacem plerique mentiuntur. 202
Emendationis necessitas. 484
Emendationis indicium. 485
Emendationis efficacitas. 486
Eucharistia Christianos nobilitat, ditat, discriminat. 50
in Eucharistia confœderantur Christiani. 193
Eucharistiam nullus nisi prævia reconciliatione accedat. 194
Eucharistia pacis sacramentum. ibid.
in Eucharistia sanguis Christi clamat verba pacifica. 195
Eucharistia signum unitatis. 197
Eucharistia cur dicta communio. 198
post sumptionem Eucharistiæ fiebat Agape, id est, convivium. 199
Eucharistia olim in columba ex auro confecta servabatur. 198
in Eucharistia prægustatur lactis et mellis concordia. ibid.
in Eucharistia Christus pacis obses. 197
ad Exemplaria provocamur. 173

F

Felicitas prosperata. 154
Fidei necessitas demonstratur. 48
Fides recta tria complectitur. 49
Fides Spiritu sancto vestit. 198
Fraternitas Christianorum trina. 165
Fraternitas Christi, melior fraternitate sanguinis. ibid.
Fratres ex substantia familiari. ibid.
Fraudes discriminantur ab inimicitiis. 152

G

Gratiarum actio in oratione, et in sacrificio Missæ, Deo exhibenda. 106

H

Hæresis omnium malorum maximum. 201
Hæretici pacem cum omnibus miscent ad veritatis expugnationem. 149
Hæretici doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessunt. 154
Hæreditas terrena divisionem ingenerat. 165
Homo iratus belluam refert. 156
Homo imago Trinitatis. 173
Homo Deo proximus. 208
Homo opus et imago Dei. 209
Homo libertate præditus. 210
Hominis duplex nativitas. 216
Humiliatum cor hostia Deo est. 117

I

Idololatria summa penes Deum offensa. 214
Invidia dilectioni contraria. 166
Ira rationem obtenebrat. 157
Ira prohibita. ibid-158
Iracundiam super sol non occidat. 157

J

Jejunium divinam placat justitiam. 118
Jesum adversus convenerunt Herodes, Pilatus, sacerdotes, et populi. 149
Jesu nomen multis encomiis commendatur. 18
Jesu nomen honorandum. 18 et 19
Jesu nomen admirabilem habet efficaciam. 23
Jesu nomen admabile deferendum in corde, ore, et opere. 27
Jesus in medio. 157
Judices sex modis efficiuntur scelerosi. 12
Judicia juxta portas civitatum lata. 163

L

Latere de Christi fluxit sanguis et aqua. 196
Legio dæmonum in uno homine. 216

M

Malum punicum virtutis symbolum. 174
Mansuetudo pluribus commendatur. 159
Maria domina, stella, et amaritudo nominatur. 31
Mariæ dignitas. 32
Mariæ veneratio. 34
Mariæ protectio. 35
Mariæ devotio discriminatur. 40
Manus puræ. 110,112
Manus sanguine plenæ. 111
Mediator hominum non Angelorum Christus. 185
Meditatio quomodo facienda. 104
Membrorum corporis naturalis et mystici præstita ad invicem officia. 178
Membris in suis Christus est. ibid.
Morbus quomodo sustinendus. 367
Mori peccato, quid est. 169
Mundus ornamenti et cultus nomen est. 175
Mundus triplex. 173
Mundus ex ordine pulchrescit. 176
Mundi modulata consensio harmoniam efficit. ibid.
Mundus, parvus homo. 178

N

Nomen quasi notamen, quod rem notet. 2
Nominis testimonium. 3
Nominis dignitas. 4
Nomina veneranda. ibid.
Nomina personalia. 5
Nominum familiaritas. ibid.

Nomen Dei inhonoratur. ibid.
Nominibus variis eadem res declaratur. 17
Nominis forma. 51
Nominis consilium. 52

O

Obstinatio discriminatur. 277
Obstinationis origo demonstratur. ibid.
Obstinatus peccator difficillime convertitur. 282
Obstinati insensibilitas denotatur. 285
Obstinationis durities quomodo tollenda. 287
Occasio boni amplectenda. 488
Occasio peccandi timenda. 489
Occasio peccandi præcavenda. 491
Occasio peccandi fugienda. 492
Oratio necessaria necessitate præcepti et medii. 76
ad Orationem compellit humana miseria. ibid.
Oratio tum justis, tum peccatoribus necessaria. 81
Orationis in publica calamitate, necessitas. 83
Oratio communis in Ecclesia facta, est particulari præferenda. 84
Orationes publicæ, pœnitentia, jejunio et eleemosyna aluntur. 86
Oratio in publica calamitate unienda cum Christo in Eucharistia orante. 88
in Oratione divinæ perfectiones honorantur. 89
Oratio despicabilis, et Dei dignatione non digna. 90
Oratio est dispositio prærequisita ad divinum auxilium. 84
cur Orari desiderat Deus probe sciens quid sit nobis necessarium. 91
Orandus est Deus beneficæ potentiæ qui potest præstare quod postulatur. 92
Orationis triplex incentivum. 94
Orationis excellentia commendatur. 95
Oratio spirituale tributum Deo exhibitum. 97
cur Orent Christiani ad orientem conversi. 98
Oravit Christus expansis manibus. 99
— quomodo postulat Spiritus sanctus. 100
Oratio varie describitur. 101
in Oratione homo cum Deo colloquitur. ibid.
in Oratione homo in Angelum velut immutatur. 102
per Orationem homo in Deum transfiguratur. 103
Oratio est officium Angelorum. ibid.
Oratio sacrificium Deo acceptissimum. 109
Oratio sacrificium laudis. ibid.
Oratio de conscientia pura. ibid.
Oratio duobus modis impeditur. 110
Orantes Christiani cur attollunt, et expandunt manus. 111
Oratio pura multiplex reportat bonum. ibid.
Oratio justorum Dei audientiam promeretur. 112
Oratio de conscientia procedit. ibid.
Oratio trinam expostulat puritatem. ibid.
Oratio de pectore. 114
Oratio in spiritu et veritate facta. ibid.
Oratio de Spiritu sancto profecta. 115
in Oratione humilitas requiritur. 117
Oratio fiduciam expostulat. 119
Oratio sibi perseverantiam adsciscit. 120
cur in Oratione perseverantia exquiritur. 123
Oratio fiat cum dependentia ad Dei voluntatem. ibid.
Oratio sterilis quæ. 124
Oratio justi, clavis cœli. ibid.
Oratio quam potens. ibid.
Oratio eloquentia facundior. 125
Oratio thesaurus perpetuus. ibid.
Oratio pecunia potentior. 126
Oratio dæmonem debellat. 127
Oratio Ecclesiæ murus. ibid.
Oratio Ecclesiæ vires. 128
Oratio dominans. 132
Oratio omnipotens. ibid.
Oratio naturæ ordinem immutans. ibid.
Oratio de Deo triumphans. 133
Oratio commendanda. 134
Orationis utilitas. 135
Oratio satisfactoria. ibid.
Oratio pro defunctis demonstratur. ibid.
Oratio impetratoria. ibid.
Oratio meritoria. ibid.
Oratio spiritu Dei animata suo privilegio ascendit in cœlum. 137
ab Oratione nullus rationis compos excusatur. 138
Oratio commendabilior. ibid.
Orationi quomodo semper vacandum. ibid.
Oratio malum culpæ non postulat. 140
Oratio fortunæ bona conditionate postulat. 142
Oratio gratiam, gloriam, ipsumque Deum absolute postulat. 145
Osculum amicitiæ et reconciliationis signum. 153
Osculabantur sese olim Christiani. ibid.
Osculo Judas tradidit Christum. ibid.
Osculum justitiæ et pacis. 173

P

Patientia duobus commendatur. 169
Pax Dei a pace diaboli discriminatur. 151
Pax diaboli trina, scilicet colligata, simulata, inordinata. 149
Pax pater insidiis. 152
Pax ficta, sophistica, palliata. ibid.
Pacis ornamenta. ibid.
Pacis intentione geruntur bella. 156
Pacis dignitas. 160
Pax sollicite servanda. 162
Pax signum prædestinationis. 165
Pacem exoptant intrantes domum. 167
Pax Dei per pœnitentiam recuperatur, per sanctimoniam confœderatur, et per obedientiam conservatur. 168
Pax interna cum seipso sex gradibus acquiritur. 170
Pax cum omnibus hominibus sectanda. 171
Pax est tranquillitas ordinis. 177
Pax a tribus Personis divinis procedit. 185
Pacem cogitat Pater æternus. ibid.

Pacis et justitiæ lis composita. 184
Pacis mediator Christus. 185
Pacem donat Spiritus sanctus. 186
Pacis nomine denotatur Spiritus S. 187
Pacis magister, Christus. 193
Pacis symbolum, columba, oliva. 198
ad Pacem servandam dat nobis Christus corpus suum manducandum. 199
ad Pacem multiplex ratio nos stimulat. ibid.
Pacis nomine, omne significatur bonum. 200
Pax utilis Ecclesiæ et Reipublicæ. ibid.
Pax Christianorum arma. 201
Pace armantur Christiani adversus diabolum. ibid.
Peccatum hominem a ratione deturbat. 209
Peccator libertate velut orbatur. 212
Peccator passionibus exagitatus. 219
Peccator belluis comparatus. 220
Peccator funibus ligatur. 223
Peccator oneribus gravatur. 224
Peccator laboriose operatur. 225
Peccator servitutis defert indicia. 226
Peccatoris servitus lugenda. 228
Peccator Christum recrucifigit. 232
Peccator excæcatus. 253
Peccator a quo excæcatus. 254
Peccator in nocte incedit. 262
Peccator Deum non agnoscit. 263
Peccator cæcum se esse nescit. 267
Peccator excæcatus quomodo illuminandus. 271
Peccatum contrarium Trinitati demonstratur. 289
Peccatum contrarium Patri æterno. ibid.
Peccatum contrarium Verbo divino. 290
Peccatum contrarium Spiritui sancto. 293
Peccatum pervertit rationem, legem, finem. 296
Peccatum iniquum in Dei majestatem, bonitatem, judiciariam potestatem. 298
Peccati malitia infinita. 302
Peccati sævitia declaratur. 305
Peccatum hominem interficit. ibid.
Peccatum Christum crucifigit. 307
Peccatum Deo necem quantum potest, intendit. 308
Peccatum devastat naturam. 310
Peccatum bona gratiæ depopulatur. 313
Peccatum hominem anonymum efficit. 320
Peccatum ad nihilum redigit. 323
Peccati sordes maculant. 326
Peccata cordis declarantur. 327
Peccatum difformem efficit animam. 332
Peccatum fœtet. 336
Peccatum veniale a mortali discriminatur. 342
Peccatum veniale Deo injuriosum. 343
Peccatum veniale grandi pœna punitum. 346
Peccati venialis notitia. 349
Peccatum veniale periculosum. 350
Peccatum veniale quomodo remittitur. 352
Peccatum depauperat. 354
Peccatum infamat. 356
Peccatum punitum ab Angelis. 358
Peccatum punitum ab elementis. 359
Peccatum bello, fame, peste punitur. ibid.
Peccatum laboribus, angoribus, et doloribus punitum. 364
Peccatum punitur conscientiæ stimulis. 368
Peccatum trinam affert mortem. 385
Peccatum cœlo privat. 394
Peccatum in infernum præcipitat. 395
Peccatum pœnæ æternæ mancipat. 396
Pœnitentia peccatum respicit. 397
Pœnitentiæ possibilitas. 398
Pœnitentiæ necessitas. 402
Pœnitentiæ æquitas. 406
Pœnitentiæ natura declaratur. 409
Pœnitentiæ veritas denotatur. 413
Pœnitentia stimulatur. 416
Pœnitentia virtutis honestate commendatur. 419
Pœnitentia sacrificii dignitate honoratur. 421
Pœnitentia a beatis, Christo, et Deo nobilitatur. ibid.
Pœnitentia martyrii palma gloriatur. 422
Pœnitentiæ efficacitas. 424
Pœnitentia divinæ misericordiæ curat negotium. 425
Pœnitentia Dei sententiam revocat. 427
Pœnitentia divinam justitiam compensat. 430
Pœnitentiæ multimoda utilitas. 434
Pœnitentia prudenter acceleratur. 440
Pœnitentia imprudenter procrastinatur. 442
Pœnitentia stulte ad finem vitæ retardatur. 447
Pœnitentiæ sacramentum vitæ discussionem desiderat. 452
Pœnitentiæ sacramentum contritionem ut sic expostulat. 457
Psalmodia commendatur. 105

R

Ratio propria hominis. 209
Recidiva est injuriosa Deo, Christo, et Sacramento. 230
Recidiva multum Deo injuriosa. 233
Relabens in peccatum est reus infidelitatis, ingratitudinis, et temeritatis. 234
Recidiva periculosa. 238
ob Recidivatum peccata gravius committuntur, difficilius remittuntur, acerbius puniuntur. 239
Ratio hominem constituit et discriminat. 209
Religiosus status commendatur vetustate, dignitate, salutis securitate. 52
Religiosus status vetustate floret. ibid.
Religiosorum dignitas duodecim rationibus declaratur. 53
Religiosus status adversatur ex injustitia, invidia, nequitia. 63
Religiosus status scelerose depretiatur. 66
Religiosus a suo statu degenerans, culpatur. 70
Romani cunctos sibi falsos arrogarunt. 161

S

Satisfactio est pars integralis Pœnitentiæ. 478
Satisfactio est pœnæ debita solutio. ibid.

Satisfactio est pœnalis. 479
Satisfactionis opera, oratio, eleemosyna, jejunium. 480
Satisfactiones pœnitentiales prudenter injungunt Confessarii. 481
Satisfactiones pœnitentiales injuste recusantur. 482
Sacerdos mediator inter Deum et pœnitentes. 167
Sacerdotis duplex officium. 90
Sacerdotes pacis. 171
Sacrificium Deo spiritus contribulatus. 116
Sanguine Christi reconciliati sumus. 189
Scissuræ ad hæresim conducunt. 201
Societatis bina lex. 172
Spiritus sanctus per columbam præfiguratus. 187
Spiritus sanctus mitissimus. ibid.
Spiritus sanctus pace et quiete tractandus. ibid.
Superstitio depretiatur. 41

T

Tentationis præses et artifex diabolus. 155
absque Tentatione non est hæc vita. ibid.
Tentationis carentia periculosa. ibid.
Tranquillus Deus tranquillat omnia. 183
in Trinitate unitas maxime commendatur. 173
in Trinitate unitas sine confusione, distinctio sine divisione, concordia sine dissensione. ibid.
Trinitas exemplar unitatis Christianorum. ibid.
Tunica inconsutilis Christi, Christianorum denotat unitatem. 160
Tyrannis a regno distinguitur. 169

U

Unanimitas ad malum. 151
Unitas Christianorum fundata. 161
Unitas Christianorum explicatur. 173
Uxorum communitas damnatur. 164

V

Vinculum pacis. 149
Victoriis regnum quæritur. 127
Victoriales preces. ibid.
Victoriæ de inimicis per orationem deportatæ. 129
Virtus amicitiæ conciliatrix. 175
Voluntas concupiscentiæ et carnis. 228
Vulnera diligentis meliora sunt quam fraudulenta oscula odientis. 153

FINIS INDICIS TOMI QUINTI.

Permissio Reverendi Patris Provincialis.

Frater Agathangelus Petit, Provinciæ Recollectorum in Aquitania Minister Provincialis, et servus R. P. Michaeli Vivien, ejusdem Provinciæ alumno, Sacræ Theologiæ Lectori, necnon antiquo Custodum Custodi, salutem. Cum Liber *Tertullianus Prædicans* nuncupatus, in sex Tomos distributus, sit jam maxima ex parte typis mandatus, et feliciter a Doctoribus quibusque approbatus, licentiam tibi facimus ut præclarum illud opus perficias, et denuo typis mandes, sive in-quarto, sive in-folio, prout melius tibi visum fuerit. In cujus fidem præsentem Licentiam propria manu subscripsimus, et parvo officii nostri sigillo munivimus. Datum in Conventu nostro Sanctæ Mariæ de Gratia Burdigalæ, die 19 Februarii, anno 1677.

F. Agathangelus Petit,
Minister Provincialis.

Approbationes Lectorum Theologiæ.

Libri cui titulus est *Tertullianus Prædicans* secundum et tertium tomum frustra commendarem. Primus siquidem et reliquos et eorum auctorem satis commendat; qui illum legerunt vivendi quod in lucem edendum supererat vehementi flagrabant desiderio; neque fallet eos opinio, ibi enim maximam ingenii ubertatem observabunt, ac materiarum abundantiam cum præclara methodo, quæ Tertulliani operibus deerat claritate mirabuntur. Hæc ipse perlegendo miratus sum, ideoque Opus dignum judico quod typis quamprimum mandetur, utpote quod nihil contineat fidei aut bonis moribus contrarium, quin potius futurum sit utilissimum, tum cæteris omnibus, tum præcipuæ divini verbi Præconibus. Quod testor in hoc Conventu Recollectorum Sanctæ Valeriæ prope Lemovicas, die 22 mensis Julii anni 1673.

F. Germanus Deyr,
Lector Sacræ Theologiæ, et Guardianus Conventus Recollectorum Sanctæ Valeriæ prope Lemovicas.

Ego infrascriptus Sacræ Theologiæ Lector, summa cum delectatione attente perlegi librum cui titulus *Tertullianus Prædicans*, in quo Tertulliani doctrina licet ex se satis commendata, mire tamen commendatur, tum ob selectas Patrum sententias, quibus adornatur, tum ob subtiles Theologorum rationes, quibus ab Auctore solidatur. Ipsum ergo typis dignissimum judico, non solum quia nihil in ipso quod catholicæ fidei sectatoribus adversetur, sed etiam quia nihil in ipso quod christianæ veritatis Præconibus non multum patrocinetur, quibus *Tertullianus Prædicans* erit Tertullianus docens methodum, clare, breviter et nervose sermones conficiendi. In lucem igitur prodeat opus et prælo, quam citius mandetur tanquam communi Concionatorum bono utilissimum censeo et peropto. Datum in Conventu Sancti Leonardi, die 8 Junii anni 1673.

F. Gabriel Barbiere,
S. Theologiæ Lector.

Licencia et Censura Ordinarii.

Tertullianus *Prædicans*, sive campus floridissimus selectissimorum conceptuum ac discursuum omni tempore prædicabilium; qui, cum in Gallia, non absque singulari fructu binis vicibus impressus, et a diversis Theologis approbatus fuerit, nihilque ab orthodoxa Doctrina alienum complectatur, hisce pro tertia vice imprimendi facultatem concedimus. Signatum Coloniæ Agrippinæ, decima sexta Februarii.

F. Theodorus Deghens,
SS. Theologiæ Doctor et Professor Ordinarius, Canonicorum Regularium S. Crucis Provincialis ad Rhenum, et Prior Coloniæ, Ordinarius Librorum Censor. M. P.

HOLY REDEEMER COLLEGE
925 Cousineau Road
Windsor, Ont. N9G 1V8

BR 65 .T32 1856 v.5 IMS

Tertullian, ca. 160-ca.
230.
Tertullianus praedicans
: et, supra quam libet
AWM-1454 (mcsk)

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA